


Breslau [illegible]

~~Teol. 3838.~~



Parvus Liber, Magnum Bonum.

1869. I. III.

6973

od Paulego 8 dtk

Ex Bibliotheca
M. Joh: Chr: Masson
angl: Pomer.
Vratislaviae, 1766.

Liber admodum
rarus, et a me nunquam
antea visus.

Diese Ausgabe (Racoviae 1630 4.) ist also die erste von des J. Volkelii Buch de vera Religione. A. 1642 wurde es zu Amsterdam nachgedruckt bey Blaeau, aber die Exemplaria in selbigem Jahr d. 20 Jan. auf Obrigkeitlichen Befehl verbrannt, wodurch denn das Buch so rar worden, dass (wie Sandius Bibl. Anti-Trin. p. 99 meldet) man für ein exemplar desselben in Frankreich bis 25 Ducaten bezahlet hat. A. 1649 kam es in holländischer Sprache zu Rotterdam 4. heimlich wieder zum Vorschein. Und endlich hat es Sam. Maresius zum 2ten mal wieder auflegen 4. in den II u. III. Tomum seiner Hydrae Socinianismi einrücken lassen mit einer gründlichen Widerlegung. (Siehe Mich. Theol. Bibl. p. 900–901.)

8 fl

IOHANNIS VOLKELII
Misnici
DE VERA RELIGIONE
Libri Quinque:

Quibus præfixus est IOHANNIS CRELLII Franci
Liber
DE DEO ET EJUS ATTRIBUTIS,

ita ut unum cum illis opus constituat.



RACOVIÆ,
Typis Sebastiani Sternacii,
Anno a nato Christo
1630.

IOHANNES CRELLIUS
Ecclesiæ Racoviensis Minister
CHRISTIANO LECTORI
SALUTEM.

QVANTUM in cognitione rerum ad veram religionem pertinentium sit positum, Christiane Lector, ignorare nemo potest eorum, qui sacrosanctum Iesu Christi nomen sincero pectore profitentur. Ea enim notitia vitæ lux est, quâ qui carent, ii cœcorum instar in tenebris palpant, quid sequantur, quídve declinent, ignari. Arctum certè illud æternæ salutis iter invenire nequeunt, nec per tot salebras, tam angusto inter præcipitia tramite, ad supremæ felicitatis fastigium eniti. At quibus cœlestis illa veritatis lux affulsit, ea præsertim, quam orbi caliginoso Christus intulit, ii & extremam, ad quam tendant, vitæ metam cernunt, & viam, quæ ad eam ducat, vident, ac ducem nacti Deum, iter istud beatitatis ingredi, & ejusdem ope adjuti feliciter emetiri possunt. Quare omnibus, quibus sua salus est cordi, rerum ad religionem cultumq; divinum spectantium scientia sedulò est inquirenda; & si qua etiam strictura hujus lucis illorum oculis sese inferat, cavendum est, ne eam spernant, sed quamvis obscuriùs lucentem tam diu seqvantur, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus ipsorum, ac clarum tandem Solis jubar omnes ex animis illorum tenebras pellat. Quod cùm divina illis benignitate aliqua ratione contigit, alios etiam monere atq; excitare debent, ut evigilent e somno, & velut e mortuis resurgant, ut Christus eos illuminet. Quare cùm Pater ille luminum post densissimas ignorantiæ tenebras, quæ terrarum orbi per multa secula incubuerant, vitæ lucem iis reddidisset, qui in umbra

mortis ſederant; noſtri homines eo ſplendore tum ipſi ad ſalutis viam rectiùs cognoſcendam ſunt uſi, tum ut alios in eandem traducerent, operam dederunt, & quam ab iis, qui anteceſſerunt, acceperant facem, Solis cœleſtis radiis luculentiùs accenſam, aliis iterum præferre pro ſua virili ſunt conati. Eam ob cauſſam nō paucos in lucem ediderunt libros, quibus vel univerſam Chriſti religionem breviter explicarent; vel de quibusdam illius capitibus fuſiùs diſſererent, & ab errorum ea nebulis, quibus adhuc involuta eſſent, vindicarent. Qua quidem in re & neceſſitati ſatisfeciſſe, & utilitati, quæ illius lineam egreditur, non una ex parte conſuluiſſe videntur. Nam & rudiores habent, unde ſalutarem veritatem pietatisq; doctrinam diſcant; & eruditiores, unde ad uberiorem rerum divinarum cognitionem inſtruantur. Deſideratus nihilominus a non paucis fuit ejusmodi liber, qui & religionis myſteria pleniùs aliquātò explicaret, quàm in compendiis factum; & ſimul, quæ alibi ſparſim eſſent fuſeq; diſputata, velut in ſynopſin redacta, diviniꝫ veritatis ſtudioſis exhiberet legēda. Quem laborem cùm non parùm utilitatis aliis allaturum cerneret, Vir aliquando tum pietate, tum eruditione præſtantiſſimus IOHANNES VOLKELIUS, Eccleſiæ Smiglenſis paſtor, eum in ſe ſuſcepit, & hos, quos nunc edimus, de vera religione libros conſcripſit. Eos cùm aliis viris piis atq; eruditis legendos dediſſet, dignos judicârunt, qui ſimul ac ultima illis eſſet ab ipſo manus addita, lucem aſpicerent. Sed morte præventus, rem, ut voluerat, perficere non potuit. Itaq; labor hic illis ex parte fuit relictus, quibus ante obitum de toto opere judicium Auctor permiſerat. Quia verò id ipſi ab initio fuerat propoſitum, ut ea potiſſimùm explicaret, quæ ad ipſam religionis præſcriptionem pertinent, & illa doctrinæ Chriſtianæ capita defenderet, de quibus noſtræ ab aliis ſententiæ abirent diverſæ; breviùs de attributis divinis diſſeruit, de quibus minus eſſet inter nos

& alios controversiæ. Quamobrem ii, quibus judicium de totius operis editione fuerat permissum, censuerunt, fusiorem attributorum divinorum explicationem operi reliquo esse præmittendam, ne præcipua sacrosanctæ Theologiæ pars præ cæteris veluti neglecta videretur.

Hunc laborem cùm mihi, auctoritate Ecclesiæ accedente, demandassent; facilè animadverti, quàm grave humeris meis onus imponeretur. Veruntamen cùm illi, qui ita censuerant, rem urgerent, negare id, quod postularent, religio mihi fuit. Quare Deum suppliciter precatus, rem sum aggressus, &, quod unum potui, fidem ac diligentiam in me desiderari passus non sum. Etsi verò non defuerunt, qui ordinem operis Volkeliani alicubi mutandum, & quæ Auctor libro quinto tractasset, a se invicem divulsa, locis magis propriis sparsim inserenda putarent; satiùs tamen judicavimus, compagem operis non dissolvere, ne alia etiam, quæ ordinis constituendi caussâ sunt ab Auctore dicta, mutanda essent. Satis æquo lectori fore putavimus, si ea, quę asseruntur, vera esse ac salutaria deprehenderet, & ordinis etiam, quem Auctor seqvutus est, rationem ei aliquam constitisse animadverteret. Cùm verò Volkeliani libri editioni jam tum essent maturi, cùm liber de Deo ejusq; attributis vix a nobis adfectus, nedum confectus esset; visum est illos tantisper edere, donec hunc conscriberemus, ut tempus aliqua ratione redimeretur. Quæ caussa est, cur duplicem paginarum ordinem hîc deprehendas; licèt librum de Deo ita Volkelianis junxerimus, ut unum cum iis opus conficiat. Quicquid autem a nobis præstitum est, quod usibus tuis, benevole lector, serviat, id Dei optimi maximi ac Servatoris nostri Iesu Christi benignitati debetur. Nobis nihil inde decerpimus. Nec eos sua fraudatos laude volumus, qui ante nos hoc argumentũ de Deo ejusq; attributis tractarunt, quorum libri versantur in hominum eruditorum

manibus. Quicquid apud nos inveneris, quod ab illis di-
ctũ ſit priùs, id ipſis ſecundùm Deum ac Chriſtũ adſcri-
bas. quin per me licet omnia illis adſcribas. Neque enim
novitatis laudem quærimus; ſed ut priſca illa veritas, ſa-
cris literis comprehenſa, in lucem proferatur, ac priſtino
ſuo nitori reſtituatur, laboramus. Vtinam verò omnia
jam ita eſſent ab aliis dicta atq; explicata, ut nihil pror-
ſus reſtaret dicendum, quod cum ipſorum dictis ſcri-
ptíſve comparatum, novum videri poſſet; nihilq́; nobis
relictum eſſet aliud, quàm ut, quæ a clariſſimis viris ante
nos aſſerta defenſaque eſſent, tum ipſi diſceremus, tum
aliis inculcaremus. Quòd ſi aliquas putabis in hoc ope-
re laboris noſtri fuiſſe partes, eas tribuas velim Venerã-
do Seni, & non pietate minùs, quàm generis nobilitate
præſtanti viro Dn° STANISLAO LUBJENIECIO, cu-
jus ut in plurimis aliis, ita & hac in re ſingulare extitit
de Eccleſia Chriſti hominumque ſalute bene merendi
ſtudium. Is enim opus Volkelianum poſt Auctoris obi-
tum, tanquam prolem parente orbam ſuſcepit, & curâ
ſuâ ita fovit atque aluit, ut in publicum tandem prodire
poſſet. Nam & poſtquam operis edendi labor mihi fuit
ab Eccleſia demandatus, velut ἐργοδιώκτης hortari me
nunquam deſiit, donec rem videret confectam; ac ut
ſumtus non deeſſet, pupillæ velut elocandæ dotem
conquiſivit. Itaq; illum tanquam alterum hujus operis
parentem agnoſces, lector benevole, & pro ejus noſtrá-
que ſalute, qui tuæ ſaluti conſultum ex animo cupivi-
mus, Deum orabis. Vale, lector amice, & creſce in
gratia & cognitione Domini noſtri & Servatoris Ie-
ſu Chriſti. Ipſi gloria & nunc & in diem
æternitatis. Amen.

INDEX LIBRORUM DE VERA RELIGIONE, & capitum cujusque libri.

Litera A. *paginarum numeris subjecta, primam earum seriem denotat.*

Liber I.

De Deo *& ejus attributis.*

*4 Liber

LIBER II.

De DEI Operibus.

LIBER III.

De Religione Christiana.

XVI. De

Liber IV.

De Præceptis Christi.

LIBER V.

De Adjumentis ad perseverantiam in fide ac pietate necessariis.

LIBER VI.

De Christi Ecclesia.





Cap. I. Aditus ad tractationem de Deo,

De Vera Religione Liber Primus,

Qui est DE DEO ET EJUS ATTRIBUTIS.

Cap: I.

Aditus ad tractationem de Deo.

DE vera religione dicturis, primùm omnium, quid nomen significet, explicandum est. Denotat igitur Religio cultum divinum, seu Dei colendi rationem: & vera quidem eam, quæ & circa verum Deum, & recto convenientiq; modo versatur. Dei verò nomen naturâ suâ, ut inferiùs intelligetur, pluribus est commune: sed tamen insignitè denotat supremum omnium rerum dominum. Circa hunc religionem veram primò ac per se occupari, & in eo, tanquam ultimo scopo, penitus conquiescere est necesse. Quare & numen istud supremum cognoscendum est iis, qui ad veram religionem sunt instituendi, & ratio inquirenda, quâ id ritè colatur: ita quidem, ut summa simul cultus illius pateat tum utilitas, tum necessitas. Hac enim sublata, religionis quoque veræ studium, vel penitus tolletur, vel frigebit. Potest autem cognitio Dei tam latè extendi, ut cognitionem quoque rationis, quâ is sit colendus, ambitu suo complectatur. Siquidem ad Deum pleniùs cognoscendum, non tantùm Attributorum ipsius, sed & Operum notitia requiritur, quæ nisi sint aliqua, nec religionis ulla fuerit utilitas, nedum necessitas. Inter ea verò est & religionis præscriptio. Itaque universa hæc de Religione vera tractatio, ad cognitionem Dei revocabitur; cujus primùm Attributa, ad quorum cognitionem & Nomina ipsius nos ducunt, dein Opera explicabuntur. Attributa autem appellamus omnia, quæ ipsi sive naturâ, sive voluntate insunt. Opera verò actiones ab ipso proficiscentes, seu quicquid is extra se perficit. Et inter attributa quidem primo loco occurrit Existentia. Nam in omni disciplina pri-

cap: 13. conf. & capp. 8. 9.

 mò con-

Cap. II. Deum esse demonstratur.

mò constare debet, subjectum, in quo tractando ea occupatur, existere. aliàs frustra de cæteris laboraveris. Quare & nobis primò omnium docendum est, extare Deum; idque tantò magis, quòd hoc primum est religionis fundamentum, quo sublato eam penitus ruere foret necesse. Vnde & sacri nostri libri asserunt, *eum, qui velit accedere ad Deum,* (hoc est, ipsum colere, eique placere) *credere oportere, quòd sit,* seu revera existat, *& quòd remunerator sit eorum, qui ipsum quærunt,* h. e. qui ipsum colunt, & ea ratione favorem ipsius ambiunt; quod quidem posterius, priori demonstrato, haud difficulter creditur, si modò intelligas, quid Dei nomen hic significet, de quo ante omnia necesse est constare. Diximus autem, id significare supremum rerum omnium Dominum. Hoc ergo primum Religionis veræ fundamentum, primò etiam collocabimus, & rationibus firmabimus; ut cætera deinde validiùs ei superstruantur. Etsi verò ex iis, quæ de Sacrarum literarum auctoritate alibi in hoc opere disputabuntur, perspici satis possit, Deum esse: placet tamen aliis quoque argumentis idem hoc loco demonstrare, ut & illi id agnoscant, qui auctoritatem scriptorum sacrorum nondum admittunt. Triplici autem argumentorum genere ad id probandum utemur. Primùm enim ex universa rerum natura ducemus argumenta: deinde ex rebus humanis, sive a natura, sive ab alia superiore caussa ortis: denique ex iis, quæ præter naturam sunt aut fiunt. Deum autem supplices rogamus, ut ipse spiritu suo mentem nostram ac calamum in universo hoc opere gubernet.

Heb. 11. 6.

Lib. 5 cap. 5.

CAP: II.

Deum esse ex universa rerum natura demonstratur.

VT igitur ab universa rerum natura incipiamus; illud primò est monendum, satis hic nobis esse, si docuerimus, hujus mundi, & rerum in eo existentium, supremum aliquem esse dominum ac rectorem. Quandoquidem ii, qui Deum esse negant, res alias præter hunc mundum, & naturas in eo existentes, agnoscere non solent. Itaque si illis demonstraverimus, hunc mundum supremi alicujus rectoris arbitrio temperari; protinus fatebuntur, rerum omnium rectorem aliquem supremum esse. Deinde, quia haud difficile est videre, si hujus mundi supremus aliquis sit rector; etiam cæteris rebus, quæ præter hunc mundum extare creduntur, eundem præesse rectorem; si modò eæ cum hoc mundo, ac nominatim cum hominibus aliquid commune habeant, & ad eorum gubernationem

Cap. II. Deum esse demonstratur.

tionem quippiam adferant momenti. Quòd si quis ejusmodi res fingat, quibus cum mundo, & hominibus in eo existentibus, nihil planè sit negotii; earum nulla hic habenda est ratio. Quandoquidem nobis satis est ostendere, supremum aliquem esse, tum ipsorum hominum, tum rerum ad eos quoquo modo spectantium dominum ac rectorem. Ideo enim hic Deum esse demonstramus, ut ostendamus, homines religione devinctos esse. Ad hoc autem id, quod diximus, sufficit. Supremo enim domino & rectori suo summum etiam cultum atq; obseqvium debent homines, in quo religio tota consistit. Adde, quòd hoc loco nondum id agimus, ut unum tantùm esse Deum demonstremus: sed simpliciter, ut Deum esse doceamus, cui nimirum homines cultum & obsequium longè maximum debeant. Itaque satis esset demonstrare, hominum supremum aliquem esse dominum, qui nimirum occulta quadam ratione & naturæ limites excedente, humanum genus gubernet; etiamsi tandem aliarum rerum, vel nullus, vel alius esset dominus supremus, vel denique ipsius hominis plures; quod tamen a nobis suo loco refutabitur. Ut autem demonstremus, supremum hujus universi rectorem esse, non adeò multum nobis in eo est laborandum, ut probemus, non infinitam esse rectorum seriem, sed vel unum protinus esse collocandum, qui a superiori non dependeat; vel ad talem tandem esse deveniendum. Siquidem apud omnes constat, in causis per se agentibus, quales sunt rectores, progressum in infinitum non dari. Et sanè ad regimen omne ordo requiritur; & ad optimum quidem, quale necesse est regimen hujus universi esse, ordo maximus & exquisitissimus. Ordo autem inter infinitos rectores (si modò rectores sunt appellandi) nullus revera esse potest. Ubi enim nullum est primum, nullum est etiam secundum aut tertium; atque adeo ordo nullus. Regimen omne consilio constat. Consilium in infinita multitudine nullum est, sed infinita potiùs confusio ac perturbatio. Quare id solum nobis probandum restat, esse aliquem hujus universi rectorem.

Id autem primùm hac ratione demonstrabitur: Si omnia naturalia finis gratiâ agunt, necesse est eas rectoris alicujus consilio gubernari. Nam quæcunque finis alicujus gratiâ agunt, vel suo ipsorum consilio, vel alieno ad finem illum diriguntur, ad eúmve collimant. Siquidem necesse est, vel ipsa, & finem, ad quem collimant, nosse atque appetere, & sese ad eum consequendum componere; vel quippiam aliud, quod ea dirigat. Alia ratione finis gratiâ

Cap. II. Deum esse demõstratur.

fieri nihil potest. Naturalia verò suo consilio ad finem, cujus gratiâ agunt, non diriguntur aut collimant. Siquidem eorum alia nullius sunt consilii capacia, ut quæ intellectu sunt destituta: alia, ut ut consilii sint capacia; tamen quæ naturæ solius instinctu faciunt, consilio suo non faciunt. Sic, quæ homini sunt cum brutis ac plantis communia, consilio humano propriè non fiunt; licèt consilio & industriâ humanâ juventur: quemadmodum & naturalis plantarum, tum propagatio, tum nutritio ac sustentatio. Cum ergo res naturales, cùm ipsius naturæ instinctu agunt, ad finem suo consilio non dirigantur; restat, ut dirigantur alieno, & quidem illius, qui rerum naturam in sua potestate habeat, & ejus cursum moderetur. Naturalia autem omnia finis alicujus gratiâ agere, adeò manifestum est, ut jamdudum in proverbium abierit, *Naturam nihil agere frustra*. Frustra verò agit, quicquid finem, cujus gratiâ agat, sibi non habet propositum. Probat idem Philosophus fusè, secundo inprimis Physicorum libro, & aliis non paucis locis asserit. Patet id manifestè in animalibus, quæ naturali appetitûs instinctu, etiam ante experimentum, ad opera sibi aliisque utilia incitantur. Appetitus autem omnis, & quicquid appetitu fit, finis gratiâ est. Ex quo facilè etiam intelligitur, quid sentiendum sit de cæterarum rerum naturalium actionibus aut motibus, ut astrorum, aut plantarum, ad quas naturali quodam instinctu atque impetu incitantur; nempe eas quoque finis alicujus gratiâ esse. Nam de similibus idem judicium est: & naturale est, ut ait Philosophus, similiter se habere in omnibus. Quare si ille animalium instinctus appetitúsque naturalis, & actiones inde prodeuntes, finis alicujus gratiâ sunt; etiam hic cæterarum rerum instinctus naturalis, &, quæ ab eo prodeunt, actiones ac motus, finis alicujus gratiâ erunt. Est enim instinctus hic appetitui brutorum analogus, adeóque affinis, ut apud Philosophos etiam appetitûs nomen fuerit sortitus. Et sanè, nisi oculos claudere velimus, manifestè cernimus, quis sit ille finis, ob quem Sol v. g. perpetuò in orbem moveatur; quis item finis, ob quem plantæ semina producant, semina rursus plantas, & si quæ sunt his similia. Neque enim refert, quòd hæc sensu & appetitu propriè sic dicto, quo in finem cognitum ferantur, destituta sint. Nam nec telum novit aut appetit scopum, in quem dirigitur, & tamen finis causâ movetur; nec navis portum novit aut appetit; nec horologium finem suum intelligit, aut desiderat; & ne equus quidem semper, quò dominum vehat. Ab alio enim, qui finem novit, & appetit, diriguntur ac gubernantur. Atque hoc ipsum est, quod nos

vid. præcipuè cap. 8. lib. 2. Phys.

8. Phys. text. 61.

Cap. II. Deum esse demonstratur.

hoc loco quærimus. Præterea ex eo quoque apparet, naturam finis gratiâ agere, quòd ea cesset ab iis actionibus, quarum utilitatem, ad quam fertur, jam est adepta; nisi fortè ad eam conservandam eodem actionis genere sit opus. Quæ enim finis causâ non agunt, sed quia simpliciter necesse est agere; etiam utilitate remota agere pergunt. Denique naturam imitata ars finis gratiâ agit; & nisi eum primò sibi proponeret, non ars, sed mera foret stultitia. Vtilitate enim vel careret, vel non nisi casu attingeret. quemadmodum qui nullum sibi locum, ad quem tendat, præfixum habet, hinc inde tantùm oberrabit, & vel nunquam eò perveniet, quò debebat, vel casu tantùm ac fortuitò eò deferetur, nisi alieno consilio dirigatur. Quare idem in natura contingeret, nisi finis gratiâ ageret. Omnia cæco quodam ferrentur impetu, & alia in alia incurrerent, sine ordine, sine utilitate, si finem certum, veluti scopum, sibi non haberent præfixum; non nisi casu ac fortuitò, atque adeo rarò scopum ferirent. Hæc enim eorum est ratio, quæ casu ac fortuitò agunt. Quòd si qvis nihilominus dicere velit, hæc omnia, etiamsi nec suo, nec alieno consilio dirigantur, ad scopum tamen, ad quem debebant, rectà ferri; is perinde faciet, ac si dixerit, infinitos esse cœcos, qui, cum nec suo, nec alieno consilio, ad scopum dirigantur, & ne ferire quidem eum cupiant, aptissimè tamen ad eum semper colliment, & nisi quid impediat, eum semper attingant. quæ oratio cæci, aut ne cæci quidem esset, sed potiùs insani. Patet ergo, res naturales consilio alicujus gubernari. Non possunt autem gubernari, nisi ab illo, qui naturam habeat in sua potestate, ejusque sit dominus. Quo pacto enim aliàs naturam, tantamque universi molem gubernaret, atque ad finem suum dirigeret? Quare dominum & rectorem aliquem huic rerum universitati præesse necesse est.

Dicet fortasse aliquis, ipsam naturam suo consilio res omnes ad finem suum dirigere; ac porrò nullo alio rerum moderatore opus esse. Nam & nos ipsos affirmare, naturam finis gratiâ agere; & usu receptum esse, ut eidem providentia tribuatur. Dicere enim solemus, naturam hæc aut illa providè fecisse, rebusq; utiliter prospexisse. Sed hi loquendi modi facilem responsionem habent. Prosopopœiâ enim utimur, ex Metonymia seu Metalepsi ortâ, & in vulgari sermone usitatâ, ut, quæ caussæ efficientis sunt propria, effectui tribuamus. Naturæ igitur tribuimus, quod Deo naturæ auctori ac moderatori competit. Quod ad rem ipsam attinet, interrogare licebit eum, qui hæc objicit, quid Naturæ nomine intelli-

Cap. II. Deum eſſe demonſtratur.

ne intelligat. Vel enim naturam intelligit particularem, in ſingulis rerum naturalium individuis extantem; vel univerſalem, ex ſingularum rerum naturis collectam; vel denique ſubſtantiam aliquam per hoc univerſum diffuſam, & omnium rerum naturas ſuſtentantem,atq; in fines ſuos dirigentem. Si naturam intelligit particularem; egregiè fallitur. Quid enim? Num triticum fortè conſultat, ut granum producat, quod vel generis ſui propagationi, vel hominum alimentis cedat? Num temporum articulos novit ei producendo aptos,& tempeſtates obſervat? & granum rurſus conſultat,ut radices in terra figat,ut culmum,ut ſpicam proferat, & cætera ſeminibus aliis, aut procreandis, aut tuendis apta? An porci, aut aſini, dum generationi dant operam, conſultant, ut tam aptam partium ac membrorum ſtructuram e materia effingant, tam admirabiles facultates ei indant; quarum rerum artificium humanum ingenium vix aſſequi, nedum excogitare, quantò autem minùs efficere poteſt. Fortè iidem porci, aut aſini deliberant, quomodo cibus in ventriculo concoqui, quomodo in chylum,chylus in ſanguinem verti, & per venas atq; arterias diffundi poſſit; quomodo ſpiritus vitales inde gigni, quomodo membra eo nutriri queant?Quòd ſi ullius rei natura iſtis de rebus conſultaret; hominum certè natura ratione prædita id faceret, idque ipſi homines non poſſent non ſentire. At quis iſtud conſilium in ſe unquam eſt expertus? Ex his jam porrò apparet,nec univerſalem naturam, ex ſingularium rerum naturis collectam, conſilio uti, & de rebus in finem ſuum dirigendis deliberare. Cùm univerſalis illa natura, nihil ſit præter naturas ſingulares, quas cogitatione nos conjungimus. Neque enim idea eſt aliqua, extra ſingularia ſubſiſtens. Quòd ſi quis Naturæ nomine ſubſtantiam aliquam intelligat a rebus naturalibus diſtinctam, quæ ſingularum rerum naturas ſuſtentet ac gubernet, & in ſuum quamque finem dirigat; is ipſam revera naturam Deum ſtatuet, &, ſi Deum, tali natura poſita,exiſtere negaverit, ſeipſum non intelliget. Deum enim eſſe,uti vidimus,eſt omnium rerum Dominum eſſe & rectorem. At talis erit natura illa,quæ ſtatuitur ſubſtantia omnes res naturales ſuſtentans, & conſilio ſuo in ſuos quamque fines dirigens.Nam quid aliud eſt hoc,quàm res univerſas regere, eáſque in ſua poteſtate habere?Neque verò naturam hujusmodi, rerum genera ſeu univerſalia tantùm, ſed & ſingularia noſſe ac gubernare neceſſe erit. Neque enim dirigere omnia in fines ſuos poterit,niſi v. g. Solem& cætera aſtra ſingularia,noverit ac rexe-

rit, e quorum virtute ac motu genera plantarum atque animalium universa, eorumq; salus pendet. Adde, quòd, cum universalia nihil sint præter singularia inter se collecta; non potest universalia sustentare, ac in fines suos dirigere, nisi qui singularia sustentat, & in suos fines dirigit. Quare quisquis hujusmodi naturam fingit, Deum ex natura facit, vel Deum naturæ nomine designat.

Cap: III.

Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

Cap. III. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

SEd jam ulteriùs progrediemur, & ostendemus, hujus universi aliquem esse opificem, seu caussam efficientem intelligentiâ consilioque præditam, quam nos Creatorem appellamus. Vnde iterum patebit, esse aliquem hujus universi dominum ac rectorem. Etenim ipsius naturæ jure quivis opifex dominus est operis sui, quà tale est, &, si id ex materia produxerit, quæ alieni juris non sit, totum opus, quantum quantum est, ipsius est. Vnde ei soli pro arbitrio opere uti licet: cæteris non nisi ipsius voluntate ac permissu; nisi fortè ipsemet opifex alieni sit juris, non sui; id quod in supremum hujus universi opificem non cadit. Supremum autem aliquem esse necesse est, ne in caussis per se agentibus progressus in infinitum detur. ac præterea, utut hujus universi opifex alii alicui subesset; nihilominus tamen ad supremum rectorem tandem esset deveniendum, ut superiùs jam docuimus. Id ergo tantùm probandum est, hujus universi opificem esse aliquem. Probari autem potest tum eo ipso, quod antea docuimus, nempe res omnes consilio alicujus gubernari, & in fines suos dirigi; tum ratione illi vicinâ, quâ id ipsum probavimus. Quod enim ad prius attinet; si res, quæ in hoc mundo cernuntur, sine opificis alicujus consilio extiterunt, & ita, ut videmus, constructæ colligatæque inter se fuerunt; sine consilio etiam cujuspiam in fines suos diriguntur. Siquidem eæ in fines suos ideo diriguntur, quia talem naturam habent, & cum cæteris ita sunt colligatæ. Quod ad posterius attinet; si res hujus universi omnes, finis gratiâ non tantùm agunt, sed & existunt; necesse est eas a caussa efficiente intellectu prædita productas esse. Quicquid enim finis gratiâ existit, (existit autem, quicquid non suipsius, sed alterius gratiâ est) id ejus caussæ vi existit, quæ & finem illum habeat cognitum, & eundem appetat, & denique media ad illum consequendum comparet. Id verò, cùm res ipsa sensui nondum est objecta, ejus tantùm caussæ est, quæ intellectu sit prædita, & certo consilio agat. Pa-

Cap. III. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

agat. Patet id etiam ex eo, quòd quæcunque finis gratiâ existunt, eorum caussa finis est. At finis non alia ratione caussa est rei, quàm quatenus caussam efficientem, cognoscendi facultate & appetitu præditam, ad rem producendam movet. Nam, ut præter manifestam rationem, communis Scholarum consensus docet; finis duplici modo spectari potest. Primùm quatenus adhuc est in agentis, ut loqvuntur, intentione, h. e. quatenus ab efficiente rei caussa cognoscitur, & appetitur, eámque svavitate sua ad rem producendam impellit: deinde, quatenus jam reipsa existit, ac possidetur. Posteriori modo non caussa est rei, sed effectus; operis consequens, non antecedens. Priori autem modo tantùm caussa est, & ad existentiam rei aliquid confert. Vnde patet, quæcunque finis gratiâ existunt, caussam efficientem habere, cognoscendi facultate, & appetitu præditam. Ea autem cognoscendi facultas hîc non nisi intellectus esse potest, qui res nondum existentes solus potest cognoscere: appetitus autem ille voluntas est. Res tota adhuc manifestior fiet infrà, ubi Peripateticorum quorundam refutabimus sententiam, qui omnia finis caussâ ita existere contendunt, ut efficientem eos hujus universi caussam non agnoscere appareat. cap. 4.

Nunc id, quod tota Peripateticorum, imò & Platonicorum schola, non modò fatetur, sed & urget, probabimus, nempe res hujus universi omnes finis gratiâ existere; sed ita, ut controversiam de materia prima, quæcunque tandem ea sit, non faciamus nostram. Satis est enim nobis constare, res omnes, quatenus formam aliquam sunt adeptæ, finis gratiâ existere; & materiam primam, si finis gratiâ ipsam non extitisse contendas, ad finem tamen certum adhibitam esse. Neque enim id nunc agimus, ut omnia, quæ ad creationem rerum pertinent, vel explicemus, vel demonstremus; sed ut hujus universi opificem aliquem esse ostendamus. Ostendemus autem, etiamsi non probaverimus, materiam primam per se consideratam, finis gratiâ extitisse; modò docuerimus, res ex ea formatas, finis gratiâ esse; materiam autem primam ei fini subservire. Operis enim ratio in forma & dispositione consistit, non in materia per se considerata. Adde, quòd ne sacræ quidem literæ, cùm creationem hujus mundi describunt, in materiæ productione eam collocant, sed in ejus formatione. Quinetiam rerum quarundam creatarum materiam apertissimè commemorant, ut alibi in his libris explicabitur. Quanquam autem hauddquaquam obscurum est, omnia, quæ in hoc universo cernimus, finis gratiâ existere; quia tamen non omnes ad ea, quæ in natura lib. 2. cap. 4.

sunt ma-

sunt manifestissima, attendunt; ideo placet, lectorem in hoc universi theatrum aliquantùm introducere, ut rem ipsis quodammodo oculis cernat. Tantò autem id faciemus libentiùs, quòd eâdem operâ illud exemplis confirmabimus, quod antea asseruimus, naturalia finis gratiâ agere. Simul & fundamenta quædam sternemus doctrinæ de potentia, sapientia, arbitrio, imperio, benignitate, ac providentia Dei, de quarum rerum postrema in cæteris hujus operis libris agetur: de prioribus nos ipsi in hoc libro infrà dicemus. Et sanè Sacri quoque libri non semel ad rerum in natura existentium contemplationem nos vocant, ut divinæ majestatis radios in iis relucentes, & admirandarum ejus proprietatum vestigia illis impressa lustremus. Etenim non tantùm omnia naturæ opera, sed & singula, singula etiam divinitatis argumenta nobis suppeditant. ita ut tot hujus, quam defendimus, sententiæ argumenta dicere queas, quot naturæ cernimus opera. Eo autem hæc tractabimus pacto, ut ostendamus, omnium rerum naturam ita esse comparatam, ut ad utilitatem aliquam tendat: unde facilè intelligetur, omnia finis gratiâ existere.

Cap. III. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

Incipiamus a corporibus simplicibus, ex quibus hoc universum constat; inde ad mixta animatáque progrediamur. Inter simplicia ordinem ducunt cælestia, è quibus primus oculis se nostris offert Sol, quem astrorum regem ac ducem non immeritò appellant. Huic ob apparentem nobis magnitudinem, & lucis, quam terris impertit, claritatem, veluti regina succedit Luna. Sequuntur cæteræ stellæ, instar stipatorum quorundam, aut exercitûs ducem suum sequentis. Vtilitatem Solis longè maximam, ad quam naturâ comparatus est, qui non cernit, eum cæcum esse oportet. quanquam et is, qui eam non videt, sentit tamen. Ita enim naturâ factus est, ut & lumen animantibus, ac præcipuè homini, ad variarum rerum cognitionem, atque ad actiones operáque necessaria præbeat; & calore suo rerum omnium generationem promoveat, genitas foveat, & ad maturitatem perducat. Itaque sine eo vita rerum inferiorum constare non posset, nedum ut ulla sine eo posset esse vitæ jucunditas. Vt autem vim suam salutarem in omnes terræ partes, quatenus opus est, spargere possit; motus illi naturæ vi inest, & quidem, ut communis fert sententia, duplex: alter diurnus, quo intra viginti quatuor horarum spatium, totum orbem circumiens, utrumque mundi hemisphærium lustrat: alter annuus, quo nunc ad septentrionem, nunc ad austrum propiùs accedens, nunc his, nunc illis terrarum partibus sese pleniùs

 indul-

Cap. III. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

indulget. Quòd enim quidam priorem inprimis motum Soli negent, & terræ adscribant, quæ ab occidente orientem versùs quotidie circumrotata, aliam atque aliam subinde sui partem Soli obvertat; id nostra nihil refert. Eadem enim hujus motûs, quod ad nostrum institutum attinet, vis & ratio erit; quanquam terræ ac Solis naturæ conjunctim utilitas illa imputabitur. Quanta verò utriusque illius motus, & porrò naturæ illius corporis, unde is fluit, utilitas sit, dici vix potest. Inde enim fit, ut Sol unus toti orbi sufficiat, & omnibus terræ partibus prosit; nulli autem, vel ob perpetuam præsentiam, vel ob perpetuam absentiam, ita noceat, ut ea rebus viventibus penitus reddatur inutilis. Nam si Sol eandem terræ partem perpetuò spectaret, hanc quidem penitùs exureret; cæteras verò frigore enecaret, ac prorsus redderet otiosas: &, etiamsi tandem in locis aliquibus, ab eo nec nimiùm dissitis, nec nimiùm ei propinquis, aliqua posset esse rerũ generatio: ii tamẽ animalia, quæ generarentur, tandem capere atque alere non possent. et præterea facem quidem Sol laboribus hominum atque animalium præferret; at commodius ac tutius quiescendi spatium iis non præberet, ob perpetuam luminis præsentiam. At nunc omnibus orbis terræ partibus salutarem vim suam impertit, & non modò accedens, sed & recedens prodest. Nam dum recedit, ea, quæ nimiùm incaluerant, refrigerari sinit: &, quæ laboribus diurnis lassata fuerant, iis quiescendi largitur opportunitatem. Quia verò ejus absentia, præsertim diuturnior, omni prorsus incommodo carere non potest; ideo ne nimiùm rebus viventibus noceat, sapientissimè prospectum est. Nam primùm ejus cursus versùs septentrionem & austrum iis est inclusus cancellis, ut, cùm in alterutram partem deflectit, non tamen adeo longè ab altera discedat, ut, quæ in ea generata fuerant animalia, omnino perire sit necesse, præsertim præstantiora, quorum nova quotannis generatio non redit. Deinde quantò diutiùs iis lumen suum subtraxerat, tantò postea diutiùs indulget. Ita enim dispensat lucis ac tenebrarum, caloris ac frigoris vices, ut dimidio annui cursus tempore, cuilibet terræ parti lumen caloremque impertiatur, dimidio subtrahat; & quod diuturniore absentia veluti neglexerat, id diuturniore rursus præsentia compenset. Itaque videmus, iis in regionibus, quæ septentrioni sunt viciniores, aptæ tamen ut colantur, intra sat breve tempus fruges & provenire, & maturescere, ob dierum longitudinem, ac diuturniorem Solis, operi veluti instantis, commorationem: cum eam ad rem tempore longiori sit

gori sit opus in regionibus temperatioribus. Præterea cùm in adversum hemisphærium sol transit, & noctes regionibus a tergo relictis facit longiores; non nimis longè infra illarum horizontem descendit. Itaque noctes illis propemodum crepusculi cujusdam instar sunt, & nec calore penitus destituuntur, nec lumine: sed illo frigus, hoc tenebræ aliquo saltem modo temperantur, ut nec nimis noxium illud, nec hæ nimis molestæ sint. Quam utilitatem Sol magis adhuc auget, dum Lunæ lumen suum commodat, & per eam aversas, nec sibi conspicuas terræ partes illustrat ac fovet. Cùm enim plurimum lucis habet Luna, eam illa terræ partem lustrat, à qua Sol abest longissimè. Et hæc quidem motui Solis annuo ac diurno ferè sunt communia. Illud autem annuo magis proprium est, quòd suo illo accessu recessuque, & diverso terrarum aspectu, *infinitæ* tum plantarum, tum animalium varietati servit. A*lia enim* majori, alia minori indigent calore aut frigore. Itaque *diversas* tum annorum tempestates, tum in terra zonas, caloris ac frigoris ratione inter se distinctas extare, rerum, quæ in terris nascuntur, universitati utile est. Distinctionem autem illam, Solis positus motúsque annuus facit. Neque verò est, quòd quis dicas, zonam torridam, quæ tropicis, seu extremis solaris cursûs terminis interjacet, & frigidas, quæ polis sunt vicinæ, illam ob vicinitatem Solis, has ob longinquitatem, reddi inutiles. Zonam enim torridam inutilem non reddi, manifestè docet experientia. siquidem sub ipso etiam æquatore mediáque Solis via, cultissimas quasdam regiones, insulasque fertilissimas reperiri constat. Nam præter terræ venas, indéque natos rivos ac flumina, duplici adhuc ratione prospectum est, ne terræ illæ exarescerent penitus, & ad cultum ineptæ fierent: nocturno frigore, & pluviis, quæ tum, cùm Sol loci alicui verticalis est, ibi perpetuò cadere dicuntur. Nam cùm Sol infra illarum regionum horizontem noctu, quàm potest longissimè descendat, frigus veluti in alteram partem abigit, & vim æstus diurni temperat. Pluviæ verò, quæ in eas regiones, quibus Sol perpendiculariter imminet, eo tempore perpetuò cadere scribuntur, unà cum venis terræ, eam penitus exarescere non sinunt. Qua quidem in re, uti & in cæteris omnibus & utilitatis habitam esse rationem, & porrò sapientiâ & consilio rerum naturam constitutam esse, quis non cernit? Sapientiæ enim ac consilii est, quòd plures non sunt Soles, cum toti orbi unus sufficere posset. Deinde quòd, cum necesse esset regiones Solis viæ subjectas vehementiùs aduri, si omnibus terræ partibus unus calo-

Cap. III. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

vid. And. Cæsalpin. Quæstion. Peripatet. lib. 3. quæst. 5.

Cap. III. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

nus calorem impertiri deberet; ita tamen ejus vis est temperata, ut nec penitus inculta jacerent, & hominibus inaccessa, tanta medii orbis spatia; nec humanum genus, cui in temperatis utrinque zonis seu regionibus sedes esset, a se invicem divelleretur. quod quidem factum esset, si ob intolerabilem æstûs vim, a septentrione in austrum, aut ab hoc in illum, transitus hominibus fuisset negatus, & omnis commerciorum via interclusa. Nam si servari nihilominus generis humani unitas ac conjunctio debuisset; altera orbis pars, ac porrò longè plus quàm dimidium, hominibus prorsus redditum fuisset inutile. Denique, quia hoc pacto effectum est, ne ita omnia ferverent æstu, quin ut caloris, ita & frigoris perpetuus quidam fons esset. Quandoquidem ut sine calore res inferiores nec generari, nec conservari possunt: ita nec sine frigore, &, qui frigore omni sublato penitus periret, humore aqueo. Itaque si nullæ essent orbis partes, quibus frigus terræ & aquæ perpetuò veluti aleretur, & e quibus id cæteris regionib⁹ adspiraretur; non ea tantùm, quæ æstum nullo modo possunt ferre, sed omnia tandem exarescerent, *& in flammas cinerésque* abirent. Ex quibus (ut hoc nunc dicere occupemus) intelligitur usus earum, quæ polis subjectæ sunt, regionum, licèt hominibus ob perpetuum frigus inaccessarum. Hi enim sunt perennes quidam frigoris fontes. Illic frigus terris & aquis incumbens, in totum hunc inferiorem orbem sese insinuat. Duos autem frigoris fontes esse oportuit, alterum ab hoc, alterum ab altero terræ latere; non unum, ut caloris. Caloris enim fons in medio positus, in utramque partem vim suam diffundere potest. At unus frigoris fons in altero extremo positus, ad alterum orbis extremum vim suam protendere non potuisset; partim locorum intercapedine prohibente, partim intermediæ regionis æstu transitum frigori in alteram partem negante. Itaque utile toti terrarum orbi, & rerum inferiorum omnium naturæ fuit, extare regiones aliquas, quas nunquam ita vicinus Sol lustraret, quin perpetuo rigerent gelu. Neque tamen consultum fuit, nunquam eas partes a Sole lustrari, aut omni calore destitui. Ita enim nimia frigoris vis fuisset, & in regiones, quæ nunc temperatiores sunt, latiùs sese spargens, commodas hominum & animalium sedes nimis coarctasset, quæ nunc sunt laxiores. Eandem ob caussam etiam consultum non fuit, latiùs distendi extremas Solis vias, quas Tropicos vocant. Plures enim terræ, quæ nunc temperatiores sunt, nimio æstu ferverent. Sufficiunt autem hominibus & recipiendis & alendis

alendis eæ regiones, quæ frigidissimis interjacent, ut sine suo incommodo his carere possint; aut, si quod est incommodum, id alio longè majori commodo compensetur. Videmus enim per tot secula nondum omnes, quæ habitari possunt, orbis regiones hominibus ita repletas esse, quin longè plures capere & alere possent. Quanta ergo Solis, ac facultatum ejus naturalium, illuminandi nimirum, calefaciendi, & in orbem perpetuò circumeundi, sit utilitas, liquet. Non persequor autem ea, quæ de motu ipsius a Philosophis & Mathematicis subtiliùs disputantur. Illa enim, quę vulgò etiam nota sunt, aut quorũ veritas unicuiq; facilè potest innotescere, hîc afferre satis est. Sed non est tamen de utilitate Solis agentibus prætermittenda illa, quæ in vaporibus ex mari, fluminibus, aliisque locis humidioribus, in aërem attrahendis cernitur. Ex illis enim nubes, ex his iterum pluviæ ac nives oriuntur; quæ quantopere sint terræ humectandæ, ac fæcundandæ necessariæ, clarius est, quàm ut verbis res egeat. Possent & alia addi; sed nolumus esse prolixiores. Nam & hæc alicui fusiùs, quàm pro instituto nostro, dicta videbuntur. Verùm ea præterire noluimus, quia ipsa sacra scriptura Solis miraculum celebrat; utpote quod valdè manifestè opificem hujus universi sapientissimum demonstrat, atque aliis etiam nonnullis, quæ dicemus, lucem adferet.

Cap. III. Ex mundi huj⁹ opificio Deum esse demonstratur.

vid. Psal. 19.

Quod ad Lunæ utilitates attinet; nec eæ sunt obscuræ, & aliqua ex parte iis similes, quas à Sole manare diximus. Etenim a Sole mutuata lumen ac calorem, veluti minor quidam Sol, ut Philosophus ait, efficitur, & ejus absentis vicaria est. Nam & lumine noctis tenebras ita temperat, ut quieti tamen non reddat ineptas; & calore moderato inferiora ita fovet, ut nec ob diuturniorem Solis absentiam, frigorisque inclementiam, vim suam penitus amittant; & interea læto quodam humore ac succo repleantur. Notum enim est, eam humorum incrementum, tum in aliis rebus, tum in animalibus ac plantis parere. Itaque rerum generationi atque incremento efficacia ipsius est necessaria. Quod ne agricolæ quidem ac hortulani ignorare videntur, qui plantarum quarundam sationem ad Lunæ cursum moderantur. Taceo eum fructum, qui Lunæ cum Sole communis, in universa hominum vita est maximus. Est autem temporum distinctio, quâ omnes populi uti queant, non ab arbitrio cujusquam, sed ab ipsa natura pendens; ac porrò non incerta, sed certa, stata, ac perpetua. Quæ enim humanarum actionum ac negotiorum foret confusio, si ejusmodi temporum distinctio tolleretur? Tolleretur autem, si a-

Arist. lib. 4. de Generat. Animal. c. ult.

strorum

Cap. III. Ex mundi huj⁹ opificio Deum esse demonstratur.

Gen. 1. 14.

ſtrorum, inprimisq; Solis ac Lunæ curſus tolleretur. Vt non immeritò ſacræ noſtræ paginæ hunc etiam aſtrorum uſum commemorent, cùm de eorum in cœlis conſtitutione loquuntur. Ad diſtinctionem enim temporum certam, certâ quoq; rerum varietate ac mutatione opus eſt. Nam quod prorſus uniforme eſt, nihil diſtingvit. Mutatio autem omnis ſtata in aſtris eſt primùm, ab aſtris deinde in his inferioribus.

In hujus autem, uti & cæterarum utilitatum ſocietatem, etiam reliqua præter Solem & Lunam aſtra venire, facilè patet. Nam ad temporum diſtinctionem facere ortus atque occaſus ſtatos ſiderum, eorúmq; converſiones ac motus, non tantùm iis, qui in literis humanioribus aliquantulùm ſunt verſati, notum eſt, ſed & nautis atq; agricolis peritioribus. Ii enim aſtrorum præcipuorum motus obſervant, & tum tempora ex eorum ratione diſtingvunt, tum operas quaſdam ſuas ad eam diſponunt, præſertim quia certam etiam eorum in rebus inferioribus vim ineſſe deprehenderunt. Idem multò magis Philoſophi longa temporum obſervatione didicerunt docuerúntq;. quanquam non pauci longiùs in eo progreſſi ſunt, quàm decuit. Conſentaneum autem, imò neceſſarium eſt, illa corpora, quæ ejuſdem ſunt generis, eandem etiam genere vim habere. Nam & ſuprà diximus ex Philoſopho, Naturale eſſe ſimiliter ſe habere in omnibus. Quare cum omnia aſtra ejuſdem ſint cum Sole & Luna generis; neceſſe eſt etiam eandem genere vim habere, & uſum rebus inferioribus præſtare ſimilem ei, quem duo illa aſtra præſtant; alia quidem majorem, alia minorem, prout ipſorum aſtrorum ratio ac conſtitutio naturalis ad illorũ naturam propiùs accedit, aut ab ea longiùs recedit. Quæ enim ſtellæ vel luminis claritate, vel motûs ratione, vel magnitudine, aut terrarum propinquitate, duobus illis aſtris ſunt ſimiliores; virtute atq; uſu etiam ſimiliores ſunt. Et ſanè lumen ab iis aliquod manare cernimus. à lumine verò calor ſejungi penitus non poteſt. His autem duabus rebus Sol ac Luna his inferioribus proſunt. Quare & cætera aſtra. Neq; verò credibile eſt, tantam aſtrorum multitudinem ac varietatem otioſam eſſe, ſi & conſpirationem rerum ſuperiorum cum inferioribus amicam, & infinitam utrarumq; multitudinem ac varietatem conſideraveris.

Aſtrorum utilitate viſa, haud difficile eſt & corporis illius cœleſtis, per quod, aut in quo feruntur aſtra, videre. Quòd ſi quis illud non agnoſcat, illi nihil eſt neceſſe ejus utilitatem monſtrare. Satis enim nobis eſt, eorum corporum monſtrare utilitatem, quæ

in natura

In natura extare agnoſcuntur. Et ii quidem, qui cœlum vel ex una ſolida ſphæra conſtare aſſerunt, per cujus profunditatem circuli quidam ſolidi, aſtra vehentes, permeent; vel ex pluribus id ſphæris componunt; non poſſunt corporum iſtorum utilitatem non agnoſcere. Aſtris enim ferendis inſervient, & quidem ita, ne eorum ordo aliquando turbetur, aut penitus diſſolvatur. Qui verò per æthera purum ac liquidum aſtra ferri contendunt; ii itidem noſtram ſententiam confirmant. Siquidem corpore ſolido cœlum conſtare ideo negant: partim quia ad motum aſtrorum ſit inutile; partim quia quorundam ſaltem aſtrorum motui ſit futurum impedimento. Eo enim ipſo naturam ab inutili abhorrere oſtendunt. Ætheris autem illius duplex erit uſus: prior, ut motus aſtrorum locum habeat: ſiquidem, ut Peripateticorum ſcholę placet, omnis motus aliquo nitatur immobili: niti autem non poſſent aſtra, ſi per inane volverentur. Poſterior eſt, ut vis aſtrorum, etiam ſupremorum, interventu corporis, ſive unius, ſive plurium, continua ſerie poſitorum, ad nos uſq; perveniat. Corporum enim vis ad alia corpora, non niſi interveniente corpore intermedio deferri poteſt. Vnde Ariſtoteles ſcriptum alicubi reliquit, neceſſe fuiſſe mundum hunc inferiorem cum ſuperioribus lationibus (hoc eſt, cum corporibus cœleſtibus, quæ in orbem continuo motu feruntur) continuum quodammodo eſse, ut omnis ipſius virtus inde gubernaretur.

Cap. III. Ex mundi hui⁹ opificio Deum eſſe demonſtratur.

lib. 2. Meteor. cap. 2.

Hinc jam etiam apparet, quæ corporis inter cœlum & terram interjecti, & qualitatum, quæ illi naturaliter inſunt, ſit utilitas. Perſpicuum enim eſt, ut lumen aſtrorum excipere, & nobis impertiri poſſit. Nam ſi opacum eſſet, aſtrorum nobis conſpectum eriperet, & lumen auferret. Liquidum autem, non ſolidum eſſe oportuit, ut corpora, quæ vel naturali, vel ſpontaneo motu per illud feruntur, ſecare id poſſent. alioquin illorum motus penitus impediretur. Liquidum verò illud, aëreum eſſe debuit, non aqueum; ut ea, quæ non niſi in aëre degere queunt, animalia, & naſci, & nata ſervari poſſent, non verò ab aquis ſuffocarentur. ſimiliter ne earum plantarum, quæ in aquis creſcere nequeunt, generatio impediretur. Caloris denique ac frigoris capax eſſe oportuit; quia hac utraque qualitate omnia, quæ vel ex terra, vel circa terram naſcuntur, indigent: capax tamen & humoris aquei, ſeu mavis vaporum; quia his ad humectandam terram, ad generandas plantas, ad animalium denique nutritionem ac refocillationem eſt opus, quorum uſui & plantæ inſerviunt.

Hinc

Cap. III. Ex mundi huj⁹ opificio Deum esse demonstratur.

Hinc porrò facilè est ostendere usum terrę aquis magna ex parte denudatæ, fluminibus tamen ac fontibus irriguæ; simul & aquæ, partim terræ incumbentis, partim per illius venas diffusæ. Nam solidum necesse fuit esse fundamentum rerum animatarum: quarum pars magna quia non nisi in sicco aut crescere, aut vivere apta est, ideo terram aquis denudatam oportuit. Earundem tamen causâ & fluminibus & fontibus irrigari, & pluviis desuper cadentibus subinde humectari necesse fuit. Ita enim & potus animantibus, & cibus, qui sine humore ex terra educi nequit, suppeditatur. Simul autem necessarium fuit Mare, fluviorum tum fons, tum receptaculum. Notum enim jam etiam vulgò est, e mari oriri fontes & aquarum scaturigines, quæ in rivos ac flumina collectæ, iterum in mare relabuntur, & in circulum redeuntes, perpetuam tum cæteris animantibus, tum homini præstant utilitatem. Adde his, quòd & maria & flumina omnigenos alant pisces, & in usus humanos sustentent. ut navigationis commoda, aliósque multiplices aquæ usus prætercam, vulgò adeo notos, ut, cùm ob necessitatem ac magnitudinem digni sint, qui commemorentur; ob id ipsum, quòd nimis sint noti, commemorari non debeant.

Ex iis autem, quæ de fontium ex mari derivatorum origine diximus, patet, & subterraneos terræ meatus ac venas utilitate haudquaquam carere. Non carere & cætera, quæ in terræ gremio condita sunt, tum metallorum, tum aliorũ fossilium, quæ thermarum quoque saluberrimarum caussæ sunt, usus quotidianus docet. Quin ne illæ quidem exhalationes ex terra erumpentes, quæ vel venti sunt, vel ventorum caussæ, fructu carent, licèt postremum inter opera naturæ locum videantur obtinere. Partim enim mitigando æstui; partim aëri purgando, & a putredine ac corruptione vindicando; partim impellendis ac differendis per orbem nubibus, imbrium materiam continentibus, aliarúmque rerum, sive naturalium, sive hominum solertiâ comparatarum, motui serviunt.

Iam ut ab inanimatis ad animata transeamus; hic adhuc manifestiùs utilitatis apparet ratio. Nec mirum. Nam quantò longiùs a materia prima recedunt, & quantò plus, ut ita loquar, formæ sunt adepta; tantò p ropiora sunt fini, tantóque plus illis inest utilitatis. Quia enim materia prima utilitatem per seipsam non habet, sed eatenus tantùm, quatenus formis subservit: *ideo* quò quidque propius est materiæ primæ, tantò minus in eo cernitur

utilitatis

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

utilitatis: quantò longiùs ab ea recedit, tantò major in eo apparet utilitas. Sunt autem corpora simplicia materiæ primæ propiora, & inanimata animatis. Itaque in illis minor apparet utilitas; nisi quatenus ad plures pervenit, & diutiùs durat; in his major. Et sanè manifestè cernimus, simplicia mixtis, non hæc illis servire. Quia verò tanta occurrit & ipsarum rerum, & utilitatis, quam eæ præstant, varietas; ideo nobis summa tantùm capita sunt attingenda. Inter animata, si ab imis incipias, primùm occurrunt plantæ; quarum nomine & herbas, & frutices, & arbores, communi Scholarum usu complectimur: omnia, inquam, terrâ nascentia, & animâ, quam vegetativam vocant, prædita. Vtilitatem, ad quam naturâ sunt comparatæ, facilè perspicere potes ex facultatibus animæ, quibus sunt a natura instructæ. Facultas animæ vegetativæ duplex est, nutritiva, quæ eadem & auctrix est, & generatrix. Priori facultate sibi ipsis primò singulæ prosunt plantæ. siquidem ut vivere atque vigere possint, nutritione illis est opus; ut ad justam magnitudinem perveniant, etiam augmento. Posteriori facultate totius generis propagationi ac perpetuitati serviunt; ne id pereuntibus individuis totum intereat, sed aliis per generationem substitutis conservetur. Hinc jam porrò & partium, ex quibus plantæ constant, utilitas patet, ad quam sunt a natura formatæ. Partim enim alimento attrahendo, partim digerendo ac distribueudo, partim fructibus ac seminibus, quibus genus propagetur, proferendis, partim aliis sive partibus nobilioribus, sive fructibus tegendis serviunt. & sic aliæ aliis, omnes toti, sive individuo, sive generi conservando naturæ lege ministrant. Ex his verò alia iterum emergit utilitas, quâ plantæ tum animaliũ, tum verò maximè hominis vitæ, qui rerum terrenarum omnium dominus est & finis quidam, serviunt. Nam & victum nobis atque animantibus præstant plantæ, & medicinam: quædam etiam tegendo fovendoque corpori faciunt: quædam denique, præsertim grandiores, materiam suppeditant variorum instrumentorum, quorum in vita maximus est usus.

Plantis proxima sunt bruta, quæ supra vegetativæ animæ vim sensu quoque sunt præditæ; cui & appetitus est additus, & facultas locomotiva, seu vis membra ciendi. In quem usum animæ vegetativæ vis animalibus sit data, ex iis, quæ de plantis diximus, intelligi potest. Sensuum autem utilitatem quis ignorare potest, nisi qui sensibus ipse sit destitutus? Appetitus eò prodest, ut ad jucunda, & tum sibi, tum generis sui propagationi utilia perse-

Cap. III. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

quenda, injucunda autem ac noxia fugienda incitetur animal. Facultas denique locomotiva, ut illa quidem reipsa persequi atque assequi, hæc verò declinare atque evitare queat.

Vnde jam porrò & singularum partium, quibus animalia constant, patet utilitas. Aliæ enim nutritioni naturâ suâ inserviunt; aliæ generationi; aliæ sensibus; aliæ motui; quædam sensui simul & aliarum facultatum functionibus. quòd si quæ fortè sint, quæ illis functionibus proximè non inserviant; famulantur tamen iis partibus, quarum operâ ad functiones suas anima utitur. Quòd si singularum partium structuram intueri placeat, videbimus eam ad utilitatem summo artificio comparatam. Illud enim jure affirmari potest, & situm, & magnitudinem, & figuram singularũ partium sive externam, sive, quæ aliquibus inest, internam, & cæteras qualitates, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, siccitatem, raritatem, densitatem, mollitiem, duritiem, & si quæ sunt similes, omnes utilitatem habere. quod fatebitur, quisquis doctorum virorum, qui his de rebus disserunt, libros adierit. Idem facilè cernes in varietate partium, quæ diversis animantium generibus datæ sunt, prout vel locis, vel victus ratione, vel aliis sunt reb⁹ inter se distincta. Terrestrib⁹ enim pedes sunt, aliis præterea alæ; aliis, quæ in aquis degere nata sunt, pinnæ, aut alia membra natatui utilia; pulmones iis, quibus respiratione est opus; piscibus eorum loco branchiæ. Addita sunt animalibus arma, quamquam aliis alia, quibus hostem impetant atque abigant: simul & solertia indita iis utendi. Itaque videas, quædam recèns nata, arma sua nullo dum experimento cognita nosse, & vel fronte, vel aliis partibus, lædenti minari. Plurimis singularis contigit industria latibula quærendi, cavernas, in quibus habitent, aut cuniculos moliendi; aliis nidos tum suâ, tum prolis caussâ extruendi; aliis mira cibos conficiendi, & cellulas sibi extruendi solertia, ut apibus; aliis indefessa cibos congerendi diligentia, ut formicis; aliis astutia in fugiendo eludendoq; hoste; aut in præda capienda. Omisimus eam providentiam, quòd lac illis datum est animalibus, quorum fœtus solido statim cibo ali nequeunt; quod quidem alimentum tum demùm affluit, cùm soboles in lucem jam prodiit, aut mox est proditura. simul autem tum ipsis matribus, tum soboli ea vis inest, ut & illæ lac præbere velint, & hæc sugere, atq; unde alimentum petere queant, nullo demonstrante nôrint.

Et has quidem utilitates vel sibi ipsis, vel generi suo præstant animantes, earumque sive facultates, sive partes. Hominis autem, ut

Cap. III. Ex mundi huj⁹ opificio Deum esse demonstratur.

rem, ut jam antè indicavimus, utilitati omnia serviunt. Nam primùm, quem plantæ præbent homini usum, eundem genere & animalia eidem præstant. Sed deinde quædam majoribus a natura viribus ac robore prædita, laborem homini minuunt. Nonnulla utut in cibis ipsa non sint, cibum tamen gratissimum parant, ut apes. Alia etiam materiam vestium pretiosissimarum, filis tenuissimis ductis, conficiunt. Et alia quidem pluribus simul rebus humano generi prosunt, alia paucioribus.

Nec refert, quòd quædam venenata sint, quædam aliàs hominibus sæpe noxia. Nam primùm, multa eorum utilitate damna compensant, si accedat solertia atque industria, ad quam homines natura finxit. Quòd si in eam rem plures incumberent, in quam pro tanta hominum multitudine incumbunt pauci; non dubium est, quin plures essent reperturi multorum noxiorum etiam animalium utilitates. Nunc negligentiæ suæ pœnas humanum genus meritò luit. Nã quæ venenata sunt, sæpe medicamenta præbent utilissima; imò adversus sua venena remedium nonnunquam adferunt. quædam artium quarundam operibus serviunt: quin & partes nonnulla habent non venenatas, adeò ut etiam in cibis sint. Præterea etiamsi homini per se ipsa non serviant; serviunt tamen aliorum animalium, quæ hominis naturæ sunt amiciora, usibus. Nam & bestias admodum venenatas ab aliis animalibus sine noxa sumi, & in eorum alimentum converti videmus. Eorum autem animalium carnes (ut de aliarum partium usu taceam) victum hominibus præbent. Itaque nihilominus ad hominem redit utilitas. Adde, quòd, cum homo naturâ sit & virtutis & vitii, artis atque inertiæ capax; utile est, extare in rerum natura quædam, quæ partim virtutem ac patientiam ejus exerceant, simul & industriam ac prudentiam excitent; partim in peccati aut inertiæ pœnam cedant. Taceo, quòd caussæ, ex quibus venenata animalia, aut ipsa eorum venena proficiscuntur, elementa nimirum, & caloris aut frigoris vis, infinita suâ, quam humano generi præbent, utilitate hæc incommoda facilè compensent. Postremò, etiamsi natura hominum utilitati non consuluisset, cui est aliàs abunde satis prospectum: utilitas tamen etiam in hujusmodi animalibus cerneretur ea, quam partes toti, aut tota generis sui propagationi præstant.

Iam de utilitate earum, sive facultatum, sive partium, quas homini proprias natura dedit, quid opus est multa dicere? Quid enim ratione atque intellectu, quo supra cæteras animantes eminet ho-

Cap. IIII. Ex mundi huj9 opificio Deum esse demonstratur.

net homo, esse potest, vel ad utilitatem, vel ad jucunditatem uberius? Eo & assequi res in natura abstrusissimas, & agere honestissima, & utilissima comparare, & conficere pulcherrima potest. Docet id scientiarum atque artium, tum ingenuarum, tum mechanicarum, infinita multitudo. At singularum quanta utilitas? quanta vel ipsarum, vel operum ab iis profectorum jucunditas? Intellectu homo omnes res terrenas in suam potestatem redigere, atque adeo omnia, quæ sensibus sunt subjecta, in usus suos potest convertere. Distinxit eundem hominem natura a brutis sermonis facultate, cujus quanta ad societatem humanam colendam vis sit, vix ipsa, quæ eum præstat usum, lingua effari potest. Sermonis beneficio docemus alios ea, quæ magno labore, aut diuturno rerum usu, ipsi vel invenimus, vel ab aliis inventa didicimus, eademque ad seram posteritatem propagamus. sine eo foret, intra paucos staret ejus rei, quam quisque didicisset, utilitas. Ejusdem beneficio alios monemus; a vitiis dehortamur; salutaria illis consilia præbemus; solamur mœstos; dejectos erigimus; amicitias conciliamus; opem alienam nobis paramus; odia extingvimus; pœnas deprecamur. Distinxit natura hominem a brutis etiam corpore. Neque enim ad terram pronum finxit, &, ut illa, ad pastum abjecit, ac ventri obnoxium finxit: sed os ei sublime dedit, cœlumque tueri jussit, & erectos ad sidera tollere vultus. Manus ei dedit, quæ instrumenta instrumentorum rectissimè dicuntur. Iis enim & parare sibi, & apprehendere instrumenta necessaria potest; & eadem, cùm necessaria aut utilia esse desinunt, deponere. Qua quidem parte natura eorum instrumentorum defectum, quibus alia animalia instruxit, abunde compensavit; uti & indumentorum defectum. Omnia enim intellectus humanus manuum ope comparare potest. Et tantò quidem melius est, nullo esse naturali vestimento tectum, nulli instrumentorum armorúmve generi veluti alligatum, quàm eo a natura instructum esse: quòd hoc pacto varia pro necessitate aut commoditate assumere, & cùm utilitas cessat, eadem rursus deponere licet, ne ampliùs sint oneri. id quod in brutis non licet. Itaque nihil est, quòd, ut nonnulli faciunt, naturam hominum accuses, & de miseria, quâ infra cæteras animantes simus dejecti, conqueraris. Quin & illa ipsa, quæ in hominibus recèns natis apparet, imbecillitas & inopia, quanta in aliorum animalium sobole non cernitur, utilitatem habet: & ne nimium noceat, alia ratione est prospectum. Nam ea facit, ut parentibus liberi tantò magis

Cap. III. Ex mundi huj⁹ opificio Deum esse demonstratur.

magis concilientur, & ad eorum aliquando imbecillitatem atque inopiam vicissim sublevandam obligentur. simul etiam, ut humanæ societati, ac parendi officio ab ineunte ætate tantò magis adsvescant, & porrò earum utilitatum, quas societas, & obsequendi aliis voluntas hominum generi præstat, tum ipsi fiant participes, tum alios reddant. Ne autem nimis noceat tanta eorum imbecillitas, ratio parentibus data, & ipsa hominum societas, omni brutorum conjunctione perfectior, facit. Itaque cum cætera animalia, quòd ratione careant, tantâ solertiâ suæ soboli prospicere nequeant; non ita imbecilla in lucem produci utile fuit, ne plæraque curâ parentum deficiente perirent. Nihil nunc dico de sexus distinctione, quæ multis quidem animantibus communis est, nec utilitate caret; sed cujus usus in homine maximè apparet. Ita enim simul & conciliantur homines hominibus, & alio sexu huic, alio illi muneri diligentiùs incumbente, atque in commune commoda sua conferente, omnia rectiùs curantur. Atque ut videas, quantopere ab inutili natura abhorreat; in iis etiam, quæ vilissima sunt, ac propè superflua videntur, utilitatem ea reperit. Quid vilius pilis? certè res in proverbium abiit, ut, quod vilisſimum est, ne pilo quidem dignum esse, vulgaribus quibusdam linguis dicamus. Et tamen illorum quoque non exigua utilitas apparet iis in partibus, quas natura iis contexit. Nam quòd caput iis tegitur, utile est ad fovendum ac muniendum cerebrum, quod cæteroquì frigidum est ac humidum, ne nimiùm aut refrigeretur, aut incidentibus desuper humoribus humectetur. supercilia utilia sunt ad sudores arcendos, ne in oculos a fronte, e qua illi copiosiùs erumpere solent, influant. Cilia visûs gratiâ sunt data, ut per ea oculi radios suos ad rem objectam dirigant, & ad eam veluti collimant; &, si quid fortè oculis immineat, quod eos lædere possit, ciliorum contactu, ut ut sensûs per se expertium, deprehendatur, & oculis aversis vitetur. Genas quoque virorum utiliter vestiunt pili, cùm ad pubertatem accedunt, & jam libidinis stimulis agitari incipiunt. Consulitur enim hoc pacto pudicitiæ, ut ea re notato discretoque virili sexu, vitari a fœmineo insidiæ, & animadverti ab aliis fraudes, ac præverti tantò faciliùs possint. Vnde & a pueris, in quibus minùs est periculi, ea distinctio abest. Taceo alia, in quibus natura pudori ac honestati, disciplinæ, ordini publico privatoque prospexit.

Cum ergo videamus, omnia naturâ ita esse comparata, ut aliquam præstent utilitatem; annon manifestum est, omnia ejus u-

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

tilitatis gratiâ extitisse, seu formata constructaque esse? Etenim, ut suprà quoque diximus, si negare audeas, ea utilitatis gratiâ existere, perinde facies, ac si dixeris, infinitos esse cœcos, qui cum scopum nec ipsi videant, aut ferire cogitent, nec ad eum a quoquam alio dirigantur, ad eum tamen aptissimè colliment, & eum, nisi impediantur, semper attingant.

Cap: IV.

Pergitur in opifice hujus mundi demonstrando, ut Deum esse intelligatur.

SAtis quidem hucusq; ostendimus, aliquem esse hujus universi opificem, qui proinde supremum in omnia imperium habeat, atq; adeò Deus sit. Sed libet tamen aliam adhuc rationem addere, quâ idem probetur: idq; ea maximè de caussa, ut Philosophorum quorundam occurramus opinionibus, qui a sapientia hîc longè deflexerunt. Ita ergo concludimus: Si mundus aliquando non extitit, necesse est eum ab opifice aliquo fuisse productum. Nam ut aliquando non fuerit, & postea tamen sine ulla caussa efficiente extiterit, id unum est ex maximè impossibilibus. Fieri enim nihil potest, nisi ab eo, quod faciat. Fit autem, quicquid esse aliquando incipit. Itaq; scholarum omnium consensu receptum illud est, quod ab Aristotele fuit pronunciatum: Quicquid fit actu ex eo, quod potentia est, ab eo fit, quod actu est. Ab iis, qui mundi creationem oppugnant, id inter alia vel maximè urgeri consvevit, quòd ex nihilo fieri nihil possit. nempe quia quicquid fieri videmus, ex materia aliqua præcedente fiat. At si hæc ratio quicquam habet momenti; habebit & illa, quòd a nihilo fieri nihil possit, seu, quòd nihil possit fieri, nisi ab aliquo efficiente. siquidem quicquid fieri videmus, ab aliquo efficiente fieri cernimus. Imò hoc posterius priori illo propterea certius debet censeri, quòd effectionis ex nihilo aliqua saltem cernatur species. Quandoquidem varias rerum formas, quæ antea non extiterunt, videmus produci. Etsi verò illæ sine materia vel subjecto aliquo non existunt; ex materia tamen non fiunt. At quòd aliquid sine ulla caussa efficiente fiat, seu esse incipiat, ejus rei ne umbra quidem apparet. Itaq; etiamsi tandem constaret, creationem non nisi ex nihilo, quod negativum vocant, esse posse; non liceret tamen eo argumento adversus mundi creationem niti. Nunc autem multò minùs, cum id

Lib. 9. Metaph: tex. 18.

creationis

creationis natura non exigat, ut nos suprà jam indicavimus, & alibi in hoc opere fusiùs docebitur.

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

Vt igitur ad institutum redeamus; certum esse debet, si mundus aliquando non extitit, eum a caussa efficiente fuisse productum. Quòd si quis nihilominus negare audeat, mundum hunc ab opifice aliquo constitutum, licèt aliquando non extiterit, quia casu existere potuerit; ex eo primùm quærere licebit, an viderit unquam, aliquid casu factum esse, nec ne? Si nihil unquam casu factum vidit, aut comperit; quî mundum, opus omnium pulcherrimum, casu factum esse dicere audet? Si verò aliquid casu factum esse vidit; simul etiam videre potuit ac debuit, id nihilominus a caussa aliqua efficiente factum esse. Etenim casus caussa est per accidens, in iis, quæ raro ac præter intentionem agentis fiunt. Caussa verò per accidens semper nititur eâ, quæ per se est. Quemadmodum enim accidens omne nititur eo, quod per se est: (nam aliàs accidens non foret:) ita & caussa per accidens nititur eâ, quæ caussa per se est. aliàs nullo modo caussa foret. Casus verò nonnisi ad caussas efficientes refertur. Quòd si per exempla ire libet, facilè id erit ostendere. Nam si lapis v. g. delapsus aliquem fortuitò vulneret; gravitas lapidis in caussa fuit, ut decideret. eadem simul, & durities lapidis, aut acumen in caussa fuit, ut vulneraret. eæ verò sunt caussæ istorum effectuum per se, & caussæ quidem efficientes. sed quia raro fit, ut e fornice delapsus lapis aliquem vulneret; nec id spectabat lapis, qui spectare nil potest; ideo casui id tribuitur. Sic si aliquo deambulante cœlum tonet, casu id fieri dicitur: quia & raro fit, & præter intentionem agentis. sed utrinq; tamen caussa hujus effectus aliqua est per se: illinc quidem consilium ac voluntas deambulantis; hinc caussa naturalis, tonitru in nubibus excitans. Idem de cæteris omnibus judicandum est. Itaq; & illi, qui mundum ex fortuito atomorum concursu, somniantes, credo, potiùs, quàm vigilantes extruxerunt, eo ipso caussam mundi efficientem, licet ineptissimam posuerunt, ipsum nimirum tumultuarium atomorum motum, &, quæ hujus iterum caussa fuit, eorum levitatem aut gravitatem. Sed deinde casus semper cæcus est. alioqui casus non foret. Diximus enim, tum demum casu aliquid fieri, cùm præter intentionem ejus, qui agit, quippiam accidit. Vnde vulgò fortuna, quæ vel idem est, quod casus, vel sub casu continetur, cæca dicitur pingiturq;. At quo pacto is, qui cæcus ipse non sit, cæco quodam impetu hoc universum constitisse, ausit asserere; in quo & pulcherrimum cernat ordinem, & constantissimum

vid. Arist. lib. 2. Physs. c. 4. 5. 6.

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

mũ minimeq; perturbatum siderum motum, atq; ad vitam & salutem rerum inferiorum aptissimè compositũ; consensum prætereà rerum omnium singularem; structuram tum plantarum, tum animalium adeò artificiosam, adeò ad usum accommodatam, ut eam nec undiquaque perscrutari, nec satis admirari humanum possit ingenium. Hæc sanè si quis cæco sive casui, sive necessitati tribuenda statuat; dicam, cæcitatem omni & oculorum & mentis acie esse perspicaciorem, hoc est, tenebras esse lucem, & lucem tenebras. Itaq; si cui, præsertim de veritate admonito, ad tantam ejus lucem cæcutire placet; is suæ sanè cæcitati, vel voluntariæ potiùs insaniæ, quæ meritas ab eo pœnas exiget, relinquatur.

Nunc ad eos nos convertamus, qui ab omni æternitate hanc rerum universitatem extitisse volunt, qua in sententia sunt Peripatetici; quibus & hodie celeberrimos quosdam Philosophos, Aristoteli, quàm sacris literis addictiores, non obscurè videas adstipulari. Horum sententiam si refutaverimus, argumentum nostrum paulò antè propositum penitus confirmabimus, & opificem aliquem esse hujus universi evincemus. Res verò ita patet: Si hoc universum ab æterno extitit, ab æterno etiam extiterunt homines & animalia, perpetuaq; fuit eorum generatio. Hoc autem est impossibile. Prius & per se manifestum est, & apud eos, qui mundi æternitatem asserunt, probatione non indiget. siquidem & humanum genus, & universæ plantarum atq; animalium familiæ, non minùs ad hujus universi constitutionem pertinent, quàm aut astra, aut elementa; ne dicam magis. siquidem corpora simplicia, saltem hoc modo digesta, mixtorum animatorum sunt gratiâ; astra quidem ut caussæ efficientes necessariæ, elementa ut materia. Quare etiamsi quis tandem cœlum tantùm atq; astra, & elementa ita digesta, ab æterno dicat extitisse, de rebus autem animatis vel dubitet, vel neget; eò tamen adigetur, ut de his quoq; id fateri cogatur. Impossibile enim est, hanc mundi machinam innumeris seculis fine suo caruisse, & Solem cæterosq; planetas ac stellas, frustra terrarum orbem undiquaq; lustrâsse, & lumen illi suum ac calorem impertiisse. Quorsum enim id totum spectat, nisi ut plantarum, animalium, & denique hominum generatio perpetuò locum habeat, earumq; rerum omnium vita conservetur? Adde, quòd, si quis unà cum astris atq; elementis neget homines atq; animalia extitisse, necesse habeat dicere, eos & præter naturæ ordinem, & non necessariò extitisse, id quod Peripateticorum sententiæ prorsus adversatur. Etenim quicquid naturali ordine fit,

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

dine fit, id necesse est infinito tempore aliquando factum esse. Sed quid dico, infinito tempore? cùm quicquid naturali ordine fit, necesse sit fieri finito tempore, quanquam fortè longissimo. Siquidem ordo naturæ tempore definitus est, & in circulum aliquando redit: cum motus omnium illorum corporum, unde universus naturæ ordo pendet, tempore sit definitus. Quod ergo tempore finito, quanquam longissimo, non fit; id naturæ ordine fieri non potest, multò autem minùs, quod infinito tempore factum non est. Etenim in infinito tempore necesse est ordinem naturæ infinities in circulum redire: ac porrò necesse est, infinities id factum fuisse, quod ordine naturæ fieri potuit. Ideò rectè pronunciatur a viris doctis, omnem potentiam naturalem habere determinatum aliquod tempus, intra quod ea deducatur in actum. Atqui si ab æterno homines unà cum cæteris animalibus non extiterunt; necesse est, ut infinito tempore non fuerint generati. Nam ante quodlibet tempus certum ac finitum, præcessisse oportet infinitum. Si enim finitũ tantùm præcessisset, jam id principio non caruisset; & sic totum fuisset finitum. Nam ex finitis, licèt maximis, si numero sint finita, non nisi finitum fit. Sed quicquid tandem dixeris; necesse est generis saltem humani atque animalium aliquem agnoscere opificem ac conditorem, qui eos liberè produxerit, si ab æterno non extiterunt. Id quod nobis ad Dei existentiam demonstrandam satis est; & simul præcipuum, quo æternitas mundi Aristotelica nititur, fundamentum convellit. Etenim inde liquet, non necessariò, sed contingenter homines atque animalia extitisse. Si enim necessariò extitissent, semper extitissent. Necessarium & semper, inquit Aristoteles, simul sunt. Itaque quicquid necessarium est, nempe simpliciter, semper est, fuit, & erit. Quod si contingenter extiterunt homines atque animalia; vel consilio alicujus extiterunt, vel sine consilio. Si consilio alicujus; datur caussa hominum efficiens consilio prædita, & liberè agens; siquidem non necessariò, sed contingenter homines produxit. Hujusmodi autem hominum caussam, ipsorum rectorem supremum, seu Deum esse, jam suprà docuimus. Si sine alicujus consilio homines atque animalia extiterunt; casu extiterunt; ut ex suprà dictis apparet. Casu autem non extitisse, & Peripateticorum schola, & nos unà cum illis, antea docuimus.

2. de Gener: & Corr: c. ult: t. 68.

Id ergo nunc restat, ut demonstremus, impossibile esse, ut homines atque animalia omnia ab æterno extiterint. Id autem ex eo patet, quòd in caussis hominum efficientibus, & quidem per se agen-

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

se agentibus, daretur progressus in infinitum. Similiter & in caussis efficientibus eorum animalium, quæ non nisi ex semine generari constat. At in caussis per se progressum in infinitum, Aristoteles æternitatis mundi conditor, & omnes ejus sectatores meritò rejiciunt ac refutant. Iam verò necessariò secuturum ejusmodi progressum in infinitum in causis per se, posita æterna hominum atque animalium generatione, patet. Etenim cum homo non nisi ab homine naturaliter producatur; necesse est quemvis hominem habuisse infinitos majores, a quibus ortum duxerit. Si enim finiti numero fuissent; cum singuli etiam tempore finito extiterint; necesse esset, eorum seriem aliquando initium habuisse. At ponitur ea series a parte antè (ut loquuntur) infinita, omnique principio carens. Idem statuendum est de cæteris rebus animatis, quæ non nisi ex semine generantur. Viderunt hunc nodum nonnulli ex Peripateticorum schola viri acutissimi, ideòque dixerunt, & libris publicè, ac cum privilegio editis, docuerunt, non necessariò hominem ex homine gigni, sed posse, imò solere ex putredine fieri a calore ac motu Solis, in locis temperatissimis, quos in zona torrida, media aëris regione collocant. Generari enim & plantas, & animalia quædam ex putredine, calore Solis. Idem ergo fieri in homine. Naturale enim esse, ut similiter fiat in omnibus. Et hanc quidem volunt esse veram caussam, a qua tum humani generis, tum cæterarum omnium rerum animatarum pendeat æternitas; non generationem ex semine. Hanc enim non necessariam esse, sed contingentem. æternitatem autem re contingente non niti. Sed cum huic illorum sententiæ de generatione hominum ex putredine, ipsa rei experientia vehementer obstaret; illud sunt commenti, loca illa, ubi ea generatio peragatur, ob varia impedimenta cæteris hominibus esse quodammodo inaccessa atque adeo incognita. Sed vanissimum esse hoc commentum liquet. Quî enim fieri posset, ut intra aliquot annorum millia, nec hominum ullus ad ea loca pervaserit, nec ullus inde ad nos pervenerit? Nam quò hominum vel industria, vel audacia non est progressa? præsertim cum regiones orbis medii, in quibus illi hæc cœli miracula ponunt, fuerint ab hominibus dudum perlustratæ ac cognitæ. Adde, quòd iidem fatentur, hominibus quocunque modo genitis, datam esse facultatem generandi sibi similia, ut multiplicati in terras dividerentur, ne eæ jacerent inertes ac sine fructu. Nam aliàs cogerentur fateri, frustra datam esse hominibus facultatem generandi sibi similia; siquidem

Andr: Cæsalpin: Professor Acad: Pisanæ, postea Medicus Romanus Quæst: Peripat: Lib: 5. quæst: 1.

quidem à cœlo generari potuerunt. Naturale enim est, ne per plura fiat, quod potest fieri per pauciora, ut & ipsi affirmant, & res loquitur. Quî ergo factum est, ut homines, qui illis in locis generantur, sese in orbem non diffuderint? At animalia, inquiunt, quædam fiunt ex putredine a calore Solis. Ignobiliora quidem, atque adeò imperfectiora, videmus ita procreari: sed nobilissima perfectissimaque nunquam vidimus; nec id Aristoteles ausus est asserere, ut ipsimet fatentur. Non sequitur autem: si imperfectiora ita generantur, ergo & perfectiora; & denique homo, omnium animalium perfectissimus, & intellectu præditus. At naturale est, ut similiter fiat in omnibus. Similiter quidem: sed non eodem prorsus modo. Nam ut perfectione res differunt; ita & rerum primò producendarum aut generandarum modus aliqua saltem ratione differt; uti tum in plantis, tum in animalibus videmus. Nonnulla enim majori providentia, ut & generentur & serventur, egent. Itaque magna in illis parentum cura cernitur. Maximâ autem omnium eget homo. Itaque nos rationabiliùs statuimus: quemadmodum aliarum quarundam & plantarum, & animantium cura delegata est homini intellectu prædito, ut earum propagationem ac salutem curet: ita hominis ipsius, tanquam nobilissimæ plantæ in hunc mundi agrum insertionem ac curam, reservatam esse alteri, quod omnem hominum intellectum superat. Ita enim rectè servabitur naturæ ordo, & graduum quædam similitudo ac proportio.

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

Sed præterea & illud obstat hominum ab omni æternitate generationi ac successioni, quòd primorum, qui artes ac scientias invenerint, auctorum nomina literarum monumentis consignata sint a viris doctis; priorum autem hominum, qui easdem tenuerint atque excoluerint, ne vestigia quidem appareant. Impossibile autem est, si genus humanum ab æterno extitit, artes ac scientias, præsertim magis necessarias, ante pauca annorum millia, quibus eæ sunt repertæ, vel non extitisse, vel cum aliquando extiterint, earum etiam memoriam penitus fuisse sublatam. Quòd verò Peripatetici comminiscuntur, easdem artes infinities & inventas, & rursus ignorantiæ tenebris involutas fuisse; id mirum est, si cuiquam homini cordato persuaderi possit. & est id tantùm illorum, quibus decretum est thesin ita tueri, ut quicquid illi consentaneum est, licèt absurdum, admittant ac defendant. Etenim si in paucis artibus ac disciplinis id contigisset, mirandum non esset. At nullius hominis nomen celebrari, qui ante hæc pau-

ca anno-

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

ca annorum millia, quibus nos genus humanum extitisse volumus, easdem artes coluerit, id nullo modo est credibile, si ab infinitis seculis humanum genus extitit. Eadem ratio & regionum est, quarum aliquas olim incultas jacuisse, alias ne nunc quidem coli videmus. At si ab infinitis seculis genus humanum extitisset; quî fieri posset, non omnes jam pridem cultas, hominibusque repletas esse?

Verùm ut hujus erroris etiam radices, unde is repullulare fortè possit, evellamus, & nostra, quæ a fine rerum naturalium superiùs duximus, argumenta adhuc magis confirmemus; libet eorundem Peripateticorum, quorum paulò antè mentionem fecimus, sententiam confutare de modo, quo res omnes a primo ente dependeant. Ea enim si admitteretur, & rerum creatio in sacris literis descripta, & primi entis arbitrium atque imperium, & providentia omnis, ac porrò omnis tolleretur religio. Est autem illa ex Aristotelis dictis ita concinnata, ut ipsius omnino esse videatur. Itaque tantò magis convellenda est, ne homines incauti, dum ejus Philosophi, & quorundam ipsius sectatorum acumen mirantur, & multa præclara eorum inventa discunt, impietatis simul venena hauriant. Statuunt enim illi, Ens summum, quod unà nobiscum Deum appellant, intellectum esse, non practicum, qui consilio agat, aut præter se quippiam sive consideret, sive efficere velit; sed qui in seipso tantùm contemplando perpetuò sit occupatus; imò nil aliud sit, quàm sui ipsius contemplatio sive intellectio. Itaque non quia is ita apud se decernat ac velit; sed ipso hac de re ne cogitante quidem, necessariò hoc universum ab ipso manare. Modum verò ejus rei hunc esse volunt. Deum, inquiunt, finis ac boni rationem habere. Bonum autem omne desiderabile esse, seu appetibile. Appetibili posito necessariò poni etiam id, quod appetat. Id hoc loco esse materiam; quæ per se boni expers atque indiga, bonum atque adeò formam appetat. Formam enim in substantiis eandem cum fine esse. Ex hoc ergo materiæ appetitu formas pendere; & primò quidem eas, quæ in partibus hujus mundi perpetuis cernuntur, cœlo nimirum, & elementis totis. Variari autem earum rerum formas atque operationes, prout partes materiæ universæ, vel propiùs, vel longiùs a Deo absint. propiores enim nobiliorem sortiri formam; remotiores ignobiliorem. Ab his iterum pendere varietatem formarum, quæ in mixtis cernatur. Materiam enim elementarem a cœlestium corporum motu, calore, ac virtute variè præparatam, innato suo appetitu,

Vid: Andreæ Cæsalpini Quæst: Peripatet: lib: 2. quæst: 1. & seqq: sparsim. adde quæst: ult: lib: 1. & Investigat: Dæmon. Peripatet: cap: 2. & d. confer Arist: lib: 12. Metaphys: cap: 7, & seqq.

appetitu, quo in finem feratur, varias formas inducere; atque adeò participatione quadam divini illius entis, mixta perfectiora animam sortiri, alia vegetativam tantùm, alia etiam sensitivam, alia deniq; rationalem. Cujus quidem sententiæ absurditatem ac vanitatem ut tantò rectiùs intelligamus; animadvertendum est, duplicem esse finem, ut ipsemet Aristoteles docuit. Alius ab eo dicitur finis *cujus*, alius *cui*. Finis *cujus*, est bonum, quod appetitur, ac paratur. Finis *cui*, est res vel subjectum aliquod, cui bonum aliquod paratur. Et caussa quidem efficiens, quę consilio agit, semper est aliqua ratione finis *cui* sui effectus, licèt non semper sola. Sæpè enim aliis quoque boni quippiam parat; & nonnunquam aliis magis, quàm sibi. Veruntamen nisi aliquo modo etiam sese respiceret, nunquam ad actionem accederet. Finis enim eam ad actionem movet. at non moveret, nisi aliqua saltem ratione ei allubesceret. Nam suavitate quadam suâ finis movet, quicquid movet. Quare aliquam saltem jucunditatem id, quod consilio agit, sua sibi actione comparare studet. Et nos quidem hoc modo Deum, ut primam mundi efficientem caussam, ita & ultimum finem esse statuimus. Sed ii, adversus quos nunc disputamus, Deum finem *cujus* esse volunt. Atqui finis *cujus* vel substantia prorsus non est, vel non est substantia prima, a qua cæterarum essentia pendeat, quemadmodum ipsi volunt. Nam finis *cujus*, vel actio est, vel quippiam actione productum sive effectum. Quòd si interdum id videatur esse finis, cujus gratiâ quippiam suscipitur, quod & substantia sit, & jam reipsa existat; ut si quis auri argentíve gratiâ quippiam faciat; non ipsa revera substantia, sed illius acquisitio, & multò magis usus, qui in actione consistit, finis est. adeò ut finis ultimus necessariò sit actio aliqua, aut actionis consequens. Quamquam quid multis hîc opus? cum illi homines eum, de quo agimus, finem putent esse ipsam intellectionem. Atqui actio nulla substantia est: quia per se non subsistit. & opus omne ab agente pendet. Non ergo finis prima est substantia, & cæterarum omnium caussa. Sed deinde, quomodo ab hoc fine, quem intellectionem esse volunt, pendent omnia? Quia appetibile est, inquiunt, ideò necessariò est & id, quod appetit. Si appetibile pro eo sumunt, quod appeti potest; falsum est, appetibili posito, necessariò poni id, quod appetat. Potest enim extare bonum, quod appeti possit, reipsa tamen a nemine appetatur. Quemadmodum & res visibilis esse potest, quæ a nemine tamen actu ipso videatur. Præterea quicquid appetit, id jam esse necesse est. Non entis nulla est affe-

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

la est affectio, nulla nec actio, nec passio. Si ergo materia appetit finem; ab appetitu finis ipsa non potest proficisci. Duæ igitur substantiæ ponentur, quarum una ab altera non pendeat; nempe appetibile, quod illi Deum vocant, & appetens, quod materiam. Atqui illi etiam materiam primam a Deo pendere volunt; & absurdissimum esse judicant, duas in hoc universo substantias primas ponere: ut certè absurdum est, si earum neutra consilio est prædita, ut possit alteram sibi pro arbitrio subjicere, & eâ ad opera sua uti. Ampliùs: quomodo materia appetit illam intellectionem? Num fortè ipsa quoque cupit intelligere? Non videntur admodum ab ea sententia homines illi abhorrere. Intelligentiam enim æternam materiæ apponunt. quod quàm nugatorium sit, inde apparet, quòd hoc pacto omnia materiata intelligerent. Adhæc; appetat materia istam intellectionem. quid hoc ad formas materiales astrorum, & elementorum, quas ex hoc materiæ appetitu volunt pendere? Propter finem enim id tantùm appetitur, sine quo finis vel planè non potest, vel commodè non potest obtineri. Formæ autem materiales rerum inanimatarum ad intellectionem nihil prorsus conducunt. Præterea, si formæ illæ materiales ex materiæ appetitu pendent; necesse est eas a materia appeti. At quî possunt; cùm nec ipsa eas per se cognoscat, nec intellectio illa, unde pendere dicitur. Intellectio enim illa ex istorum sententia nihil prętер seipsam cognoscit, materialia percipere non potest. Quòd si intellectio illa formas materiales non cognoscit, nec materia cognoscet: cùm ea nihil per seipsam cognoscat. Si quid cognosceret, cognosceret ideo, quia intellectio ipsi apposita per se cognosceret. Hanc autem materialia non cognoscere visum est. Atqui quicquid appetitur necesse est cognitum esse vel ab eo ipso, quod appetit, vel ab eo, quod illi appetitum hunc inseruit, & a quo ipsius essentia pendet. Ignoti enim prorsus; nulla est cupido. Accedit, quòd dependentia rerum ex fine ejusmodi est, ut prius illud sit, quod fini est propius; ultimum illud, quod ab eo remotissimum. Iam verò formæ, quæ materiæ insunt, propiores sunt fini ultimo, quam materiæ. Vnde, ut suprà ex sententia Philosophi diximus, quò quidq; propius est materiæ, tantò ei minus inest pulchri ac boni. Quî ergo factum, ut a fine primò omnium effluxerit materia, quæ ab eo est remotissima? & non priùs formæ materiales, fini propiores? Vnde iste saltus? An non res ipsa docet, cum formæ materiales sine materia existere non potuerint, materiam, tanquam subjectum, primò existere debuisse, tum de-

vid. lib. 4. Meteor. cap. ult.

Cap. IIII. Ex mundi huj⁹ opificio Deum esse demonstratur.

tum demum formas? At hic progressus non est mediorum ex fine, tanquam ex caussa, sed ad finem, tanquam ad effectum: qui progressus non est nisi caussæ efficientis. quod illi ipsi docent, cum quibus disputamus.

Sed nondum finis. Veniendum enim est ad formarum materialium a primo ente dependentium varietatem. Vnde illa? Intellectio sui ipsius unum quippiam est atque indivisibile, nullam varietatem, ne cogitationis quidem, admittens, quemadmodum illi docent, & res ipsa demonstrat. Materia similiter per se uniusmodi est. Vnum autem in uno, non nisi unum facit. Vnde ergo tanta formarum in eadem materia varietas? Ajunt ergo illi, ut antea vidimus, ex diversitate materiæ secundùm locum, seu ex propinquitate, aut distantia ab illa intellectione, quam Deum vocant, formarum pendere diversitatem. Intellectionem autem illam in summo collocant. Huic ergo proximum esse cœlum; quod propterea nobilissimam inter partes hujus mundi formam sit adeptum, & motum celerrimum ac perpetuum, qui vitæ sit instar. Huic, ut loco, ita & formæ præstantiâ proximum esse ignem. Huic iterum proximum aërem; huic aquam; huic denique terram, quæ veluti fex universi in imo subsidat. Non disputabimus hîc de nonnullis, quæ hîc ponuntur, licèt a doctis quibusdam viris in dubium vocentur, aut prorsus etiam falsa judicentur. Habeant se nunc illa ita, ut positum est. nihilominus tamen non uno modo falsitatis sententia ista convincetur. Primùm isti intellectioni, quam Deum appellant, supremum locum, seu tu mavis *ubi* appellare, per se attribuunt. Atqui intellectioni nullus per se locus attribui potest. Locus enim per se non nisi substantiæ alicujus est, seu rei per se subsistentis; tum demum actionum aliarumque rerum, quæ non nisi in substantiis subsistunt. Intellectio autem res non est per se subsistens, sed actio. Deinde si ob solam propinquitatem aut longinquitatem materiæ ab illa intellectione, variant formæ partium hujus mundi; necesse est a supremo cœlo usque ad centrum terræ infinitum esse formarum discrimen, & superiores semper esse præstantiores inferioribus. Atqui & cœlum, aut æther, qui immensæ est profunditatis, uniformis est; & sphæræ elementorum ab illis constitutæ crassissimæ sunt, & tamen uniformes. Quæ igitur caussa est, ut cum per innumera propè cœli milliaria, una ætherei aut cœlestis corporis (de astris postea dicemus) forma sit; postmodum demum sequantur aliæ? cur intra exiguum spatium maxima est formæ differentia, cum in maximo

fuerit

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

fuerit aut nulla, aut exigua? quî fit, quòd aër, cujus vel usque ad cœlum, vel usque ad sphæram ignis ab illis constitutam, magna est profunditas, non subinde aliâ atque aliâ formâ appareat? Præterea, cur æquè propinqua est terra cœlo, imò propinquior multis locis, quàm aqua, supra quam & littora, & montes eminent? Atqui contrà debebat fieri; cùm aqua præstantiorem sit formam adepta.

Qvo quidem loco non possum non facere, quin aliquantò pluribus hoc divinæ providentiæ opus persequar, quod in digestione infimorum duorum elementorum præcipuè cernitur. quia & Peripateticorum, & cæterorum omnium, qui creationem hujus mundi negant, sententias apertissimè convellit. Id verò est, quòd terra non tota est aquis circumfusa, sed magna ejus pars aquis eminens, commodissimam hominibus & cæteris animalibus sedem, ac natale plantis solum præbet: Oceanus autem certis limitibus circumscriptus, non inundat terras; sed per subterraneas venas ex imo in altum ascendens aqua, sese in omnes, quæ habitantur, terræ partes diffundit. Etenim cum terra gravior sit aquâ; unde, quæ admodum sunt terrea, in aquis protinus submerguntur; debuisset tota terra infra aquas subsidere, aqua autem tanquam levior illi supernatare. Quæ enim ratio est partis terræ ad partem aquæ, eadem est ratio totius ad totum: cum tota sint similaria. Vt ergo pars terræ gravior est parte aquæ ejusdem molis, & infra eam subsidit, eique incumbens illam dividit, atque ad latera pellit: ita & tota moles terræ deberet toti aquæ moli succumbere, hæc autem illi undique innatare. Et hanc quidem ob caussam Peripatetici, dum partibus huius machinæ mundanæ loca sua distribuunt, sphæram cælestem, seu tu mavis sphæras dicere, complecti ajunt sphæram ignis; hanc rursus aëris; hanc aquæ; hujus iterum sphæram terræ globum. Quæ ergo caussa est, cur tanta terrarum spatia supra aquas emineant? Quæ caussa, cur alibi tantos hiatus terra aperuerit, ut vasti Oceani aquas complecteretur? Cur istic haud paulò depressior est (nam in declive currunt flumina, ex altissimis sæpe montibus orta, & fundus maris multis locis deprehendi non potest) illic adeò eminet? cur itidem alibi laxa est, & meatus aquæ, sese iterum in varias terrarum partes diffundenti, atque in altum enitenti præbet? Si ad astra caussam referas, frustra es. Quandoquidem inter illas etiam globi terrestris partes tantum discrimen apparet, quæ æqualiter ab astris distant, & eodem modo ab illis lustrantur: ut quæ in eodem climate sitæ sunt.

Eadem e-

Eadem enim caussa eodem se modo habens, idem ubique debe-ret efficere. Si ad materiam hæc referre velis, itidem frustra es. Neque enim hæc materiæ sunt naturalia, sed ab ea separabilia. Nam non minùs vel terra, vel aqua, vel corpus est, vel quicquid materiam esse velis, sive inferiori, sive superiori ponatur loco. & raritas ac densitas partium terræ, haudquaquam illi naturalis est. Ob hanc autem, ut illi docent, contra quos hîc inprimis disputamus, fit, ut partim alterum terræ hemisphærium ad occasum, in quo vastitas Oceani Atlantici patet, sit depressius, alterum magis extuberet: partim etiam ad septentrionem apud Scythas aliquantò altior sit terra, quàm ad meridiem, ubi itidem Oceanus. Illud certum est, ob laxitatem aut densitatem terræ, hîc venas ejus aperiri, & transitum aquæ dari, illic negari. Præterea si materia hîc in caussa est; cur in hac parte magis, quàm in illa? Materia enim per se ubiq; sibi similis est. An non manifestissimè patet, efficiens aliquod, & quidem liberrimum esse, quod ad generationem ac salutem animantium, maximè hominum, aquas a magna terrarum parte abire jusserit, inque certos terræ sinus collegerit: interim tamen partim per venas terræ aquas in altum eniti, & in varias illius partes derivari; partim a Sole atque astris e mari, fluminibus, locisque udis in aërem elevatas, in terras decidere voluerit. Qui id admonitus non agnoscit, indignus est, cum quo disputetur. Ex quibus (ut hoc quoque velut in trransitu addamus) apparet, rationi prorsus esse consentaneum, quod sacræ literæ asserunt, antequam hic mundus, omnibus ejus partibus digestis, construeretur, terris undique profunditatem aquarum incubuisse, quæ postmodum a magna illarum parte secedere jussæ, & omnipotente Dei vi pulsæ, illinc aridam reliquerint, quæ terra insignitè dicitur, hinc mare constituerint. & summo jure moneri homines, ut adorent eum, qui fecerit cœlum, & terram, & mare, & fontes aquarum.

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

l. 2. de Gener: & Corr: c. ult: t. 68.

Cæsalp: Quæst: Peripat: lib: 2. quæst: 5.

Gen: 1. 2, 6, 9, 10.

Apoc: 14. 7.

Sed redeamus ad eos, quorum sententiam refutare antea cœperamus, de prima varietatis formarum, quæ in partibus hujus mundi perpetuis cernitur, origine. quanquam in his & cæteri, qui vel simplici necessitati, vel casui hujus universi structuram imputant, inventuri sint, quod eorum errorem convincat. Nihil dum enim diximus de astris, eorumque tum positu, tum motu. Vterque autem Peripateticorum sententiam apertissimè refellit. Nam cur, quæso, Sol planetarum splendidissimus, & cæterorum dux ab illis non immeritò appellatus, in cæli medio consi-

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

stit? cur non in summo? Præstantissimum enim astrum Deo esse debebat proximum. Deinde cur in eadem a summo cœlo distantia, in diversis ejus partibus hîc stellæ sunt, illic nullæ; hîc majores, illic minores; hîc lucidiores, illic obscuriores? quæ hujus diversitatis ratio? Adde, quòd Deum ex Peripateticorum sententia non nisi in uno eoque indivisibili cœli loco existere necesse est. quantitate enim caret omni: nec totus potest esse in pluribus simul locis. Aliàs enim totus ubique esset; & sic omnia illi æquè essent propinqua; ac porrò ex istorum sententia, omnia eandem haberent formam. Quòd si in uno tantùm supremi cœli loco consistit; eædem cælestis materiæ partes, eademque astra nunc illi maximè sunt vicina, nunc, cùm in adversam partem atque e diametro oppositam quotidie discedunt, longissimè ab eo discedunt. Itaque necesse erit illa subinde formam mutare, & nunc præstantissimam habere, nunc omnium deterrimam: illam, cùm maximè sunt Deo vicina; hanc, cùm ab eo remotissima. intermedio tempore medio etiam se modo habebunt, pro vicinitatis aut distantiæ ratione. Qua de re plura dici possent, nisi alia adhuc restarent absurda, quæ ex istorum sententia manant. Etenim omnem ea motum tollit cœli & astrorum, ac porrò omnia, quæ ab eo pendent. Quæ enim caussa est, cur astra aut quæcunque pars cœli, Deo maximè propinqua, velit ab eo discedere? Finis, si quid movet, ad se trahit, non a se pellit. Deinde quam caussam illi afferre possunt, cur ab oriente in occidentem potiùs moveatur cœlum, quàm contrà? aut planetæ contrà ab occidente in orientem? Nam in Deo, si istorum hominum sententiam spectes, nulla ejus diversitatis caussa est. siquidem in eo nec dextrum, nec sinistrum est, nec impetus ullus ad hoc potiùs latus, quàm ad illud; voluntas extra se agendi nulla, multò minùs arbitraria ac libera, qualis hîc requiritur. Nam cum per se nihil intersit, sive in hanc, sive in illam partem primus cœli motus tendat; non nisi arbitrium, seu voluntatis libertas efficere potest, ut in hanc, non in illam partem flectatur. Libertatem autem voluntatis omnem Deo suo Peripatetici abstulerunt. Ex quo apparet, nec in materia esse ejus rei caussam. Nam appetitus illi in hanc potiùs partem, quàm in illam, non inest, nisi propter finem & intellectum. Ille autem non magis hoc, quàm illud requirit. Similiter autem nec illius rationem reddere homines isti possunt, cur non potiùs, ubi nunc septentrio est ac meridies, aut intra hæc spatia alicubi, oriens sit & occidens. Nam in sphæra omnia similiter se habent; & tam po-

tuisset

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

fuisset cœlum ab ea parte moveri, ubi nunc meridies est, aut septentrio, quàm ab oriente aut occidente. Similis est & aliarum partium sphæræ cœlestis ratio. Denique cur tam inæquabili motu feruntur planetæ? cur iidem, cùm unà cum cœlo seu primo mobili quotidie circumvolvantur, proprio tamen motu in contrarium tendunt? Notum enim vulgò est, ex communi tum Ptolemæi, tum Aristotelis assectarum sententia, Planetas quidem unà cum toto cœlo quotidie ab ortu in occasum moveri, atque ita in ortum per adversam partem redire: interea tamen proprio atque obliquo motu ab occasu in ortum paulatim tendere. Vnde illa motûs, non tantùm inæqualitas, sed & contrarietas? Finis enim, quî cœlum & astra movet, prorsus uniformis est; similiter & materia, quæ per se illam tantùm differentiam secundùm partes sortitur, quòd earum alia sit Deo propior, alia ab eo remotior. Propinquitas autem aut longinquitas illa, inæquabiles motus efficere non potest; multò minùs sibi invicem contrarios. Cum ergo tanta sit motus inæqualitas, ac denique contrarietas; quid est, quod eam effecit, præter consilium atque arbitrium ejus, qui generationi ac conservationi plantarum atque animalium hac in re consuluit?

Sed nimirum istorum hominum sententia, si rectè expendatur, omnem illam providentiam tollit, quæ in rerum animatarum generatione ac conservatione cernitur. Etenim si primum illud ens in seipso tantùm contemplando occupatum, ut alia etiam existant, nec cogitat, nec curat; materiæ autem pars quælibet nil desiderat aliud, quàm ut primi illius entis, quantùm licet, fiat particeps, & de seipsa tantùm perficienda laborat: quî factum, ut perpetuæ rerum animatarum generationi ita fuerit prospectum? Cur astra in cœlis constituta? cur illis lumen, cur calefaciendi, & propemodum animandi vis illis concessa? cur motus ille obliquus planetis datus, quo fit, ut vim terris omnibus salutarem impertiantur, & nullā suo beneficio defraudent? Num fortè sibi ipsis singula lucent astra, aut seipsa calefaciunt? Ac suum tantùm desiderium cupiunt implere, & suum quærunt bonum. Quî verò obliquus planetis sub Zodiaco cursus ita placet, ut malint transversum, quàm rectum iter sequi? cur malunt cœlo contraniti, quàm obsequi? Aut cur omnino cœlum rotatur? Discurrere illi placet, & imitari intellectionem sui ipsius, quæ Deus est? Nugæ. Nónne vel cæcis patet, hæc inferiorum gratiâ instituta esse? At finis ille non actu, atque naturâ antecessit astra, ut ex eo astra pendere

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

possent. Siquidem perpetua rerum generatio ab ipsis astris, tanquam a caussis efficientibus pendet, estque his actu posterior. Non potest autem prius a posteriori pendere. Restat ergo, ut intentione, quemadmodum loquuntur, prior fuerit. At quis illum finem intendit? Deus ille Aristotelicus, a quo tamen astra pendere volunt, de eo non cogitavit. Reliquum ergo est, ut alio modo a primo ente astra ac cætera omnia pendeant, quàm ut a fine: & Deus sit agens practicum, quod nimirum certo consilio ac fine, quem sibi proponat, alia extra se producat entia.

Idem & alia probant, quæ ad conservationem rerum animatarum spectant. Cur enim, quæso, plantæ perpetuò nascuntur, fructus proferunt, & animalibus atque hominibus alimenta præbent, aliisque eorundem usibus serviunt? Hîc verò illi apertè ajunt, non ideo plantas crescere aut fructus proferre, ut animalibus prosint: sed quamque rem crescere sui, generisque sui gratiâ. per accidens ergo fieri, quòd vel nos animalibus, eorumque partibus, vel animalia unà nobiscum fruantur plantis. Et illud quidem certum est, ipsam plantarum naturam, aut animalium, non id spectare, ut ea nobis prosint: sed earum rerum autorem id spectasse, adeò affirmamus, ut id ex ipsa rerum natura cerni posse asseramus. Et quatuor potissimùm sunt, quæ id ostendant. Primùm, quia si id per accidens fit, & præter intentionem ejus, unde plantæ pendent; casu fit, vel cœcâ quadam necessitate. At casu non fit: quia perpetuò fit. casus autem, ut ipse docet Aristoteles, in illis tantùm locum habet, quæ raro fiunt. Sed nec cœca necessitate fit. quî enim cœcitas tam oculata nihilominus fuit, ut cùm innumera sint animalium genera, & diverso victus utantur genere; nulli non accommodatum præbuerit victum, plantis inprimis, aut aliis animalium generibus constantem? Deinde quia omnia naturæ opera, Peripateticis urgentibus, bonum aliquod spectant. Quid autem ipsæ plantæ inde consequuntur boni, quòd crescunt, quòd fructus proferunt, quòd genus suum propagant? Non certè magis ad illas quicquam inde redundat boni, quàm ad lapidem ex eo, quòd extet. Cùm enim se esse non sentiat; perinde illi est, sive sit, sive non sit. Similis autem ratio & plantarum est: cum non magis sentiant, quàm lapides. Omnis revera boni in perceptione ac perfruitione consistit ratio; consequenter tantùm in illis, quæ perfruitionis gratiâ fiunt. Cur ergo non censeamus animalium potiùs, quàm sui gratiâ plantas crescere ac propagari? cùm animalia tantùm, quicquid in plantis boni est, percipiant ac

sentiant;

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

sentiant; plantæ ipsæ nihil. Præterea videmus, plantas quasdam tantam seminum ac fructuum vim proferre, ut vel maximam eorum copiam inutiliter perire necesse sit, vel, si omnia ad generis sui propagationem converti debeant, necesse tandem sit, universam terram a paucis plantarum generibus occupari, cæteris, quarum infinitus est numerus, exclusis. At ne isti quidem credunt, vel frustra illa a natura produci, vel in eum finem, ut paucæ tantùm plantæ terram occupent, sed ut omnia plantarum genera locum habeant. Eadem autem ratio & in animalibus locum habet, quorum tantus subinde surgit numerus, ut cætera, & sæpè quidem nobiliora, consumtura videantur, nisi ab aliis ipsa consumerentur. Denique si plantæ animalium gratiâ non crescunt; vel aliud plantarum, aliud animalium erit ponendum principium; vel summæ stultitiæ natura erit accusanda, in qua tot immensæ sapientiæ cernuntur argumenta. Etenim cùm animalibus daret eas partes, quibus cibos sibi aptos eligerent, sumerent, conficerent, digererent, inque sui nutrimentum converterent; vel simul etiam curavit, ut cibos sibi accommodatos haberent; vel eos aliunde jam extare, aut extituros novit; vel denique nec curavit ut haberent, nec eos extituros novit. Si primum; cum animalium innumera vel plantis tantùm, vel aliis iterum animalibus nutriantur; necesse est, ut plantæ animalium gratiâ extiterint: id quod nos volumus. Si secundum; necesse est, ut alius plantarum, alius animalium autor fuerit: quod nec nos, nec illi volunt. Si tertium; necesse est, ut maximè improvida atque adeò stultissima fuerit natura, vel potiùs (quod horret animus dicere) illius autor, qui instrumenta dederit animalib⁹ ad cibos sumendos, conficiendos, ac digerendos, cùm nec curaret, ut ea cibos sibi accommodatos haberent, nec eos aliunde extare, aut unquam extituros, nosset. Casu tantùm, sed nimiùm felici, in tantam alimentorum copiam incidissent animalium dentes. Similis autem ratio foret hominis, cui frustra data esset tanta solertia atque ingenium varia sibi vitæ parandæ subsidia, nisi is, qui eum produxit, eorum ipsi materiam parasset. Materiam autem vel maximè plantæ præbent atque animalia.

Quod de plantis hucusque diximus respectu animalium; idem etiam dicendum est de singulis sive plantarum sive animalium individuis respectu sui generis; & maximè de iis animalibus, in quibus sexus est distinctus, & utriusque conjunctio ad generationem est necessaria. Nam si quælibet materiæ pars id tantùm agit, ut

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

perfectionem suam consequatur, eamq; retineat, quàm potest diutissimè; quid de alterius individui productione laborat? imò illam aversari etiam deberet. Quia vigorem illa suum diutiùs retinere solent, quæ non generant, quàm quæ generant, cæteris paribus. estque res in animalibus, atque in ipso homine satis nota. Deinde quid hæc materiæ pars novit, esse aut fore aliquam aliam materiæ partem, quæ ejusdem generis formam, quam ipsa habeat, recipere possit? Cur ergo, ut forma eadem in alia materia propagetur, laborat? Quî item novit materia ea, ex qua mas fit, esse aut fore alibi fœminam, quicum junctus sobolem procreare possit? aut contrà, quî ea materia, quæ in fœminam abit, novit, alibi marem esse, aut fore? Similiter quî hæc materiæ pars novit, fore alibi hominem alium, cum quo possis sermones conferre, amicitiam ac societatem coiere? cur ergo loquendi facultatem appetiit? cur ad societatem aspiravit? Hæc omnia sanè non casu, sed finis gratiâ fieri cernunt illi, quibuscum disputamus; & insanirent, ni faterentur. Quis ista ergo providit? quis hunc finem sibi proposuit? si illorum hominum sententiam spectes, nemo. Iste enim illorum hominum Deus, qui nihil aliud est quàm seipsum intelligere, his de rebus sollicitus non est, nec potest quicquam extra se intelligere. Quicquid fit, illo fit ignorante, ac sibi uni intento.

Satis hucusque ostendimus, Aristotelicam, seu ex Aristotelicis hypothesibus extructam, de prima hujus universi caussa, rerumque æternitate sententiam, consistere nullo modo posse; & necessariò primæ rerum omnium caussæ tribuendum esse arbitrium, seu voluntatis libertatem. siquidem aliàs nec ulla ejus rei reddi possit ratio, cur motus cœli ab ortu potiùs sit in occasum, planetarum ab occasu potiùs in ortum, quàm contrà: cur item ea regio, quæ nunc septentrionem spectat, vel austrum, non extiterit oriens aut occidens. Nulla etiam ratio, cur non omnes cœli partes, æqualiter a summo, aut a principio rerum primo distantes, lucidæ sint, aut saltem æquè stellatæ; cur non omnes æquè nobiles. cur in magna a summo distantia formæ diversitas nulla, in exiguo magna; cur aqua terram non undique contegat, & quæ sunt his similia superiùs a nobis explicata, in quibus conditoris arbitrium cernitur. Vnde jam illorum etiam hominum concidit sententia, qui Aristotelem itidem sequi se putantes, mundo quidem efficientem caussam tribuunt, sed necessariò agentem; & Solis eam instar considerant, qui necessariò lucem in inferiora spar-

gat; &

gat; &, si ab æterno extitisset, semper in inferiora sparsisset. Nam nullam istarum, quas diximus, rerum caussam reddere possunt; & motum omnem e rerum natura coguntur tollere; nec nisi ex propinquitate aut distantia a primo illo mundi principio, formarum diversitatem petere. Contraria principium illud facere non poterit, nisi per accidens. Nam quæ necessariò agunt, non utrumque contrariorum possunt efficere, sed unum tantùm. Vnde & in scholis vulgò traditur hoc inter agentia discrimen, quòd quæ naturaliter agant (hæc autem agunt necessariò) ad unum tantùm contrariorum efficiendum comparata sint: nam ignis v. g. calefacere tantùm potest, non frigefacere: voluntaria autem etiam contraria. Hæc enim voluntatis natura est, ut ad contraria sit flexibilis, quamquam non in omnibus eodem modo. Potest agens voluntarium rem & sursum movere & deorsum; antrorsum & retrorsum; majorem minorémve facere; rectam aut obliquam; quin & calefacere & frigefacere: quamquam hoc homo, qui voluntarium agens est, non nisi naturalibus mediis efficere potest, calefaciendi aut refrigerandi vim per se habentibus, quæ nimirum vel in seipso reperit, vel aliunde assumit, & rei admovet. Iam verò in hoc universo multa videmus contraria, & talia quidem, quæ ad constitutionem ac conservationem rerum, ad earundem motus actionesque naturales, per se sint necessaria. qualia v. g. sunt calidum & frigidum, humidum & siccum, durum & molle, rectum & obliquum. quarum rerum omnium maximus est in natura usus, vel ad constitutionem mixtorum, etiam animatorum, eorumque conservationem; vel ad corporum motum atque actionem. Quare fieri non potest, ut hoc universum a caussa efficiente necessariò agente fuerit productum, sed ab agente voluntario constitutum fuisse necesse est. Adde, quòd, si mundi aliqua est caussa efficiens; necesse est, ut is aliquando non extiterit, atque ut in scholis loquuntur, ex non ente factus fuerit ens. Etenim vel mundus perpetuò efficitur; vel aliquando fuit factus, & fieri postea desiit. Quicquid enim efficitur, vel semper effici necesse est, vel aliquando. Perpetuò autem mundus non efficitur. Non enim ulla ejus pars per se moveretur. Nam id demum per se movetur, quod jam factum est, quodque idem antea quidem fuerit in termino a quo, ut in scholis loquuntur, postea verò in termino ad quem. Atqui infinitæ hujus universi partes per se moventur, ut astra, ut animalia, ut elementorum partes. Quòd si verò aliquando effectus fuit mundus, postea effici desiit; neces-

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

necesse est ut aliquando non extiterit, & ex non ente ens factus fuerit. Quare non ab æterno. Si non ab æterno, liberè eum ab opifice aliquo factum oportuit, non necessariò. Si enim necessariò effecisset, nunquam non effecisset: cùm nullam potuerit agens summum simul ac necessarium pati mutationem. Exemplum luminis a Sole manantis huc non quadrat. Nam lumen illud substantia non est, nec per se movetur: & tam imbecillis ejus est essentia, ut perpetuâ corporis lucidi præsentiâ effici necesse sit. qualem naturam in nulla substantia cernere licet. Non repetimus id, quod antea docuimus, æternitate mundi positâ progressum caussarum per se in infinitum ponendum esse, quem omnes sani absurdum, atque adeò impossibilem esse agnoscunt.

Sed ajunt illi: si mundus ab æterno non extitit, necesse esse ut caussa aliqua fuerit, quæ Deum ad mundum condendum postea moverit, quæ antea non moveret. & hujus mutationis iterum aliam esse quærendam caussam, cur nimirùm antea non moverit, postea moverit. Nihil enim a seipso mutari posse, sed quicquid mutatur, mutari ab alio. Mutari esse pati. nihil autem pati posse a se, sed ab alio. Idem enim fore agens ac patiens. Atqui agere & pati esse relata; relata opposita. opposita eidem secundùm idem, respectu eodem eodemque tempore inesse non posse: cùm hæc sit oppositorum natura. Sed si hæc ratio firma est, non tantùm primi motoris, vel potiùs Creatoris, tolletur arbitrium, sed penitus ex rerum natura exterminabitur; & cum arbitrio omnis & virtus & vitium, omne utriusque meritum, præmium & pœna. Si enim iisdem caussis impellentibus positis, non potest is, qui agit, aliter agere, quàm agit; non erit in hominis potestate, ut vel probus sit, vel improbus, virtutem aut vitium colat: sed quicquid aget, necessariò aget, & omnis, quæ videatur esse culpa, in res externas referetur, quæ eum ad agendum primò impulerint; & tandem in primum motorem, qui omnium cæterorum fuerit caussa. Atqui nihil vel sanorum omnium judicio, vel doctrinæ Aristotelicæ in Ethicis explicatæ, magis est adversum quàm in nostra potestate non esse, ut vel boni, vel mali fiamus; ut vel peccemus, vel à peccato abstineamus. Omnia scelera excusationem ac veniam merebuntur; nec virtus laudem merebitur, nec vitium reprehensionem; nisi quo modo laudare solemus aut vituperare inanimata, cùm vel ex animi nostri sententia cadunt, vel contrà. Itaque multò magis merita præmiorum ac pœnarum tollentur. Quòd si verò iisdem caussis impellentibus po-

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

sitis, potest nihilominus homo aliter agere quàm agit; & caussa, cur hoc, & non potiùs alio modo agat, non alia præter ipsum quæri debet: cur non idem de primo rerum omnium principio statuamus? præsertim cum tot, tamque manifestis argumentis arbitrium ipsius, seu libertas voluntatis sit demonstrata, & pluribus adhuc ostendi possit. Quis enim v.g. credat, Solem, qui toties est terrâ major, non potuisse vel unum palmum aut digitum, sive majorem esse, sive minorem? Quis credat littora maris non potuisse latum pedem esse laxiora, vel angustiora? Montes altiores, aut minùs altos? hoc potiùs in loco, quàm in illo extare fontes? cum videamus hæc inferiora sine ullo detrimento naturæ rerum sæpius mutari. Quid ergo istarum rerum magnitudinem aut locum ita definivit, præter arbitrium conditoris? Finis, ut videmus, non definivit; cum eodem fine posito variari res illæ potuerint, & nunc quoque ex parte soleant. Materia seipsam definire non potuit. nec forma, quæ illam ipsam determinationem vel in se continet, vel præsupponit. Efficiens autem non potuit determinare, nisi liberè ageret; cum appareat effectum esse contingentem. Contingens autem effectus omnino caussam contingenter, ac porrò liberè agentem requirit, quæ nulla est nisi arbitrio prædita. Cum ergo Deus arbitrio sit præditus, potuit eâdem caussâ positâ, quæ eum ad creandum mundum impelleret, eum nunc non creare, nunc creare. Itaque deceptionem in illa Peripateticorum argumentatione esse necesse est. Quæ ut tantò evidentiùs appareat, singulas ejus partes videamus.

Quòd ergò dicitur, si mundus certo demùm tempore creatus fuit, necesse esse, ut caussa aliqua fuerit, quæ Deum ad creandum mundum postea moverit, quæ antea non moverit; id duplicem habet responsionem. Nam primùm ponatur, ita se rem prorsus habere, ut illi volunt: quid tum? Caussa iterum, inquiunt, quærenda erit alia, cur Deum hoc tempore ad creandum moverit, antea non moverit. Hoc quoque nunc concedatur. Progressus, inquient, in caussis moventibus dabitur in infinitum. Sed in quibus causis? per se agentibus, an per accidens? Etenim caussæ, quæ ad agendum impellunt, sæpe caussæ per accidens tantùm sunt. Nam & id, quod occasionem rei gerendæ præbet, caussa rei est, & ad eam perficiendam movet. At quæ occasionem præbent, sæpe per accidens tantùm præbent; atque adeo per accidens tantùm caussæ sunt. Id vel inde patet, quòd à contrariis ad contraria, ab oppositis ad opposita occasionem sæpe sumimus, & ab illis ad hæc

 movemur.

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

movemur. Contraria autem contrariorum caussæ non sunt, nisi per accidens. Sic ex malis moribus, nonnunquam & legibus non satis bonis, bonæ nascuntur leges. sic morbo alicujus ad sanitatem ipsi restituendam impellimur, inopiâ ad vitæ subsidia illi suppeditanda. sic & quies ad laborem, labores iterum ad quietem nos deducunt. Agimus enim sæpe aliquid, quia diutiùs quievimus: & rursus quiescimus, quia aliquid egimus. At in caussis per accidens progressum in infinitum dari, apud Peripateticos absurdum non est, imò necessarium; cum apud ipsos perpetuus fuerit generationis & corruptionis ab omni æternitate circulus, & generatio corruptionis, corruptio rursus generationis alterius fuerit caussa, quanquam per accidens. Nam nihil generari apud ipsos potest, nisi aliquid fuerit corruptum: corrumpi autem potest nihil, nisi antea generatum. Sic in aliis quoque necessariò nexis progressus in infinitum datur. Nam nec præsens datur, quin præteritum præcesserit, & hoc rursus aliud, & sic deinceps. Sic nec Sol in occidente ex eorum sententia esse potest, nisi antea fuerit in oriente: & rursus in oriente esse non potuit, nisi priùs esset in occidente, idque in infinitum; & sic in cæteris, quæ ab æterno mota volunt. Quid ergo prohibet, quò minùs etiam in caussis per accidens, quæ Deum ad creandum mundum impulerint, datus fuerit progressus in infinitum? Non dicimus, id factum esse. Nam id non esse necessarium, postea docebimus. Sed cum Peripateticis agentes, id tantùm fieri potuisse dicimus, ut tantò evidentiùs infirmitatem ratiocinationis, quâ utuntur, ostendamus, & suo eos quodammodo jugulemus gladio. Potuit nempe Deus nunc hoc, nunc illud agere, & ex uno alterius operis occasionem sumere. quin etiam nunc aliquid extra se agere, nunc nihil; & nunc idem diutiùs, nunc minùs diu; idem post intervallum repetere, aut aliud se dignum suscipere. Singula ejus opera certum habebunt temporis initium: sed non omnia simul sumta: quia numero infinita, utut genere finita. Quemadmodum apud Peripateticos singulæ cœli aut astrorum circumvolutiones, ætates hominum, generationes rerum ac mutationes, initium habent: sed non omnes simul. quia omnes simul sumi non possunt, utpote infinitæ. Interea tamen, in caussis per se progressus in infinitum propterea non dabitur magis, quàm apud Peripateticos in rebus illis, quas nunc enumeravimus. Nam nihilominus & una erit caussa efficiens suprema, Deus: & finis aliquis ultimus, quem sibi in agen-

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

in agendo proposuerit: & materia operum externorum prima: & formarum, uti nunc videmus, aliquis erit terminus.

Sed jam alteram etiam responsionem ad istam Peripateticorum rationem addamus. Dicimus ergo, non esse argumenti consequentiam admittendam, vel saltem non eo sensu, quo illi volunt, & nos hucusque concessimus. Etenim vocabulum *movendi* duplici modo accipi potest. Nam movere quempiam potest caussa aliqua, quia quantum in ipsa est, moveat, etiamsi non permoveat; nempe quia non necessariò, sed contingenter tantùm ab ea proficiscatur effectus: movere etiam potest ita, ut permoveat. Et priori quidem modo poterat Deum eadem caussa perpetuò movere ad mundum creandum, & tamen non permovere semper, sed certo tantùm tempore. Hujus autem rei non est necesse aliam quærere caussam, præter ipsius Dei arbitrium. Arbitrii enim hæc est natura, ut eâdem caussâ positâ, & eandem per se efficaciam obtinente, agens nihilominus vel agere possit, vel non agere, & liberè in hanc, vel in illam partem inclinet. Atque id a Deo factum esse, exemplis aliquot ostendimus. Cur ergo idem in creando mundo non fuerit factum? Non potuit, inquies; quia hæc mutatio quædam Dei erit. At qua ratione Deus, si id ponatur, mutabitur? Num substantia ipsius erit alia? num attributum aliquod naturale? num decretum, quod ipse voluerit esse immutabile, infringetur? Haudquaquam. Sed eatenus tantùm mutabitur, quatenus id facere decernet, quod antea non decreverat; ac porrò opere perficiet, quod antea non fecerat. Quid in eo absurdi? Mutabitur, inquies, a seipso. Atqui absurdum non est quempiam a seipso ita mutari, ut, cùm antea vel non egisset, postea agat; vel cùm aliud quippiam egisset, aliud postea liberè suscipiat. At mutari est pati: pati autem nihil potest a seipso. Esset enim simul agens & patiens. Sed nos negamus, hujusmodi actionis mutationem, passionem esse. Spontaneus vel a quiete ad actionem, vel ab una actione ad alteram progressus, passio non est ejus, qui actionem suscipit, sed actio. Quòd si quis fortè ideo credat, hujusmodi mutationem esse passionem, quia mutari Grammaticis sit passivum; ei facilè & à nobis, & ab ipsis respondebitur Peripateticis. Nam si ita argumentari licet, nos multò rectiùs concludemus, mutationem hanc actionem esse. Quia nihil sit aliud, quàm agere, cum antea non egeris, vel aliud quippiam egeris. Hìc nec Grammatici ullam reperiunt passionem; nec in re ipsa ullam reperient Philosophi. Quid? cùm Peripatetici dicunt, Deum seipsum intelligere? nonne e-

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

nónne etiam dicunt, eum à seipso intelligi? Atqui intelligere activum est, intelligi passivum. Patietur ergo Deus aliquid a seipso? At id constantissimè negant Peripatetici, qui nihil a seipso, nedum Deum, pati volunt; idque in hac ipsa re urgent. Docent iidem, sentire, appetere, intelligere Grammaticis activa esse, & nihilominus passionem significare; quanquam primi entis intellectionem excipere coguntur: contrà, sentiri, appeti, intelligi, licèt passiva, actionem quandam ajunt significare ejus, quod sentitur, appetitur, intelligitur. Sensum enim, appetitum, intellectionem fieri recipiendo ac patiendo aliquid ab objecto. Quanquam illi Aristotelis sectatores, quibuscum potissimùm hîc agimus, ejusmodi ajunt esse passionem, quæ in actionem exeat; & rectè. Sentire enim & intelligere, non tantùm est recipere speciem rei objectæ, atque hac ratione pati; sed etiam illam dijudicare. Dijudicare autem actio est. Idem de voluntate statuendum est, præsertim cùm circa bonum ejusmodi versatur, quod & amplecti possit, & spernere. Dum enim ad id amplectendum se applicat, aut contrà id repudiat, aliquid circa illud agit. Atque hoc potest etiam jure ad rem nostram transferri. Etenim quòd Deus decrevit aliquando mundum condere, ac porrò condidit, actio est: prior immanens, ut in scholis vocant, posterior transiens. Sed orta est utraque a passione quadam, si eo modo vocem accipias, ut a Philosophis accipi in hujusmodi rebus solet. Sejuncta enim est hæc passio, & a corruptione, & a dolore omni; imò & voluptatem afferre apta est. Motus nempe fuit Deus ad creationem mundi decernendam fine, atque adeo rebus, quæ eum ad finis considerationem veluti duxerunt. Etenim cùm vires suas haudquaquam ignoraret (quis enim neget, Deum seipsum penitus nosse?) vidit etiam, mundum se condere posse; vidit præterea, in quem usum id posset cedere. Vsus hic Deum movit, &, ut ita dicam, allexit atque invitavit, ad mundi creationem & decernendam, & perficiendam. Et hactenus Deus aliquid a fine illo est passus; sed eo passionis genere, quod, ut jam innuimus, suavissimum est. Voluntas porrò, hoc fine veluti excitata, assensum ei præbuit invitanti, & eidem sese liberè applicuit. Et hactenus ea pati desiit, atque aliquid circa finem illum egit. Itaque si etiam in hujusmodi actionibus & passionibus velis aliud esse agens, aliud patiens; reperies objectum, & id, quod circa objectum occupatur. Sed ea vicissim in se agunt, & a se invicem patiuntur. Objectum primò movet facultatem, quæ circa illud occupatur: hæc ab eo

excitata,

excitata, circa illud viciſſim agit: & voluntas quidem ſæpe plus agit, quàm paſſa fuerat; aut etiam oppoſitum agit ejus, ad quod excitata fuerat. Illud, cùm liberè amplectitur bonum aliquod, & ad id perſequendum progreditur: hoc, cùm id repudiat, aut omittere decernit.

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum eſſe demonſtratur.

Sed ajunt: ſi Deus agit, quod poſſet non agere, laborioſa ac moleſta erit in agendo perſeverantia. Quod enim agit, cùm aliter agere poſſet, id, ſi diutiùs in agendo perſiſtat, laborat ac fatigatur. Atque hoc hauſerunt ab Ariſtotele. Sed nos primùm quærimus, unde illis conſtet, quicquid agit, cùm aliter agere poſſet, id, ſi diutiùs in agendo perſeveret, moleſtiam ſentire? Dicent, credo, ex hominibus & animalibus id conſtare. Diuturno enim motu frangi: quin & ſenſum laborare, & intellectum eidem rei diutiùs intentum. Sed quę conſecutio eſt, ut idem fiat in omnibus, atq; adeo etiam in immortalibus & incorruptibilibus, quod in mortalibus? Si dicant, nullum dari agens liberum, quod idem ſit immortale; id ipſum ſument, quod maximè debebant probare. Si verò tale agens concedant; jam rationis diverſitatem facilè vident. Corruptibilia enim labore, aut diuturna ſive ſenſûs, ſive intellectûs intentione ideo fatigantur, quia ſpiritus animales, quibus omnis ſenſus & intellectus noſter, omniſque motus peragitur, diuturno motu animique intentione abſumuntur, expirant, atque diffugiunt: ne de aliis corporeis inſtrumentis nunc quicquam dicam, quæ labore ac motu paulatim atteruntur. Nam corporis calor, motu auctus, membra ſenſim depaſcitur. Quòd ſi membra eandem ſemper integritatem retinerent; ſi ſpiritus animales non abſumerentur; eâdem ſemper alacritate operi poſſemus incumbere, nec ullus vel homines, vel animalia labor frangeret. At in incorruptibilibus atque immortalibus, iſtiusmodi vel membrorum, vel ſpirituum conſumptio ac debilitatio locum habet nullum. Eſſent enim ipſamet corruptibilia. Quarum enim rerum partes paulatim debilitari atque abſumi poſſunt, eæ ipſæ quoque ſunt corruptibiles. In Deum autem tantò minùs illa cadunt, quòd ejus natura a conditione corporum mortalium ac corruptibilium longiſſimè omnium abeſt, qua de re ſuo loco. Id autem, quod de incorruptibilibus diximus, vel ex cœlo atque aſtris patet, quæ in orbem perpetuò ſine ulla defatigatione currunt, &, ſi Peripateticis credimus, ab omni æternitate cucurrerunt. Quod autem cælum aut aſtra poſſunt in motu prorſus uniformi; id multò magis Deus, cæli & aſtrorum principium, poteſt in actionum ad res alias ſpe-

Cap. IIII. Ex mundi hujus opificio Deum esse demonstratur.

as spectantium diversitate, quę sæpe magnam parit jucunditatem. Taceo, quòd si in Deum defatigatio cadere posset, quæ non potest; facilè tamen pro sua sapientia modum posset invenire, quo sine labore ac molestia hanc rerum universitatem gubernaret, & quieti suæ consuleret.

Objicere etiam solent, consilia Dei de rebus condendis, & formis materiæ indendis, (ideas nonnulli appellant) ad rerum productionem non sufficere; imò ne prodesse quidem. quia interno ad eam rem principio sit opus; quod illi materiæ appetitum esse volunt. Sed nudum Dei consilium, sine efficacia, seu vi quadam ab eo manante, ne nos quidem ad rerum formationem sufficere arbitramur. Est nempe vis in Deo omnipotens, per se quidem indeterminata, sed quæ voluntate ipsius determinari ad quemvis effectum possit, ut infrà explicabitur, cùm de potentia Dei agemus. Ab hac rerum creatarum formæ, vita, motusque proficiscitur. Quòd si illi putant, posse a Deo formas omnium rerum manare, etiamsi de iis ne cogitet quidem; an non credibilius est, ab eo manare posse, si de iis materiæ imprimendis cogitet, & vi sua materiæ indat?

Cap:22.

Objicitur & illud, si dicas, aliquando non fuisse mundum, tempus te aliquod ante mundum ponere. Tempus autem ante mundum fuisse nullum: quia nec motus seu mutatio fuerit. Tempus enim sine motu nullum esse. Sed jam alii ante nos animadverterunt, falsum esse, quod sumitur, tempus non esse, ubi nullus sit motus seu mutatio. Etsi enim temporis diuturnitas, sine mutatione aliqua non sentitur: tempus tamen etiam sine mutatione est. Tempus enim nil aliud, quàm duratio est. duratio autem etiam sine motu esse potest. nam & quietis est aliqua duratio. Nec illud certũ, vel potiùs falsum est, nullum ante conditum mundum fuisse motum, seu mutationem. Cæteræ eorum hominum ratiunculæ leviores sunt, quàm ut hìc commemorari debeant, præsertim cum modus aliquis huic tractationi sit ponendus. Quanquam dolendum est, adversus veritatem leves interdum hominibus conjecturas aut suspiciones sufficere: cùm ad veritatem illis persvadendam, quæ ad pietatem ducit, ne apertissimæ quidem rationes iis satisfaciant.

Caput

Cap: V. Ex rebus homini propriis Deum esse demonstratur.

Cap: V.

Deum esse ostenditur ex rebus homini propriis.

POstquam universam rerum naturam in divinitatis testimonium advocavimus; sequitur, ut ea, quæ in humanis rebus cernuntur, ejusdem rei documenta videamus. Sumemus autem non ea, quæ hominis naturam constituunt, de quibus superiùs diximus: sed ea, ad quæ hominem vel naturalis instinctus, vel mens evidentibus rationibus nixa, vel superior aliqua caussa ducit. cap: ...

Primùm igitur occurrit perpetuus gentium vel omnium, vel saltem plærarumque, etiam barbararum, in eo, quod hîc defendimus, consensus. Adeo enim omnibus, quorum memoria extat, seculis in eo consensere terrarum populi, ut crederent, numen extare aliquod religiosè colendum, ut maluerint alii vel astra, vel belluas, vel denique ligna aut lapides pro Diis colere, quàm nullum numen, nullam religionem agnoscere. Itaque varietas quidem fuit sententiarum de numinis natura, de numero, de ratione ac modo colendi: sed in tanta tamen varietate consensus hic fuit, Deum esse aliquem, qui sit religiosè colendus. Licèt autem hodie populi reperti sint, in quorum aliquibus nulla propemodum videatur extitisse de divinitate opinio: tamen longè plures fuerunt reperti, in quibus divinitatis opinio extitit; licèt aliàs barbari essent, & ab humanitatis cultu alieni. Deinde testantur historiæ, eas nihilominus gentes, in quibus divinitatis opinio videatur extitisse nulla, dæmonem habere aliquem, quem metuant, &, ne noceat, revereantur. id quod nobis hîc plus, quàm satis est. Est enim & hoc divinitatis ac religionis, quamquam in contrarium detortum, vestigium. Non mirum autem cæteroquin est, homines barbaros, qui humanam quodammodo naturam exuerunt, & belluinam quandam feritatem induerunt, id perdidisse, quod hominis proprium est, nempe divinitatis existimationem, & religionem. Sine intellectu enim nulla de numine opinio, nullus religionis sensus est. Itaque in belluas ea res non cadit: ac porrò illis non admodum convenit, qui in belluas ferè abierunt. Quî ergo factum, ut in populis ad extremam etiam barbariem prolapsis, aliquod tamen divinitatis ac religionis remanserit vestigium? Ad quamcunque caussam hunc Gentium consensum retuleris, veritatem ejus, quam tuemur, sententiæ deprehendes. Necesse enim est hunc consensum referre ad caussam aliquam toti hominum

generi

Cap. V. Ex rebus homini propriis Deum esse demonstratur.

generi communem: cum effectus sit communis. Ejusmodi autem caussa est, vel naturæ instinctus, vel traditio antiquissima, a communibus humani generis parentibus profecta, vel denique magna rei ipsius, seu mavis, argumentorum, unde ea ab omnibus intelligatur, evidentia. ad quarum caussarum postremam patefactionem divinam, miracula, cæteraque divinitatis argumenta omnibus exposita referimus. Et de hac quidem caussa nihil est necesse dicere. Ipsa enim protinus rei veritatem ponit: præsertim cùm ratio adferri nulla possit, cur, quæ suâ evidentiâ homines generatim omnes ad agnoscendum Deum & religionem colendam adducant, eos nihilominus decipiant. Quod ad duas priores caussas attinet; si ad naturæ instinctum consensum illum gentium retuleris; natura humano generi errores non insevit: ad veritatem illa, non ad mendacium nos finxit. Si ad traditionem antiquam; itidem veritatem ejus sententiæ deprehendes. Etenim vel initium tu aliquod isti de Deo sententiæ assignas; vel nullum, sed eam unà cum genere hnmano ab omni æternitate vis extitisse. Si hoc existimas; caussam illius ad traditionem referre non potes. Traditio enim omnis, & multò magis quicquid a traditione proficiscitur, initium habet. Deinde si ab æterno hanc de Deo sententiam in genere humano extitisse velis; necessaria erit non minùs, quàm ipsum genus humanum, quod necessariò extitisse putas. Quicquid enim ab æterno fuit, necessarium est; certè omnem liberum humanæ voluntatis actum antecedit. At nulla sententia falsa, necessaria est. Et sanè omnino necesse esset, illam ex ipsa natura oriri. Ex ipsa autem natura oriri falsa sententia, ut vidimus, non potest. Quòd si certum isti sententiæ initium assignas; vel simul etiam assignas generi humano; vel hoc infinitis antè seculis putas extitisse. Si illud dicas; primùm cogeris autorem humani generis ac porrò Deum agnoscere, qui nos præter naturam produxerit. Siquidem nec a seipso genus humanum potuit existere; nec a caussa aliqua naturali produci. Si enim a caussa naturali fuisset primò productum; non potuisset non infinitis antè seculis existere: cum naturæ cursum infinitis seculis infinities in orbem rediisse sit necesse, ut præcedenti capite docuimus. Et volunt sanè illi, qui hominem a cælo e terra gigni fingunt, subinde id novam hominum generationem moliri, ut, si fortè vis generandi in hominibus jam productis deficiat; non deficiat tamen humanum genus, aliis recentibus in eorum locum e putredine succenturiatis. Deinde constantia hujus sententiæ in tanta hominum genti-

umque

Cap: V. Ex re-b⁹ hominì propriis Deum esse demonstratur.

rumque multitudine, veritatem ejus arguit. Ætatem enim tantam ea non ferret, si falsa esset, etiamsi tandem traditione aliqua majorum fuisset posterorum mentibus impressa. Excutit tandem natura, quæ præter, aut etiam contra eam rebus imprimuntur. Sic aqua, etiamsi vi ignis fervidissima evaserit; tamen quia id præter ipsius naturam fit, igne amoto ad frigus sponte sua revertitur. Eodem modo ratio hominis falsitatem sententiæ, sibi præter naturam impressæ, aliquando tandem penitus exuisset; præsertim quia aliàs natura nostra freni ac jugi illius, quod ipsi religio imponit, est impatiens, & ad libertatem adspirat. Quomodo ergo sententia illa per omnia, quorum memoria extat, secula, tam longè lateque dominaretur? Hoc idem dicendum est, si asserueris, genus humanum ante hanc de Deo sententiam infinitis seculis extitisse. Sed deinde quî fieri potest, ut in sententiam falsam, cujus aliquando expers fuisset genus humanum, omnes generatim populi conspirarent? Itáne sine evidenti argumento gentes omnes ingeniosores, sibi imponi passæ sunt? Verumenimverò fieri nequaquam potuit, ut genus humanum hac aliquando de Deo deq; religione sententia caruerit. Quandoquidem ipsi quoque athei eam generi humano utilissimam, & ad rempub: gubernandam valdè necessariam, ac porrò omni studio fovendam esse docent. Hujusmodi ergo sententiâ tam utili, tam necessariâ rei hominum publicæ, ad quam eos natura formavit, vel infinitis seculis humanum genus caruerit, vel aliquando exciderit? Id verò unum est ex impossibilibus. Adde, quòd mirum esset, si genus humanum aliquando sine Deo, sine religione omni extitisset, ejus seculi ne vestigium quidem apparere.

Dicet fortè quispiam, non esse mirandum, sententiam de Deo ac religione tam esse constantem, tamque latè dominari, licèt falsam: quia partim vi, partim fraude hominum astutorum, & ad suum compendium religione abutentium perpetuò foveatur. Sed ne ea nunc repetamus, quæ de origine hujus sententiæ diximus; si miracula excipias, quibus illi, qui Deum esse negant, fidem non adhibent; quid fidem de Deo, quid religionem magis unquam stabilivit, quàm tormenta ac mortes diræ, quas sustinuerunt primi Christianæ religionis assertores, quorum constantiam tot hominum myriades sunt secutæ? qua de re ne profani quidem scriptores, & a sacris nostris alieni, tacent. Quis autem, nisi insanus, dixerit, vel potentiam eorum, qui eam religionem promotam cupierint, vel fraudem, id effecisse? Adde, quòd, quicunque

Cap: V. Ex rebus homini propriis Deum esse demonstratur.

religionis negotium vel vi gerunt, vel fraude atque astutiâ eam ad rem utuntur, non id revera agunt, ut hominibus generatim persvadeant, Deum aut religionem esse: sed ut hoc aut illud numen agnoscant, hanc illámve religionem approbent, istis artibus conantur efficere. Deum enim ac religionem esse, jam apud omnes generatim in confesso est, & ut ab iis vel vi exprimatur, vel fraude illis persvadeatur, non eget. imò illorum artes, qui religionis negotium vi aut fraude urgent, ut id omnibus generatim hominibus jam sit persvasum, postulant, sine eo nihil profecturæ. Quòd si aliunde non constaret, Deum esse, non posset quantavis potentia vel astutia efficere, ut in eo omnes generatim populi, omnia secula conspirarent. Quemadmodum nulla nec vis, nec fraus efficere unquam potuit, ut in unam planè religionem omnes terrarum populi, vel ad breve tempus conspirarent. Quia faciliùs in eam conspirarent gentium animi, ad virtutem cæteroqui compositi, quæ omnium est optima, si vis ac fraus abesset, & ii, qui vel alterutram, vel utramque adhibent, potiùs ad virtutem cæteris, tum voce, tum exemplo præirent.

Non fecimus autem in hoc argumento explicando ullam eorum Philosophorum mentionem, qui Deum & religionem esse negârunt. Neque enim illorum dissensio argumenti nostri vim infringit, aut populorum integrorum consensui quicquam derogat. Nam & pauci fuerunt respectu plurimorum aliorum, qui Deum ac religionem asseruerunt; & mirandum non est, in absurdas etiam, atque a veritate alienissimas sententias incidisse Philosophos. Sæpe vulgus longè sinceriùs de rebus judicat, quàm Philosophi, præsertim hi, aut illi. Nec sine caussa quidam dixit, Nihil tam absurdum esse, quod non dixerit aliquis veterum Philosophorum. Consulantur modò libri, a profanis auctoribus vel de placitis Philosophorum, vel de vita simul & dogmatibus eorum conscripti. Quid manifestius est, quàm esse in natura motum aliquem? & hoc tamen acuti quidam negarunt Philosophi, & argumentorum subtilitate refellere conati sunt. Quid manifestius, quàm rem quamlibet esse, vel non esse: contradictoria simul consistere non posse? Et nihilominus tamen contrarium asserere ausi sunt Philosophi, adversùs quos disputat in Metaphysicis Aristoteles. Similes & illi fuerunt, qui ne oculis quidem suis fidem habuerunt, & nihil verum esse, sed omnia tantùm videri, dixerunt. Itaque ne illud quidem sat bona fide crediderunt, se esse ac vivere; id quod apud unumquemque est certissimum. Neque verò ista sine ratio-

Lib: 3. Metaph.

Cap: V. Ex reb hominis propriis Deum esse demonstratur.

ne rationibus aliquibus affirmarunt. Et mirabimur, aliquos extitisse Philosophos, qui Deum, quem oculis non cernerent, extare negarint? Certè tantò minùs id mirandum est, quòd illis vixerunt temporibus, atque inter illas gentes, ubi & falsa numina, & sæpe ridiculis, aut manifestè impiis sacris colebantur. Religio vera inter Iudæos, vel ignotum, vel invisum illis genus, sedem habebat; & ne illam quidem satis fidam. Rarissimè enim ab impiis ritibus Iudæorum gens fuit immunis. Et ritus ab ipso Deo Iudæorum genti traditos, cum eorum rationem Philosophi non cernerent, spernere poterant. Itaque cùm nullam uspiam religionem, superstitionem autem ubivis gentium cernerent, aut cernere sibi viderentur; quid mirum est, religionem eos penitus contemsisse, & nullum prorsus numen extare credidisse? Taceo, quòd alios ipsum novitatis studium, &, quæ ei subesse solet, ambitio ad hunc scopulum impellere poterat: alios, quòd rationes quasdam solvere fortè non possent. Accidit enim nonnullis, ut cùm solvere objectiones non possint, etiam a manifesta veritate desciscant. Quamquam fortasse nonnulli ex iis, qui athei sunt habiti, non tam numen nullum crediderunt, quàm illos, qui vulgò colerentur, pro Diis non agnoverunt. Omitto jam illos, qui cùm voluptatibus sint, aut aliis pravis affectibus mancipati, numen esse negant, ut tantò suis vitiis liberiùs indulgere queant. quia nimirùm cernunt, si numen aliquod sit, id ipsorum scelera non passurum inulta, & non nisi puritate mentis, vitæque integritate id ritè coli posse. Sed hi, quia belluinum quippiam sapiunt, & a naturæ suæ dignitate discedunt, nostri argumenti vim minimè labefactant, ut ex iis, quæ superiùs diximus, patet.

Verùm ad alia, quæ in humanis rebus cernuntur, divinitatis argumenta accedamus. Secundum ergo nobis præbet vis conscientiæ, de qua passim legas apud Philosophos, historicos, oratores, poëtas. Inter alios vide Aristotelem Ethicorum libro nono de amicitia, quæ hominibus secum ipsis sit, disputantem, & conscientiæ vim tum in bonis viris, tum in improbis explicantem. Tanta verò ea est in utramque partem, ut neque timeant ii, qui nihil admiserunt; & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccaverunt. Et mala quidem nec vigiliis nec quietibus sedari potest, etiam in solitudine anxia & sollicita est. Nec ullius potentia tanta fuit, ut illius vim effugere posset. Itaque videmus in historiis potentissimos etiam principes, qui omnem numinis reverentiam posuerant, tandem conscientiæ tormentis lancinatos, ac

Pacio cap: 4.

Cicero pro Milone.

Sallust. Catil.
Seneca.

Cap: V. Ex rebus homini propriis Deum esse demonstratur.

scelerum furiis agitatos fuisse. Neque verò illi, quos conscientia scelerum urget, ab hominibus tantùm sibi metuunt, & eorum pœnas pertimescunt: quin potiùs humana supplicia nonnunquam exposcunt, aut sibi ipsis manus violentas inferunt. Aliquid humanâ irâ atque supplicio majus exhorrescunt. Ideo, ut ille ait, ad omnia fulgura pallent, cùm tonat, exanimes primo quoque murmure cœli. Quid verò aliud hic humani animi sensus dictat, quàm esse numen, quod, quæ nos gerimus, audiat videatque, & cuique pro factis digna rependat præmia. Cur enim aliàs vanum natura hominibus injiceret metum, præsertim ubi occultè patrata sunt flagitia, aut potentia adversus humana supplicia nocentem munit? Dices, naturam hanc conscientiæ vim indidisse homini, ut hoc primùm monitore à sceleribus avocaretur; quem si non audiret, ab eodem velut infesto accusaretur, & tanquam certissimo teste convinceretur, eodem damnaretur judice, & denique velut a tortore ac carnifice lancinaretur. Sed primùm, si hæc ipsius naturæ consilio propriè tribuis, quæ tam prudenter ista instituerit; ipsam revera naturam Deum facis; &, si Deum interea esse negas, teipsum non intelligis, ut ex iis, quæ suprà alicubi diximus, apparet. Deinde cùm hic conscientiæ cruciatus in metu consistat, uti contrà voluptas rectæ conscientiæ in spe bona: apparet, præter hunc conscientiæ morsum, aliud aliquod restare supplicium, quod omnibus sceleratis generatim immineat: & contrà impunitatem illis esse propositam, qui cum virtute vixerint. Natura enim nec spem vanam omnes generatim homines, nec falsos metus concipere jubet. Necesse igitur est, aliquem esse rectorem ac judicem hominum occultum, qui præmia & pœnas omnibus dispenset. Neque enim impunitas illa, quam bona conscientia sibi pollicetur, aut pœna, ad quam sese mala conscientia damnat, humanis imputari consiliis debet. Homines enim sæpe virtutibus alienis infesti, vitiis favent; bonos premunt, malos extollunt; & innocentiæ debita præmia ad nocentes non raró deferunt. Quid verò aliud est dicere, rectorem esse aliquem ac judicem humani generis occultum, quàm Deum esse?

Juvenalis. (margin note at "ut ille ait")

cap: 2. (margin note at "suprà alicubi diximus")

Tertiò & illud est non leve veritatis sententiæ nostræ argumentum, quòd omnes rerum humanarum non ignari vident, sine religione rempub: constare non posse. Et Plutarchus quidem, *urbem*, inquit, *citiùs videri sine solo, quàm rempub: sine opinione de Diis aut constitui aut constitutam servari.* & *religionem vinculum esse omnis societatis* * *& legum ponendarum* aut *justitiæ firmamentum*; ut alio-

* vid: Lips: Polit: lib: 4. c. 2. & adversus Dialogistam.

Cap: V. Ex re- b⁹ homini propriis Deum esse demonstratur.

ut aliorum jam mittam testimonia, quorum non exiguus a* viris doctis citatur numerus. Agnoverunt autem hanc religionis in republ. necessitatem etiam illi, qui nullam religionem veram esse crediderunt, vel credere, si sibi constare voluerunt, potuerunt. Inter hos autem posteriores jure collocandus est Aristoteles, cujus de Deo sententiam superiori capite examinavimus. Is verò, cùm ea recenset, sine quibus civitas seu respub: esse nequeat, *Quintum ac primum* seu *præcipuum eße* dicit *rerum divinarum curationem*. Huic ex recentioribus addatur homo acutissimus, seu mavis astutissimus, Machiavellus. Etenim ex non paucis hinc inde ab eo dictis apparet, eum religionem nullam, quicquid nonnunquam dicere videatur, (nam atheismum aliquo modo tegere erat necesse) revera agnovisse. Christianum certè non fuisse, partim ex nonnullis ejus de religione præceptis constare cordatis potest, partim ex eo, quòd de Mose legislatore alicubi scribit, eum, uti & Lycurgum ac Solonem, boni publici caussâ sibi soli usurpasse potentiam ferendarum legum, & constituendæ reipub: Atqui ille idem, mirum quantum in religione momentum ponat ad reipub: salutem & incrementum. *Ubi*, inquit, *religio est, locum habent bonæ leges, ac bona disciplina, ex quibus fortunati felicesque rerum eventus, in expeditionibus præsertim bellicis, nascuntur. Sicuti e contra etiam sublata religione corruere remp: oportet. quoniam sublato Dei timore sequitur impietas, & ex ea, ruina imperiorum.* Et postmodum peculiari capite constituto docet, *quantum intersit ad conservandam rempub: ut ratio divini cultus atque religionis habeatur, & quòd in Italia propter Romanam ecclesiam, deficiente eadem religione, ruina imperii secuta sit.* Mitto alia apud eundem eadem de re dicta. Maluimus autem ad impietatem evertendam impii voce uti, ut suo ea testimonio convincatur, & proprio veluti gladio juguletur. Etenim si tantum in religione situm est, ut eâ salus universa nitatur reipub:, eâ stante stet, ruente ruat; quî fieri potest, ut non aliqua sit vera religio, ac porrò Deus verus, qui ea religione colatur? Etenim cùm naturâ homines ad societatem remque publicam constituendam facti sint; necesse etiam est eosdem a natura factos esse ad id, sine quo societas ac respub: constare non potest. Qui ad finem quippiam simpliciter destinat, destinat etiam ad media, sine quibus finis obtineri non potest. Natura ergo homines ad rem vanam falsamque perpetuò colendam, ac summo studio retinendam finxit? Hoc quis credat, nisi perversissimo sit ingenio præditus, & cui constitutum sit veritati agni-

lib:7. Pol:6.

Disput: de Repub: lib:1. c.9.

ib: cap: 11.

ibid: cap: 12.

 tati agni-

Cap: V. Ex rebus homini propriis Deum esse demonstratur.

tati agnitæ pertinacissimè reluctari? Illi certè, qui naturæ tanquam primæ caussæ tribuere solent omnia, quæ in ea cernũtur divinissima, & ex ea imprudentes sæpe Deum faciunt, tantam ei injuriam facere non debebant. Adde, quòd, sive nostram, sive illorum sententiam spectes, virtute in repub: vigente, necesse est rempub: quoque ipsam florere. Nam & per se virtus ad reipub: quietem & salutem maximum adfert momentum, nec prudentia atque industria potest ab ea sejungi: divinum præterea auxilium virtuti præstò est. His autem tribus positis, ex impiorum autem sententia, duabus prioribus rebus concurrentibus, salva omnino est, aut esse saltem solet respub:. Itaq; si religio tam necessaria est reipub:, ut illa ruente hanc ruere sit necesse; necesse est virtutem quoque religione niti, ita ut illa sine hac consistere nequeat. Si enim virtus vigere sine religione potest; poterit & respubl. Et fatentur sanè illi homines, virtutem sine religione vigere non posse: imò propter hoc ipsum religionem ad reipub: salutem tantopere necessariam esse asserunt, quia eadem ad virtutem colendam tantopere sit necessaria; id quod illis etiam tacentibus res ipsa loquitur. Quòd si virtus religione nititur, ac sine ea consistere non potest; quî religio omnis falsa esse potest? Quid enim? num virtus errore adeo nititur, ut eo ruente sit collapsura? & cujus oculus, cujus moderatrix est ipsa prudentia, ridendâ ac pudendâ hominum cæcitate indiget? O miseram virtutem, quæ, nisi eorum calliditas ac simulatio, vel potiùs fraus atque impietas extitisset, qui non religionem, sed superstitionem excogitarunt, extitura non fuerit, &, ut extitisset, conservari non potuerit! Sed citiùs te virtutis ingenium ignorare, quàm eam errori ac cæcitati, ne dicam fraudi, atque impietati imputandam esse, bonis ac cordatis viris probaveris.

Denique nequaquam est credibile, cum tot erroribus ac vitiis humanum genus sit obnoxium, & in scopulos propè infinitos impingat, id sine rectore, qui nulli errori sit obnoxius, relictum, & tanquam miseranda quædam turba, in mediis fluctibus, sine nauclero fortunæ ludibriis expositum esse. Quò accedit, quòd res quæ hominum usibus serviunt, naturæ leges accuratiùs servent, quàm homines ipsi solent; nec ullum brutum tam longè a suæ naturæ tramite recedat, quàm homines a suæ naturæ præscripto ob arbitrii libertatem deflectere consveverunt. Quare incredibile prorsus est, non extare aliquem naturæ violatæ vindicem, & malè administratæ rerum inferiorum procurationis ultorem. Itáne

enim

enim impunè homo rebus omnibus ad libidinem suam abutetur? & res vitio carentes, illis, qui tot flagitiis scatent, servire sine vindice cogentur? Num in id omnis naturæ, quam optimam esse cernimus, conatus, omnis ille rerum pulcherrimarnm ordo tandem desinet, ut quàm plurimum scelerum ubivis terrarum perpetretur, & homines sine ullo numinis metu viventes, ipsis etiam brutis, quæ illis ministrant, fœdiores ac detestabiliores evadant? ut denique omnia sursum deorsum volvantur, ac cælum propè terræ misceatur? Id sanè fieri sublato Deo, qui hominum genus regat, necesse est. Siquidem & res ipsa docet, & fatentur impii, sublata omni religione, omnia sceleribus repletum iri. Nullius enim non sceleris mater est atheismus. Quanquam & superstitio crudelis esse solet, & multis modis impia: quemadmodmodum ille animadvertet, qui veterum Ethnicorum sacra (si modò sacra sunt, quæ scelerata atque impia) consideraverit. Nam haud temerè ullam gentem, ne ex humanioribus quidem, deprehendes superstitione devinctam, quæ non humanis victimis litârit Diis suis, *vel*, ut nos censemus, dæmonibus: quemadmodum viri docti ex veterum monumentis demonstrant. Quanta immanitas eorum fuit, qui Saturno aut Molocho liberos suos per ignem consecrare non horruerunt, & in ætatem innocentissimam, in charissima pignora, in sua ipsorum viscera sævire superstitione coacti sunt? Taceo fœdissimas libidines, aliaque nefanda, quæ sacrorum prætextu exercere, vel auribus oculisque usurpare coëgit superstitio. Vt non mirum sit, poëtam, qui nullam religionem nôrat, quæ superstitio non esset, vel potiùs superstitionem religionem esse putabat, exclamasse: *Tantùm relligio potuit suadere malorum!* Iam verò omnis religio, si nullus est revera Deus, superstitio erit; & tandem in atheismum omninò abibit. Nihil enim fictum perpetuum: quin ne diuturnum quidem est, nisi aliquid tamen veri subsit, quo fulciatur. Ideo omnes, quæ olim universum orbem occupaverant, religiones, vel potiùs superstitiones, desierunt. Sola Iudaica, quia veris nixa est fundamentis, etsi multis modis contaminata, hodieque perstat. Christiana quoque, quæ illam pro vera agnoscit, & ex ea quodammodo enata, pietatem ad summum perduxit, per summas difficultates eluctata perstat; licèt per multa secula innumeris propè erroribus fuerit conspurcata, & tenebris involuta densissimis; perstitura tam diu, quàm diu mundus hic duraverit. Id ergo demùm perpetuum est, quod fictum falsumque non est. imò quod penitus fictum, ne diuturnum qui-

Cap. V. Ex reb. homini propriis Deum esse demonstratur.

vide Plutarchi lib. de superstit. sub ipsum ferè finem.

vide etiam Lipsii monita & exempla Pol. lib. 1 c. 2. de Superstit.

Cap: VI. Ex iis, quę præter naturam sunt, Deum esse docetur.

num quidem est. Nam quòd & superstitiones multæ diu durarunt, id eam ob caussam factum est, primò quia, utut malè constitutæ atque extructæ, hoc tamen fundamento fuerunt nixæ, esse Deum, esse religionem aliquam. Deinde quia nulla fuit superstitio, præsertim diuturna, quæ non dæmonum astu excitata stabilitaq; fuerit, vel prodigiis quibusdam aut oraculis, vel aliis occultioribus fraudibus. Dæmonibus autem positis, Deum etiam omnino ponendum esse, sequenti capite docebimus. Itaque ut scelerum, ita & superstitionis in orbe diuturnitas, seu mavis perpetuitas, non quidem justas ac legitimas, sed tamen veras quasdam habet caussas. Hujus autem perpetuitas caussas haberet nullas, si nullum esset numen, nullus occultus humani generis rector. Quare ut ad id redeamus, unde profecti sumus; si Deus non foret, omnia tandem in atheismum abirent: & hic tandem omnium, quæ in mundo fiunt, finis esset, ut ubivis gentium immanissima scelera impunè exerceantur, & omnis naturæ ordo, qui longè est pulcherrimus, in confusionem ac perturbationem rerum summam, omnis bonitas in id, quod pessimum ac detestabilissimum est, exeat. At non exibit, si Deus est, (sicuti revera est) tum scelerum ultor, tum pietatis custos, ac remunerator. Ita enim religio, ita pietas, stabile nacta fundamentum, perpetuò consistere poterit; & ipsa impietas laudi ac præmio pietatis, quam oppugnat, serviet; utraque autem, cùm justam referet a summo rerum omnium rectore ac judice mercedem, ipsius gloriæ atque honori ministrabit. Hoc rerum fine nihil melius, ordine nihil pulchrius, aut rationi convenientius.

Cap: VI.

Deum esse ex iis ostenditur rebus, quæ præter naturam sunt aut fiunt.

Reliquum nunc est, ut ea videamus divinitatis argumenta, quæ ex illis peti rebus possunt, quæ præter naturam existunt aut fiunt. Etsi verò principem inter hæc locum merebantur ea, quæ Christianæ religionis confirmandæ caussâ sunt miraculosè facta: tamen quia his ibi propriè locus est, ubi de veritate Christianæ religionis agitur; ideo ea hoc loco a nobis non attingentur. Similiter nec de illis hîc quicquam dicturi sumus, quæ ad Mosaicam religionem propriè spectant. Alia nunc proferemus in medium. Et illud quidem primùm, quòd spiritus sint aliqui intellectu præditi, quibus

Cap: VI. Ex iis, quæ præter naturam sunt, Deum esse docetur.

quibus cum hominibus aliquid sit commercii, quiq; iis aut gratificentur, aut adversentur, bene aut malè faciant. Eos autem intelligimus spiritus, quos profani scriptores Genios appellant, aut Dæmones; quod posterius nomen nos ad malos tantùm referre solemus. Generalius Angelorum nomen est: quamquam simpliciter usurpatum, malis vix tribui solet. Hujusmodi spiritus si extare docuerimus, facilè intelligetur, Deum esse, qui & illis, & hominibus summo cum imperio præsit. Et sanè vel nemo, vel vix quisquam est, qui planè persvasum habeat, spiritus hujusmodi extare, quin simul etiam credat, Deum seu numen aliquod esse. Etenim vel spiritus illi singuli prorsus sunt liberi, ac nullius imperio subjecti; vel alieno imperio subsunt. Si singuli sunt prorsus liberi, (quod tamen a ratione abhorret) cum iidem hominibus occulta quadam ratione benefacere aut malefacere queant; singuli etiam Dii quidam erunt. Quòd si alieno imperio subsunt, æquè, aut etiam multò magis Deum esse necesse est, vel unum, (ut nos credimus, & ratio dictat) vel plures. unum, si unius imperio summo subsint omnes: plures, si plurium. Etenim qui spiritibus illis summo cum imperio præest, is non potest non esse & hominum Deus. Quis enim ejus potestatem non agnoscat, qui spiritibus, præstantissimam quandam naturam, humanâ certè longè præstantiorem, adeptis, summo cum imperio præsit; & iis quidem spiritibus, qui occulta quadam ratione hominibus & bene & malè facere possint? Quandoquidem necesse est, ut idem ille hominibus, vel per se, vel per spiritus sibi parentes, benefacere, aut malefacere, præter naturæ cursum possit. Quis ergo præpotentem hunc dominum ac principem religiosè non putet colendum, &, quacunque ratione possit, demerendum? Sed præterea, si societas inter spiritus illos est aliqua, etiam imperium aliquod summum esse necesse est, idque naturâ suâ omnium præstantissimum. Etenim societas nulla, præsertim inter multos, sine imperio constare potest. Cum autem naturâ sint præstantissimi; non est dubitandum, eo illos imperii genere gubernari, quod naturâ suâ omnium est præstantissimum. Id verò sapientum judicio est monarchicum. Quòd si quis est illorum spirituum monarcha seu summus princeps; simul & hominum erit Deus, uti paulò antè vidimus. Esse autem inter illos societatem necesse est, nisi dicas, omnes prorsus, non modò malos, sed & pessimos esse, ac sibi ipsis infestos. Etenim bonus bono, si eum modò noverit, non potest non esse amicus, & cum eo societatem (nisi fortè loci distantiâ

Cap: VI. Ex iis, quæ præter naturam sunt, Deum esse docetur.

prohibeatur) colere: cum & inter malos aliqua sit societas. nempe quia ne mali quidem, si consulere sibi velint, omnibus bonitatis partibus carere possunt. Sed incredibile prorsus est, spiritus illos omnes esse malos, nedum ita, ut sibi ipsis quoque infesti censeri debeant. Quòd si enim homines, qui ad peccandum adeò sunt naturâ proni, utpote quos innatus corpori terreno sensus & appetitus, tot illecebris, veluti catenis injectis, ad vitia trahit, non omnes tamen sunt mali, nedum pessimi, ac sibi ipsis infesti: quis id de spiritibus credat, longè præstantiorem humanâ naturam adeptis, & a terreni corporis contagione sejunctis? Adde, quòd, si omnes essent mali, ac multò magis, si omnes pessimi, nullus in humano genere virtuti locus esset, nisi aliquem illis omnibus potentiorem ponas, qui eorum potentiam coërceat, & tum virtutis, tum eorum, qui virtutem colunt, sit custos; qui si extat, Deus est. Etenim mali eos, cum quibus aliquid est ipsis negotii, vel suis moribus obsequi ac favere volunt, vel extinctos, ac perditos cupiunt; idque tantò magis, quantò sunt ipsi pejores. Habere autem spiritus illos cum hominibus aliquid commercii, postea intelligetur. Itaque si mali forent omnes; omnes homines vitiis ac sceleribus favere cuperent; &, qui obsequi cupiditati ipsorum nollent, eos vellent perditos; ac porrò, nisi aliquis eos coërceret potentior, bonos omnes protinus perderent atque extingverent. Quomodo enim homines spiritibus, quos cernere non possunt, obsisterent? quomodo eorum insidias evitarent? præsertim cum necesse sit, eos, qui præstantiorem præ hominibus naturam adepti sint, vires etiam ac facultates habere humanis majores. Itaque si hujusmodi extant spiritus, sive boni sint, sive mali, (quemadmodum quidem nos eorum alios bonos, alios malos esse credimus) Deum esse necesse est.

Id ergo superest, ut doceamus, extare spiritus, quibus cum hominibus aliquid sit commercii. Hîc si solâ veterum sapientum auctoritate pugnare vellemus, quibus homines a religione alieni non parùm alioqui tribuere solent, *quovis dato judice*, ut gravissimus auctor Plutarchus ait, *evinceretur, testibus productis sapientibus atque antiquis, naturas esse quasdam, veluti in confinio Deorum* (sic enim ipse sentit) *atque hominum interpositas, motibus, quibus mortalia afficiuntur, mutationibusque obnoxias necessariis, quos Genios majorum instituto vocari rectum sit*. Sed nos experimenta potiùs illa in medium afferemus, quæ veteres etiam paganos induxerunt, ut Genios esse crederent. Et Plato quidem, cujus universa scho-

De oraculorum defectu.

sa schola Genios constanter asseruit, documentum eorum sat evidens habuit in præceptore suo Socrate. De illius enim dæmonio, tum ipse, tum Xenophon, qui eodem vixit ævo, tum Plutarchus scribit; & hujus quidem postremi libellus extat integer, qui de Socratis Genio aut Dæmone inscribitur. Narrat autem Xenophon, Socratem multis ex familiaribus atque amicis prædixisse, hæc quidem facienda esse, illa omittenda, tanquam a Genio antè significata; & illis, qui paruerint, id profuisse; qui non paruerint, obfuisse. Vt autem ista Socrates confingeret, id ab ejus moribus alienissimum fuisse, tum Xenophon, tum Plutarchus satis ostendit. præsertim quia fieri non potuisset, quin eventus vanitatem ejus sæpe proderet, si illa, quæ amicis prædixit, humani ingenii aciem fugientia, a dæmone ipsi revera suggesta non fuissent, sed ab ipsómet excogitata. Habuerunt præterea prisci illi homines complura, & omnium oculis exposita Geniorum documenta in oraculis, quæ non uno in loco per non pauca secula constanter fuerunt edita: de quibus, cur hinc inde desierint reddi, libellum integrum conscripsit Plutarchus. Fieri autem nulla ratione potest, ut humanis illa omnia artibus perficerentur: cùm tot, tam astuti ex omnibus locis ac regionibus ad oracula illa consulenda confluerent homines: qui non potuissent non facillimè fraudem humanam, in tanta rerum ac negotiorum a consultoribus propositorum varietate deprehendere. præsertim cùm non deessent, qui ea omnino de caussa accederent, ut fidem oraculorum explorarent. Itaque non potuissent oracula illa diu suam tueri famam atque auctoritatem; nedum per tot secula. Nunquam certè ita desipuit universus orbis, quin aliquid, in gravissimi licet erroris constantia, seu mavis pertinacia, sequeretur veri. Quare licèt fraus oraculis subesset, maximè si eorum scopum spectes, (is enim superstitio erat atque impietas) fraudem tamen ab eo ingenio, quod supra humanæ mentis aciem esset, proficisci ac foveri fuit necesse. Necesse, inquam, omnino fuit, ut multa oraculorum ope patefierent, ad quæ nullius hominis acumen posset pertingere. Dignus autem fuit orbis impius, & in Deum auctorem suum, & patrem benignissimum ingratus, ut dæmonum fraudibus ac insidiis permitteretur. Oraculis & prodigia illa sunt addenda, quæ ab historicis veteribus, cæteroqui minimè vanis aut credulis, ita constanter narrantur, ut ipsósmet illis credidisse satis appareat. Certum quidem est, conficta fuisse plurima: sed nisi aliqua fuissent vera, hoc est, talia, quæ nec ipsius naturæ viribus, nec humana arte possunt perfici, tanta

Cap: VI. Ex iis, quę præter naturam sunt, Deum esse docetur.

sub initium lib. 1. Memorab; Socratis.

Cap: VI. Ex iis, quę præter naturam sunt, Deum esse docetur.

fici, tanta illis fides, etiam a prudentissimis viris, non fuisset adhibita. At nunc, quia vera quædam extiterunt, inclinatis jam per illa ad superstitionem animis, etiam ficta fidem apud vulgus, quædam etiam apud cordatos invenerunt. Denique manifestè id ipsum, quod asserimus, docent artes magicæ, pythonicæ, necromanticæ, & aliæ similes, quæ non nisi ope malorum quorundam geniorum perfici possunt. Earum autem exempla omnis ætas, omnis regio tulit; adeo ut, si quis eas negare vellet, eum omnium seculorum historiis fidem abrogare, & multiplicem nostrorum temporum experientiam in dubium vocare foret necesse. Scripserunt hac de re varii, iique doctissimi viri, & multis exemplis ostenderunt, eas artes non sine manifesto effectu exerceri consvevisse. Quin & regiones sunt nonnullæ, nobis sat vicinæ, in quibus hujusmodi artes admodum sunt vulgares. Neque verò refert, quòd de quibusdam harum artium effectis, inter ipsos viros doctos, qui de illis scripserunt, disputatur. Nam primùm de multis aliis nulla est inter eos controversia: ut de rerum occultarum patefactione, de spectris, de sensuum aut phantasiæ delusione, omnem naturalium rerum vim excedente. Ea verò vel sola nobis ad id, quod volumus, probandum sufficerent. De quorum autem effectuum generibus inter illos certatur, de iis non tam quæritur, utrùm prorsus ficta sint, quàm an talia revera sint, qualia vel ab ipsis sagis ac veneficis perhibentur, vel vulgò esse creduntur. Alii enim ea reipsa fieri a Dæmone contendunt; alii phantasiam tantùm aut sensus ita censent ab eo deludi, ut id fieri putent homines, quod revera non fiat. Sed deinde ii, qui nonnulla eorum fieri posse negant, quæ a sagis atque aliis constanter asseruntur, ab experientia nonnunquam nimis recesserunt, rationes nimirum fallaces sequuti, ut ab aliis postea fuit ostensum. Quanquam ut de prodigiis, quæ a profanis scriptoribus narrantur, antea diximus, multa nimirum fuisse conficta, sed nihilominus pro veris habita, propter alia non ficta: ita & de magicarum artium effectis censemus. Itaque nec propterea, quòd multa vera sint, omnibus fides est adhibenda: nec quia multa falsa, omnibus fides est deneganda. Quòd si nihil esset aliud, quo ea probaremus; sufficere nobis deberent ea, quæ his ipsis annis in media Germania, locis sat notis, & Episcopatuum nomine claris, gesta fuerunt. Siquidem & publicis scriptis, & ipsâ famæ constantiâ confirmatur, repertum illic ingentem eorum, qui cum Dæmone conspiraverint, multitudinem: eamque pestem per omnium ordinum atque ætatum homines adeò gras-

vide inter alios Andream Cæsalpinum Investig: Dæmon: Peripat. Ioh: Bodinum Dæmonomaniâ. Martinum Delrium Disquisit: Magic. Ioh: VVierum de Præstig. Dæmonum.

Herbipoli seu VVurtzburgi & Bambergæ.

deò grassatam esse, ut ne pueritia quidem a tam nefando scelere fuerit immunis. Vana quidem ea esse mallemus: sed quia nimis certa est impietas, saltem hoc commodum vel invita præstet pietati, ut Deum esse demonstret, qui bonos contra tantos dæmonum astus ac crudelitatem defendat. Neque verò refert, quòd in iis, quæ de magis ac veneficis hinc inde referuntur, quædam addantur, quæ superstitionem redoleant, quasi nimirum dæmones hæc aut illa reformident, quæ nullam adversùm eos vim habere liquet. Nam neque nos nihil prorsus his narrationibus falsi admisceri dicimus. Ecquæ verò historia, præter sacram, adeo felix unquam fuit, ut nulla ei erroris labes aspergeretur? Certè si hujusmodi ab historicis fidem requisiveris, omnem omnibus profanis historiis fidem abrogabis. Quis unquam ita rem exactè novit, præsertim quam oculis non usurpârit, vel auribus præsens hauserit, ut non alicubi laberetur? Deinde non modò incredibile non est, sed plùs quàm credibile, Dæmonem ita astutè suum agere negotium, ut etiamsi tandem magicæ artis impietas extingvatur; animi tamen hominum superstitione aut impietate alia teneantur, in eaque confirmentur. Itaque consentaneum est, eum interdum fingere, illa sibi valde esse formidanda, quæ minimè sunt, quæque ipse cupit animis hominum penitus infixa, & suis consiliis cernit aptissima. Nulla ergo caussa est, cur ea, quæ omnium temporum exemplis, omnium populorum testimonio, & hujus ipsius ætatis experientiâ comprobantur, in dubium vocentur. Quòd si quis paulò curiosiùs in exempla voluerit inquirere; vereor, ne nimis multa sit reperturus. Siquidem nobis nihil tale quærentibus, ab hominibus minimè vanis ea sunt narrata, quę dubitationi nullum locum reliquêre. Ab aliis, quòd tam diu, tamq; manifestè inimicam magicæ artis vim experti fuerint, ut in eo falli nullo modo potuerint. Ab aliis, quòd ea oculis suis usurpaverint, quæ humana tantùm arte præstari a magis nullo modo potuerunt. Ab aliis, quòd errore aliquando implicati, ea sortilegii genera, quæ sanctioribus in speciem verborum formulis perficerentur, cum certissimo effectu non semel exercuerint. Neque verò est, quòd quis objiciat, impios quosdam homines magicas artes tentasse, earum tamen vim experiri non potuisse. Siquidem earum vis omnis, partim a malorum spirituum, partim a Dei pendet arbitrio, qui spiritus illos nunc cohibet atque impedit, nunc habenas illis laxat. Itaque non est necesse, ut spiritus illi semper cupiditati hominum velint obsequi; & nonnunquam sui compendii caussâ possunt illis

Cap. VI. Ex iis, quæ præter naturam sunt, Deum esse docetur.

Cap: VI. Ex iis, quę præter naturam sunt, Deum esse docetur.

sunt illis operam suam negare, qui eam maximè requirunt. Arbitrium enim ad necessitatis legem cogi non potest. Lex necessitatis est, ut res eodem semper modo fiat. Arbitrium etiam iisdem caussis positis, aliter atque aliter agere sæpe potest: multò magis cùm diversæ sunt caussæ. Sed deinde, utut dæmones gratificari hominum impiorum voluntati cupiant; non semper tamen id in ipsorum est potestate, Deo illos cohibēte: vel quia nolit homines impios desideriis suis potiri, & in summis sceleribus veluti exultare; vel quia aliis fortè hac ratione noceri nolit. Quanquam & aliæ possunt esse hujus rei caussæ, nobis sæpe occultæ. Quòd si enim homines hominum consilia eorumque rationes non semper cernimus; quid mirum, Dei sapientissimi consilia, eorúmve caussas nos sæpe ignorare? Regum consilia, quorum tamen actiones omnium ferè oculis observantur, divinare sæpe difficile est; & solent esse aliqua imperiorum secreta, non cuivis obvia. Quid ergo de summi regis consiliis statuemus, cujus sapientia tanta est, ut nostra illius vix gutta sit?

Hucusque primum vidimus divinitatis argumentum, ex illis ductum rebus, quæ præter naturam sunt aut fiunt. Addamus alia, & quidem, ut apud impios etiam fidem faciliùs inveniant, ab ejusdem notæ hominibus observata, & literis prodita. Eorum autem duo potissimùm apud Machiavellum reperias; cujus qui fuerit in religione sensus, jam suprà diximus, & ex his ipsis, quæ afferemus, prudentibus facilè constabit. Prius est, quòd integro capite probat, *Magnos motus prædici solere, cùm in urbibus, tum in provinciis: idque signis quibusdam, aut hominum præsagiis denunciari.* & rem hanc tractare incipiens, *ut causam*, inquit, *facilè confitebor me ignorare: ita rem ipsam cùm ex antiquis tum novis exemplis agnoscere oportet, & confiteri, omnes magnos motus, quicunque aut urbi alicui aut regioni evenerunt, vel a conjectoribus, vel a revelatione aliqua, prodigiis aut cœlestibus signis prædici ac prænunciari solere.* quod postea exemplis quibusdam ostendit, quorum plurima adducere se posse asserit. Simul autem satis apertè demonstrat, & nullum se revera Deum agnoscere; & tamen, quòd non agnoscat, excusationem se habere nullam. Nam si Deum aliquem agnovisset, cur caussam harum rerum ignorare se diceret? cur non protinus cogitaret, a Deo, qui humani generis curam gerat, futuros motus prodigiis ac signis cœlestibus significari? Cur postea, ignorantiam caussarum, unde ista proficiscantur, iterum confessus scriberet: *nisi fortè cum Philosophis quibusdam pronunciandum censeamus,*

Dispat: lib: 1. cap: 56.

vid: etiam Exempla & Monita Polit: I. Lipsii l. 1. c. 5. Mon: 5.

sciamus, aërem plenum spiritibus & intelligentiis esse, quæ futuras res prævidentes, & casibus humanis condolentes, eas hominibus per hujusmodi signa prænuncient, ut se adversus eas tempestivè præparare & communire queant. Cur adeo hæsitanter de spiritibus illis loquitur? aut cur signa illa non potiùs ad numen aliquod vel rectà, vel saltem tanquam ad primum fontem retulit, si aliquod agnovit? Agnoscere autem vel his ipsis indiciis admonitus debebat. Nam etiamsi tandem ad spiritus in aëre degentes hæc referas; (id quod illi homini, ut apparet, inter cætera visum est maximè probabile:) nihilominus tamen Deum esse confitendum erit, ut a nobis est paulò antè ostensum. Certè si spiritus illi prævidere casus futuros, licet adhuc occultos, possunt, & hominum vicem dolent, ac prodigia signaque cœlestia, ut illos moneant, queunt excitare; dubium non est, quin & multis aliis modis eosdem juvare possint, si velint. Siquidem ad homines juvandos sæpissimè nec plus scientiæ, nec plus facultatis ac virium requiritur, quàm ad prodigia illa patranda, quibus futuri motus significentur. Itaque vel ipsi Dii quidam erunt, si nulli alii parent domino ac principi; vel, si hoc absurdum est, ut sanè est, confitendum erit, aliquem esse illorum principem ac rectorem, qui simul & humani generis sit Deus.

Cap: VI. Ex iis, quæ preter naturam sunt, Deum esse docetur.

Sed erunt fortasse, qui ab astris tum motus illos populorum, tum eorum præsagia proficisci dicent: quemadmodum & tempestates, & earum signa soleant ab iis proficisci. At si ita se res habet, necesse erit astris scelerata hominum facta ac consilia, ex quibus motus plerique ortum ducunt, & sine quibus non constant, vel cognita esse, antequam fiant; vel ipsismet tanquam caussis efficientibus adscribi. quorum prius si dixeris; ex astris Deos facies, ut antè de spiritibus diximus, nisi aliud numen superius agnoscas. Quî enim dii non erunt, qui & facta hominum cernant, & futuros casus, ipsismet hominibus adhuc incognitos prævideant, & eosdem antè significent, & denique promoveant, si nullius imperio subsint? Itaque nihil restabit aliud, quàm ut cum antiquis barbaris, hominibus superstitiosissimis, astra adores. Quid autem stultius, quàm astra adorare, ac pro Diis colere, quæ necessitatis lege saluti animantium, atque hominum usibus ministrant? Si posterius; & innocentissima astra, atque in salutem humani generis data, atrocissimi criminis, summique in homines maleficii accusabis; & simul omnia hominum scelera, tanquam astrorum lege atque efficaciâ perpetrata, excusabis; omnem legum, omnem

præcepto-

Cap. VI. Ex iis, quæ præter naturam sunt, Deum esse docetur.

præceptorum atque admonitionum vim enervabis; omne pœnarum ac præmiorum meritum tolles. Quorsum enim ista, si astrorum arbitrio omnia humana gubernantur, & eorum vi, quæ immutabilis est, etiam flagitia designantur? Quamquam quî fieri potest, ut astra homines adigant ad ea facta, quæ, si illis credimus, qui astris omnia imputant, severissimè prohibere, damnare, vindicare jubent? Etenim si omnia humana astrorum vi gubernantur ac perficiuntur; etiam leges sapientissimorum virorum illis erunt adscribendæ, quibus flagitia pœnis gravissimis propositis vetantur; atque adeo ipsa lex Mosaica, & sanctissima Christi disciplina; quemadmodum sanè nonnulli satis audacter faciunt. Similiter & cruciatus conscientiæ, scelera sua damnantis, & supplicia magistratuum, quibus ea plectuntur, astris erunt tribuenda. Quî ergo sibi ipsis ita adversantur, ut ad illa homines adigant, quæ gravissimè interdicunt? quî ea perpetrare jubent, quæ severissimè damnant, ac dirissimis suppliciis ulciscuntur? Adde, quòd hæc ipsa, quam nunc defendimus, sententia, hominum propè omnium mentibus impressa, esse nimirum Deum, qui religiosè sit colendus, ad siderum vim erit referenda. Quòd si ergo quispiam ad astra res humanas omnes ita referat, ut interim Deum esse neget; is ab ipsismet astris refutabitur, quæ omnibus generatim terrarum populis illam de Deo ac religione sententiam impresserint. Quòd si nihilominus suam sententiam veram, nostram falsam esse contenderit; videat sanè, ne seipsum ad mendacium tum credendum, tum pertinaciter defendendum ab astris factum esse, hac oratione imprudens doceat. An enim credibile est, ab astris maximam potiùs generis humani partem, adde simul optimum quemque & virtutis studiosissimum, ad mendacium, quàm paucos aliquos factos esse? Certè si ea spectemus astrorum effecta, quæ sensibus omnium sunt manifesta; cernimus, ea hominibus generatim omnibus esse salutaria. Quî ergo fieri potest, ut ad mendacium in re maximi momenti, ad superstitionem, genus humanum propè universum finxerint atque adegerint, & adhuc adigant? Quòd si quis dixerit, astra non nisi per accidens excitare motus ac tumultus; quatenus nimirum vis illorum incidat in animos ad eam rem veluti præparatos, & materiem quandam turbarum in rebus humanis inveniat; jam ad illa signorum istorum caussa per se referri nullo modo poterit; sed omnino necesse erit, unam aut plures esse caussas intelligentiâ præditas, quæ vel ipsæmet ad motus incitent homines, vel caussas illorum motuum prævide-

prævideant,& quid secuturũ sit,significent. Nam aliàs quo pacto cupiditas v. g. bello regionem aliquam petendi,in hominum animis enata, efficere potest, ut in illa regione imagines exercituum armis inter se concurrentium, in aëre appareant; aut ut vox alicubi exaudiatur humanâ major, id ipsum, quod futurum est, prænuncians? aut quo pacto caussæ illæ, quæ mortem principi alicui adferunt, sive ipsius naturæ imbecillitas, sive casus aliquis, sive intemperantia, sive incuria, sive insidiæ, efficere possunt, ut cœlesti igni ædificii alicujus pars tangatur, quæ interitum ejus principis significet? Talia autem sunt signa illa, quorum exemplo Machiavellus suam assertionem confirmat; quibus plurima in historiis leguntur similia. Vnde idem ille homo ad nullam ex caussis naturalibus signorum illorum originem retulit: sed id rationi maximè consentaneum putavit, ut, si spiritus aliqui sint in aëre degentes, ad eos signorum istorum caussa referatur. Vidit nempe, caussam hic requiri mente præditam, hominibus ipsis & sapientiorem, cùm occultas rerum futurarum caussas sagacissimè prævideat; & potentiorem, cùm meteora etiam præter communem naturæ cursum moderari, & ad sensa sua hominibus significanda usurpare queat. At posita tali caussa, sive unâ, sive pluribus, Deum necessariò ponendum esse, ex superioribus satis constat. Quo minus verò eum homo ille, cæteroquin acutus, agnosceret, duo videntur obstitisse; probitatis defectus, & manifesti illarum, quas in terris vigere tunc vidit, religionum errores; quin & eorum, quibus minimè omnium conveniebat, impietas, quam ipsemet ex parte suis scriptis notavit.

Cap. VI. Ex iis, quæ præter naturam sunt, Deum esse docetur.

Sed jam tempus est, ut posterius afferamus ex ejusdem hominis scriptis divinitatis argumentum. Id autem est, quòd integro itidem capite probat, *Fortunam* (sic enim ille loquitur) *hominum animis tenebras offundere, ne vim suam ingruentem refringant.* & rem ipsam exorsus ait, *multa accidere ex fato ita urgente, ut iis obviam ire nemo possit, quamvis in promtu remedia fuerint.* id quod exemplo luculentissimo docet cladis illius, quam populus Romanus olim accepit, urbe a Gallis capta. Ostendit enim, omnia fato quodam ita contigisse, ut nec evitari tanta clades posset, nec tamen Romano populo exitium afferret,sed eum potiùs cautiorem ac prudentiorem in posterum redderet, & ad tantam imperii molem struendam veluti præpararet. Addit tandem: *facilè apparitu- rum historias omnis generis percurrenti, homines fati necessitatem e- vitare non posse: sed faciliorem eventum iis, quæ ab eo impendent, ef-*

Cap: VI. Ex iis, quæ præter naturam sunt, Deum esse docetur.
vid: I. Lipsium Polit: l: 1. c. 5. & notas ad illud. itemque Monita & exempla Polit: lib: 1. c. 5. inprimis Mon: 3.

ficere, eumque promovere. Et sanè videmus, de fatali necessitate, cui res actionesque humanæ sint subjectæ, apud varios auctores, historicos, philosophos, oratores, ac poëtas, multas extare sententias, quarum non paucas Politici quidam scriptores collegerunt, & exemplis illustrârunt. Ex iis autem satis apparet, vim quandam esse humanâ majorem, quâ hominum actiones atque eventus gubernentur; nec eam brutam, aut consilio destitutam; sed quæ aptissimis mediis ad finem certum tum collimet, tum res perducat. id quod non nisi illius est, quod consilio agit. Itaque frustra illi sunt, qui ad astra hæc referunt; nisi fortè astra putant consilio esse prædita, &, cum tantam in universa hominum vita gubernanda vim habeant, eorundem esse rectores, atque adeò Deos. id quod nemo non falsum esse cernit: & vel hoc solo refutatur, quòd astra hominum utilitati naturæ lege serviant: homines astris haudquaquam. Restat ergo, ut alius sit occultior generis humani rector, qui ea, quæ fato creduntur accidere, vel ipsemet efficiat, vel caussas earum rerum efficientes partim non impediat, partim etiam gubernet, & ad finem sese dignum dirigat. Et profectò si quis res humanas, & maximè suas actiones, ac, qui eas consequuntur, eventus diligenter observare velit; nec pauca, nec obscura deprehendet divinæ providentiæ, & gubernationis cæteroquin occultæ argumenta. Ea certè nec nobis hæc scribentibus defuerunt, pro quibus divino numini gratias meritò & agimus, & porrò acturi sumus. Sed nimirum multi, vel quid secum aut cum aliis fiat, non multò considerant magis, quàm bruta: multi rerum tantùm initia intuentur; finem, ad quem divina providentia, lentè quidem atque occultè, sed satis tamen efficaciter res ducit, non spectant: vel ad apertas tantùm rerum caussas, prima statim fronte sese ostendentes, respiciunt; occultiores, quæ cum tempore demum patefiunt, non attendunt.

Sed dicet hîc aliquis: si est aliquis supremus humani generis rector, & quidem, ut statuitur, omnipotens, omniscius, optimus; quî fit, quòd vel nunquam sese conspiciendum mortalibus præbet, vel saltem tam evidenter sese demonstrat existere, ut nullus planè sit de eo dubitandi locus? quî fit, quòd scelera, quæ in orbe passim designantur, fieri permittit, & quidem, ut videtur, impunè? cûr non statim fulmine suo petit impios, & ad tartara mittit? cur bonos sæpè opprimi a malis, optimos a pessimis sinit? cur hos florere opibus, circumfluere omni voluptatum genere patitur, illis cum angustia rerum, cum variis difficultatibus ac doloribus

propè

Cap: VI. Ex iis, quę præter naturam ſunt, Deum eſſe docetur.

propè perpetuò conflictantibus, & ſpiritum ægrè trahentibus? Cui quidem, ſi Deum non agnoſcat, longè rectiùs objeceris, cur is naturam, optimam alioqui parentem, tam faciat iniquam, ut præſtantiſſimam ſuam ſobolem, ac felicitate digniſſimam, homines intelligo virtuti penitus deditos, ad cruciatus ac miſeriam producat; cum eorum dolores ac calamitates, quas totâ ferè vitâ, & ipſius quidem virtutis causſâ, ſubeunt, & in quibus ipſam ſæpè vitam finiunt, nullo compenſare præmio poſſit. Si enim poſſet, Deus foret. At Deus, quem nos agnoſcimus, compenſare poteſt. Qui enim naturæ auctor eſt, cur non poſſit etiam præter aut ſupra naturam aliquid facere? cur putes, eum ita vim ſuam omnem in naturam effudiſſe, ut nihil ſibi reſervârit ampliùs? Sed quisquis tandem illa objecerit, is nondum ſatis religionis, hoc eſt, pietatis ac virtutis ingenium novit; non ſatis novit ingenium fidei, quâ religio nititur. Hujus enim vis ibi demum revera cernitur, ubi cauſſæ quidem ſunt credendi ſufficientes, non tamen ejusmodi, quin dubitare, ſi pertinaciam aut improbitatem veritati opponere velis, poſſis. Nam ea demum vera religio eſt, quæ liberè ſuſcipitur; non quæ cogitur, & ab invito quodammodo extorquetur. Ratione certa niti debet ideò, ut ſimul & prudens ſit, & ſtabilis; ſed tamen non eâ, quæ etiam improbum atque a virtute averſum cogat. Quare nec ſeſe mortalium oculis conſpiciendum debet præbere Deus, cujus etiam majeſtatem ferre non poſſent; nec adeò manifeſtè ſe toti hominum generi patefacere, ut de eo ne improbiſſimi quidem homines dubitare ampliùs poſſint: nec porrò impietatem apertis ſuppliciis perpetuò perſequi, pietatem autem manifeſtis ſemper remunerari præmiis. Nam & hoc tam apertum foret divinitatis argumentum, ut de ea dubitationem omnem penitus tolleret. Itaque dum vitiis nullum relinqueret locum; virtutis, quæ in difficultate potiſſimùm cernitur, materiam ſimul tolleret. Quæ cauſſa etiam eſt inter alias, cur & malos toleret Deus, non homines tantùm, ſed & dæmones; & bonos viros ab illis opprimi ſinat, ut horum virtus ampliorem, in quo ſe exerceat, campum habeat; & magno certamine parta victoria, triumpho tantò dignior evadat: & denique tum in præmio reddendo Dei illuſtretur bonitas; tum in ſuppliciis impietati infligendis ſeveritas; in utrisque juſtitia. Sed quia hujus rei explicatio ad tractationem de providentia divina propriè pertinet; ideò ea de re plura hîc non dicemus. Dicentur alibi in hoc opere, ubi de providentia divina ex profeſſo agetur, & illud quidem nominatim explica-

vid: inf: lib: 2. & cap: 7.

explicabitur, cur bonis in hac vita malè, malis bene esse videatur. Quòd si quis profanum scriptorem legere malit; is vel Plutarchi libellum adeat, quem de iis scripsit, qui serò a numine puniuntur. Inveniet enim ibi multas easque gravissimas caussas ab eo explicatas, cur malis aut parcat, aut parcere videatur Deus. Quòd si illis hanc unam addideris, constitutum esse a Deo diem, quo universum orbem justè sit judicaturus, & cuilibet secundùm opera ipsius redditurus mercedem; omnis illius objectionis vis penitus evanescet. Hujus autem rei veritas nobis est demonstrata, resuscitato e mortuis Iesu, quem Deus vivorum ac mortuorum judicem constituit. quod ipsum solidis argumentis, tum alibi est a nostris fusiùs demonstratum, tum infrà breviter ostendetur, ubi de sacrarum literarum auctoritate agetur. qua pro concessa nunc sumta, ad alia cum Deo bono pergamus.

Cap: VII.

De nominibus Dei.

Vt igitur ad cæterorum explicationem veniamus, quæ de Deo nobis sunt cognoscenda; utile est a Nominibus ipsius, quibus in sacris literis insignitur, incipere. Hæc enim ad cognitionem attributorum ejus aliquid nobis adferent adjumenti: quanquam & ab his vicissim ea lucem accipient. Nomina autem Dei illa intelligimus, quæ substantiva Grammaticis dicuntur, vel saltem hujusmodi nominum ingenium, cùm de Deo usurpantur, perpetuò imitantur. Itaque nomina adjectiva ab hac tractatione removemus. Hæc enim non tam ipsum Deum, quàm ejus adjuncta, imò si formam eorum spectes, non nisi hæc denotant: licèt interdum ad ipsum Deum significandum adhibeantur, ut [a] *altissimus*, ut [b] *potens*. De simplicibus autem nominibus nos loqui, omnes animadvertunt, non de iis, quæ periphrasi quadam Deum describunt. cujusmodi sunt illa: [c] *is, qui est, & qui erat, & qui venturus* seu *futurus est;* [d] *is, qui in cælis habitat;* [e] *is, cujus nomen sanctum est;* & alia complura, quæ divina volumina legenti passim occurrunt. Horum enim, uti & adjectivorum nominum explicatio, tum nimis prolixa foret; tum ad tractationem potiùs attributorum effectorumque divinorum spectat. Cùm verò sacræ literæ universæ Hebræâ Græcâque lingvâ contineantur; omnia illa, de quibus agimus, Dei nomina, vel Hebræa, vel Græca esse necesse est. Et Hebræa qui-

a Psal: 18. 14. 21. 8. Luc: 1. 32, 35, 76.
b ibid: ℣ 49.
c Apoc: 1. 4, 8.
d Psal: 2. 4.
e Luc: 1. 49.

bræa quidem ad quatuor potissimùm referri posse videntur. Eorum primum esto [a] *El;* secundum [b] *Eloah,* & ejus plurale, quod longè usitatius est, [c] *Elohim;* tertium [d] *Adon,* &, quod itidem longè frequentiùs de Deo usurpatur, ejus plurale compositum [e] *Adonai;* quartum [f] *Ieheveh* seu *Iihveh,* tetragrammatum a literarum apud Hebræos numero appellatum, quod vulgò pronunciant *Iehova;* & eadem, ut apparet, vox contracta [g] *Iah.* Addere his licebit quintum [h] *Schaddai*, quod etsi naturâ suâ adjectivum esse videtur, & attributum quoddam divinum per se denotat: tamen in sacris literis plerumque, præsertim extra Mosis libros, substantivi loco ponitur, & Deum ipsum, de quo solo effertur, designat. Græca nomina, quibus Deus usitatè appellatur, duo sunt, θεὸς & κύριος, Latinis *Deus & Dominus* :pro quo posteriori interdum ponitur δεσπότης seu *herus*. Istorum autem duorum nominum Græcorum, prius quidem, tum in sacris literis N. Fœderis, tum apud Græcos veteris T. interpretes, omnium frequentissimè poni solet pro primis duobus Dei apud Hebræos nominibus, *El* & *Eloah* vel *Elohim:* posterius pro duobus reliquis ex illis quatuor, puta *Adonai* & *Iehova* seu *Iah:* licèt veram & nativam hujus posterioris significationem non exprimat, ut in sequentibus patebit. Nunc enim de singulis vocibus agemus, eo in plærisque ordine usi, ut primò propriam cujusque significationem investigemus, alicubi etiam de aliis vocum affectionibus, si quid notatu dignum occurrat, moneamus: deinde verò, si præter Deum summum aliis quoque tribui constet, quo pacto ad eum insignitè denotandum adhibeantur, ostendamus. si quid erit præter hæc, quod in hac aut illa voce considerandũ sit, id in cujusq; tractatione monebitur. Omnibus autem explicatis, de usu hujus doctrinę nonnihil adjiciemus. quod etiam in cæteris, & multò quidem magis, sumus facturi.

a Gen: 14. 18. & seqq: & alibi passim.
b Iob: 3. 4: 4. 9, 17.
Psal: 114. 7.
Hab: 3. 3.
c Gen: 1. 1, & d. & alibi passim.
d Psal: 14. 7.
e Exod: 4. 10.
Psal: 2. 4: 22. 31, (al: 32:) 35. 17: 37. 13: 38. 10: 39. 8. & alibi sæpè.
f Gen: 2. 4, 5, 6, & d & alibi passim.
g Exod: 15. 2.
Psal: 68. 5.
h Ruth: 1. 20, 21.
Iob: 5. 17. & alibi sæpè.
Psal: 68. 15.

Cap: VIII.

De nomine El.

QVod ergo ad vocem *El*, quam primo loco collocavimus, attinet; in eo plærique viri docti & Hebrææ lingvæ periti consentiunt, eam robustum, fortem, potentem propriè denotare. Id enim nomen ipsam etiam vim aut facultatem aliquid præstandi significare, [a] aliquoties deprehenditur. Hinc & à Græcis Veteris Testamenti interpretibus sat multis in locis, [b] ubi de Deo usurpatur, vertitur ἰσχυρὸς, id est, *robustus, validus;* licèt, ut paulò antè

a Devt: 28. 32.
Neh: 5. 5.
Prov: 3. 27.
b vide inter alia Neh: 1. 5: 9. 31, 32.
Iob: 22. 13: 33. 29: 34. 31: 36. 22, 26.

Cap: IX. De nomine *Eloah*.

antè monuimus, omnium frequentissimè ab iisdem reddatur θεὸς, *Deus*; nonnunquam etiam κύριος, *Dominus*, præsertim apud [c] Iobum. Hinc & viri fortes, aut potentes hoc nomine [d] appellantur: licèt interdum alia adhuc vox addatur, quæ itidem fortitudinem, robur, aut potentiam significet, ad rem tantò magis augendam. Sic *fortes robustorum* apud Ezechielem: ubi vetus interpres Latinus habet *potentissimi robustorum*, hoc est, per Hebraismum, heroës aut duces potentissimi, validissimi, aut fortissimi. Sic Christus dicitur vocandus *Deus fortis* apud Esaiam; ubi eædem sunt voces, quæ apud Ezech. loco dicto extant: quas alii reddunt, *heros fortis*; alii a se invicem divellunt, & pro duabus diversis appellationibus reputant. & Vatablus quidem, vir Hebraicarum literarum peritissimus, Christum ob miracula ibi Deum appellandum esse notat, seu ob potentiam naturæ limites excedentem, cui & potestas divina adjuncta fuit.

[c] Iob: 8. 3, 5, 13, 20: 9. 2: 12. 6: 13. 7: 15. 4, 13, 25, & alibi.
[d] Psal: 29. 1. Ezech: 7. 13: 31. 11: 32. 21. adde & Exod: 15. 15.
[e] d. l. Ezech: 32. 21.
Esa: 9. 6.

Ex his autem apparet, hoc nomen, cum naturâ suâ commune sit, seu, ut Grammatici vocant, appellativum, κατ᾽ ἐξοχὴν, hoc est, per excellentiam sumtum, ad Deum summum denotandum fuisse adhibitum, & sic instar nominis proprii usurpatum. nempe quia Deus non modò eos omnes, qui aliquid virium aut potentiæ habent, virtute ac robore supereminet: sed etiam quicquid in illis est roboris, quicquid potentiæ, id totum iis est largitus; cum ipse à nemine quicquam acceperit. Itaque meritò apud Danielem appellatur *El Elim*, *Deus Deorum*, quasi dicas, Deorum robustissimum ac potentissimum, eosque omnes virtute ac potentiâ suâ complectentem. & Moses in cantico suo, summam Dei potentiam, cujus ingentia documenta & ipse & universus populus oculis usurpârat, deprædicans exclamat: *Quis sicut tu in Diis*, seu *fortibus, Domine?* quod ita extulit Psaltes: *Quis in cælo æquabitur Domino?* [*quis, inquam,*] *similis est Domino in filiis Deorum?* Vtrobique pro *Diis* Hebraicè est *Elim*.

Dan: 11. 36.
Exod: 15. 11.
Psal: 89. 7.

Cap: IX.

De nomine Eloah.

QVod ad secundum attinet nomen *Eloah*, & ejus plurale *Elohim*, quod illo multò frequentiùs reperiri diximus; censent rerum Hebraicarum peritiores, id propriè Iudicis ac Vindicis habere significationem, & potestatis atque imperii esse nomen: quanquam

Cap: IX De nomine *Eloah*

quanquam illius potissimùm est, quod naturæ limites supergredi- tur, & illis, qui ei se subjiciunt, est salutare. Observârunt ex iis non- nulli, doctissimum Hebræorum ad illa Davidis verba, *Deus justi- tiæ meæ*, ubi extat vox *Elohim*, annotasse: *Omne Elohim significa- tionem Iudicis habere* : ita ut *Deus justitiæ* alicujus, sit judex ac vin- dex justitiæ, vindex justæ, quam quis habeat, caussæ. Et hinc est, quòd judices aliique principes, qui sanè omnes judicandi pote- statem habent, *Elohim* seu Dii [l] in sac: literis appellentur: & cui in alterum potestas quædam sublimis est, *Elohim* seu Deus ipsius esse dicatur, ut [m] Moses Pharaonis; & Deus summus, [n] *Elohim cœ- li, & Elohim terræ*, ob summam, non in ipsum tantùm cœlum & terram, sed etiam in omnia, quæ illorum amplexu continentur, potestatem. quo sensu [o] alibi *Dominus cœli & terræ* appellatur. Quamquam enim ideo interdum quispiam alicujus Deus esse di- citur, vel quia singularis ipsius sit benefactor, vel quia ab eo cola- tur, ut in explicatione nominis θεȣ̃ dicetur: in illis tamen locis potestatis habetur ratio, quæ hoc nomine præcipuè significatur. Non desunt tamen, qui id nominis, perinde ut *El*, virium ac po- tentiæ significationem habere censeant. Nos prius illud verius existimamus: ita tamen, ut haud negemus, id robur etiam ac vi- res interdum designare, & sic vim obtinere vocis *El*: quemad- modum viceversa *El*, nonnunquam vim habere videtur nomi- nis *Elohim*, & principatum atque imperium denotare. Græci sa- nè interpretes *Elim* nonnunquam [p] ἄρχοντες [q] aut ἡγȣ́μενοι red- diderunt. Accidere id videtur ob rerum, quæ iis nominibus pro- priè designantur, conjunctionem quandam. Vires enim imperio adsunt; & tantò quidem majores, quantò ipsum est majus. Vnde & δυνάσαι dicuntur, qui potestate atque imperio pollent: quin & illi, qui præcipui sunt imperiorum alienorum administri. Con- trà etiam viribus, saltem iis, quæ naturalium rerum vim excedunt, aliqua adhæret potestas sublimior. Vtramque autem ob caussam angeli [r] *Elohim*, seu Dii in sacris literis vocari videntur. Nam & *fortes* sunt *robore*, ut est [s] in Psalmo: & occultioris illius, ac naturæ limites excedentis regiminis, quo res humanas gubernat Deus, dignitate proximi sunt ac præcipui administri. qua in re quædam etiam eorum potestas cernitur, de qua nunc non est fusiùs dicen- di locus.

Hæc autem omnia eò a nobis dicuntur, ut & vis nominis *Elo- him* tantò meliùs appareat, & id vocabulum suâ quidem naturâ commu-

R David Kimchi. Psal: 4. 1.

l Exod. 21. 6. 22. 8, 9, 28. Psal: 82. 1, 6. Ioh: 10. 34, 35. 1 Sam: 28. 13, 14.

m Exod: 7. 1.

n Gen: 24. 3, 7.

o Gen: 14 19, & 22. Matth: 11. 25. Act: 17. 24: inf: c. 18.

p Exod: 15. 15. Ezech: 31. 11.

q Ezech: 17. 18.

r Psal: 8 6. con- fer Heb: 2 7. Psal: 97. 7. confr Heb: 1. 6.

s Psal: 103. 20.

commune ſeu appellativum eſſe intelligatur: ſed, quemadmodũ de priori Dei appellatione diximus, κατ' ἐξοχὴν ſumtum, Dei illius, qui a nemine alio imperium accepit, & cujus poteſtas ſimpliciter & abſolutè ſumma eſt, fieri proprium. Etenim cæteri omnes, qui aliquid habent poteſtatis & imperii, id ab ipſo, eóve permittente, obtinuerunt, tenentque: ipſe ſuum nulli acceptum refert. Vnde etiam fit, ut cæteri omnes ei ſubſint, & ad ejus nutum ac voluntatem ſeſe jurè attemperent: ipſe ſuperioris imperium non agnoſcat. Quam ob cauſam vel inprimis [t] *Deus Deorum*, & ipſius etiam Chriſti, qui [u] Deus eſt ſuper omnia benedicendus in ſecula, [x] omniſque principatus ac poteſtatis caput, [y] Deus ac [z] caput appelletur.

t Devt: 10. 17. Pſal: 50. 1.
u Rom: 9. 5.
x Col: 2. 10.
y Pſal: 45. 8. Heb: 1. 9. Mich: 5. 4. Ioh: 20. 17. Epheſ: 1. 17. Apoc: 3. 12.
z 1 Cor: 11. 3.

Eſt autem animadvertendum, *Elohim*, licet terminatione ſit plurale, ſignificatione tamen eſſe ſingulare, quoties de una aliqua ſive perſona, ſive re effertur. Vnde etiam fit, ut licèt de eodem ſubjecto efferatur, cum verbis, vel adjectivis nominibus, nunc pluralis, nunc ſingularis numeri conſtruatur; quod poſterius eſt longè frequentius. Illud ob terminationem contingit; hoc ob ſignificationem. Commune id eſt huic nomini inprimis cum vocibus *Adonim* & *Baalim*, quæ itidem dominium ac poteſtatem deſignant. Nam & hæc, cùm pluralia ſint Grammaticis, vim obtinent haud rarò ſingularium, & de una quapiam perſona efferuntur. Datur id honori ejus, qui ita appellatur. Significatur enim, unum illum, ob poteſtatem dignitatemque inſtar eſſe multorum. Ex quo eodem honoris fonte manavit etiam vulgarium lingvarum conſvetudo, unum plurium inſtar compellandi. Docuerunt hæc poſt Hebræos, homines Chriſtiani Hebraicè docti, iique plurimi, & ut a nobis, ita etiam inter ſe ſententiis de religione diverſi. De nomine *Adonim* exempla proferentur cap. ſequenti: de *Baalim* alibi. De *Elohim* dubitare non poteſt, qui animadverterit, unicum Ieſu Chriſti Patrem eo nomine creberrimè in ſacris literis fuiſſe appellatum: alicubi ſimiliter Chriſtum. Exemplum utriusque rei illuſtre habes Pſal: 45.7,8. ubi Propheta Chriſtum in Salomone, ipſius typo & imagine alloquens, *Elohim* appellat; & ſimiliter Deum illum, qui Chriſtum oleo lætitiæ præ conſortibus ipſius unxerit; qui quidem nullus eſt alius, quàm ipſius Pater. Eodem modo vox illa pluralis de unico effertur [a] Angelo: de unico homine, ut de [b] Moſe, de [c] Samuele: de unico idolo, ut de [d] Baal aut Baal Berith, [e] de Dagone, [f] de Aſtoreth, de Chamos, de Milcham: quæ falſa hominum opinione id nomen obtinuerunt. Et

lib: 3. cap: 9.

a Iud: 13. 22. conf: cum ℣ præced.
b Exod: 4. 16. 7. 1.
c 1 Sam: 28. 13. conf: cum anteced: & conſeq.
d Iud: 6. 31: 8. 33: 11. 24. 3 Reg: 18. 25. cõfer cum ℣ 21, 26.
e Iud: 16. 23, 24. 1 Sam: 5. 7.
f 3 Reg: 11. 5, 33. 4 Reg: 1. 2, 3, 6, 16.

runt. Et hoc pacto videtur accipiendum id, quod in primo Decalogi præcepto dicitur: *Non erit tibi Elohim* (id eſt, *Dii*) *alii*, hoc eſt, Non erit tibi Deus alius. Quòd enim verbum ſingulare ſit appoſitum nomini *Elohim*, id ſententiæ datum eſt: quòd adjectivum plurale, id terminationi. Sed de conſtructione hac alius erit agendi locus.

Cap: X. De nomine *Adon* & *Adonai*. Exod: 20. 3. Devt: 5. 7.

Lib: 5. cap: 9.

Cap: X.

De nomine Adon & Adonai.

SEquitur nunc, ut tertium Dei nomen *Adon*, vel potiùs *Adonai* expendamus. Ipſum enim *Adon*, id eſt, Dominus, vix uſpiam abſolutè poſitum, vel ſolum, ad Deum ſignificandum adhibetur, ſed cum adiectione aliqua: ut cùm dicitur, [g] *Dominus universæ terræ:* vel ſaltem [h] aliud ipſius nomen, quo a cæteris dominis diſtingvatur, ſtatim adjicitur. Similiter nec plurale *Adonim*, cùm ſubjecti locum obtinet, absque adjectione aliqua uſurpari conſuevit: ſed appoſito correlativo, ut vocant, hoc eſt, eo expreſſo, cujus dominus ſit is, de quo verba fiunt. Sic Deus dicitur [i] *Dominus Dominorum*, [k] *Dominus noſter:* quod Hebræis, ſi vocis terminationem ſpectes, eſt *Domini Dominorum*, *Domini noſtri*. Huc etiam pertinet id, de quo nobis præcipuè hîc agendum eſt, nomen *Adonai*, quod ſuprà diximus eſſe plurale compoſitum vocis *Adon*. Redditur quidem propè ſemper ab interpretibus *Dominus* abſolutè; quia particula affixa raro peculiarem aliquam vim habet, & in Græco Latinoq; elegantiùs omittitur: ſed propriè tamen ſignificat *Domini mei*. Cum enim, uti aſſeruimus, nomen iſtud ſubjecti locum obtinens, abſolutè poni non conſueverit, ſed adjecta mentione ejus, ad quem refertur; quisque autem de Deo reverenter & ſentiens & loquens, eum ſuum ipſius profiteri ſoleat Dominum; inde factum, ut de Deo frequenter admodum uſurpatum fuerit nomen *Adonai*, hoc eſt, ſi ſignificationem magis, quàm terminationem formamque Grammaticam ſpectes, *Dominus meus*. Nomen autem illud non ſimplex, ſed compoſitum eſſe, & literam j in fine affixam, vim habere pronominis *meus*, agnoverunt interpretes tum Græci, tum Latini Pſal. 16. 2: & 35. 23. ubi exigente locorum ſententia, particulam iſtam affixam expreſſè reddiderunt pronomine *meus*. Viderunt enim eam ibi emphaticè poni. Et hæc cauſſa eſt, cur hoc nomen nec alias ſibi particulas affigi patiatur, nec alia nomina regat, Neque enim dicitur, *Adonai*

g Ioſ: 3. 11, 13. Pſal: 97. 5. Mich: 4. 13. Zach: 4. 14.
h Exod: 23. 17. 34. 23. Eſa: 1. 24: 3. 1. 10 33.
i Devt: 10. 17. Pſal: 136. 3.
k Neh: 8. 10. Pſal: 8. 2, 10. 135. 5: 147. 5.

Cap: X. De nomine *Adon* & *Adonai*.

hujus aut *illius*, ſed *Adonai* ſimpliciter. Redditur autem ab omnibus interpretibus numero ſingulari *Dominus*, vel *Dominus meus*; non verò *Domini*, aut *Domini mei*. qua in re & ſententiæ vim, & frequentiſſimum huius vocis uſum ſequuntur. Etenim plurale nominis *Adon* ſive ſimplex, ſive compoſitum, quoties de unica tantùm ſubſtantia intelligente, quam perſonam vocamus, effertur, neceſſariò ſenſum habet ſingularem. Exempla habes in ſacris literis plurima: ut de [l] Abrahamo, [m] Potiphare, [n] Pharaone, [o] Ioſepho, [p] aliis. Imò, quantum adhuc obſervare licuit, haud temerè invenias, ubi verba, *Dominus tuus*, *veſter*, *illius*, *illorum*, aliter, quàm plurali nomine efferantur. At cùm homo hominem appellat ſuum, non alterius dominum, haud facilè reperias pluralem numerum. Tunc enim uſurpari ſolet *Adoni*, id eſt, *Dominus meus*: non verò *Adonai*, *Domini mei*: eam, ut apparet, ob cauſam, ne quis hominem eodem, quo Deum compellare videatur nomine. Quanquam præterea, ut Dei nomen *Adonai*, diſcerneretur a vulgari *Adonai*, quo quis uti poſſit de dominis ſuis pluribus loquens, ultimæ ſyllabæ punctum vocale mutatum eſt. In illo enim *a* obſcurum eſt, ſed productum: in hoc clarum & breve: quorum illud kametz Hebræis dicitur, hoc pathach. Ceſſat tamen diſcrimen iſtud, cùm appoſitus ei voci accentus diſtinguendi vim habens, quem pauſam vocant, vocalem brevem in longam mutare cogit.

l Gen: 24. 9, 10, 51.
m ib: cap: 39. 2, 3, 7, 8, 16, 19.
n cap: 40. 1.
o cap: 42. 36, 33: 44. 8.
p Exod: 21. 4, 6, 8, 32.
Deut: 23. 15.
Iud: 3. 25. 19. 11, 12, 26, 27.
1 Sam: 20. 38.
2 Sam: 20. 6.
Iob: 3. 19.
Eſa: 19 4: 24. 2.
Mal: 1. 6.

Ex his autem intelligitur, hoc quoque nomen, ſi originem ſpectes, eſſe commune: ſed eandem ob cauſſam, ob quam cætera, quæ præcedentibus vidimus capitibus, ſupremi rerum omnium Domini, quem [q] *Dominum Dominorum* appellant ſacræ literæ, proprium evaſiſſe: ita quidem, ut eo, quo diximus, pacto ſcriptum, nulli tribuatur alii; niſi fortè [r] angelis, non in ſua tamen ipſorum perſona ſpectatis, ſed Dei ipſius perſonam ſuſtinentibus, & eam aliquo modo repræſentatibus. qua de re in ſequentis explicatione nominis plura dicentur. Commune enim id eſt huic Dei nomini cum cæteris, atque adeò etiam cum nomine Iehova, quod Dei maximè cenſetur proprium. Cæteroquin, ut diximus, nemini, niſi Deo ſummo, nomen *Adonai* ſingulariter uſurpatum tribuitur. Et licèt Chriſtus quoque ſit Dominus dominorum: tamen, quia eum Deus, ut Petrus ait, [s] Dominum ac Chriſtum fecit; ideo David in ſpiritu eum [t] Dominum ſuum vocans, non *Adonai*, ſed *Adoni* appellat. Ita nempe ſummum alioqui Chriſti dominium exprimere voluit, ut eum nihilominus a Deo altiſſimo voce ipſa

q Deut: 10. 17. Pſal: 136. 3.
r Iudic: 6. 15, confer c. ℣ 12, 20, 21, 22.
s Act: 2. 36.
t Pſal: 110. 1.

voce ipsa discerneret. Sic & [u] alibi Christum ab *Adonai*, tanquam Regem ab ipso constitutum, tanquam Filium a Patre distinguit.

u Psal: 2. conf: ℣ 4. cum ℣ 6, 7.

CAP: XI.

De nomine tetragrammato, vulgò JEHOVA: *quadam etiam de nomine* Iah.

PRogrediendum nunc est ad quartum Dei nomen, quod tetragrammatum a literarum numero appellari suprà diximus. De eo aliquantò plura, quàm de præcedentibus, nobis sunt dicenda. Nam primùm nobis agendum est de ea voce, quatenus ipsa per se, hoc est, sine aliis vocibus, cum quibus quodammodo componatur, rem certam significat; deinde quatenus cum aliis vocibus veluti coalescit, & cum illis juncta, ad rem quampiam designandam adhibetur. Dicere enim possis, eam nunc extra compositionem spectari, nunc in compositione. Et de vocis quidem illius, etiam citra compositionem spectatæ, non significatione tantùm est agendum, sed, ut illa tantò faciliùs inveniatur, etiam de pronunciatione.

Vt ergo de hac primò dicamus, nomen hoc vulgò pronunciant *Iehova;* nonnunquam *Iehovi;* pro punctorum vocalium, literis ejus vocis in sacro codice subjectorum ratione. Sed rationibus non paucis evincunt viri, hac ætate ob Hebraicarum literarum peritiam celeberrimi, vitiosè vocem hanc ad eum modum pronunciari. Hebræos vulgò à vocis istius pronunciatione, reverentiâ quadam numinis, quæ tamen in superstitionem abiit, jam olim abstinuisse: ideoque in lectione sacrarum literarum alia pro eo Dei nomina substituisse: ac porrò, ut ea de re lector admoneretur, eorum nominum puncta vocalia literis tetragrammati subjecisse. Sunt autem vicaria illa, ut ita dicam, nomina *Adonai* & *Elohim:* quorum illud cæteroqui non ita frequenter, ut hoc posterius, in sacris literis occurrit. Quæ causa est, cur illud semper pro tetragrammato in lectione substituatur, nisi eodem in loco continuò antecedat, vel sequatur ipsa vox *Adonai*. Hoc enim cùm accidit, ejus loco in lectione tetragrammati substituitur [s] *Elohim*, & puncta hujus vocalia literis illius substernuntur, ne bis, idque continuò pronunciandum sit *Adonai*. Vestigia lectionis Hebræis usitatioris habes apud Græcos interpretes, qui vocem *Iehova* passim reddunt κύριος, quod respondet nomini *Adonai*, habes etiam apud La-

s Gen: 15. 2. Deut: 3. 24. Ios: 7. 7. Iud: 6. 22. & alibi sæpè.

apud Latinum veterem, qui Exod. cap. 6. Deum ita loquentem inducit: *Et nomen Adonai non indicavi eis:* cum in Hebræo sit, *Et* [in] *nomine meo Iehova, non fui cognitus illis.* Quòd verò in *Adonai* prima vocalis sit *a*, in *Iehova e*, id facilè apud Hebræos, mutatione puncti, quod *scheva* illi appellant, compositi in simplex, fieri potuisse, quos paulò antè laudavimus, viri eruditi docent. Rationes illorum non adducimus, quæ ab iis, qui Hebraica planè non attigerunt, cum fastidio aliquo, fortè etiam sine fructu legerentur. Cæteri, qui Hebraica nôrunt, nisi ista jam sciant, facilè apud eos possunt legere, qui ex professo ea tractant. Nobis quidem religio non est, vulgari pronunciandi scribendique consvetudini aliquid dare. Monere tamen ista, eam præcipuè ob causam debuimus, ne quid nobis ad veram ejus vocis originem ac significationem investigandam obstaret. Hanc enim, ut ex dicendis intelligi poterit, non ita facilè indagaveris, si ea, quæ voci huic substernuntur, puncta ejus propria existimaveris.

Origo verò & significatio hujus vocis genuina rectè a viris quibusdam doctissimis eruitur ex tertio Exodi capite: caussa verò, ob quam id nomen sibi Deus imposuerit, ex ejusdem libri capite sexto. In priori enim loco Deus quærenti Mosi, quid respondere debeat Israëlitis interrogantibus, quódnam sit nomen Dei illius, a quo se missum assereret, ita, si ex Hebræo locum vertas, respondet: *Ero qui Ero:* quibus subjicit: *Sic dices filiis Israël, Ero misit me ad vos.* & iterum: *Sic dices filiis Israël, Iehova Deus Patrum vestrorum, Deus Abrahami, Deus Isaaci, & Deus Iacobi, misit me ad vos: hoc est nomen meum in seculum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem.* Vbi vides, cùm primùm sese appellasset Deus, *Ero qui ero*, deinde concisiùs *Ero;* eundem postea verba, quibus Moses ad populares suos uti debeat, formantem, & sic in tertia persona de se loquentem, pro *Ero* ponere vocem *Iehova*. Satis autem liquet, Deum in sequentibus verbis non aliud prorsus nomen pro eo, quod priùs sibi indiderat, reponere, sed idem, pro personæ loquentis ratione, diversimodè formatum repetere. Cùm ergo in prima persona de se loquens, sese vocarit *Ero qui ero*, vel una voce *Ero:* certè nunc in tertia persona de seipso per Mimesin loquens, & simplici voce utens, *Erit* seipsum appellasse censendus est. Id autem Hebræis est *Iehevch*, vel *Iihveh.* in qua voce sunt quatuor illæ literæ, ex quibus id, de quo agimus, nomen apud Hebræos constat. Puncta vocalia, quæ mutata esse suprà dixi-

Margin notes: ✠ 3. (beside line 2); ✠ 13, & d. (beside "det: Ero qui Ero")

prà diximus, alia ſunt. ſed ea, ut notum eſt, in literarum cenſum apud illos non veniunt.

Hoc ut fiat planius, nonnihil adhuc addendum eſt, ſed ita, ut, quantum ejus fieri poteſt, etiam iis conſulamus, qui Hebrææ linguæ prorſus ſunt ignari. Cùm Deus ſeipſum appellavit *Ero*, Hebraicè dixit *Ehieh*. Hujus tertia perſona ſingularis, maſculini generis, ſi & literas & puncta vocalia noſtro more efferas, eſt *Iihieh*, id eſt, *Erit*. Verùm quia hæc vox Hebraica in familiari uſu magis verſatur; ideo, ne Dei ipſius nomen promiſcuo uſu quodammodo profanaretur, ſed a verbo illo vulgari faciliùs diſcerneretur; cognatum *Iehevch* vel *Iihveh* ejus loco fuit ſubſtitutum, quod & minùs eſſet frequens, & ejusdem tamen cum illo ſignificationis, ac unâ tantùm ab illo literâ diſtaret. Nam loco j penultimæ literæ eſt v. quæ quidem literæ apud Hebræos nec figurâ multùm diſtant, & inter ſe facilè commutantur. Tantum autem videtur effeciſſe nominis divini reverentia, ut *Iehevch* in vulgari etiam ac genuina ſignificatione frequentari deſierit. Neque enim hucusque ullum videre locum in ſacris literis memini, ubi ea vox, literæve illius omnes extent, niſi ubi Deum, aut qui ejus perſonam ſuſtinet, deſignat. Obſervatur a viris doctis locus apud Eccleſiaſten, ubi reperiatur tertia futuri perſona ſingularis maſculina verbi *Havah*, quæ debebat eſſe *Iehevch* vel *Iihveh*. ſed iidem notant, formam ejus prorſus ibi eſſe anomalam, non modò punctis vocalibus, ſed & literâ ultimâ mutatâ. quod non alia de cauſſa factum videtur, quàm ne cum divino nomine conveniret. legitur enim ibi *Iehu*. Quare nihil dubitamus, veram iſtius vocabuli pronunciationem eſſe *Iehevch* vel *Iihveh*, idque ſuâ naturâ Grammaticis verbum eſſe, quod ſignificet *Erit:* uſu autem nominis induiſſe naturam. qua ratione etiam prima hujus verbi perſona *Ehieh* id eſt *Ero*, aut integra oratio *Ero qui Ero*, quâ ſe appellavit Deus, in nomen quoddam migrat. Verumtamen non ita vox illa, qua de agimus, nominis æmulatur ingenium, ut non ſuum etiam magna ex parte retineat. Nam nec variationem aliis nominibus uſitatam admittit, nec particulas ſibi affigi patitur, quas idem iſtud verbum aliàs reſpueret. Eo tamen etiam appellativorum, quæ vocant, nominum indolem imitatur, quòd ſæpè vocem *Zebaoth*, id eſt, *exercituum*, regere deprehenditur. Hoc enim illud eſt, quod in ſacris literis, præſertim apud Prophetas, frequenter occurrit, *Dominus*, vel, cum vox *Adonai* præcedit, *Deus exercituum*.

Eccleſ. 11 3.

Inventa origine, & propria hujus vocis ſignificatione; videndum nunc

dum nunc porrò est, cur id nominis sibi Deus imposuerit. Id verò nobis aperiet alter Exodi locus, quem capite 6. extare diximus. In eo Deus sic in Hebræo alloquitur Mosen: *Ego sum Iehova:* (sequamur enim nunc vulgarem pronunciationem) *apparuique Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, in* [*nomine*] *Dei omnipotentis: at* [*in*] *nomine meo Iehova non sum cognitus illis. Et etiam* (vel *etenim*) *statui pactum meum cum eis, quòd daturus essem eis terram Canaan, terram peregrinationum ipsorum, in qua peregrinati sunt: & etiam* (vel *porrò autem*) *audivi clamorem filiorum Israël, quos Ægyptii servitute premunt: & recordatus sum pacti mei. Idcirco dic filiis Israël: Ego sum Iehova, & educam vos ab oneribus Ægypti, & eruam vos è servitute ipsorum, & redimam vos brachio extenso, & judiciis magnis: accipiamque vos mihi in populum, & ero vobis in Deum: ac scietis, quòd ego sim Iehova Deus vester, qui educo vos ab oneribus Ægypti. Introducam quoque vos in terram, pro qua levavi manum meam, me daturum illam Abrahamo, Isaaco, & Iacobo; daboque eam vobis in hæreditatem. Ego Iehova.* Ex quibus verbis satis apparet, ideo Deum sese appellare *Iehova*, vel potiùs *Iihveh* aut *Iehevheh*, id est, *Erit*, quia id præstiturus sit Israëlitis, quod ipsorum patribus olim promiserit. unde futurum sit, ut experimento ipso cognoscant, eum esse *Iehevheh* seu *Erit;* id quod patres ipsorum nondum, præsertim plenè, fuerint experti. Hoc enim esse videtur, quod ait, se iis in nomine suo *Iehova* non fuisse cognitum. Illud ergo *Erit*, vel *Ero*, quod pleniùs antea dixerat, *Ero qui Ero*, nihil significat aliud, quàm reipsa is ero, quem me futurum dixi; seu, reipsa eum me præstabo, quem præstiturum promisi. Paulò enim aliter atque aliter vox *Ero* bis posita, in eadem oratione sumitur per antanaclasin, figuram & frequentem satis, & elegantem: priùs de facto ipso; posteriùs de jure, seu mavis de obligatione. Fidem nempe suam ac constantiam in servandis promissis, eo nomine potissimùm declarat Deus: simul tamen etiam potentiam, quâ res promissas, licèt alioqui difficillimas, præstat, quámque impedire nulla vis, quantumcunque renitatur, possit. Quia verò tanta potentia non nisi in eum cadit, qui summus sit rerum omnium dominus ac monarcha; ideo eadem vox vim nonnunquam habere videtur nominis *Elohim*, id est, Dei, aut *Adonim*, Domini, cùm id κατ' ἐξοχὴν Deo summo tribuitur. Hoc pacto sumitur, cùm nomen *exercituum* regit. Vnde idem explicatiùs interdum dicitur, *Iehova Deus* (Hebr. *Elohe*) *exercituum*. Significatur enim, cum es-

Margin notes: ℣ 2, & d. — 2 Sam: 5. 10. 1 Reg: 19. 10, 14.

Cap: XI. De nomine *Iehova*.

eum esse Dominum rerum omnium, (sic *exercituum* nomen in hac phrasi plerique accipiunt, quos hac de re legere mihi contigit) quæ copiarum instar ad nutum ipsius adsint, & pro ipso veluti militent: vel, eum legionum angelicarum summum esse ducem atque imperatorem. Cui autem angelici parent exercitus, quid non pareat? Quare nomen hoc unum Deum ita significat, ut diversa ejus attributa, naturæ vinculo inter se colligata, animis nostris insinuet. quodnam verò eorum potissimùm, ex ipsorum locorum ratione cognoscendum est.

Ex iis, quæ diximus, intelligi satis potest, verbum hoc originis quidem ac nativæ significationis ratione commune esse: veruntamen tum ob ἐξοχὴν significationis Dei evasisse proprium; tum ob id, quòd de aliis sive personis, sive rebus in se spectatis, nominis instar usurpatum nunquam fuerit; quin etiam in nativa sua significatione usurpari desierit. Observatum nihilominus fuit a viris doctissimis, id nomen, ut & cætera Dei propria, angelis tribui, ipsius personam aliqua ratione sustinentibus, idque absolutè, ac sine ulla positum adjectione. Nam cum adjectione positum, seu integræ sententiæ insertum, quæ in unum veluti nomen coalescat, de aliis quoque rebus enunciatur. id quod cum nomine *El* ei est commune, quemadmodum inferiùs explicabimus. Nunc id, quod de hoc nomine angelis tributo diximus, exsequamur. Angeli cùm in seipsis spectantur, a Iehova ut ministri a domino, ut nuncii a mittente distinguuntur. Sed nonnunquam, Deo ita volente, ipsius personam assumunt, & tunc quodvis ipsius nomen & ipsi sibi tribuunt, & ab aliis sibi tribui patiuntur. Non secùs enim se gerunt ac loquuntur, ac si ipsemet adesset Deus. non alia proculdubio de causa, quàm ut tantò plus auctoritatis habeat res & oratio, & in auditorum animos altiùs descendat. In dramatibus similia quodammodo cernimus. In iis enim alter alterius personam ita sustinet, ut res non referri, sed geri videatur. quanquam istic ad delectationem spectantium, & in rebus sæpè minimè seriis: illic ad utilitatem audientium, ac in rebus maximè seriis: &, quod discrimen hîc maximè attendendum est, Angeli Dei personam ita sustinent, ut ejus auctoritatem simul habeant, longè secùs quàm in dramatibus contingit. Angeli enim a Deo ipso mittuntur, ab eo personam hanc sibi impositam sustinent. Quam ob causam ita olim Deus præcepit de angelo, quem esset missurus, ut Israëlitas in itinere defenderet, & in terram ipsis de-

Exod:23 20,21.

ſtinatam intoduceret. *Cave, inquit, a facie ejus, & obtempera voci ejus, ne exacerbes eum. neque enim parcet prævaricationi veſtræ. Nomen meum in ipſo eſt.* q. d. perſonam meam ſuſtinet, mea auctoritate ac poteſtate inſtructus. Non ſolent eandem rationem principum perſonas aſſumendi, ac loquendi formam ſervare legati. Cum enim nemo nō aliam ipſorum principum, quàm legatorum perſonam animo concipiat, minus vel gratiæ, vel gravitatis habitura eſſet alienæ perſonæ aſſumtio. At Angeli Deum hominibus repræſentârunt inconſpicuum, nunquam viſum, nunquam mortalibus videndum. Ejus autem, qua de nunc agimus, rei exemplum habes in apparitione Dei Abrahamo facta. In ea angelus unus duobus aliis comitatus, non ſecùs ac Deus ipſe loquitur, ac *Dominus* ſeu *Iehova* non ſemel appellatur, eoque a cæteris duobus ſatis apertè diſtingvitur. Hinc vulgò hodie arbitrantur, Deum ſummum revera adfuiſſe: multi etiam, tres divinitatis perſonas virorum ſpecie apparuiſſe. Sed ne veterum quorundam Eccleſiæ doctorum ſententias nunc commemorem; aliud D. Auctor Epiſtolæ ad Hebr. docet. Is hoſpitalitatem commendaturus, quosdam, ait, inſcios, ejus virtutis beneficio excepiſſe hoſpitio Angelos. Ad hanc autem de Abrahamo, & quæ de Lotho ſubjicitur, hiſtoriam eum reſpicere, præter rem ipſam, arguunt ſcripturæ loca, quæ in orâ ſacri codicis vulgò ſolent adjici. Quòd ſi Deus ipſemet tunc adfuiſſet; ad laudem hoſpitalitatis tantò majorem, dicturus potiùs fuiſſet ſcriptor divinus, quosdam per eam Deum ipſum hoſpitio excepiſſe. Sed deinde is ipſe, qui nomen Iehova, cum Moſe colloquens ſibi impoſuit, eoque tam frequenter in ea ſermocinatione inſignitur, angelus fuit. Teſtatur id ipſe Moſes, apparitionem iſtam ſibi factam deſcribens. Sic enim iſtic in Hebræo legimus: *& apparuit ei Angelus Iehovæ,* ſeu *Domini,* non verò *Dominus*, ut eſt in vulgata interpretatione latina. Vnde Stephanus in Actis: *Hunc* (Moſen intellige) *Deus principem & redemtorem miſit in manu* (hoc eſt, interveniente opera ac miniſterio) *angeli, qui apparuit ipſi in rubo.* Is, qui e monte Sinai tanta cum majeſtate Legem ferens pronunciavit, *Ego ſum Iehova Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti,* & quæ ſequuntur, qui in tota illa hiſtoria paſſim *Iehova* appellatur à Moſe, angelus fuit. Teſtis eſt idem, quem modò citavimus, [a] Stephanus; teſtis [b] Paulus; teſtis [c] divinus ad Hebræos ſcriptor. Hi namque omnes uno affirmant ore, per angelos diſpoſitam, ſeu latam pronunciatamque Legem. Et Auctor quidem divinus Epiſtolæ ad Hebræos eo argumento Evangeli-

Gen:18. ℣ 13, & d. Heb: 13, 2. Exod:3, 2.

a Act: 7. 53. b Gal: 3. 19. c Heb: 2. 2.

vangelium præfert Legi, quòd hæc per Angelos, illud per Dominum, nempe Christum, quem angelis longè præstantiorem esse factum [d] prolixè docuerat, primò fuerit promulgatum. quò respicit etiam Paulus, Colossenses monens, ne a Christo ad mundi rudimenta relabantur, quæ in Lege Mosaica continentur: *& estis*, inquit, *in ipso* (Christo) *impleti*, *qui est caput omnis principatus & potestatis*. quasi dicat, si quis fortè cogitet, Legem per angelos, & quidem principes, esse latam; gloriosum esse, ab illis divinæ voluntatis notitiâ imbutum censeri; longè gloriosius est, vos per eum, qui omnium illorum principum ac potestatum caput est ac dominus, divinæ voluntatis notitiam fuisse consecutos, eamque plenam ac perfectam, non, ut sub Lege, imperfectam. Quò minùs excusari potest eorum error, qui angelum, vel potiùs angelos illos, per quos Legem promulgatam fuisse legimus, imò & cæteros, quibus nomen *Iehova* tributum aliquando fuit, Christum fuisse contendunt, qui & Iehova simul appellari potuerit ob naturam, & angelus ob officium. quo pacto etiam dictus sit angelus fœderis. Quæ sententia tum Pauli, tum divini ad Hebræos scriptoris argumentum, quo Legi Evangelium uterque præfert, penitus evertit. Qua re potissimùm admoniti viri eruditi, alios quoque de errore illo vulgari monuerunt. Adde, quòd divini illi, quos laudavimus, testes, non unius tantùm angeli, sed *Angelorum*, tanquam plurium, per quos Lex lata fuerit, mentionem faciant. Vnde colligimus, alios aliis in eodem ministerio successisse. Atqui nomen loquentis propterea mutatum esse, nuspiam deprehendas. Semper enim is, qui vel Mosen vel populum ipsum alloquitur, Dei & personam, & nomen præfert. Præterea, vel suo is nomine, vel alieno ita loquutus est. Si suo, legati munus non obiit, nec angelus dici meruit. si alieno, is ipse non fuit, cujus nomen præ se tulit, sed alienam personam ac nomen assumsit. Nam qui alieno nomine loquitur, alienaq; vel mandata, vel promissa, vel denique facta exponit, cum interim, si orationis formam spectes, ea omnia de se ipso dicere, aut sibi tribuere videatur; eum alienam personam assumsisse, & nomen, quod in ea oratione usurpat, alienum esse necesse est. Quid igitur causæ est, cur eum, qui locis indicatis verba, tanquam ipse Deus, facit, Christum, qui sit ipse Iehova, & ex sua persona revera loquatur, esse censeamus? Accedit, quòd Christus nuspiam simpliciter appelletur *Angelus*, vel etiam *Angelus Dei*: sed tantùm *angelus* sive *legatus fœderis*, intellige novi. Illius appellationis ratio latiùs patet: hujus angu-

Cap: XI. De nomine *Iehova*.

d cap: 1. 4. & d. usque ad finem cap.

Colos: 2. 8. & d.

ỿ 10.

Mal: 3. 1.

d. l. Mal: 3. 1.

jus angu-

jus angustiùs. Illo modo, præsertim cùm historia aliqua narratur, nominati solent spiritus illi cælestes, quorum ea est functio ordinaria ac perpetua, ut ad varia ministeria obeunda a Deo, nunc etiam a Christo, mittantur. hoc autem posteriori modo vocatum cernimus Christum, qui ad certam tantùm rem conficiendam, nempe ad fœdus novum Dei nomine cum hominibus sanciendum, aliquando missus fuit. Ex quo etiam intelligitur, cujusnam temporis respectu ea appellatio Christo conveniat. non ejus, quo Lex e monte Sinai fuit promulgata, & antiquum fœdus per Mosen cum Israëlitis percussum: non eorum, quæ vel antecesserunt, vel proximè subsequuta sunt, seculorum: sed ejus, quo Evangelium per ipsum est orbi publicatum ac confirmatum. Tunc angelus seu legatus fœderis, tunc fœderis mediator, hoc est, internuncius inter Deum ac homines in eo sanciendo fuit. Hinc legimus quidem, Christum ex muliere factum natúmve, a Deo fuisse missum: sed antequam ex ea nasceretur, missum nuspiam legimus. Et quî legamus id, quod fieri nulla ratione potuit? vel quia, antequam nasceretur, ne extare quidem potuerit; vel quia, ut isti censent, Deus fuerit summus, qui nuncius ac legatus alterius esse nequit, nec ministerium obire potest ullum. Deo summo ministrant omnia, ipse nulli: nuncios mittit, a nullo mittitur. alioquin summus esse, atque adeò etiam penitus esse desineret. Legati enim est, mandatis ab altero acceptis, ejus negotia curare, & jussa exsequi. Quapropter, etiamsi tandem obtineretur, iis in locis, ubi Angelum legimus Iehovam appellatum, Christum esse intelligendum; non esset tamen statuendm, eum ipsummet fuisse Iehovam: sed ex angelorum numero aliquem, qui Dei summi personam sustinens, nomen etiam ejus usurpârit. cum inter se pugnare videamus, angelum esse, & quidem Iehovæ, qui unus tantùm est, & esse ipsummet Iehovam. Sed quid multis opus? cum nullus proferri queat locus extra controversiam positus, in quo nomen Iehovæ, præsertim absolutè prolatum, Christo tribuatur: contrà verò plurimi, in quibus Christus a Iehova apertissimè distingvitur. Citavimus suprà ex Psalmis duos, de nomine *Adonai* differentes. In eorum [p] altero Psaltes Christum a Iehova, ut regem ab eo unctum, ut filium ab ipso genitum, discernit: [q] in altero cum Christi Patrem appellasset Iehovam, Christum ipsum describens, dicit *Adoni*. Multa [r] alia occurrunt apud Prophetas loca, in quibus manifestum est inter Christum & Iehovam discrimen. Relinquitur ergo, nec Christo, nec angelis, cùm in seipsis spectantur,

Heb: 8: 6: 12. 24.

Gal: 4. 4.

p Psal: 2. 2, 7.

q Psal: 110. 1.

r Inter alia vide Psal: 16. 8: 118. 22, & d. Esa: 11. 1, & d. 28. 16: 42. 6, 7, 8: 49. 8: 53. 6, 10: 61. 1, & d. Mich: 5. 4. conf: & 2: Zach: 13. 7.

ctantur, hoc nomen absolutè positum convenire; sed Deo summo, cujus ille Filius est, hi servi, esse proprium.

Quòd verò a nonnullis [s] loca quædam afferuntur, in quibus id nomen arcæ fœderis metonymicè tributum reperiatur: vero est similius, ea ibi Deo per metonymiam subjecti adscribi, quæ arcæ ipsi magis conveniant; quàm arcę, Dei nomen imponi. Quia enim Deus [t] arcæ tanquam solio cuidam censebatur insidere, & inter Cherubinos, super ejus operculo collocatos, habitare: ideò arcâ loco motâ, atque in altum sublatâ, ipsemet surgere, & in altum ascendere; eâdem per portam in templum sacrariúmve illatâ, ipsemet per portam ingredi; eâ denique in loco suo repositâ, & veluti requiescente, quiescere dici poterat. Vnde [u] alicubi ita eadem sententia effertur: *Surge, ô Domine (Iehova) Deus, in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ.* Arca quidem propriè nec surgere, nec ascendere, nec ingredi dici poterat, sed de loco amoveri, in altum tolli, aliquò inferri: cum illa viventium tantùm sint, & sua sponte loco se moventium; hæc etiam inanimatorum. verumtamen, quia is motus Deo etiam, arcæ quodammodo insidenti, tribuitur; ideo iis describitur vocibus, quæ motui viventium propriè conveniunt. Quatenus ergo voces illæ motum localem simpliciter designant, eatenus id, quod arcæ primò ac propriè competit, veluti consequenter & impropriè tribuitur Deo: quatenus autem motum viventibus proprium denotant, eatenus primò Dei est habita ratio, & propter Deum eædem voces accommodatæ sunt arcæ. Idem de requie non immeritò dixeris. Nam & hæc viventibus tantùm κυρίως videtur tribui. Et hactenus quidem de usu nominis Iehovæ absolutè positi.

s Num: 10. 35, 36. Psal: 24. 7, 8: 47. 6: 68. 2.

t 2 Sam: 6. 2. 1 Par: 13. 6.

u 2 Paral: 6. 41. Psal: 132. 8.

Superest, ut de usu dicamus ejusdem nominis cum adjectione quadam prolati; vel potiùs de integris enunciationibus, in unum veluti nomen coalescentibus, quarum subjectum, ut vocant, est vox Iehova. Quia enim hæ de rebus aut personis a Deo distinctis nominis unius instar efferuntur; duplicis hinc erroris, & quidem inter se contrarii, nata est occasio Alii enim, quia probè animadverterunt, res personásve eas, de quibus enunciationes ejusmodi usurpantur, a Deo summo longissimè distare, arbitrati sunt, nomen Iehovæ non esse Dei summi proprium. Alii contrà, cùm statuerent, nomen istud Dei summi esse proprium, eò delapsi sunt, ut eum, qui Deus summus non est, esse crederent, quia id nomen ei tribui videatur. Vtrique errori locum illud fecit, quòd in qui-

busdam istarum enunciationum deest copula in scholis ita appellata, nempe verbum *est*, cujus ellipsi nihil frequentius. Itaque prædicatum cum nomine Iehova, subjecti locum obtinente, visum est per appositionem Grammaticis dictam cohærere. quæ autem ea ratione junctim de re quapiam dicuntur, dici etiam possunt separatim. Ea res tantò hîc visa est similior vero, quòd longè sit usitatius, duabus vocibus per appositionem inter se junctis rem quampiam denominare, quàm integra enunciatione. Verùm id neminem debebat movere. Cernimus enim in sacris literis, integram nonnunquam sententiam seu orationem, unius instar nominis usurpari. Sic jussus fuit Esaias filium suum apppellare, *Accelera, detrahe spolium, festina prædari.* Rotundiùs ista apud Hebræos efferuntur: sed eodem tamen sensu. Integra autem est oratio, non quidem asserens quippiam, sed præcipiens. Suprà vidimus, Deum appellasse seipsum *Ero qui Ero*, quæ, ut a nobis explicatum est, integra est enunciatio ac promissio. Sed exemplum ejus rei, quam quærimus, extat in Genesi clarissimum. Dicitur ibi Abrahamus nomen montis, in quo filium suum immolare voluit, appellasse, *Dominus* (Hebr: *Iehova) videbit:* quod aliquantùm postea mutatum ibidem legitur, *Dominus videbitur.* Vbi vides, effatum integrum, ex nomine Dei tetragrammato constans, montis nomen evasisse. Sed plura occurrunt exempla, in quibus verbum *est* desideratur; quæ tamen plæraque a viris quibusdam eruditis rectè fuerunt explicata. Ex eorum numero est illud [a] apud Mosen: *& statuit ibi* (Iacob) *altare, & vocavit illud, Fortis Deus Israëlis* scil: *est.* vel potiùs, *Deus* (est enim in Hebræo *El) est Deus Israëlis.* Deum enim Deum suum fore, Iacobus antea [b] voverat. Ex eodem censu est & illud [c] apud eundem: *ædificavit Moses altare, & vocavit nomen ejus, Dominus (Iehova) exaltatio mea*, vel, *Dominus vexillum meum.* & illud libri Iudicum, ubi ita in Hebræo legimus: *ædificavit ibi altare Domino, vocavitque illud, Dominus (Iehova) pax,* hoc est, Dominus est pacis atque incolumitatis auctor. Idem reipsa erit sensus, etiamsi cum veteri Latino interprete vertere libeat, *Domini pax.* nihilominus enim subintelligendum erit verbum *est:* quasi dictum foret, *Domini est pax,* hoc est, Domini donum ac beneficium est pax; Domini est salutem atque incolumitatem præstare. His adde ultima Ezechielis verba: *Et erit ex eo die nomen urbis, Dominus (Iehova) illic.* Vbi nimis est apertum, subaudiri vocem *est*, ita ut non dicatur, urbem illam vocatum iri *Dominum* seu *Iehovam*, qui illic, hoc est, in ea ipsa urbe sit: sed no-

men ejus

Esa: 8. 3.

Exod: 3. 14.

Gen: 22. 14.

a Gen: 33. 20.

b Gen: 28. 21.

c Exodi 17. 15.

Iud: 6. 24.

Cap: XI. De nomine *Iehova.*

men ejus fore totum illud complexum: *Dominus* [*est*] *illic.* quemadmodum eandem urbem Deus apud Esaiam alloquens ait, *Non vocaberis ultrà Derelicta:* &c. *sed vocaberis Voluntas mea in ea.* & rationem mox subjungit: *quia complacuit Domino in te.* ubi sanè urbs non vocanda erat *Voluntas mea*, seu mavis, *Voluntas Domini:* sed *Voluntas mea* aut *Domini in ea* scil: *est*, hoc est, Dominus hac urbe delectatur, eamque amat. Eodem modo locis præcedentibus, non altaria dicuntur *Iehova* seu *Dominus*, qui sit exaltatio, aut vexillum alicujus, qvi sit pax, pacísve auctor: sed totum enunciatum, *Dominus* [*est*] *exaltatio mea*, vel *vexillum meum*: itémque *Dominus* [*est*] *pax*, vel *Domini* [*est*] *pax*, in unum nomen transit. Esa: 62. 4.

Reliqui sunt duo apud Ieremiam loci, quorum alterum cùm præjudicata de re ipsa opinio controversum fecisset, alterum etiam apud quosdam in consortium traxit, ita cæteroqui clarum, ut priorem quoque illum extra controversiam ponere debuerit. Extant autem cap. 23. & 33. in quorum posteriore ita scribitur: *In diebus illis, & in tempore illo germinare faciam Davidi germen justitiæ: & faciet judicium ac justitiam in terra. In diebus illis servabitur Iuda, & Ierusalem habitabit confidenter. & hoc* (scilicet nomen est) *quo vocabit eam*, (ita est in Hebræo) *Dominus (Iehova) justitia nostra.* Vbi manifestum est, nomen *eam* ad Ierusalem, licet in Hebræo plurali numero positam, per Synesin referri, quæ mentem, non verba spectat; *eam* scilicet *urbem*, quæ vox apud Hebræos etiam fæminina est. Atqui urbs Hierosolymitana nequaquam appellari debebat *Iehova*, qui sit *justicia nostra:* quin potiùs ea tacitè comprehenditur voce *nostra*, quæ illos designat, quos Iehova sit justificaturus. ii verò erant, Iudæ populus universus, & nominatim is, qui Hierosolymæ nomine intelligitur. Quare statuendum est, id quod ab aliis ante nos animadversum est, nomen civitatis esse debuisse totam enunciationem, *Iehova* [*est*] *iustitia nostra.* q. d. Iehova est, qui nos justificat, qui nos ab omni injustitiæ pœna liberat, qui nos tanquam innocentes tractat. Prior verò locus est hujusmodi: *Ecce dies veniunt, dixit Dominus (Iehova,) & suscitabo Davidi germen iustum, & regnabit rex, & prosperè aget, & faciet judicium & justitiam in terra. In diebus ejus servabitur Iuda, & Israël habitabit confidenter: & hoc* [*est*] *nomen eius, quo vocabit eum, Dominus (Iehova) iustitia nostra.* Quia loco *Hierusalem* hîc ponitur *Israël*, nomen viri loco urbis; ideo hîc non dicit, vocabit *eam*, ut in altero, quem vidimus, loco; sed *eum*, nempe Israëlem, sensu

Ier: 33. 15, 16.

cap: 23. 5, 6.

tamen eodem. Ipsa similitudo locorum hanc sententiam non modò admittit, sed & flagitat. ut nil sit causæ, cur ultima hæc verba ad subjectum remotius, quod est germen illud Davidicum, seu rex prospere justeque imperaturus, referri debeant. Quòd si etiam referrentur; non magis tamen sequeretur, germen illud Davidicum esse ipsum *Iehovam*, qui est justitia nostra, ejúsve auctor, quàm urbem Hierosolymitanam, cui nomen iisdem planè verbis constans, attributum vidimus. Intelligendum nempe est, brevia istiusmodi dicta, quæ symboli cujusdam loco usurpantur, & in adagium aut proverbium vel jam abiere, vel abire facilè possunt, similiter & vota aut præsagia rerum futurarum, migrare solere in nomina vel personarum certarum, vel rerum ac locorum: & in nomina quidem personarum illarum, vel a quibus ea crebrò usurpantur, aut usurpari meritò possunt; quales inprimis sunt illi, quibus res dictis istiusmodi comprehensæ eveniunt, aut evenire debent; vel per quos res istæ præstari atque effici debent; vel denique in quibus aut omen ac præsagium rei futuræ, aut præteritæ vestigium ac monumentum extat. quod postremum etiam de rebus ac locis statuendum est. Locorum autem illi potissimùm hujusmodi notantur appellationibus, in quibus res ipsa gesta fuit. His enim res ipsa veluti vestigium quoddam imprimit, ita ut monumenti cujusdam instar sint, & rei memoriam excitent ac refricent. Et ne ad linguas vulgares hîc divertamus, & inde mutuemur exempla; deprehendes id, quod dicimus, in non paucis nominibus Hebræorum propriis, quæ in sacro codice extant, iis præsertim, quæ ex nomine divino *El* componuntur. Sic *Elnathan* v. g. significat *Deus dedit: Elcana, Deus zelotes: Elias, Deus Dominus: Elimeleh, Deus meus rex*, vel simpliciter, *Deus rex*. Vbi non ii, quibus nomina illa composita imponuntur, ipsius Dei aut Domini appellatione insigniuntur: sed appellatio hæc per se vim consvetam retinet, ac summum omnium rerum monarcham significat, de quo prædicatur, quòd vel *dederit* quempiam, vel *zelotes* sit, vel *Dominus*, vel *Rex*. Itaque in tribus posterioribus nominibus subauditur verbum *est:* nec minùs ea sententiis integris, licèt elliptice prolatis, constant, quàm primum. Huc etiam pertinet nomen *Michaël*, quod significat, *Quis sicut Deus?* pertinet & *Immanuel*, id est, *Nobiscum Deus*. utrobique subintellige *est*. De priori dubitari non potest. de posteriori exempla, quæ attulimus, ei adeò similia persvadent. Quòd si contendas, id nominis omninò significare, eum, qui ita appellatur, esse ipsum Deum, qui sit

nobiscum,

Cap: XII. De nomine *Schaddai.*

nobiscum, qui nobis favore & auxilio suo adsit; impietatis damnabis eos omnes, qui id nomen olim hodieque, vel aliis imposuerunt, vel usurpârunt ipsi. Vt taceam, Christum, cui id nomen Deus per Esaiam destinavit, ejus Prophetæ ætate suam habuisse imaginem, cui eadem appellatio, istius temporis ratione habita, competeret; imperfecta quidem significatione, sed tamen verâ. Animadvertet id, quisquis consideraverit ea, quæ apud Prophetam ibi, ubi hoc nomen primùm editum legitur, de Immanuele subjiciuntur. Christo autem ideo id nomen est impositum, quia Deus per ipsum atque in ipso nobiscum est, hoc est, nos singulari suo favore prosequitur, nobis opem fert, nos omnium cælestium bonorum copiâ cumulat. Sed de his fortè plus satis.

vid: Esa: 7. 14, & & d. & confer cap: 8. 3, 4, & seqq.

Adjicienda sunt paucula de nomine *Iah*, quod in Psalmis potissimùm occurrit. Nota est in vulgus solennis illa ad Deum laudandum cohortatio, *Hallelu-Iah*, vel *Hallu-Iah;* quam & Græci, & Latini vulgò scribunt *Alleluia*. Significat autem, *laudate Iah* h. e. *Dominum*. Eodem enim modo, quo tetragrammatum, a Græcis ac Latinis verti solet, ex quo etiam natum videtur, ejectis duabus literis mediis *h* & *v*. Aliam vocis originem ægrè inveneris. Quemadmodum autem tetragrammato substrata esse docuimus puncta vocalia vocis *Adonai*: ita eidem nomini in unam syllabam contracto, ultimum hujus punctum, quod nobis *a* longum valet, subjectum est. Hinc *Iah* pronunciatur; cum habita ratione genuinæ tetragrammati pronunciationis, *Ieh* dici deberet. Est & illud indicio, nomen hoc cum tetragrammato idem quodammodo esse, quòd ut in sacris literis insignitè legimus, [a] *Iehova* esse Dei nomen: ita & [b] *Iah;* quódque hoc pro illo reponitur eo inprimis loco, ubi vix ullo alio, quàm nomine *Iehovæ* appellatur Deus, imò expressè dicitur, *Iehova* nomen ejus esse: uti fit in cantico Mosis & Israëlitarum, quod in [c] Exodo descriptum habes. Quare nil est necesse de hujus nominis vi atque usu plura disserere; cum res in tetragrammato satis sit explicata.

a Exod: 3. 15. Esa: 42. 8. Amos 5. 8: 9. 6.

b Psal: 68. 5.

c vid: cap: 15. 2, confer etiam cætera.

Cap: XII.

De nomine Schaddai.

Reliquum ex Hebraicis est nomen Dei *Schaddai*, quod cùm natura sit adjectivum, frequentiùs substantivi loco ponitur, & Deum ipsum, de quo solo usurpatur, designat. Apud Mosen aliquoties nomini divino *El* junctum, adjectivi retinere videtur ingenium,

Gen: 17. 1: 28. 3. 35. 11: 43. 14: 48. 3. Exo: 6. 3.

nomine *Schaddai.*

geniûm, & a Latinis redditur *Omnipotens*. De origine, ac porrò de nativa ejus ſignificatione aliquantulùm diſcrepant inter ſe docti. Alii ex ea voce compoſitum cenſent, quæ copiam atque abundantiam, &, ſi ita loqui licet, ſufficientiam denotat. Alii ab eo derivant verbo, quod nobis eſt *vaſtare*. Illuc reſpexerunt Græci Veteris Teſtamenti interpretes, cùm nomen illud verterunt [a] *ἱκανὸς*, id eſt, ſufficiens. Egregiè id conſentit cum reipſa, cumq; locis e Moſe antea citatis. Deus enim ita omnium rerum abundat copiâ, ut omnia poſſit omnibus impertiri, atque adeò reipſa impertiatur, iis præcipuè, qui ipſi parent. Hinc ergo factum videtur, ut iſtis in locis, vel Deus ipſe amplam pietatis mercedem, ac beatam rerum omnium copiam Patriarchis promittens, hoc ſe nomine inſigniret; vel hi aliis eandem optantes, eo nomine Deum, ejus affluentiæ auctorem, deſcriberent. Quia verò immenſam ea res arguit Dei potentiam, quâ fit, ut omnibus ſuppeditare queat omnia; ideo vocem eandem interpretes Græci apud Iobum ſæpè reddidêre *παντοκράτωρ*, hoc eſt, *omnipotens:* licèt interdum habeant *κύριος*, *Dominus*. Illud ſequuti Latini, non apud Iobum tantùm, ſed & alibi paſſim, nonnulli etiam ubique, vocem illam Hebraicam vertunt *omnipotens*. Quemadmodum autem iſta, ut ita dicam, ſufficientia, & in omnes exuberans ac redundans copia, omnipotentiam arguit: ita hæc illam in ſe quodammodo comprehendit; ut non multùm referre videatur, utro modo nomen iſtud vertas, *ἱκανὸς*, an *παντοκράτωρ*: niſi quòd *ἱκανὸς*, id eſt, *ſufficiens*, originem vocis eam, quam priori loco poſuimus, propiùs indicet: *παντοκράτωρ* autem, id eſt, *omnipotens*, etiam poſteriori etymologiæ accommodari queat, quæ a verbo vaſtandi ſignificationem habente nomen Schaddai deducit. Vaſtator enim appellaretur Deus, non tam ob vaſtandi conſvetudinem, (extruere enim opus illius eſt magis proprium, deſtruere quodammodo alienum) quàm ob potentiam ac facultatem. Quin etiam, ſi hanc vocis originem ſequi placeat, quæ, ſi nominis naturam, & lingvæ conſvetudinem ſpectes, probabilitate ſua non caret; neceſſe videtur, ejus vim latiùs extendere, ut eo nomine ſignificetur is, qui ſummum quoddam habeat robur, quo ut vaſtare omnia, & momento citiùs hoſtes ſuos evertere, atque in nihilum redigere poſſit, ita & homines ſibi charos tueri, & omni bonorum genere augere queat. Aliàs enim eò inclinat animus, ut credat, inde potiùs appellatum eſſe optimum numen, quod benefacien-

[a] Ruth: 1. 20, 21. Job: 21. 15: 31. 2. 39. 35.

nefaciendi facultatem, vel etiam consvetudinem, quàm ab eo, quod nocendi vires significat. Accedit inprimis locus Exodi nobilis, superiùs a nobis, cùm de tetragrammato ageremus, citatus, & ex parte illustratus, ubi ait Deus: *apparui Abrahamo, Isaaco, & Jacobo, in [nomine] Dei omnipotentis,*(Hebr: *El Schaddai:) at in nomine meo Iehova non sum cognitus illis.* Vbi non est consentaneum, dicere velle Deum: patribus illis vestris me potissimùm exhibui Deum ejusmodi, qui sit vastator, seu, qui destruere ac perdere queat omnia, ut ex re atque operibus ipsis vim nominis mei *El Schaddai* agnoscerent. Sed potiùs, ut de virorum doctorum sententia in Bibliis magnis Roberti Stephani annotatum habes, *Omnipotentem me illis declaravi, & mihi abundè esse divitiarum, ut illos divites redderem: at opere non complevi, quod illis sum pollicitus hoc est, promittentem quidem me illis terram Chananæorum audierunt & crediderunt: sed opere promißa complentem non viderunt, quemadmodum tu visurus es. Tibi igitur in nomine meo Iehova cognitus ero, id est, videbis, me id facere, quod nomen meum sonat, nempe facientem esse, hoc est, præstantem, quod sum pollicitus: educam vos de terra Ægypti, & introducam in terram Chanaan. Quemadmodum antea vocatus sum Deus omnipotens, Deus altissimus, qui creavit cœlum & terram: ita nunc vocabor Iehova Deus, qui eduxi vos de terra Ægypti.* Plura exscripsimus verba, ut simul etiam ea, quæ de significatione vocis *Iehova* antea diximus, testimonio doctorum virorum aliqua ex parte confirmaremus, de qua plura ibidem scripta reperies. Et de nominibus Dei Hebraicis hactenus.

Exod: 6. 3.

Cap: XIII.

De nomine θεός.

Cap: XIII. De nomine θεός.

VEniendum nunc est ad Græca, quorum primum est θεός. De ejus origine non satis convenit inter doctos; nec nobis hîc multùm laborandum est. Etymologiam enim nominum divinorum ideo inquirimus, ut eorum vim atque usum in sacris literis tantò rectiùs percipiamus. At si vox θεῦ alienæ potiùs est originis, quàm suæ; ab hominibus impiè superstitiosis formatam, atque adeò ex ipsa superstitione profectam, consentaneum est. Inter cætera enim, quæ de ejus etymologia traduntur, illud est maximè probabile, quod a Platone scribitur: *Videntur mihi, inquit ille, Græcorum prisci deos solos putaße eos, quos etiam his temporibus* Plato in Cratylo.

De nomine θεός.

Barbarorum plurimi arbitrantur, Solem, Lunam, terram, stellas, cœlum. Cum ergo hæc omnia perpetuò in cursu eße conspicerent, & ab hac natura τοῦ θέειν seu θεῖν (Græcis hoc est currere) *θεοὺς nominaße videntur; deinde & alios animadvertentes, omnes eodem nomine appellaße.* Antiquitatem impiæ hujus superstitionis, quam & Græcis priscis, & sui temporis Barbaris tribuit Plato, vel ex sacris literis cognoscere licet. Apud Mosen enim non modò prohibetur, ne astra colantur: sed & severissima in eos, qui id ausi fuerint, pœna statuitur. quare nihil fuisset opus, si ne exemplum quidem ejus rei tunc extitisset. Sed efficere non potuit ea pœnæ atrocitas, quin impietatis illius contagio ab exteris nationibus ad Israëlitas tandem dimanaret. Videmus enim, eos posterioribus seculis, positâ Legis reverentiâ, Solem, Lunam, cæteraque astra, numinum instar adorasse, maximè autem Solem, quem Reginam cœli, ut apud Ieremiam legimus, astricolæ appellabant. Quare vel nimis bene de auctoribus nominis θεοῦ existimant, vel eorum sententiâ quodammodo rejectâ, meliorem substituunt, qui θεὸς a θέειν ideò rectè ductum ajunt, quia Deus omnia providentiâ suâ percurrat, omniaque ambiat: vel ab αἴθειν, quod est *urere;* quia Deus ignis aut lux sit, ut sacræ literæ docent, aut caloris ac luminis auctor: cum ista etymologia in Solem magis quadret: vel deniq; a θεᾶσθαι, quòd Deus omnia cernat. cum hoc postremum etiam Soli possit accommodari, ex illorum præsertim sententia, qui numen ex ipso fecerunt, & sensum ei ac mentem tribuerunt. Omnia enim Sol cernere ac contueri dicitur. Sed ista, quorum vel superstitiosa, vel incerta est ratio, omittamus.

Devt: 4. 19. ibid: c. 17. 3, & d.

4 Reg: 17. 16: 23. 4, 5, 11.

Ier: 44. 17. & d. & ꝟ 25.

Istud dubium esse nemini potest, quòd sacri scriptores Novi Fœderis, ad quos potissimùm respicere debemus, cùm de Græcis Dei nominibus agimus, vocem illam eo usurparint sensu, quo Hebræi voces *El* & *Elohim*. Sive enim aliquod vet. Testamenti testimonium citant, sive, ut frequentissimè contingit, ad aliquem ejusdem Testamenti locum respiciunt, pro Hebraicis illis nominibus vocem θεοῦ potissimùm reponunt. qua in re tum Græcos veteris Testamenti interpretes, tum receptam jam inter Iudæos Græcè loquentes consvetudinem sunt sequuti. Diximus autem, Hebraica illa nomina naturâ suâ esse communia, seu appellativa, ut vocant; sed κατ᾽ ἐξοχὴν sumta supremi nominis fieri propria. Naturâ enim suâ significare eum, qui vel potentiâ seu viribus, vel potestate atque imperio, vel utraque re eminet, præsertim ita, ut

rerum na-

rerum naturalium modum supergrediatur. sed in excellentissima significatione accepta designare eum, cujus & vires, & potestas atq; imperium absolutè summum est ac independens. Extenditur autem Dei vox etiam ad illegitima ac malefica imperia, quæ potestatis nomen vix merentur, (potestas enim vera ac plena in jure consistit) quin etiam ad ea, quæ ne imperia quidem propriè sunt, sed cum iis similitudinem tantùm habent. Verùm id non fit, nisi cum adjectione quadam eorum, qui hujusmodi imperiis, sive propriè sive impropriè dictis, sese sponte subjiciunt, & ea veluti constituunt. Sic Satanas dicitur [a] *Deus hujus mundi* seu *seculi:* quo pacto & [b] *princeps huius mundi* appellatur: & per Metaphoram, [c] venter Deus appellatur eorum, qui ipsi serviũt, & ad eum omnia consilia studiaque sua referunt. His enim venter quodammodo imperat, & totam eorum vitam gubernat. Cæteri, quorum imperium & legitimum est, & parentibus salutare, etiam simpliciter *Dii* appellantur. & verè quidem ac propriè ii, qui reipsa imperant: falsò autem, qui opinione tantùm hominum. Sed de iis, quibus impius error hoc nomen imposuit, nil est necesse hoc loco dicere.

De nomine θεὸς.

a 2 Cor: 4. 4.
b Ioh: 12. 31: 14. 30: 16. 11.
c Phil: 3. 19.

Quod ad eos attinet, qui hoc nomen jurè usurpant; duplicis illius, quam constituimus, significationis, hoc est, tum illius, quæ laxior est, tum ejus, quæ angustior, & supremo numini peculiaris, exemplum habes in nobili illo prioris ad Corinth. loco, ubi Paulus: *Nullus*, inquit, *est Deus*, *nisi unus. Nam etsi sunt, qui dicantur dii*, *sive in cælo*, *sive in terra: (siquidem* vel *quemadmodum sunt dii multi & domini multi:) nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus, Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Vides, eum simul, & multos esse Deos, & unum tantùm, affirmare: illic laxiori, hîc angustiori significatione. Illic enim omnes intelligit, qui potentiâ præcellunt, aut sublimiorem habent potestatem: quales in cœlo sunt angeli, in terris magistratus: hîc κατ᾽ ἐξοχὴν illum tantùm, qui a seipso potentiam & imperium potestatemque omnem habet. Sic iisdem in verbis *domini* etiam vocem, nunc lata, nunc stricta significatione sumit. illa, cum *dominos* ait esse multos: hac, cùm *unum* tantùm, qua de re infrà, ubi de ipso *domini* nomine agemus. Neque verò existimandum est, Apostolum de falsis Gentium diis loqui, cùm multos esse deos asserit. Hoc enim si voluisset, nónne satis fuisset dixisse, *licet multi sint, qui dicantur dii?* quid opus fuisset confirmationis uberioris gratiâ subjicere: *siquidem*, vel, ut est in Græco,

1 Cor: 8. 5, & d.

quemad-

De nomine θεός.

quemadmodum sunt multi Dii? An quisquam tum poterat ignorare, multos esse, qui eo nomine, utut falsò, appellarentur, ut necesse esset repetita asseveratione id confirmare? Deinde cur Apostolus *dominos* adjunxisset *diis?* Annon multi verè ac propriè extant domini? Cur ergo vera falsis eâdem asseveratione periculosè junxisset? An non res ipsa loquitur, ideo Apostolum addidisse superioribus illa, *quemadmodum sunt multi dii*, ut ostenderet, non injuriâ multos vocari deos, sive in cœlo, sive in terra, seque ipsum pluribus id nomen commune esse censere? Cùm enim antea tantummodò dixisset, multos esse, qui *dicantur* dii, non verò, qui *sint*; poterat aliquis cogitare, Apostoli judicio eos nomine tantùm, non reipsa deos esse. Quare, ut ei suspicioni occurrat, suam ea de re sententiam explicat, & illam, quæ præcedentibus verbis comprehensa fuerat, ita generatim acceptam, calculo suo comprobat. q. d. licèt multi sint, qui vocantur dii, sive in cælo, sive in terra: (ut sanè reipsa, ac meâ quoque sententiâ, multi sunt dii: illi nempe omnes, qui potentiâ præcellunt, aut potestate sublimi: in cœlis angeli; in terris magistratus: quemadmodum & multi reipsa sunt domini:) nobis tamen Christianis unus tantùm summo cum imperio præest colendusque est Deus, nempe Iesu Christi Pater, qui ut primus est fons atque auctor rerum omnium, quæ ad nos, nostramque salutem pertinent: ita & ultimus est religionis ac pietatis, quæ a nobis proficisci debet, scopus. Similiter etiam unus tantùm nobis Christianis præest ac colendus est Dominus, nobis regendis a Deo summo præfectus, nempe Iesus Christus, cujus opera interveniente, ut omnia, quæ ad nos salutemque nostram spectant, a Deo perficiuntur: ita vicissim per eundem omnis in Deum cultus ac pietas a nobis proficisci debet. is, inquam, & media est omnium bonorum ad salutem nostram tendentium caussa; & medius religionis atque honoris, qui vicissim a nobis primo salutis nostræ auctori debetur, scopus; eum colendo, Deum ipsum colimus. Neque verò est, quod quis urgeat vocem *Nobis*, quæ verbis de uno Deo loquentibus præfixa est ab Apostolo, dum ait, *Nobis autem unus* [est] *Deus*, *Pater*, &c. quasi dicere velit, Ethnicorum quidem opinione multi sunt Dii, nostrâ autem sententiâ unus tantùm est. Neque enim hîc quæritur, quid vel nos, vel illi hac de re sentiant: sed quid reipsa sit: præsertim quia non tantùm de Deo uno, sed & de Domino uno hîc sermo est. Satis autem liquet, non tantùm Ethnicorum, sed & Christianorum sententiâ, multos esse dominos. Itaque vox *nobis* non tantundem valet, ac

si dictum

Cap: XIII. De nomine θεός.

ſi dictum eſſet, Noſtrâ ſententiâ vel opinione: ſed nos, quà Chriſtiani ſumus, & religione devincti, diſtingvit, ſive ab aliis, ſive a nobis etiam ipſis ſecundùm carnem conſideratis: ita ut ſignificet Apoſtolus, etiamſi multi ſint dii ac domini, qui vel in alios, vel in nos ipſos, nempe ſecundùm carnem ſpectatos, poteſtatem aliquam habeant; aut cæteroquin ob inſigne robur dii dici mereantur: eos tamen in re religionis nobis revera non imperare, nec proinde a nobis religioſè colendos eſſe. Vnum enim tantùm eſſe Deum, qui nobis, quà religione devincti ſimus, ſuo planè jure imperet, & unum tantùm Dominum, qui ipſius auctoritate nobis præſit, & nos poteſtate ab eo accepta gubernet.

Arbitramur ſatis conſtare, Apoſtolum, cùm multos eſſe Deos aſſeruit, de falſis Gentium diis non loquutum; ſed de iis, quos ſacræ literæ Vet. Teſtamenti Deos appellant. Verùm eos non propriè Deos appellari dices, ſed metaphoricè tantùm; quia cum Deo ſimilitudinem quandam habeant. Deum enim propriè illum tantùm dici, quem altiſſimum ſacræ literæ appellant. Quare ita conciliandam hãc, quæ in Pauli verbis occurrat,[a] ἐναντιοφανείαν, ut *multos* eſſe dicat *deos* per metaphoram ſic appellatos: *unum* verò tantùm propriè ſic dictum. Sed hîc illud primùm ſumitur, quod nullo nititur fundamento, Deum propriè illum tantùm dici, qui altiſſimus eſt. Etenim propria hujus vocis ſignificatio ea meritò cenſeri debet, quæ propriæ Hebraicarum vocum, pro quibus in ſac. literis uſitatè ponitur, ſignificationi exactè reſpondet. Nam ſi ad Græcæ vocis etymologiam reſpicere velis, & inde proprietatem ſignificationis æſtimare; neceſſe erit dicere, de Deo ſummo eam non niſi metaphoricè dici. Sive enim vocem θεὸς ab eo deducas verbo, quod currere ſignificat, ſive ab eo, quod urere, ſive denique ab eo, quod ſpectare; metaphora voci, cùm Deo ſummo tribuitur, ſuberit: cum illa contrà creaturis quibusdam planè propriè conveniant. Quòd ſi ex Hebraicarum illarum, quas diximus, vocum ſignificatione propria, hujus quoque proprietatem æſtimaveris; deprehendes, eam propriè creaturis quoque nonnullis tribui, illis nimirum, quibus poteſtas atque imperium ſublimius, ac robur inſigne competit. Oſtendimus enim ſuperiùs, voces Hebraicas, pro quibus Græca θεὸς plærumque ſolet reponi, eum propriè denotare, qui ea, quæ diximus, habeat. Quare non ea erit conſtituenda inter Deum ſummum, &, qui illi ſubſunt, differentia, quòd illi ſoli propriè vox Dei conveniat, his non niſi

[a] contrarietatem apparentem, ſeu contradictionis ſpeciem.

De nomine θεός.

non nisi impropriè ac metaphoricè: sed quòd illi primò ac per se, ac ratione omnium perfectissima: his verò secundariò, & non nisi illius virtute ac beneficio; ac porrò aliqua saltem ratione imperfectiùs. Quod enim ab altero totum pendet, ad ejus perfectionem penitus assurgere non potest, sed aliqua saltem ratione infra eam subsistit. Est hæc natura eorum vocabulorum ac generum, quæ communia ab uno dicuntur, a scholasticis analoga attributionis, ab aliis aliter. Vna enim earum vocum significatio præcipua est, & cæterarum veluti fons & origo. Id enim, quod ea voce præcipuè denotatur, in caussa est, ut & cætera talia sint & dicantur. Ideo ab uno, seu mavis ab una dicuntur. quia ab uno sui generis, seu ab una specie, cæteræ pendent, & id habent, quod sunt, & dicuntur. Id verò unum in nostro negotio illud est, quod summum. Deus enim altissimus a seipso habet, ut Deus sit ac dicatur, cæteri ab ipso. siquidem ille a seipso & robur habet immensum, & potestatem atque imperium in omnia: cæteri non nisi illius virtute ac beneficio. Eam autem, quam hîc defendimus, sententiam de proprietate vocis Dei, creaturis quibusdam tributæ, confirmat etiam illustris apud Iohannem locus, qui capite 10. ex-
℣ 33. tat. Nam cùm Christo esset a Iudæis objectum blasphemiæ cri-
℣ 34, & d. men, eò *quòd, homo cum esset, seipsum faceret Deum:* Christus, id crimen diluens, ita respondet: *Nónne*, inquit, *scriptum est in lege*
Psal: 82. 6. *vestra, Ego dixi, Dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi scriptura: quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, quòd blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* Vbi nullum est dubium, quin Iudæi propriè *Dei* vocem usurparint, cùm Christum eo nomine auderent blasphemiæ arcessere, quòd se Deum faceret. dubium etiam esse non debet, quin Christus illis respondens, docere voluerit, jurè se potuisse Dei nomen usurpare, idque verè ac propriè, licèt expressè non usurpasset. Ad id autem probandum exemplum affert eorum, quos Deus ipse aliquando vocarit deos, & a minori ad majus argumentum ducens, ita, si sententiam spectes, concludit: Si illi appellati sunt dii; ad quos sermo Dei factus est; multò magis ego Deus appellari possum. Vbi nequaquam est concedendum, eum, ambiguitate vocis abusum, a metaphorica significatione ad propriam transiisse. Neque enim sequitur: si illi metaphoricè dicti sunt dii: multò magis ego propriè sic dici possum; præsertim si statuas id, quod hîc refellimus, vocem eam non nisi Deo summo propriè competere: quæ enim, quæso, est consecutio; illi sunt Dii metaphoricè

Cap: XIII. De nomine θεός.

appellati, & quidem jure: ergo ego multò majori, vel saltem æquali jure, Deus naturâ, seu Deus summus dici mereor. Rationem tantùm expende, quâ Christus sibi potiùs, quàm illis, hoc nomen tribui posse ostendit. Hanc illis complexus est verbis: *Quem Pater sanctificavit, & in mundum misit.* Atqui ratio ista Deum summum haudquaquam arguit; sed potiùs non esse arguit. Neque enim Deus summus ab alio sanctificatur, sed alios ipse sanctificat: in mundum a nemine mittitur, sed alios imperio suo mittit obnoxios. Certè ob eam rationem nec Pater Christi Deus est, quem esse omnes credimus; nec spiritus sanctus, quem illi, cum quibus disputamus. Non potest autem Deus summus, alius ob hanc, alius ob illam rationem Deus esse. At si agnoscas, *Dei* nomen judicibus ac magistratibus, de quibus locus Psalmi a Christo citatus loquitur, propriè convenire; firmissima erit illius argumentatio. Si enim isti, quos Deus illis Psalmi verbis alloquutus est, dii sunt dicti, licèt non adeo magna, nec inusitata eorum esset potestas; an non longè majori jure Christus jam tum Deus dici potuit? Hûc enim Pater a cæteris omnibus selectum, potentiâ & auctoritate prorsus inusitatâ ac planè divinâ instructum, ad humanum genus miserat. Verùm ita moderatus est sermonem Christus, ut tantummodo diceret, se *Filii Dei* nomen sibi usurpasse: non verò, se *Dei* appellationem vel sumsisse sibi, vel sumere jurè potuisse: ut tantò magis blasphemiæ crimen a se depelleret. Potuisset quidem Christus eodem jure, eademque usus ratione, *Deum* se appellare, quâ se *Dei Filium* asseruerat. quemadmodum & illi, de quibus in Psalmo sermo est, eandem ob causam & *dii* & *Filii Dei* seu *Altissimi* ibidem appellantur. Sed aliquo tamen pacto minùs augustum est, & a blasphemiæ crimine longiùs remotum *Filii Dei*, quàm ipsum *Dei* nomen. Hoc enim solam ejus, qui ita vocatur, majestatem ac sublimitatem explicat, eumque ita cum Deo summo conjungit, ut nullam inter hunc & illum differentiam indicet. Illud autem, etsi maximam ejus, qui ita nominatur, cum Deo summo conjunctionem exprimit, præsertim in tam perfecta, quâ Christo competit, significatione: nihilominus tamen statim differentiam illius a Deo summo aperit, & eum Deo aliqua ratione inferiorem esse ostendit. Filius enim Dei eo ipso, quòd Filius est, a Deo Patre suo totus pendet, omniaque ipsi accepta refert: hic nemini. Quæ causa etiam est, cur Christus longè crebriùs Filius Dei, quàm Deus appelletur. Quare duplici ratione censendus est Christus ad argumentum adversariorum, quo calumniam suam

Psal: 82, 6.

probare

De nomine θεός.

probare nituntur, respondere. Disputant illi: Deum teipsum facis. Blasphemas igitur. Christus & consecutionem infringit, argumento superiùs explicato; & antecedens, dum argumentum illud suum concludens ostendit, se dixisse, *Filius Dei sum:* non verò, ut illi objecerant, *Deus sum.* Quòd si tamen id quoque tacitè asseruisse censendus sit; indicat ea responsione, se non supremam & a nullo alio pendentem deitatem sibi tribuisse, sed eam, quæ a suprema pendeat, quæque in Filium Dei cadat, eúmve constituat. Hoc autem se absque blasphemiæ crimine, imò summo jure fecisse.

Vt ergo ad institutum redeamus; constat, alios etiam præter Deum summum deos propriè dici. secundùm Patrem quidem Christum: post hunc verò in cœlis angelos, in terris magistratus ac judices. Constat etiam, rectè a nobis suprà constitutam esse duplicem nominis *Dei* significationem, laxiorem & strictiorem. Ea enim non minùs hîc, quàm in loco Pauli superiùs citato reperitur. Laxior, cùm judices eo nomine appellantur: strictior, cùm ad eos sermonem *Dei* esse factum, & Christum *Dei* Filium esse dicitur. Nam Patrem hîc intelligi, res ipsa loquitur. Eandem significationem omnes innumeris agnoscunt locis, sed iis maximè, in quibus Deus a Christo, ut istic contingit, discernitur. Verùm eam agnoscere debebant, in omnibus Novi Testamenti locis, in quibus vel subjectivè, ut loquuntur, vox *Dei* ponitur, cùm interim ad eum ipsum, qui Deus dicitur, sermo non dirigatur; vel in Græco articulus voci præfigitur, qui nec penitus, nec ex parte aliqua vim suam perdere deprehendatur. Idem de plærisque locis Græcæ Veteris Testamenti versionis dici potest, in quibus vox θεός singulari numero ponitur. Duobus enim illis modis vox θεός usurpata, Deum summum, tum in N. Test. tum in plærisque Veteris Testamenti locis significat.

Atque ut de priori modo, adeoque de priori strictioris illius significatûs indicio nunc dicamus; subjectivè *Dei* vocem usurpari dicimus, quoties ea de aliquo subjecto non enunciatur, etiamsi fortè prædicati, ex pluribus vocibus constantis, pars sit. ut cùm dicitur, Christum esse Filium *Dei;* nos accedere ad *Deum;* offerre hostias *Deo;* & quæ sunt hujus generis alia. Hoc ergo modo usurpata vox *Dei* κατ' ἐξοχὴν sumi, & Deum summum, in novo præsertim fœdere, denotare solet. Atque hæc est caussa, cur *Deus* simpliciter positus a Christo toties apertissimis verbis distingvatur. At

Heb: 7. 25: 11. 6. c. 13. 15. adde 1 Ioh: 4. 2, 3, 6, 7.

cùm ea-

De nomine θεός.

cùm eadem vox prędicati locum obtinet, articulo destituta, ([a] interdum enim habet) supremam deitatem non denotat, nisi ex accidenti. id quod ex enunciationis subjecto, aut aliis locorum circumstantiis est colligendum. Aliàs enim non proprii, sed appellativi rationem habet. Eadem ratio est, cùm vocandi casu quispiam eo nomine compellatur, honoris tantùm & dignitatis exprimendæ caussâ, non ut ab aliis, quibus idem nomen conveniat, distinguatur. Illo enim modo, absque ulla ἐξοχῆς significationis, vocabula generalia cuivis illius generis, quod designant, individuo possunt accommodari.

a vid: 2 Sam: 7. 28. Psal; 46. 12: 47. 9: 77. 15. Esa: 45. 22: 46. 9. Oseæ 11, 9.

Iam ut de altero etiam indicio strictioris significationis vocis θεοῦ aliquid dicamus; quia id in articulo ei præfixo consistit; ideo pauca nobis de articuli vi dicenda sunt, alibi etiam profutura. Fatendum quidem est, articulum voci naturâ suâ generali præpositum, non semper vim habere, eam ad certam aliquam sive speciem, sive individuum, restringendi. Imò ut ipsi notant Græci, articulus nonnunquam est προσδιορισμὸς τοῦ καθόλου, seu universalis naturæ nota quædam. quin & ornatûs sæpe caussâ magis, quàm necessitatis, præfigitur vocibus, & rem quamvis sui generis designat. Sic, ut rectè annotârunt interpretes quidam, apud Matthæum ὁ ἐθνικὸς, non singularem aliquem, sed quemcunque notat Ethnicum; ὁ τελώνης quemvis publicanum: apud Marcum ὁ ἱερεὺς quemcunque ex sacerdotibus. Participiis præpositus nil consvevit significare aliud, quàm apud Latinos pronomen *qui* verbis prępositum. ut frustra illi sint, qui [b] alicubi quippiam eo singulare notari contendunt. Exempla [c] passim sunt obvia: estque res jam olim a viris doctis notata. Solet tamen articulus nominibus præfixus, perinde ut apud Hebræos He emphaticum ab illis dictum, ea creberrimè ad rem certam restringere. qua de causa nominibus propriis frequentiùs subducitur. siquidem ea per se jam satis arctata, restrictione alia non indigent. Restringit autem voces articulus duplici ratione; vel ut mentem audientis referat ad rem aliquam notam, præsertim antea nominatam, aut aliqua ratione indicatam; ob quem usum ἀναφορικὸς appellatur: vel ut designet rem in suo genere eximiam. quo tempore generale διακριτικοῦ nomen obtinet: cum cæteroquin, etiam quando ἀναφορικὸς est, discernendi vim habeat. Et haud scio, an ex priori vi posterior nata sit, atque ideo res eximiæ articulo notentur, quia præ cæteris notæ esse soleant, ut ad eas facilè mens audientis referatur.

Mat: 18. 17.

Mar: 1. 44.

b Apoc: 2. 23.

c vide inter alia Mat: 5. 22, 28, 40, 42: 7: 8, 21, 26: 10. 37. 39, & d. Ioh: 3. 15, 16, 18, 36: 6. 35, 47, 54, 56.

De nomine θεός.

Vtriusq; usus exempla notantur ab eruditis plurima. Et posterior quidem, qui nostri potissimùm instituti est, adeò celebratur, ut nõnulli, & ex iis etiam Græci, hunc solum propemodum videantur agnoscere. Monuit in præceptis analyticis Philosophus, distingvendum esse vocabulum articulo præditum, & eo carens, exemplo in voce ἀγαθȣ̃ proposito. Non n. idem esse, voluptatem esse ἀγαθὸν, & voluptatem esse τὸ ἀγαθὸν, & sic in cæteris. ubi doctissimi quidam illius interpretes notant, ἀγαθὸν significare quodcunque bonum: τὸ ἀγαθὸν verò summũ. articulum enim excellentiam quandam designare. quamquam alii rectè addunt, τὸ ἀγαθὸν etiam bonum universum significare: cùm, ut suprà monuimus, articulus etiam sit προσδιορισμὸς τȣ̃ καθόλȣ, frequentiùs quidem nominibus pluralis numeri præpositus, sed interdum etiam singularis: ut apud Philosophum τὸ ἀγαθὸν & summum significet bonum, & universum. Ea, quæ diximus, ad vocem θεȣ̃ nunc transferamus. Huic, & singulari numero, & prorsus absolutè positæ, articulum sæpissimè videmus præfigi, qui tamen nec universalis cujusdam naturæ indicium est; præsertim cum Christi Patrem toties tam apertè denotet; nec ἀναφορικὸς dici meretur, quòd ad rem antea indicatam referatur. Sæpè enim nulla nec aperta, nec tacita Dei antecedit mentio. Reliquum igitur est, ut ἐξοχὴν seu excellentiam quandam denotet. nisi dicere velis, eum rem denotare in suo genere notissimam. sed notissima in hoc genere illa censenda erit, quæ omnium est excellentissima, ita ut res eódem recidat. Agnoverunt articuli voci huic præfixi vim, etiam veteres quidam, tum Græcæ, tum Latinæ Ecclesiæ doctores, quorum testimonia sunt a nostris alibi producta. Cyrillus enim, *illud*, inquit, *apprimè tenendum est, quòd quando divina scriptura nominibus, secundùm Græcæ lingvæ usum, articulos præponit, tunc & unum, & quod solum propriè atque verè tale quid dicitur, significat: articulo autem non adjecto, generaliùs cuncta designat: ut verbi causâ; Multi vocati sunt dii: sed quando cum articulo græcâ lingvâ* Deus *dicitur, tunc solus & propriè deus designatur: cùm verò absque articulo deus profertur, qui ad hoc gratiâ vocatus est, intelligitur*. Incautiùs quidem aliquantò loquitur, ut partim ex iis constat, quæ superiùs de voce θεȣ̃ subjectivè posita, deque articulorum vi, ex eruditorum sententia diximus; partim ex infrà dicendis constabit. veruntamen magno ea sunt argumento, quantum articulo tribuerit. Cautiùs illo Augustinus,

lib. 1. Prior Analyt. c. 37. Pacio.

lib. 1 c. 4 in Ev. Iohan. interprete Georg. Trapezuntio.

ſtinus, Latinus Græco. Nam de verbis Iacobi ad fratrem Eſavum differens, *Propter hoc vidi faciem tuam, quemadmodum videt aliquis faciem Dei,* ita inter alia ſcribit: *Hoc potuit ſic dici, quemadmodum & Moſes Pharaonis deus dictus eſt, ſecundùm quod dicit Apoſtolus, Etſi ſunt, qui dicuntur dii, ſive in cælo, ſive in terra, quemadmodum ſunt dii multi & domini multi; maximè, quia ſine articulo in Græco dictum eſt, quo articulo evidentiſſimè ſolet dei veri unius fieri ſignificatio. Non enim dixit πρόσωπον τȣ̃ θεȣ̃, ſed dixit πρόσωπον θεȣ̃. Facilè autem hoc intelligunt, quâ diſtantiâ dicatur, qui Græcum eloquium audire atque intelligere ſolent.* Veruntamen obſervandum eſt, nonnunquam voci θεȣ̃ præfigi articulum, etiamſi de Deo ſummo ſermo non ſit: ſed tum ea vox vel pluralis eſt numeri; vel cum adjectione quadam ponitur, quæ articuli vim reſtringat; vel denique articulus pro adverbio ὦ, quod vocandi caſui præfigi ſolet, uſurpatur. Primum in Græca vet. Teſtamenti translatione occurrit: cætera etiam in novi Fœderis ſcriptis. Nam quod ad primum attinet; cùm Deus ſummus dicitur [a] *Deus Deorum,* tum apud Moſen, tum apud Danielem, voci θεῶν plurali articulus præfigitur, qui univerſitatem quandam denotat. Significatur enim, eum eſſe omnium cæterorum deorum Deum. Quod ad ſecundum attinet, vox θεȣ̃ articulo quidem notata, ſed cum adjectione aliqua, nunc [b] ſingulari, nunc [c] plurali numero poſita, etiam falſis diis tribuitur: ut nil prohibeat, quominus vero alicui Deo, licèt non ſummo, tribui queat, ob peculiarem quendam ad eum, cujus mentio adjicitur reſpectum. Animadvertendum enim eſt, quando vocabula cum adjectione aliqua ponuntur, vim articuli eis præfixi, vel penitus perire, vel ex eo, quod adjicitur, æſtimandam eſſe. Neque enim, ſi quid fortè ſingulare denotat, eam ſemper rem deſignat, quæ in toto illo genere, quod voce eadem abſolutè poſita ſignificatur, eminet: ſed ſæpè eam tantùm, quæ peculiarem quendam ad id, quod apponitur, reſpectum habet. Et hoc quidem cernitur in iis exemplis, in quibus fictitius aliquis Deus, hujus aut illius gentis Deus, cum articulo dicitur: quia ab ea gente vel ſola, vel præcipuè colatur, vel primùm omnium cultus fuerit. Cæteroquin nullam rei, ut ita dicam, ſingularitatem denotat articulus, præter eam, quam ipſum vocabulum appoſitum per ſe ſignificat. Sic ὁ κύριος, ὁ διδάσκαλος abſolutè poſitus, certum quendam dominum, aut doctorem ſignificat: & in ſacris quidem literis nominatim

De nomine θεὸς.

lib: 1. Quæſtionũ ſuper Geneſ: quæſtione 105. Gen: 33. 10.
Exod: 7. 1.
1 Cor: 8. 5.

vide etiam Iudic: 13. 22.

a Devt: 10. 17. Dan: 11. 36.

b Iudic: 11. 24. 1 Sam: 5. 7. 4 Reg: 19. 34.
c Exod: 12. 12: 23, 24, 32, 33: 34. 15, 16.
Devt: 6. 14: 7. 16. 25, & alibi paſſim.

De nomine θεὸς.

minatim Christum. De voce κύριος cum articulo posita, res omnibus est nota. de voce διδάσκαλος habes apud Matthæum & Iohannem exempla. At cùm dicitur ὁ κύριος vel ὁ διδάσκαλος τούτου ἢ ἐκείνου, dominus vel magister hujus aut illius, nihil singulare denotari solet, quod ex voce apposita per se non pateat. quemadmodum vel [d] ex sacris literis petita docent exempla. Sic [e] ὁ ἀδελφός σου, frater tuus, [f] ὁ υἱὸς αὐτοῦ, filius ipsius, & similia, nil singulare significare deprehenduntur. Denique articulum voci θεὸς præpositum in adverbium vocandi ὦ migrare, iis ignotum esse non potest, qui vel Psalmorum translationem Græcam legerint. Nam [g] in iis fortasse semper, in [h] cæteris sacrorum librorum plærumque, pro vocandi casu θεὲ vel ὦ θεὲ, legitur ὁ θεός. Ejusdem rei exempla habes etiam in novo Testamento. Nam & apud [k] Marcum Christus in cruce pendens exclamasse legitur, ὁ θεός μου, ὁ θεός μου, hoc est, *Deus meus, Deus meus*, pro, *Deus mi, Deus mi:* quemadmodum [l] apud Matthæum expressè legimus, ubi est, θεέ μου, θεέ μου. In iis autem verbis Christus respexisse creditur ad Psalmi 22. initium, ubi itidem in Græco est ὁ θεὸς ὁ θεός μου, nominativus pro vocativo. Exemplum etiam extat in verbis Psalmi 45. quæ citantur in Epistola ad Hebræos; quibus Psaltes literali, quem vocant, sensu Salomonem, mystico Christum compellans, ὁ θεὸς dicit, pro θεὲ, vel ὦ θεὲ. Eandem casuum enallagen sequuntur & aliæ voces, præsertim, quando cum voce θεὸς pro vocativo usurpata junguntur. Sic usurpatur ὁ βασιλεύς μου Psal. 5. 2. ὁ κυριός μου Psal. 35. 23. illic sequitur, hîc præcedit ὁ θεός μου. Psalmo autem 8. 2: κύριος ἡμῶν ita sumitur, licèt proximè præcesserit κύριε. Apud Iohannem similia occurrunt. cap. 13.31. ait ad discipulos Christus: *vos vocatis me* ὁ διδάσκαλος καὶ ὁ κύριος, ubi rectè doctissimi quidam interpretes vulgatam versionem defendunt, quæ vocandi casu habet, *Præceptor & Domine*. cap. 19. 3. milites ita affantur Christum: Salve ὁ βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων, id est, *ô Rex Iudæorum*. Similia reperies in [m] Apocalypsi. Vt non immeritò credas, cùm Thomas apud eundem [n] Iohannem ita Christum affatur, ὁ κυριός μου, καὶ ὁ θεός μου, eum nominativo pro vocativo esse usum, quasi dixisset, *ô domine mi, & ô Deus mi:* quemadmodum alibi easdem voces ad alterum directas usurpari videmus. Quanquam etiamsi

ea Tho-

Mat: 26. 18. Ioh: 11. 28.
d Mat: 10. 25. & 24. 45. Luc: 12. 36, 45, 47.
e Mat: 5. 23, & d. 7. 3, & d.
f ib: ℣ 9.
g vid: inter alia Ps: 3. 8: 5. 3, 11: 7. 2, 4, 10: 10. 12, &c.
h vid: Num: 12. 13: Iud: 16. 28. 3 Reg: 8. 23, 25, 26, 28. 1 Par: 17. 17.
k Mar: 15. 34.
l Mat: 27. 46.
Psal: 45. 7. Heb: 1. 8.
vide etiam Psal: 86. 12.
m Apoc: 6. 10.
n Ioh: 20. 28.

De nomine θεός.

ea Thomæ verba ita accipiantur, ac si dixisset, *Tu es dominus meus & Deus meus*, quemadmodum nonnulli verterunt interpretes: intelligi tamen ex superioribus potest, articuli vim ob adjectam particulam μου, id est, *meus*, minui. Quòd si vim aliquam habere concedendum sit; consentaneum est, Thomam, cùm Christum a Deo resuscitatum videret, dicere voluisse, eum esse illum Dominum, qui a Deo fuerit Israëlitico populo promissus, qui ei genti sit insigniter benefacturus, eumque ex servitute liberaturus: ut jurè eum non modò dominum suum, sed & Deum suum appellare possit aut debeat. breviter, eum esse illum Christum Dei filium, quem esse aliquando unà cum cæteris crediderat ac professus fuerat; sed quæ fides, Christi morte tam dira tamque infami, deliquium aliquod in Thoma fuerat passa. Quare articulus potissimùm censendus erit ἀναφορικὸς, qui mentem ad rem certam anteaque notam referat. Cæteroqui cùm de Christo vox θεοῦ usurpatur, vel manifestè, ut in loco Psalmi superiùs viso, articulus vim perdit, cùm nominativus pro vocativo ponatur; vel vox θεὸς sine articulo posita, prædicati locum obtinet. Sic apud Esaiam puer aliquando nasciturus dicitur appellandus θεὸς ἰσχυρὸς, *Deus fortis*: apud Iohannem dicitur θεὸς ἦν ὁ λόγος, id est, *Verbum* vel *Sermo erat deus*. Nam vocem λόγος articulo notatam, quo vox θεὸς caret, subjecti locum ibi tenere, omnes, quod sciam, interpretes atque explanatores Græcæ linguæ non ignari animadverterunt. Apud Paulum Christus dicitur esse *super omnes* vel *omnia θεὸς, Deus*, itidem absque articulo. Vt satis appareat, soli Patri nomen hoc, articulo vim suam retinente notatum, tribui: eum etiam solum intelligi, cùm vox ea subjectivè in Novo Testamento usurpatur.

Mat: 16. 15, 16. Ioh: 6. 69.

Psal: 45. 7.

Esa: 9. 7.

Ioh: 1. 1.

Rom: 9. 5.

Ex eo autem, quòd vox *Dei* tum in Hebræo, tum in Græco, ejusmodi adjectionem amat, quâ relatio ad alios significatur, ut cùm Deus dicitur esse Deus hujus aut illius; ex eo, inquam, facilè intelligitur, eam vocem nec naturâ suâ propriam esse, nec ipsam Dei essentiam significare. Propria enim nomina apud Hebræos ejusmodi adjectiones non patiuntur. Non dicitur verbi gratiâ, Moses vel Iesus vel Paulus hujus aut illius, nisi cùm subauditur vox *filius*, in fæminarum nominibus *filia* vel *uxor*. Essentia etiam Dei ex rerum absolutarum est numero, non relatarum. Cur ergo tam crebrò Deus dicitur horum aut illorum Deus? nempe quia Dei vox potestatis inprimis & imperii nomen est, cui honor ac venera-

De nomine κύριΘ.

o vide inter alia Exod: 3. 6, 15, 16, confer Gen: 17 7, 8. & Mat: 22. 31, 32. 2 Cor: 6. 16. conf: Levit: 26. 12.

p Gen: 24. 12, 27, 42, 48: 27. 20: 31 5, 29, 42, 53: 33. 20. conf: cum 28. 21: 43, 23: 50. 17.

veneratio debetur, & quod parentibus solet esse salutare. Significat igitur ejusmodi adjectio, Deum esse [o] benignissimum ejus, cujus Deus esse dicitur, dominum ac rectorem, aut [p] ab eo pro hujusmodi numine coli, vel coli debere, quemadmodum exempla docent. Latini etiam Dei vocem, tanquam principatus benefici nomen, usurpant: quanquam interdum ad solum principatum, seu mavis eminentiam alicujus, interdum ad solam beneficii magnitudinem exprimendam adhibent. Nam & Principes virosque potentes, Deos interdum videmus appellari; & eum, qui inter Poëtas eminet, Poëtarum; qui inter Oratores aut Philosophos, Oratorum aut Philosophorum Deum dici: denique eum, qui alteri insigniter benefacit, Deum censeri. Vnde illud vulgò tritum, *Homo homini deus:* cujus cōtrarium, *Homo homini dæmon* aut *lupus*. Eo modo Orator Lentulum, *fortunæ nominisque sui deum statuere se* ait. Sed de his satis. Alia nonnulla, quæ eò pertinent, ut rectiùs intelligatur, quo pacto Deus summus ob potestatem atque imperium Deus dicatur, ad explicationem ipsius potestatis divinæ reservamus.

Cap: XIV.

De nomine κύριΘ & δεσπότης.

Restat vox κύριΘ, *dominus*, &, quæ interdum ejus loco reponitur, δεσπότης, id est, *herus*. Significatio illius nominis genuina nota est omnibus; ut ne quidem necesse sit monere, id perinde ut cætera hucusq; a nobis visa, cùm naturâ suâ commune sit, κατ' ἐξοχὴν sumtum, de Deo frequenter instar proprii usurpari. Diximus autem suprà, id tum pro nomine *Adonai*, cui magis propriè respondet, tum propter hoc, etiam pro tetragrammato *Iehova* in Græco reponi. Quia enim *Adonai* pro *Iehova* in lectione Hebræorum verborum substitui consvevit; ideo illius etiam interpretatio huic accommodatur. præsertim quia durius visum fuisset Græcis auribus, si interpretes proprietatem vocis sequuti, eam toties reddidissent ἔσαι vel ὁ ἔσαι. Adde, quòd illud Dei nomen, quod ob venerationem etiam inter Hebræos occultaretur, ejusmodi interpretatione non videntur vulgare voluisse. Quia verò vox Iehova magis, quàm cætera Dei nomina, propriorum naturam sequitur: ideo etiam Græca κύριος, cùm pro illa ponitur, propriorum indolem, quà licet, æmulatur. Diximus suprà ex virorum do-

Cap: XIV. De nomine κύριος.

rum doctissimorum sententia, propriis nominibus articulum libentiùs subtrahi: quia cùm per se satis videantur esse restricta, restrictione ea, quæ per articulum fieri solet, non indigeant: licèt interim articulum etiam sæpe concinnitatis potiùs, quàm necessitatis caussâ admittant. Idem fit in voce κύριος, cùm pro [a] *Iehova* ponitur; sæpè etiam cùm pro [b] *Adonai*: præsertim cum utraque vox Hebræa, propriarum more, He emphaticum, quod articulo apud Græcos respondere diximus, respuat. Nam licèt ἐξοχῆς significationis, & distinctio supremi domini ab aliis dominis, videatur articulum postulare: tamen quia res ipsa, locorumque circumstantiæ Dominum illum ab aliis satis discernunt, & de summo rerum omnium monarcha sermonem esse docent; ideo articulus longè frequentiùs omittitur: ut vox illa non per eum demum coarctata, sed tanquam propria, per se satis iam restricta esse videatur. Cæteroqui cùm nomen istud κατ᾽ ἐξοχὴν sumitur, sed de alio, præterquàm de uno Deo, usurpatur, articulum plærunque sibi præfixum habet; ut appareat, id per se commune, ab articulo ad certam personam esse restrictum.

Atque hæc est causa, cur in novo Testamento, maximè apud Lucam & Paulum, vox κύριος, cùm Deum summum designat, articulo libentiùs careat; quemadmodum & apud veteres Testamenti interpretes, unde in Nov. Testamenti libros consvetudo illa manavit. At cùm de Christo subjectivè usurpatur, raro articulus omittitur, nisi fortè cùm occurrunt verba *in Domino*, quæ apud [c] Paulum satis sunt frequentia. Licèt enim ea de Christo plærumque accipiantur, de Deo autem summo tunc fortasse tantùm, cùm [d] ad aliquem veteris Testamenti locum respicitur: tamen vix est, ubi ea cum articulo voci κυρίῳ præposito reperiantur. Itaque non est illud discrimen, quod in additione aut detractione articuli consistit, ita perpetuum, ut non sit interdum necesse aliunde judicare, utrùm de Christo, an verò de Deo summo sit sermo. Cùm ergo ad locum aut historiam veteris Fœderis respicitur, aut de re sermo est, quæ facta fuerit, antequam munus suum ordiretur Christus; simplex *Domini* nomen Deum summum revera significat: nisi fortè verba vet: fœderis ad Christum potiùs accommodentur, quàm de eo prolata fuisse dicantur; aut in simplici narratione ad Christum, qui futurus aliquando sit dominus, apertè respiciatur. At cùm verba fiunt de re ad N. Fœderis tempora propriè pertinente, si articulus nomini κυρίου præfixus sit, sal-

a Gen: 2. 5, 8, 15, 16, 22: 3. 1, 8, 9, 14. 21, 23, & alibi passim.
b Psal: 68. 18, 21, 23, 27: 71. 16: 77. 8.
c vide inter alia Rom: 16. 2, 8, 11, 12, 13, 22. 1 Cor: 7. 39: 9. 1, 2. Ephes: 5. 8.
d 1 Cor: 1. 31. 2 Cor: 10. 17. vid: Ier: 9. 24.

tem ut plurimum Christus intelligitur: cùm abest, sæpiùs Deus summus; præsertim si excipias locos, in quibus extant verba ἐν κυρίῳ.

Ex hoc autem discrimine facilè apparet, nomen *domini*, cùm de Christo usurpatur, non respondere nomini *Iehova* vel *Adonai*. quia alioquin articulo frequentiùs careret. Articulus igitur ille significat quidem, Christum κατ' ἐξοχὴν dici *dominum*: sed tamen *domini* vocem aliquid minus significare, quàm *Iehova* aut *Dei* nomen subjectivè positum. Atque hinc est, quòd *Dominus* absolutè positus, a *Deo* itidem simpliciter nominato, tam crebrò distinguatur, & ille titulus Christo, hic Patri tanquam proprius in novo Fœdere tribuatur, atque adeò Pater ille unus Deus, Christus ille unus Dominus dicatur. Dei enim nomen eum tunc significat, qui potestatem habeat in omnia a nullo alio dependentem: Domini verò nomen eum, qui divinum quidem imperium, sed ab alio tamen acceptum habeat, idque ejus nomine ac voluntate administret; & cui nominatim divini populi gubernatio sit commissa. Alioqui Deus ille unus a Domino uno distingvi non posset: sed utrumque nomen Patri adscribendum esset. Supremus enim Deus, simpliciter etiam supremus rerum omnium, ac porrò unicus est dominus; & contrà.

1 Cor: 8. 6. Ephes: 4. 5, 6. conf: 1 Cor: 12. 5, 6.

Iam ut de nomine δεσπότου, seu *heri*, nonnihil dicamus; eo [a] simpliciter posito rariùs designatur Deus; sæpius [b] aliis additis verbis, ex quibus facilè intelligatur, de Deo summo sermonem esse. In Græca veteris Testamenti versione plærumque pro nomine *Adon* vel *Adonai*, de quo suprà satis diximus, ponitur: rariùs pro aliis Dei nominibus. Hinc quo pacto Deo tanquam proprium nonnũquam tribuatur, facilè apparet. uti nec illud obscurum est, cur ei omninò tribuatur. Ius nempe illi est in omnia dominicum, atque in res omnes intelligentiâ præditas herile: & in nos quidem, tum ob creationem, tum ob redemtionem, quâ nos sibi vindicavit atque asseruit. Ille summus atque adeò unicus est, sive in maxima hac universi domo, sive nominatim in cælo, sive denique in Ecclesia, quæ peculiariter [c] domus Dei appellatur, paterfamilias. Hunc dignitate proximè attingit Christus, qui licèt non semel in sacris literis Dei servus appelletur, ejus temporis habita ratione, quo in terris mortalis egit: nunc tamen non, ut Moses, servi partes in Dei domo sustinet, sed, quemadmodum testatur [d] divinus ad Hebr. scriptor, filius est super Dei suamque domum,

a vid: Prov: 29. 25. Luc: 2. 29. Act: 4. 24. b Gen: 15. 2: Job: 5. 8. Esa: 1. 24: 3. 1: 10. 33. 2 Pet: 2. 1. Jud: ℣ 4. Apoc: 6. 10.

c 1 Tim: 3. 15.

d Heb: 3. 5, 6.

quæ par-

Cap: XIV. De nomine Δεσπότης.

quæ partim Ecclesia, partim cœlum est. Etsi autem in Dei domo ita, ut diximus, eminet: quia tamen non simpliciter in ea summus est, cùm [e] caput habeat Patrem; ideo nuspiam Δεσπότης seu *herus* aut *paterfamilias* appellatur: sed ab illo [f] nonnunquam clarissimè distingvitur. Nam quòd apud Iudam sub uno uterque articulo commemoratur; id conjunctionis, non identitatis, ut ita dicam, indicium est, quemadmodum [g] alibi disputabitur. Si unus idémque esset, nil fuisset opus, postquam eum appellasset *solum herum Deum*, nominare *dominum nostrum:* præsertim cùm vox *heri*, vim omnem vocis *domini* complectatur. ut taceam, Christum *solum illum herum* dici non posse; cùm Pater ita herus sit, ut hoc ipso nomine appellatus, a Christo distingvatur, quemadmodum exempla e Lucæ scriptis adducta docent.

Et hæc de nominibus Dei, tum Hebræis, tum Græcis: ex quorum vi de significatione Latinorum, quatenus hæc in illorum locum subeunt, statuendum est. Hæc autem divinorum nominum explicatio primùm eò prodest, ut non pauca sacrarum literarum loca rectiùs intelligamus, quæ, ignorata earum vocum vel ambiguitate quadam, vel propria vi ac significatione, in alienum sensum trahi facilè possunt, atque adeò trahuntur: simul ut controversias quasdam non exigui momenti faciliùs dijudicare ac decidere possimus. Deinde cùm videamus, nomina Dei plæraque aut potentiam, aut imperium Dei supremum ac maximè beneficum exprimere; quædam etiam ipsius fidem & constantiam in servandis promissis: monemur, ut hæc Dei attributa altiori quodammodo cogitatione expendamus, animisque nostris infigamus. Prorsus enim credibile est, ab iis potissimùm rebus Deum esse in sacris literis appellatum, quas de ipso sciri ac credi omnium hominum plurimùm intersit, & quarum cognitio ad religionem ac pietatem in nobis excitandam, maximum habeat momentum. Huc enim omnia, quæ de Deo in sac. literis dicuntur, tendunt. Et profectò quis est, qui, si potentiam Dei summam, si summum ejus in omnia imperium, nec summum tantùm, sed & maximè beneficum; si denique fidem ejus ac constantiam in servandis promissis planè immutabilem agnoverit, & iis de rebus cogitationem ex animo nunquam deposuerit, spem suam in eo collocare dubitet, & ad eum summa animi veneratione colendum, atque ad obsequium ei præstandum, totum se non componat? quis ei placere, & favorem ejus, quibus possit modis, ambire non studeat? Quòd si quis aliquantò diligentiùs ea rimari ac persequi velit, quæ de no-

[e] 1 Cor: 11. 3.

[f] vid: Luc: 2. 29, & d. Act: 4. conf: ℣ 24. cum 27, & 30. Iud: ℣ 4.

[g] inf: lib: 5. cap: 10.

minum istorum vi dicta sunt; haud difficulter ea poterit eruere, vel omnia, vel saltem plæraque, quæ de Dei natura sunt omnibus necessariò cognoscenda. Sed cùm ea aliunde clariùs intelligantur, ut infrà videbimus; hæc nunc persequi nolumus.

Cap: XV.

Descriptio quædam Dei traditur.

POstquam de nominibus Dei satis disseruimus; sequitur, ut de re ipsa videamus: quamquam & de nominibus agentes, rem aliquatenus attingere oportuit. Requiri autem primò omnium videtur, ut definitione quadam res explicetur. Perfectam & exactam Dei definitionem nemo fortassis adhuc Christianorum ausus est polliceri, nec nos promittimus. Nam cùm aliàs difficilis est essentiæ rei uniuscujusque investigatio, & exquisita per definitionem explanatio; tum verò maximè Dei, cujus essentia est a sensibus nostris remotissima, adeoque sublimis, ut ad ejus contemplationem oculi mentis nostræ caligent. Quare ea contenti erimus descriptione, quæ rem, quoad ejus fieri potest, commodè nobis explicet, & a cæteris omnibus discernat. Potest autem duplex Dei tradi descriptio, quarum altera minùs quidem accurata est, & ipsam Dei naturam atque essentiam vix attingit; sed tamen ad usum popularem est accommodatior, atque haud scio, an ad religionem utilior cognitu: altera aliquantò accuratior est, & Dei essentiam, quà licet, explanat. Prior ad hunc similémve constitui potest modum, ut Deum dicamus esse Creatorem ac Dominum omnium rerum supremum, Patrem Domini nostri Iesu Christi. de qua postrema hujus descriptionis parte agetur, tum in hoc opere, tum a nobis, si Deus voluerit, alibi. Hoc ferè modo in Symbolo, quod Apostolicum vocant, Deum videmus descriptum. In ea religionis ac cultus, quem ipsi debemus, caussa continetur ac fundamentum. Ejus explicatio fusior ad tractationem partim attributorum, partim effectorum divinorum spectat. In illorum enim numero est dominium Dei in res omnes: in horum creatio, & generatio Iesu Christi, ob quam Pater ejus dicitur. Quare his nunc non immorabimur. Posterior definitio constitui potest hujusmodi, ut Deum dicamus esse Spiritum æternū. Æternum autem, non tantùm quia semper extiturus sit, sed etiam quia semper extiterit. Eodem propè sensu dixeris Spiritum ex seipso existentem: ex seipso autem existere, cujus nulla prorsus est efficiens.

Conf. l. 5. c. 9.

efficiens. Spiritum cùm nominamus, ſubſtantiam intelligimus ab omni craſſitie, qualem in corporibus oculorum arbitrio ſubjectis cernimus, alienam. Hoc modo & Angelos dicimus ſpiritus, & diviniorem noſtri partem, quam animam Philoſophi libentiùs appellant; & aërem denique, licèt ſenſibus quibusdam, ut tactui, patentem, & alia corpora huic ſimilia: quorum unumquodque tantò magis hoc nomen ſortitur, quantò eſt ſubtilius. Hoc ergo genus ita eſt Deo cum iſtis rebus commune, ut ordo tamen ſit inter has ejus ſpecies, partim naturę, quatenus aliæ ab una pendent; partim perfectionis. Pendent enim cæteri ſpiritus a Deo: & aliis magis, aliis minùs id nomen convenit. Itaque non ita naturam generum ſynonymorum retinet, quin ad illa propiùs accedat, quę communia ab uno appellari ſuperiùs alicubi diximus. Hoc autem genus ipſæ nobis ſuppeditant ſacræ literæ. quandoquidem Chriſtus apud Iohannem, *Spiritus*, inquit, [*eſt*] *Deus*. Animadverterunt enim ibi omnes propè ſac. literarum interpretes, *Dei* nomen, quod articulo eſt in Græco notatum, ſubjecti locum tenere; vocem *ſpiritus*, quæ articulo caret, prædicati: neque eam *ſpiritum* ſanctum iſtic denotare: cùm manifeſtè de Patre ſit ſermo: ſed ſpiritualem ſignificare ſubſtantiam. Itaque perinde eſt, ac ſi dictum fuiſſet, Deus eſt ſpiritus, ſeu ſpiritualis ſubſtantia. Ex his autem intelligitur, membra humani corporis, quæ Deo in ſac. literis adſcribuntur, uti & partes quædam aliarum animantium, quales ſunt alæ, non niſi impropriè Deo tribui. ſiquidem a ſpiritûs natura prorſus abhorrent. Tribuuntur autem Deo per metaphoram cum metonymia conjunctam. nempe quia vel facultates, vel actiones Deo conveniunt, illarum ſimiles, quæ membris illis aut inſunt, aut per ea exercentur. Veteres quidam, quos hodie omnes vulgò ſequuntur Theologi, hanc loquendi figuram ſpeciali nomine ἀνθρωποπάθειαν vocarunt; ad quam & illi pertinent loquendi modi, quibus humani affectus, aliaque his ſimilia Deo tribuuntur, de quibus ſuo loco.

Cap: XV. Deſcriptio Dei traditur.

cap: 15.

cap: 4. 24.

Hinc porrò & illud intelligitur, Dei formam ab homine concipi revera non poſſe, nedum imagine aut ſimulachro aliquo exprimi. Quam tu enim ſpiritui, quem oculis cernere non potes, formam tribues? Cumque neceſſe ſit, quicquid homo mente concipit, multò autem magis, quod manu efformat, Dei majeſtate longè eſſe inferius; ideo eam, quantum in ſe eſt, minuunt, & venerationis illi multum detrahunt, quicunque ſimulachro atque

effigie

Cap: XV. Descriptio Dei traditur.

effigie Deum exprimere audent; vel potiùs, cùm exprimere nequeant, conantur tamen. qui quidem tantò peccant graviùs, quòd id Deus fieri expreſſè vetuit, & cùm fieret, graviſſimè reprehendit. qua de re quia alibi in his libris agetur, ſacræ ſcripturæ teſtimoniis citatis; ideo plura hîc non addimus.

inf: lib: 4. cap: 32.

Ex his autem & uſus doctrinæ patet de genere, quod in deſcriptione Dei poſteriore collocavimus. Cui accedit ille, quem is ipſe ſuggerit locus, in quo Deum ſpiritum appellari vidimus. Ait enim Chriſtus: *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus* [*eſt*] *Deus: & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Significat enim Chriſtus, id quod ratio ipſa dictat, Deum, cum ſpiritus ſit, non niſi ſpiritualibus revera delectari. Itaque carnalem atque umbratilem ejus cultum, qui certo aliquando loco fuerat ab ipſomet Deo alligatus, jam porrò ex ipſius conſilio ceſſare, ſpiritualem autem ei ſuccedere debere. Quapropter ſpiritûs ſeu animi religione ac pietate, Deum propitiandum eſſe meminerimus; ita nimirum, ut agnita ipſius majeſtate atque imperio, agnita ſimul bonitate, agnitâ ſapientiâ, quâ intimos cogitationum noſtrarum receſſus ſcrutatur, humillimè nos coram eo demittamus, ac veluti proſternamus; ei nos totos dedamus, ejusque nutum in omnibus ſequi velimus; eum amemus toto pectore; ſimul tamē, filiorum more, etiam timeamus ac revereamur; ac porrò omnia, quæ juſſerit, ſumma animi alacritate exſequamur: eundem animum ab omni cogitationum atque affectuum impuritate ita purgemus, ut corpus quoque ab omni peccatorum labe ſervemus immune. Neque enim ita ſpiritu colendus eſt Deus, ut interim de externis operibus ſolliciti non ſimus, &, cùm corpus in peccatorum cœno volutetur, animum inquinari non putemus: quemadmodum nonnulli & ſibi, & aliis fruſtrà, vel potiùs impiè, perſvadere conantur. Nam omnia, quæ corpore delinquuntur, ab animi quadam manant impuritate, & in illum ita redeunt, ut conſcientiæ labem aſpergant, notamque inurant, ni gratia divina, & emendatio vitæ accedat, indelebilem. Non otioſa & ignava animi cogitatione aut conſilio colitur ac propitiatur Deus; ſed ea demùm, quæ efficax eſt, & in omnium bonorum operum fructus exuberat; quos niſi proferat, ne ipſe quidem animus ſibi ſatisfacit, nedum ut Deo ſatisfacere poſſit. Itaque ad ſpiritualem Dei cultum pertinet, quicquid animus, divinæ voluntatis cognitione inſtructus, & veneratione majeſtatis ipſius

Ioh: 4. 23, 24.

pſius plenus, ac fiduciâ in ipſo poſitâ ſuffultus, facere jubet. Vnde & opera illa, quæ ceremoniæ dicuntur, & per ſe nihil, quod ad honeſtatem pertineat, in ſe continent, eatenus olim Deo placuere, quatenus ex ſtudio ipſi placendi, ac mandatis ipſius parendi, fuére profecta. quæ tamen poſtea per Chriſtum ſuſtulit, utpote nec ſuæ naturæ, ut vidimus, ſatis convenientia, nec virili humani generis ætate, judicio, ac ſtudio ſatis digna. qua de re agetur in his libris alibi. Et hæc de genere in deſcriptione Dei poſito dicta ſufficiant. Alia enim, quæ plus ſubtilitatis, quàm utilitatis, aut etiam certitudinis habent, libenter prætcrimus, & in cæteris quoque præterituri ſumus. cùm non id agamus, ut ad diſputationes ac certamina ſcholarum, ſed ut ad pietatem ac religionem inſtructiores evadamus. quam ob cauſſam nobis nunc etiam pluſculum indulſimus in uſu hujus doctrinæ explicando: quia utut aliquantùm a via digreſſi ſimus, non tamen aberraſſe videmur. ad ſcopum enim noſtrum tetendimus.

Quod ad æternitatem attinet, quam differentiæ loco in eadem deſcriptione poſuimus; de ea inferiùs agemus, cùm attributa divina explicabimus. Illud, quod itidem differentiæ loco poni in definitione Dei potuiſſe diximus, nempe quòd a ſeipſo exiſtat, uberiori explicatione non indiget. Admonere nos tantùm debet, ut Dei majeſtatem & admiremur & veneremur, ſupra quicquid in creaturis magnum cernimus & admiramur; atque adeo ſupra cœleſtes atque immortales ſpiritus, quorum natura inter cæteras res creatas eminet maximè. Deus enim a ſeipſo eſt, quicquid eſt: ſimplici exiſtit neceſſitate, quæ in ipſomet eſt, non in cauſſa ipſius aliqua, ut pote quæ nulla eſt. cum res creatæ omnes, ut Apoſtoli verba huc accommodemus, ex ipſo ſint, & per ipſum, & porrò etiam in ipſum, ſeu ipſius gratiâ. Itaque quò creatura quæque eſt præſtantior, tantò plus Deo debet referre acceptum: Deus nihil cuiquam.

infi cap: 18.

Rom: 11 ult.

Cap: XVI.

Attributorum divinorum diſtinctio.

Cap: XVI. Attributorum divinorum diſtinctio.

Poſtquam deſcriptionem Dei vidimus, & illud inprimis ipſius attributum conſideravimus, quod [a] συνωνύμως, ſeu in quid, ut in ſcholis loquuntur, de ipſo enunciatur: nunc ad illa veniendum eſt, quæ [b] παρωνύμως, ſeu in quale quid, de eo dicuntur; & ea quidem reve-

a univocè ſeu directè.

b denominativè ſeu obliquè. cap: 13.

Cap: XVI. Attributorum divinorum distinctio.

dem revera tantùm, quæ in ſacris literis commemorantur. cætera enim, ſi quæ ſunt, non niſi eatenus attingemus, quatenus in illis vel continentur, vel ad eorum explicationem aliquid facient. Nam illa, quæ in ſacris literis extant, & indubitata ſunt, & ad eum, quem quærimus, uſum, h. e. religionem ac pietatem, ſufficiunt. Quamquam & inter ea, quæ de Deo in ſacris literis dicuntur, is nobis in hoc opere habendus eſt delectus, ut ea per ſe ac præcipuè ſumamus explicanda, quæ affirmatè de eo enunciantur; vel ſaltem, utut negativa eſſe videantur, ſi vocum formam ſpectes, tamen ſi rem ipſam intuearis, affirmativa potiùs ſunt, aut affirmationem in ſe continent, ut incorruptibilitas atque immortalitas. Vtraque enim neceſſitatem quandam perpetuò exiſtendi ſignificat; poſterior & vitam in ſe includit. Illa verò exiſtendi neceſſitas, ad æternitatem Dei ſpectat. Vita Dei ſuum habet in hac tractatione locum. Cætera, quæ negativè de Deo in ſac. literis dicuntur, & non qualis ſit, ſed qualis non ſit, explicant, ſatis erit tum attingere, cùm vel ad affirmativa declaranda, vel ad uſum illorum oſtendendum aliquid facient. Nam alioqui nulla diſciplina per ſe attendit ea, quæ negativè de ſubjecto illius dicuntur. quia negationes de re quaque infinitæ eſſe poſſunt; & porrò diſciplinâ comprehendi nequeunt. adde, quòd iis probè cognitis, quæ rei inſunt, facilè eſt de iis judicare, quæ ei non inſunt. Non diſputabimus autem hoc loco multis, quo diſtinctionis genere attributa Dei, præſertim naturalia, (quædam enim illi vi liberæ voluntatis inſunt) a ſe invicem diſcernantur, in quo Scholaſticorum ingenia ſeſe exercent. Satis hîc nobis erit illud tenere, quod omnes fatentur, ea, quæ naturaliter Deo inſunt, nunquam a ſe invicem reipſa ſejungi poſſe: interim tamen neceſſe eſſe, ut & iſta, & cætera omnia, aliter atque aliter animo concipiamus, ac porrò etiam deſcribamus; & uno cognito atque explicato, non protinus cognita atque explicata eſſe cætera. Aliter enim v. g. mente concipere & definire oportet unitatem Dei, aliter æternitatem, aliter vitam, aliter ſapientiam; & ſic in cæteris. nec qui unum illorum cognoverit, protinus cognita habet & cætera. Alioqui ſatis foret unum Dei attributum explicuiſſe; & ſic ſuperflua foret cæterorum tractatio. Neque verò, dum illa diſtinctè & conſideramus, & explicamus, falli nos, aut falſa Deo affingere, quiſquam dixerit. Aliàs ſine errore vix quicquam de Deo aut cogitare, aut loqui poſſemus. quin & viri divini, dum divini ſpiritus impulſu diſtinctè de Dei attributis loquuntur, &, ut diſtinctè de iis cogite-

cogitemus, hoc pacto efficiunt, nobis in hoc errore præivissent, atque ad eum nos impulissent.

Inter illa verò hunc servabimus ordinem, ut ea priùs tractemus, quæ ad communes entium, ut loquuntur, seu rerum affectiones vel revera pertinent, vel cum iis conjunctionem habent; tum demum illa, quæ viventium sunt propria. Ad priora quod attinet; inter communes entium affectiones sunt, existentia, unitas aut multitudo, itemque duratio. De Dei existentia ante omnia nobis fuit agendum, ob caussam primo capite explicatam. Sequitur ergo, ut de unitate Dei in sequentibus primò agamus; deinde de æternitate, quam durationis vel perfectionem, vel perfectissimam speciem possis dicere. Ea, quæ viventium sunt propria, suo loco distribuemus.

Ita verò in singulorum attributorum explicatione versabimur, ut declarata, ubi opus fuerit, vocum significatione, & ostenso, attributa illis significata Deo convenire, eorum rationem ac naturam investigemus, locis etiam sacrarum literarum excussis, qui ad eorum intelligentiam magis videbuntur necessarii. quo facto, de *usu*, quem earum rerum cognitio nobis possit afferre, nonnihil adjiciemus.

Cap: XVII.

De Unitate Dei.

QVod ergo ad unitatem Dei attinet; non persequemur hîc *ea*, quæ de multiplici ejus vocis usu in scholis disputantur. Satis erit, eam nos hîc significationem explicare, quâ Deus in sacris literis, atque adeo vulgò quoque, unus esse dicitur. Dicitur autem unus, quia unus sit numero, ut loquuntur, & quidem ita, ut plures sui generis, seu tu mavis dicere speciei, non habeat. quo pacto unum dicimus esse Solem, aut Lunam, aut terrarum orbem, & si quæ sunt iis similia. Significare enim volumus, eorum quodque unum esse numero, & ita singulare, ut alia, quæ ejusdem sint speciei, non extent, h. e. plures Soles, Lunas, terrarum orbes non esse. Hoc modo Deum in sac. literis unum dici, nemo ignorat. Sciunt enim omnes, unum Deum ideo asseri, ut ostendatur, plures Deos non esse: idque tum absolutè ac simpliciter, tum relatè, quatenus nimirum asseritur, unum esse tum horum, tum illorum hominum, Iudæorum v. g. & Gentium Deum, qua de re infrà nonnihil monebimus. Dictum est autem suprà, Dei nomen

nomen hoc loco eum ſignificare, qui a nullo pendeat alio, ſed a ſeipſo imperium habeat in alia. Vnum ergo Deum eſſe cùm dicimus, primò plures negamus eſſe Deos, qui a ſeipſis imperium habeant, ac porrò ſimpliciter ſint ſupremi: ſed conſequenter & illos hac ratione deos excludimus, qui, licèt ſummi non ſtatuantur, ſed ab aliis ſuperioribus pendere cenſeantur; tamen Deo, qui ſolus a ſeipſo imperium habet, revera non ſunt ſubordinati, præſertim ita, ut occulta quadam ratione, & naturæ limites excedente, gubernent alios, id quod illis tamen tribuitur. nempe quia vel planè non exiſtunt aut vivunt; vel etiamſi vivant, a Deo tamen ad ſocietatem divinioris illius gubernationis non ſunt admiſſi. Cæteroquin eædem ſacræ literæ, quæ unum tantùm eſſe Deum aſſerunt, multos etiam Deos eſſe apertiſſimè docent, ſed a ſupremo Deo pendentes, eique ſubordinatos. qua de re dictum eſt ſuprà. Loca ſacrarum literarum, quæ unum eſſe Deum affirmant, ſatis ſunt obvia. vide Deut. 6. 4: & Mar. 12. 29. ubi prior ille locus citatur; & Rom. 3. 30. 1. Cor. 8. 4, 6: Gal. 3. 20: Eph. 4. 6: 1. Tim. 2. 5. Adde his ea teſtimonia, in quibus Iehova ſolus dicitur eſſe Deus, & nullus alius præter eum, & ſi quæ ſunt his ſimilia. vide Deut. 4. 35: 32. 39: 2. Sam. 7. 22: 3 Reg. 8. 60: Eſa. 37. 16: 43. 10, 11: 44. 6: 45. 5, 6, 21, 22: 46. 9. Oſe: 13. 4: Ioh. 17. 3: 1. Cor. 12. 6.

cap: 13.

Verùm non tantùm ſacræ literæ id aſſerunt, ſed & ipſa ratio ſana dictat, unum tantùm ſupremum eſſe Deum: ac porrò neminem ullo pacto Deum eſſe, qui unius illius beneficio talis non evalerit. Nam & Ariſtoteles, licèt in eo nobiscum non conſentiat, ob quam cauſſam Deus revera Deus dicitur; nihilominus tamen, unum tantùm eſſe Deum, a nullo alio pendentem, hac oſtendit ratione, quia multitudo dominantium, intellige eorum, quorum alter alteri non ſit ſubordinatus, haud ſit bona. Non conſpiraturam rerum univerſitatem, ſi a duobus diverſis principiis, quorum nimirum alterum alteri non ſit ſubordinatum, penderet. Quod nos tantò rectiùs urgere poſſumus, quia Deum, ſeu ſupremum rerum dominum, libera præditum eſſe voluntate oſtendimus, quam Ariſtoteles ſummo omnium rerum principio abſtulit. Nam ſi plures eſſent ſupremi rerum domini; poſſent de eadem re ſtatuere contraria, ſi nempe neutrum eorum cum rectitudine pugnaret. At tum turbaretur univerſitatis ordo, & alter alterum impediret. Vtrique ſimul obtemperari non poſſet. Quòd ſi ergo melius eſt, unum eſſe univerſi dominum, quàm plures; unum eſſe neceſſe eſt. In ſuprema enim divinitate non niſi id, quod o-

lib: 12. Metaph. cap: ult.

Cap: XVII. De Unitate Dei.

quod optimum, esse potest. Adde, quòd in imperiis, seu regiminibus, a natura inter homines institutis, quale est domesticum; uti & in imperiorum umbris, quas in animalibus quibusdam natura exhibet, unum videmus cæteris omnibus præesse. In familia enim omnibus imperat paterfamilias. Nec dubium est, quin inter imperia, quæ in rebuspubl. cernimus, humano arbitrio quodammodo instituta, monarchia naturâ suâ sit optima, si in eum incidat, qui & virtute præditus sit tanta, ut quàm optimè velit omnibus prospicere, ac bonum publicum tueri; & tantâ polleat tum sapientiâ, tum potentiâ, ut etiam possit; breviter, in quo sint omnia, quæ ad imperium feliciter administrandum pertinent. Magis enim sic imperii vis unitur, quàm cùm in plures dividitur. Vniri autem vim imperii, non in plures spargi & dividi, boni publici multum interest. Iam verò in eo, qui supremus sit rerum dominus, non possunt non illa omnia concurrere, quæ ad imperium rectè ac feliciter gerendum pertinent. Quis ergo dubitet, eum tantùm esse unum? Accedit, quòd perfectissimum unicum tantùm est. Omnis multitudo, sive a natura est, sive a consilio, ob defectum est aliquem. Si unum sufficeret, plura non quærerentur. imò multitudo, si alterum alterius ope prorsus non indigeat, ac proinde alterum alteri planè nil conferat, etiam noxia esse solet. Quis verò dubitet, supremum numen, primum naturæ principium, esse perfectissimum? quis id aliquo defectu laborare dicat? Taceo, quòd, si ab unitate numinis discesseris, nullam afferre possis caussam, cur aut duo magis sint Dii, quàm tres, aut vice versa tres, quàm duo; & sic deinceps. ita ut vel in unitate tibi sit acquiescendum, vel, cùm nullius certi numeri ratio constare queat, ad infinitam deorum multitudinem sit deveniendum, quâ nihil est a ratione sana alienius. Quod enim quidam de duobus diis, altero bono, altero malo, impiè nugati sunt; id vix commemorari meretur. Ab ipsa ergo ratione abhorret deorum multitudo, quam impia olim Gentium superstitio invexit: qui quidem duplici ratione peccarunt: primò quòd in tres supremum hujus universi imperium distribuerunt, Iovem cœlo potissimùm, Neptunum mari, Plutonem inferno, summa cum potestate præficientes. deinde quòd ut hos, ita & alios pro libitu finxerunt ac coluerunt deos propè innumerabiles, qui supremis illis subessent.

Sed, ut ad Deum verum redeamus; unum tantùm esse numero, omnes Christiani, ut alios nunc omittam, fatentur. Quia verò unius numero rei non nisi una est essentia; ideo omnes unam tan-

nam tantùm esse Dei essentiam seu substantiam, (per se enim subsistit Deus) rectè affirmant. Interim tamen plurimi secum ipsis pugnantes, non unam illius personam esse contendunt. cùm unius numero substantiæ, seu, ut rectiùs loquamur, una numero substantia, non nisi una esse queat persona. Est enim persona, ut alibi est a nostris ostensum, nihil aliud, quàm substantia prima intelligens. Prima verò appellatur, quæ una est numero, seu singularis. Vbi ergo una tantùm est ejusmodi substantia, una tantùm est persona: ubi plures personæ sunt, ibi etiam plures ejusmodi substantias esse necesse est. Sed eandem sententiam inductione facilè ostenderis. Exemplis enim patet, rem quamque intelligentem, si una sit numero, unam tantùm esse personam, non plures. Etenim unus homo, una est persona: similiter & angelus unicus. Ac ne in rebus tantùm creatis id locum habere dicas; idem in divinis cernimus. Nam & unus Pater, una persona est, & unus Dei filius, & unus spiritus sanctus; ille ex nostra etiam sententia, hic ex mente eorum, cum quibus hîc nobis res est. Est autem Pater unum numero, & intelligens; similiter & Filius; ex istorum autem sententia & spiritus sanctus. Cum ergo & Deus supremus unus sit numero, & intelligens; quid est, cur is quoque una persona non sit? præsertim cum illi ipsi fateantur, qui contrarium asserunt, vocem *Dei* non rarò hypostaticè sumi, seu de una tantùm persona usurpari; ita ut *Deus unus* unam personam significare queat. Præterea *Dei* nomen suprà docuimus esse nomen imperii potissimùm ac potestatis, & hoc loco eum denotare, qui summo imperio cuncta regat. Imperare autem & regere non nisi personarum est. Qui ergo unum esse dicit Deum, unam dicit esse personam, summo imperio pollentem: qui plures hujusmodi personas dicit, plures Deos dicit. Quòd si idem nihilominus unum dicat esse Deum, sibi ipsi contradicit, & non Deorum magis, quàm personarum supremam divinitatem habentium pluralitatem hac ratione tollit. Accedunt aperta sacrarum literarum testimonia, & argumenta ex iisdem depromta, quæ solum Iesu Christi Patrem Deum supremum esse docent; ita ut non solùm intelligatur, Deum unam tantùm esse personam; sed etiam, quænam illa persona sit, agnoscatur. Qua de re animus quidem erat hoc loco pluribus agere. Cum enim alibi in hoc opere argumenta potissimùm refutentur, quæ pro contraria sententia afferuntur; non alienum ab hoc loco esse videbatur, veram sententiam aliquantò pluribus, primùm ex sacris literis, deinde ex aliis princi-

piis rati-

Cap: XVIII. De Unitate Dei.

piis rationi manifestis confirmare. Sed quia nobis opus sub manu ita crevit, ut justum per se librum conficere possit; visum est ea, quæ scripsimus, ab hac tractatione secernere, & aliquando, si Deus voluerit, separatim lectori dare. Interea iis lector poterit esse contentus, quæ infrà in his de vera religione libris ea de re dicuntur. Nunc de usu hujus doctrinæ quædam subjiciemus.

lib: 5. cap: 9. & seqq.

Est autem usus doctrinæ hujus in universa religionis ac cultus divini ratione longè maximus, & inprimis necessarius. Nam primùm in eo ipso pars magna consistit gloriæ, quam supremum sibi numen jure suo vindicat, ut solum pro eo rerum domino & rectore agnoscatur ac prædicetur, qui a seipso imperium omne habeat. Pars hæc magna est honoris ac reverentiæ, quam ipsi debemus, ne quem ei audeamus apponere socium. Et hoc est, quòd Deus honorem suum in prima Decalogi parte, seu, ut loquuntur, tabulâ sanciens, id primò omnium vetuit, ne Deus alius coram ipso habeatur. quod populo quidem Israëlitico nominatim dictum est, sed omnes tamen revera obstringit. Habent autem Deum aut Deos alios coram supremo numine, non tantùm qui plures uno deos supremos statuunt aut colunt; sed & qui supremo numini aliquem adjungunt in imperio naturæ limites excedente socium, & occultiorem rerum humanarum gubernationem ac procurationem audent impertiri ei, quem ipse Deus summus sibi non adjunxerit, & adjunxisse, clarissimè non fuerit testatus. Et hi & illi læsæ majestatis divinæ sunt rei; utrique unitatem supremi numinis oppugnant; quamquam illi apertissimè, hi posteriores aliquantò occultiùs. Vnum regem apertè non agnoscit, qui plures supremos in eodem regno aut republica dominos manifestè statuit: sed & ille plures quodammodo reges inducit, qui ea munia, quæ ad regem primò spectant, & non nisi ab ipsomet cum aliis communicari possunt, cum iis sententiâ suâ communicat, quibus ea rex ipse non commisit; ac porrò honoris eos regii participes facit: utut illos interea reges non appellet, imò regi subesse apertè dicat. Sic & plures Deos apertissimè quidem illi statuunt, qui plures supremos, ac sibi invicem minimè subordinatos in hanc rerum universitatem introducunt dominos: verùm & illi, quamquam aliquantò minùs apertè, idem faciunt, qui occultam illam, & naturæ limites excedentem gubernationem & providentiam, ac porrò & cultum religiosum suâ sententiâ in plures dividunt, quibuscum ista Deus non communicavit, aut communicasse manifestè testatus est; utut eos Deos non appellent, imò Deo supremo hac in

parte ministrare aut subesse dicant, & honorem illis exhibitum, in ipsius honorem cedere putent. Nam si unus est supremus rerum omnium arbiter, unus qui a seipso imperet omnibus; quicquid est imperii, id non nisi ipso dante aut permittente potest teneri; & tantò quidem minùs, quantò id est supremo propius. Proximum autem illud est, quod naturæ limites excedit, & rationem imperiorum humanorum omnem superat. Hoc enim verè divinum est: quemadmodum & cultus ille verè divinus est, qui cuipiam ob hujusmodi gubernationem ac procurationem rerum tribuitur. Et tamen hodie quoque occulta illa, & naturæ limites excedens gubernatio ac procuratio, & simul cultus religiosus, citra ullum divinum testimonium, nedum, quod hîc requireretur, apertum & omni exceptione majus, in multos dividitur ab iis, a quibus minimè debebat. Nam & mater Domini Maria, ut regina cœli, & divinissimorum donorum veluti dispensatrix quædam colitur; & alius ex sanctis vita functis ut hujus, alius ut illius regionis aut urbis cœlestis quidam patronus, alius ut huic, alius ut alii præcipuè rei curandæ præfectus, religiosè adoratur, & precibus auxilium ejus, licèt longissimè absentis, infinitis etiam locis simul imploratur. quo ipso divinitas illi revera adscribitur, etiamsi ut quidam apud Deum intercessor compelletur. Potestatis quidem aut virium imperfectionem intercessio arguit: at divinitatem non tollit. Neq; verò desunt inter hujus erroris patronos, qui sanctis aliquid intercessione majus adscribant. Mariam sanè virginem ut reginam cœli, sicut diximus, colunt, ideoq; in laude ac gloria Deo passim adjungunt. quin & celebri in loco editus est libellus de Septem Excellentiis Beatissimæ Virginis, in quo modi describuntur illam salutandi, ubi inter alia asserit Auctor, Christum *servire atq; assiduè ministrare Matri suæ*. & addit: *O si liceret, quàm libenter me illi socium adjungerem, quàm libenter ab eo modum & tibi* (Mariam virginem alloquitur) *& Deo perfectè serviendi addiscerem. quàm libenter dulcissimum Iesum a labore sublevarem. Domine Iesu salvator amabilissime, permitte me aliquid Matri tuæ præstare. Et si non vis hoc mihi concedere, saltem permitte, ut dum tu Matri servis, ego serviam tibi.* Miraris fortè, vel potiùs abominaris. Audi alia his gemina, aut majora. Eo enim non contentus, quòd eam *Reginam cœli, Dominam mundi*, antea appellasset, quodq; asseruisset cum quopiam alio, *Deum in reliquis creaturis, tribus modis esse, per essentiam, per præsentiam, per potentiam; in beatissima verò virgine quarto quodam mo-*

Auctore Iohanne Argento, Viennæ apud Ioseph. Karczan. anno 1614.

Petro Damiano.

dam modo per identitatem; altiùs adhuc aſcendens, ſeptimum Excellentiæ gradum conſtituere audet, quòd ſit *Domina Dei.* & ait, *Si in aliis gradibus B. Virgo hæc obtinuit, ſanè in ſeptimo, quaſi ſuæ conditionis oblita, in Filium dominium ſuſcipiens, ſupra ipſum Dei thronum ſolium ſuum collocavit.* Potuiſſétne quippiam magis horrendum dici? Et nititur quidem ille homo illis Lucæ verbis, quibus de pueri Ieſu erga Ioſephum ſimul & Mariam obſervantia, & obſequio illis olim præſtito loquitur: *Et erat ſubditus illis,* ubi mirum eſt, eum Ioſephum quoque non ſupra Deum, imò & ſupra Mariam, cujus ſolium ſupra ipſum Dei ſolium extulit, collocaſſe: ſiquidem & puer Ieſus, & unà cum illo etiam Maria, ut uxor marito, ſubjecta, divina lege fuit. Et etiamſi quis hæc ita excuſare velit, ut dicat, de Deo, h. e. Chriſto, ſermonem iſtic haberi ſecundùm humanam tantùm naturam conſiderato; ut taceam, ordinem ac gradus excellentiæ ab eo conſtitutos id vix pati: an non impium eſt, Mariæ ſolium ſupra Chriſti thronum collocare, ſecundùm humanam naturam, ut cum illis loquamur, conſiderati? Quid enim? An non ex ipſorum ſententia Chriſtus ſecundùm humanam naturam ad dextram Dei evectus ac collocatus eſt, longè ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro? Quid ergo reſtat aliud, quàm ut Maria ipſum Dei locum occupet, Ioſephus autem adhuc ſublimiùs collocetur? Sed de his aliiſque ſimilibus ſententiis aut vocibus, in Dei majeſtatem vehementer injuriis, plura nunc dicere nolumus. Monere tamen iſta debuimus, hoc præſertim tempore, quod, ſi ullum aliud, hujusmodi monitis eget.

Luc: 2. 51.

Epheſ: 1. 20, 21.

Patet ergo jam ſingularis, ac longè maximus hujus doctrinæ in re pietatis uſus, qui latiùs etiam extendi debet. Etenim unitate Dei, tanquam fundamento quodam, omnia illa nituntur præcepta, aliaque ſpiritus ſancti dicta, quibus vel univerſus cultus divinus, vel pars ejus aliqua, ſoli Deo vindicatur atque aſſeritur, cæteris omnibus, qui ei hac in parte ſubordinati non ſunt, excluſis. Talia ſunt, in quibus Deum ſolum timendum, aut adorandum, ei ſoli ſerviendum, ſoli confidendum, per ejus ſolius nomen jurandum eſſe, vel expreſſè aſſeritur, vel non obſcurè ſignificatur. Eodem fundamento nititur maximum illud ac præcipuum Legis univerſæ mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua,* ſeu *ex totis viribus tuis.* Vnde Moſes hoc præceptum traditurus, hæc præmiſit verba: Deut: 6. 5.

Audi Iſraël, Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt. nec malè doctiſſimi quidam interpretes, cùm Moſes ſubjungit, *Et* (ſic eſt in Hebræo) *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c, particulam *Et* pro *Ergo* acceperunt, ut [a] alibi non ſemel in ſac. literis evenit: quaſi dixiſſet Moſes, *Diliges ergo Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Nam ſi unus tantùm Deus eſt, in eum unum totus cordis affectus eſt convertendus, ei tota animi ac voluntatis propenſione ſtudendum, totis viribus mandatis ejus obtemperandum eſt. Quòd ſi plures eſſent Dii ſummi, id fieri non deberet. Plures enim forent amandi, & quidem ita, ut in ſingulis amor ille terminaretur. Qui autem plures eo modo diligit, is unum eorum nominatim toto cordis affectu amare non poteſt. Quod in plures ſibi non ſubordinatos dividitur ac ſpargitur, ad ſingulos totum non pervenit: ſed quicquid uni tribuitur, alteri decedit. Itaque ſummus amor pluribus ſibi invicem minimè ſubordinatis, ſimul tribui non poteſt; nec uni eorum totus præſtari poteſt, niſi eo cæteri penitus priventur. Id quod & de ipſo amoris affectu ſtatuendum eſt, & de ejusdem effectu, qui in eo conſiſtit, ut ea facias, quæ grata ſunt illi, quem diligis, &, ſi quid tibi jurè imperat, id alacriter exſequaris. qua quidem in re [b] Iohannes noſtrum erga Deum amorem, Chriſtus apud [c] eundem ſcriptorem, noſtræ erga ſe charitatis vim collocat. *Nemo poteſt,* [d] ut idem Chriſtus ait, *duobus dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit* (vel potiùs *uni adhærebit*) *& alterum contemnet,* ſeu *negliget.* Id ergo neceſſe erit contingere iis, qui plures Deos ſummos fingunt. Sed ſimilia contingunt iis, qui Deo pro ſuo arbitrio adjungunt in imperio ſive unum, ſive plures, quos ipſe ſibi non adjunxit. Quicquid enim illis amoris, quicquid cultûs, quicquid obſequii præſtant, id Dei veri amori, cultui, obſequio demunt. Et etiamſi Deo ipſi per eos putent honorem ſe præſtare, non præſtant tamen, ſed rivales potiùs atque æmulos Deo conſtituunt, quibus quicquid præſtatur, id ſibi detractum meritò judicat Deus.

Quomodo verò ea, quæ de unitate Dei, deque cultu ei ſoli præſtando hucusque diſſeruimus, cum vera Ieſu Chriſti Deitate atq; honore divino non pugnent; partim ex dictis cordatus lector facilè intelliget, partim alibi in hoc opere videbit explicatum.

Præterea hic quoque doctrinæ de unitate Dei uſus eſt, ut, cùm videamus, unum eſſe omnium hominum Deum, non alium hujus, alium illius populi, alium v. g. Iudæorum, alium Gentium; inde colli-

[a] Gen: 44. 21. confer Hebr: cum Lat: Mar: 9. 5: 10. 26: 12. 30, 37. Phil: 1 22. 2 Tim: 2. 19. Hebr: 3. ult: & alibi.

[b] 1 Ioh: 5. 2, 3.

[c] Ioh: 14. 21. conf: ℣ 15, & 23, 24.

[d] Mat: 6. 24.

vid: lib: 4. cap: 8. 11. & lib: 5. c. 29.

de colligamus, eum & ab omnibus coli velle, & omnibus vicissim velle benefacere, eorumque pietatem remunerari; imò & cultum, & beneficia sese maximè digna, omnibus terrarum populis velle esse communia. Docuit nos hæc Paulus, qui ad Romanos scribens, postquam dixisset, *justificari hominem per fidem sine operibus Legis*, addit: *An Judæorum Deus tantùm? nónne & Gentium? Imò & Gentium. quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem* (h. e. circumcisos seu Iudæos) *ex fide, & præputium* (h. e. præputiatos, seu Gentes) *per fidem.* Beneficium hoc Dei longè maximum, quod per Christum orbi est patefactum, consistitque in justificatione per fidem, Iudæis ac Gentibus commune esse docet, quia unus utrorumque sit Deus. Sic & ad Timotheum scribens, cùm dixisset, Deum *omnes homines velle salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire*, id confirmaturus addit: *Vnus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum*, & quæ seqvuntur.

Rom: 3. 28, & d.

1 Tim: 2. 4, 5.

Denique cùm omnes unum communemque habeant Deum, par est, ut se invicem omnes diligant, & inter se concordes vivant, atque ii inprimis, qui in agnitione unius illius Dei consentiunt, & in cultu ipsius conspirant, ac vim benefici ipsius imperii maximè experiuntur, h. e. ii, qui ad Dei ac Christi populum reipsa pertinent. Quam ob caussam Apostolus, Ephesios ad pacis ac concordiæ studium cohortans, inter alias caussas, quæ illos eam ad rem incitare debeant, hanc quoque ponit, quòd *Vnus* sit *Deus & Pater omnium.* Omnino enim convenit, ut qui eundem supremum agnoscunt dominum ac principem, ac multò magis, qui eundem habent patrem, pacem inter se colant. Quo quidem loco, uti & duobus proximè antè citatis, Deus dicitur unus, non tantùm quia per se unus sit, sed etiam relatè ad diversos homines, vel gentis ratione, vel spiritualibus donis, vel denique sententiis quibusdam de rebus ad religionem spectantibus, de quibus salva fide ac pietate dissentire Christiani possint, inter se distinctos. Ita nimirum unus esse dicitur Deus, ut simul utrisque sit communis; non verò alius horum Deus, alius illorum. Vnde suprà diximus, Deum non tantùm absolutè unum dici solere, sed & relatè, h. e. respectu horum illorúmve hominum.

Ephes: 4. 6.

Quæ de unitate personæ divinæ diximus, eorum usum ibi, si Dominus opem tulerit, ostendemus, ubi sententiam illam nostram pleniùs confirmabimus. Quamquam facilè videre possunt cordati, quantum ad verum Dei cultum intersit, ut is solus pro summo Deo colatur, qui solus etiam Deus summus revera sit. Videre &

De Æternitate Dei.

dere & illud poſſunt, eandem rem in tota religionis ac ſalutis noſtræ ratione explicanda magnum habere momentum. Quis enim cauſſas ſive religionis, ſive ſalutis noſtræ rectè poſſit explicare, veritate ejus rei ignorata? ex errore autem circa rerum cauſſas, multi ferè ſequuntur alii. Certè non pauca, eaque valde abſurda, quin & pernicioſa quædam dogmata, ſuper illa ſententia de tribus in una Dei eſſentia diſtinctis perſonis vulgò ſuperſtrui, haud difficulter poteſt oſtendi; & aliqua ex parte in his de Vera religione libris oſtendetur. Vt taceamus, eâ ſententiâ valde abſterreri a Chriſtiana religione eos, qui cùm unum tantùm eſſe Deum agnoverint, nihilominus tamen a ſacroſancta Chriſti religione ſunt alieni. Religionis enim putant eſſe errorem, qui hominum eſt eam profitentium.

Cap: XVIII.

De Æternitate Dei.

SEquitur nunc, ut de æternitate Dei dicamus. Eſt autem æternitas ſempiterna rei duratio. Sempiterna verò ea demum revera eſt, quæ eſt infinita. Poteſt autem duratio infinita eſſe vel a parte antè, ut loquuntur, vel a parte pòſt, vel ab utraque, h. e. vel initio carere, vel fine, vel utroque. Et illa demum, quæ & initio caret & fine, perfectiſſima eſt æternitas, quam Deo competere aſſerimus, quamque ſuprà differentiæ loco in deſcriptione ipſius poſuimus. Eſt enim Deus æternus, quia & ſemper fuit, & ſemper erit, & ſic non minùs initio caruit, quàm fine cariturus eſt. Duratio quæ fine caret, quam æternitatem a parte pòſt vocant, & angelis, & piis omnibus cum Deo, ex ipſius benignitate communis erit: ſed æternitas a parte antè, ſeu duratio initio carens, illis eſt nequaquam cum Deo communis. Creaturæ enim non eſſent, ſi initio carerent.

ſup: cap: 15.

Eſſe autem Deum ita, ut diximus, æternum, patet. Nam quòd initio careat, inde manifeſtum eſt, quòd prima ſupremaque eſt cauſſa rerum efficiens, ut ſuprà cap. 3. & 4. vidimus. At ſi aliquando non extitiſſet, (non extitiſſet autem aliquando, ſi initium habuiſſet) ipſum iterum ab alia cauſſa efficiente productum fuiſſe neceſſe eſſet. Quare ipſemet prima rerum cauſſa non foret. Et ſanè eâ ſententiâ poſitâ, in cauſſis per ſe efficientibus omninò in infinitum eſſet abeundum. Neceſſe ergo eſt, ut initio Deus caruerit. Vnde patet, eum etiam fine carere. Quæ ſubſtantiæ aliquando

De Æternitate Dei.

non fuerunt, iterum non esse possunt: at quæ nunquam non fuerunt, nunquam possunt non esse. Eas enim absoluta necessitate oportuit extitisse. Nã aliàs aliquando non extitissent. Quicquid sit; primam rerum efficientem caussam absoluta necessitate, & aliunde non pendente, existere oportuit. Quod autem tali necessitate existit, id nunquam potest non existere. Quare Deus nunquam potest desinere.

Adde, quòd nec per seipsam ad interitum inclinet Dei natura, cum ex pugnantibus non sit conflata, caussam alioquin efficientem habitura: nec vis ipsi possit inferri; cum nec validior eo quisquam cogitari, nec imbecillior ei nocere possit, præsertim cùm nec fraude, ob summam sapientiam, circumveniri queat; nec ipse salutem suam deserere aut prodere. siquidem & optimum esse necesse est, & beatissimum, qui se vitamque suam non possit non maximè amare.

Sed præter rationes allatas, æternitatem Dei & sacræ literæ asserunt. Nam & ipsum [a] Deum, & [b] potentiam ejus æternam vocant; idque non magis respectu futuri temporis, quàm respectu præteriti. Nam cùm Abrahamus dicitur invocasse nomen *Dei æterni;* tacitè videtur *Deus æternus* opponi Diis recèns excogitatis atque inventis, ac porrò etiam aliquando perituris. Apud Esaiam sanè, cùm Deus sempiternus dicitur, ad præteritum tempus satis apertè respicitur. Ita enim ait: *Numquid nescis, aut non audiisti? Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ.* Et Paulus, cùm Deum æternum appellat, ad id respicit, quod dixerat, mysterium Evangelicum, quod ipsius jussu nunc sit patefactum, *æternis temporibus* fuisse tacitum, seu a Deo ipso celatum, & in hæc ultima tempora veluti reservatum. Cùm verò & Dei potentiam æternam vocat, de ea loquitur potentia, a qua profecta sunt Dei opera, ex quibus invisibilia ipsius a creatione mundi intelligantur. Non ignoramus autem, vocem *æterni* aut *sempiterni* in sac. literis frequenter ita accipi, ut infinitam durationem, qualem Deo nos tribuimus, revera non significet. Sed id vel ex locorum circumstantiis colligitur; vel ex ipsius rei, cui æternitas tribuitur, natura ac conditione, aliunde satis notâ, intelligitur; ex qua etiam æstimari debet, an longius, aut minùs longum tempus, æternitatis nomine intelligi debeat. Nomen enim istud, quod in Hebræo plærumque est *Olam*, accommodatè sumi solet ad rei illius, cui tribuitur, naturam ac conditionem. Itaque aliter v. g. dicuntur [d] colles æterni, aliter [e] possessio æterna, aliter [f] sacrificium æternum, a-

a Gen: 21. 33. Esa: 40. 28. Rom: 16. 26.
b Rom: 1. 20.
d. l. Esa: 40.
d Gen: 49. 26.
e Gen: 17. 8. 48. 4. Lev: 25. 34, 46.
f Lev: 6. 20. Num: 28, & 29. capp: sæpe.

De æternitate Dei.

g Ioh: 3. & alibi sæpe.

num, aliter g vita æterna nobis promissa. Colles enim æterni dicuntur, quia quamdiu hic mundus extitit, & porrò extiturus est, fuerint futurique sint. Possessio æterna respectu futuri tantùm temporis dicitur, idque juris solius habita ratione; quod tamen & ipsum cessat, cessantibus personis, ad quos spectat; & alienari ac perdi a possessore potest. Sacrificium æternum dicitur, quia in perpetuum, quamquam statis temporibus, offerri debeat, quamdiu nimirum ipse legislator legem ea de re fixam non mutârit. Vita autem æterna nobis promissa in futurum tota spectans, fine prorsus est caritura. siquidem nobis incorruptibilitas & immortalitas apertè promissa est. Cum ergo pro diversa rei conditione, aut locorum circumstantiis, vox æterni aliter atque aliter accipiatur, & tum demum restringenda sit, cùm illæ id postulant; si quis nomen *æterni* ad Deum ejúsve potentiam relatum restringere vellet, necesse esset, eum vel ex locorum circumstantiis id colligere, vel ex rei ipsius natura. At ex neutris id colligi potest; imò natura Dei contrarium, ut vidimus, postulat. Accedunt alia sacræ scripturæ testimonia, in quibus æternitas Dei veluti per partes exprimitur. Partes autem illius vel duæ constituuntur: altera, quæ antegressa est; altera, quæ consequitur, & sine fine duratura est: vel tres, pro triplici temporum differentia. Et interdum quidem tota Dei æternitas ita describitur, ut vel duæ, vel tres illius partes eodē loco exprimantur; nonnunquam verò partes ipsius separatim, seu locis diversis, commemorentur. Duæ illius partes simul exprimuntur in illo Psalmi loco: *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, a seculo & usque in seculum tu es Deus.* Tres autem in Apocalypsi, ubi ita Deus describitur, ut dicatur. *Is qui est, qui erat, & qui venturus* (h. e. *futurus*) *est.* Vocem enim *venturus* poni pro *futurus*, reliquæ duæ, quibus opponitur, temporis differentiæ, nempe *est* & *erat*, satis docent. Eodem pacto tempora aut secula ventura pro futuris apud profanos auctores, aut [a] *ventura* simpliciter pro rebus futuris, & [b] festum *venturum* pro futuro in sacris literis poni cernimus. Neque verò ista trium temporum enumeratione simpliciter indicare Spiritus sanctus voluit, Deum & tunc, cùm ista scriberentur, & antea extitisse, & postea exstiturum. Si enim ab iis discedas, quæ propè momento existunt ac pereunt; quid est, cui tres illæ temporis differentiæ assignari non possint? Quare cum eximium aliquid istic notet divinus spiritus, ac Deo supremo proprium, utpote quem primo loco etiam non nominatum ita describit; apparet, eum voluisse omne, quod unquam

vid: Luc: 20. 36. 1 Cor: 15. 42, 50, 53, 54.

Psal: 90. 2.

Apoc: 1. 4, 8. 4. 8: 11. 17: 16. 5.

a Esa: 41. 22, 23: 44. 7: 45. 11. Ioh: 16. 13.
b Act: 18. 21.

De æternitate Dei.

unquam vel fuit, vel porrò futurum eſt, tempus complecti: quaſi dixiſſet, Qui & nunc eſt, & antea fuit ſemper, & in poſterum ſemper extiturus eſt. Aliter ſi accipias, facilè id angelis accommodabitur, & præteriti *fuit* ſignificatio, ſignificationi futuri *erit* non rectè reſpondebit.

Referri autem vulgò ad ea loca, in quibus æternitas Dei veluti per partes quaſdam deſcribatur, & illa ſolent, ubi Deus ſeipſum appellat [a] *primum & ultimum*, aut [b] *Alpha & Omega*, h. e. ut ipſemet ſeipſum declarans addit, *principium & finem*: nempe quia Græcarum literarum Alpha principium eſt, Omega finis. Sed ea loca, licèt quandam etiam perpetuitatem notent, non tamen abſolutam illam Dei æternitatem, ſeu durationem ejus per ſe conſideratam exprimunt. Nam quod ad priorem loquendi modum attinet; non ideo primus dicitur & ultimus, quia, ut ante omnes extiterit, ita etiam poſt omnes ſit extiturus. quandoquidem Deus tum angelos bonos, tum homines pios, in omnem ævorum perennitatem ſecum vult vivere; adeoq; reſpectu ipſorum ultimus dici nequeat. Quod verò ad poſteriorem loquendi rationem attinet; ſi principium & finem ad ipſam Dei exiſtentiam ac durationem referre velis, evertetur potiùs Dei æternitas, quam tum initio, tum fine carere neceſſe eſt. Quòd ſi ita velis hæc verba interpretari, ac ſi dictum eſſet, Deum & ante omnes extitiſſe, & poſt omnes extiturum eſſe; obſtabit ratio paulò antè allata. ut taceam, ne ſic quidem æternitatem Dei abſolutam ſatis expreſſum iri. Animadverterunt igitur erudici quidam ſac. literarum interpretes, apud Eſaiam ideo Deum vocari primum atq; ultimum, quia certa quædam opera, de quibus ibi ſermo eſt, & primus inchoârit, & ultimò ſit perfecturus, ita ut nemini, qui rem antea inceperit, ſucceſſerit; nemo etiam illi, qui eandem perficiat, ſit ſucceſſurus. Eadem & poſterioris loquendi rationis vis eſt.

Iam ut ad ea ſacrarum literarum loca veniamus, in quibus æternitatis partes ſeparatim exprimuntur, aut aliqua ratione ſignificantur; conſequentem quidem illius partem, (ut de hac primò loquamur) ſeu æternitatem a parte pòſt, & ſæpiùs, & magis abſolutè videmus in ſ. codice deſcribi. ut cùm Deus dicitur [c] vivens in ſecula ſeculorum; aut cùm affirmatur, [d] cœlum quidem & terram perituram, Deum autem eundem permanſurum, & annos ejus non defecturos; aut cùm dicitur [e] eum permanſurum in æternum, [f] eum regnaturum in æternum & ultrà, ſeu in perpetuum. Eódem pertinet, quòd & [g] incorruptibilis dicitur Deus, & ſolus immor-

a Eſa: 41. 4. conf. c 43. 10, d. 44. 6, & d. conf. & ℣ 2, & d. 48. 12. conf: antecED: a ℣ 3.
b Apoc: 1. 8. 21. 6.

c Apoc: 4. 9, 10.
d Pſal: 102. 27, 20. & Heb: 1. 11, 12.
e Pſal: 92. 9: 102. 13.
f Exo: 15. 18. Pſal: 145. ult.
g Rom: 1. 23. 1 Tim: 1. 17.
h 1 Tim: 6. 16.

De Æternitate Dei. immortalitatem habere asseritur. Cum enim vox prior corruptionis, posterior mortis subeundæ ἀδυναμίαν seu impossibilitatem significet; illa quidem existendi atq; integritatem naturæ servandi, hæc verò etiam vivendi necessitatem includit, & omnem durationis vitæq; terminum efficacissimè excludit.

Hujus autem æternitatis, quæ sine fine duratura est, illud est
Psal: 90. 4. consequens, quod in Psalmo dicitur: *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit, & custodia in nocte.* Significatur enim, ut viri docti explicant, Deum mille annos pluris non facere, quàm homo diem unum. Cùm enim infinitum illi sit ævum; nihil illi revera perit, etiamsi mille anni, imò annorum myriades prætereant. siquidem nihilominus infinitum ævi spacium restat. De homine prædivite vulgò interdum dicimus, perinde illi esse mille florenos expendere, ac pauperculo alicui assem. quia hujus exiguæ admodum sint facultates; illius propè videantur inexhaustæ. Atqui lōgè rectiùs de Deo dici potest, mille annos illi perinde esse ac nobis dies unus sit; quàm, perinde esse diviti mille florenos expendere, ac pauperi assem. atq; adeò hîc plus ferè dici solet, quàm revera debet; illic minùs. Illa autem Psalmi verba imitatus
2 Pet: 3, 8. est aliquo modo Petrus, dum dixit: *Vnus dies apud Dominum ut mille anni, & mille anni sicut unus dies.* Significat enim, apud Deum discrimen illud temporum, quod nos maximi facere solemus, nihil habere momenti. perinde ipsi esse, sive unus prætereat dies, sive mille anni. quia nihilominus infinitum restet ævum. Nihil illi de totius ævi summa perit. Sed de his verbis inferiùs adhuc nonnihil dicendum erit.

Nunc de ratione agendum est, quâ sacræ literæ antegressam æternitatis divinæ partem significare consveverunt. Facere autem id ferè solent comparatè. Ita enim eam indicare solent, ut Deum ante mundum conditum extitisse dicant, aut apertè significent. Sic suprà vidimus in Psalmo, ubi utraq; divinæ æternitatis pars expressa est, priorem comparatè primùm describi, in illis nempe
Psal: 90. 2. verbis: *Antequam montes fierent, aut formaretur terra & orbis;* deinde demùm absolutè, dum additur, *a seculo &c. tu es Deus.* Sed alibi vix cernas eam aliter indicatam, quàm quatenus Deus aliquid ante hunc mundum egisse, aut quippiam apud ipsum extitisse si-
Prov: 8. 22, & d. gnificatur. quò pertinent illa Salomonis de sapientia: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio: ab æterno* (seu *a seculo*) *ordinata* (seu *formata*) *sum, & ex antiquis*

antiquis, antequam terra fieret; & quæ sequuntur. de quibus verbis agetur infrà, ubi de sapientia divina disseremus. Eódem pertinet & illud, quòd Christus [a] gloriam apud Patrem, antequam mundus esset, habuisse se ait, seu, ut [b] inferiùs in eadem oratione loquitur, se a Patre ante jacta mundi fundamenta fuisse dilectum; ex qua dilectione, illa ipsi gloria fuit a Patre decreta, quam sibi ab eo dari, tum temporis petiit. Huc & illa [c] Petri pertinent dicentis, Christum ante jacta mundi fundamenta fuisse præcognitum; & ista Pauli, asserentis, [d] nos ante jacta mundi fundamenta fuisse a Deo in Christo electos; & [e] gratiam nobis in ipso datam esse ante tempora secularia. Hæc omnia, inquam, comparatè dicuntur, & existentiam quidem Dei ante orbem conditum ostendunt; sed æternitatem omni carentem initio non tam exprimunt, quàm ad eam cogitandam nos aliqua ratione ducunt. Ad eam enim, si cogitationem altiùs attollas, necesse est pervenire. Nisi enim quippiam ponas, quod ab omni æternitate extiterit, dicere cogeris, aliquando nihil prorsus extitisse. Quòd si verò nihil prorsus aliquando extitit; ne nunc quidem quicquam est. Vnde enim illa, quæ nunc sunt, extiterunt, cùm per seipsa non possent? & cur postea potiùs extiterunt, quàm antea? Neque enim, ubi nihil prorsus extat, quod discrimen faciat, ulla diversitatis reddi potest ratio. Quòd si nos ipsos, & cætera, quæ cernimus, extare, sine insania negare non possumus; necesse est aliquid statuere, quod ab omni æternitate extiterit. Quid autem potiùs, quàm id, quod cæterorum omnium est caussa? Non potest quidem ratio nostra cogitando emetiri infinitum illud ævi spacium: (infinitum enim non esset, si finem ejus aliquem ratio inveniret:) ipsum tamen illud ævi spacium, quod infinitum esse necesse sit, invenire potest, & si altiùs rem repetat, invenire cogitur. Non laboravit autem divinus spiritus in infinito illo, quod antecessit, Dei ævo pleniùs ac distinctiùs describendo; sed satis habuit, partim æternitatem Dei absolutè commemorare, in qua infinitum illud, quod antecessit, ævum comprehenditur; partim ea dicere, quæ ad hujus quoque distinctiorem cognitionem nos veluti manu ducerent. præsertim quia satis aliàs in sac. literis expressum est id, propter quod maximè videtur esse necessarium, ut Deus credatur ab omni æternitate extitisse. Id verò est primùm, ne & ipsius Dei, & aliarum rerum, alius introducatur supremus opifex, atque adeò alius adhuc Deus, eo, qui supremus statuebatur, superior. Nam si initium habuisset Deus, ab alio iterùm fuisset productus, ut ex paulò antè dictis con-

De Æternitate Dei. cap:24.
a Ioh: 17. 5.
b ib: ỹ 24.
c 1 Pet: 1. 20.
d Eph: 1. 4.
e 2 Tim: 1. 9.

De Æternitate Dei.

dictis constat. Hic ergo potiùs esset Deus supremus, non ille: Deinde ne verendum sit, Deum aliquando iterum interiturum. siquidem, ut antè dictum est, quæ aliquando non fuerunt, possunt iterùm non esse, & in pristinum statum relabi; nisi superioris caussæ, quæ hîc nulla est, benignitate & efficaciâ perpetuitatem sortiantur, ac veluti firmentur. At utrique huic incommodo satis alibi occurritur. priori, cùm Deus unus, cùm idem altissimus, cùm omnium rerum conditor, omnibus aliis exclusis, dicitur; posteriori, cùm ei immortalitas, & quidem soli, cùm incorruptibilitas adscribitur, & eum in omnem ævorum perennitatem permansurum ac victurum, sat clarè docetur. Interea tamen, ut omnes, etiam simpliciores, tantò faciliùs perspicere possent, omnium rerum auctorem rectè constitui Deum; eum ante mundum conditum extitisse, & tum de eo condendo, tum de genere humano servando, ac salutis duce nobis præficiendo, consilium jam tum iniisse, apertè affirmant sac. literæ; & ut eatenus potissimùm in antegressæ æternitatis consideratione versemur, non obscurè monent. Adde etiam, ut ad profunda illius, quæ retrò est, æternitatis aditum hac ratione veluti deducti, cùm nullum illius exitum, seu mavis initium, reperiamus, nec ullam Dei efficientem caussam ponere possimus; eò vehementiùs naturam illius ac majestatem admiremur. quod tantò magis facere debet, quantò quisque est ingeniosor, & ad hujusmodi rerum contemplationem aptior. Quare tantum hac in parte expressum est in sac. literis, quantum cuique ad salutem satis est.

Ex dictis autem facilè intelligitur, nos non arbitrari, perinde esse dicere, aliquid ante conditum mundum extitisse, & ab omni æternitate extitisse. neq; id censuisse apparet eos ex veteribus Ecclesiæ doctoribus, qui angelos ante conditum mundum a Deo creatos fuisse statuerunt. Neq; enim vel creationis ratio, vel ipsorum sententia patitur, ut creatura aliqua statuatur ab omni æternitate extitisse. Consentaneum autem id esse, quod illi de angelorum creatione censuerunt, alibi in his libris docetur. Itaq; non est necesse, ut quicquid ante conditum mundum a Deo factum decretúmve est, id protinus ab omni æternitate factum aut decretum esse statuatur; imò quod a libera Dei voluntate pendet, non potuit ab omni æternitate existere. Etenim quæ caussam efficientem habent non necessariò sed liberè agentem, possuntq; naturâ suâ tam existere, quàm non existere, illa ab omni æternitate existere non potueruut. Tempore enim antegressam oportuit liberam illam

Lib: 2. cap: 2.

ram illam, a qua profecta sunt, caussam. Nam quæ caussæ, simul ac existunt, agunt, necessariò agunt id, quod agunt, non liberè, nec ab actione sua cessare possunt. Atqui omnia Dei decreta, factaq; externa, caussam habent liberè agentem, ipsam nimirum Dei voluntatem. Nihil enim extra se necessariò Deus agit, ac proinde nec faciendum decernit, sed liberè. Quòd si aliqua est decretorum divinorum necessitas, ea semper liberrimo voluntatis actu nititur, sive ut caussâ proximâ, sive ut remotâ.

Non potest autem nobis eorum probari subtilitas, qui æternitatem Dei, omnia, quæ unquam extiterunt, temporum spacia complectentem, in unius puncti seu momenti angustias cogunt. Indivisibilem enim eam esse statuunt; nihilq; in ea prius, nihil esse posterius. Itaque quicquid Deus unquam egit, acturúsve est, id eum simul agere. Omnia ipsi præsentia; nihil præteritum, nihil futurum. Quæ sententia & sacris literis repugnat, & sibi ipsi, omninoque contradictionem non unam involvit. Etenim sacræ literæ æternitatem Dei describentes, eam, ut vidimus, nunc triplici temporum differentiâ complectuntur, dum dicunt, *is, qui est, & qui erat, & qui venturus* seu *futurus est;* nunc in duas eam partes dividentes, præteritum & futurum aut simul, aut disjunctim commemorant. Quorsum enim illa, cùm Deum esse dicunt [a] *a seculo in seculum?* nonne *a seculo* præteritam ævi partem, *in seculum* futuram significat? Quorsum illa, cùm hinc quidem eum [b] ante conditum mundum extitisse aut aliquid egisse docent; cùm *antiquum dierum* appellant: hinc verò, eum porrò *permansurum* & [c] *annos ejus non defecturos*, asserunt. Nónne hæc omnia temporum successionem arguunt? Atque ut hanc sententiam sibi quoque ipsi adversari videas; utuntur illi, qui eam propugnant, Boëthii potissimùm definitione, qui æternitatem ait esse *Interminabilis vitæ totam simul & perfectam possessionem.* Ideo autem *totam* ejus vitæ possessionem *simul* esse dicunt, ut intelligatur, æternitatem non in infinito quodam seculorum tractu consistere, ita ut alia ejus pars præcedat, succedat alia; sed universam uno eodemque momento existere. At præterquam quòd vita ad æternitatis essentiam constituendam non pertinet; si vita illa interminabilis est seu infinita, quomodo ejus possessio tota simul est? Interminabilis enim vita ea demùm est, quæ semper durat. Sempiterna autem duratio, quomodo tota eodem momento consistere potest? Siquidem omnis duratio partes habet, quarum alia succedat alteri, alia prior sit, alia posterior. Si potest tota æternitas in uno momento

Apoc: 1. 4, 8. 4. 8.

a Psal: 90 2.

b Prov: 8. 22. Ioh: 17: 24, & alibi.

c Dan: 7 9, 13.

d Psal: 102, 27, 28.

tota con-

De Æternitate Dei.

tota consistere; ponatur Deus momento extitisse ac periisse: num tu eum interminabilem habuisse vitam, num æternum fuisse dixeris? Eadémne vita & momentanea esse potest & æterna? Deinde quo pacto potest indivisibile complecti spacia in innumeras partes divisibilia? Æternitas Dei complectitur omnia, quæ unquam fuerunt aut futura sunt, tempora. Nihil enim eam antecessit, nihil sequetur: sed quæcunque ab initio mundi fluxerunt, & ad ejus finem fluent secula, intra ejus ambitum continentur. Quomodo ergo indivisibilis est? quomodo in punctum momentúmve collecta? Quis, quæso, dixerit, punctum aliquod, aut id, quod puncti sit instar, amplecti totum hunc mundum? Indivisibile quodvis quovis divisibili minus est. Majus autem minoris amplexu contineri non potest. Certè hoc pacto non vita nostra respectu æternitatis divinæ puncti instar esset, sed æternitas Dei respectu vitæ nostræ. Præterea si æternitas Dei quovis momento tota existit, quicquid est, æternum erit. Quicquid enim cum tota æternitate unà existit, id æternum esse necesse est. At istâ sententiâ positâ, etiam ea, quæ momento existunt, unà existent cum tota æternitate. Quinetiam ipsa temporum intervalla & res omnes, licèt longissimis spaciis a se invicem disjunctæ, hac ratione simul extiterunt atque existent; & initium mundi verbi gratiâ, cum ejus fine connectetur. Omnia enim in illo æternitatis divinæ, ut ita dicam, momento inter se coëunt: non aliud hac, aliud illa æternitatis parte extitit, vel existet. Quæ verò eodem momento existunt, certè simul existunt. quemadmodum etiam ea, quæ eodem tempore toto existunt. Alia est eorum ratio, quæ eodem quidem temporis spacio, sed diversis ejus temporis partibus existunt; ut si eodem seculo existant, at non eodem anno; aut eodem quidem anno, sed non eodem mense, die, hora, momento. Quòd si æternitas Dei nullas habet partes, nihilque in ea prius est, nihil posterius; certè cum omnia in ea fiant, omnia eodem momento fient: & quicquid Deus semel fecit, aut facturus est, æternùm fecit, facturusque est. Condidit semel mundum hunc, & ex nihilo produxit: eundem ergo adhuc condit, & existentem licèt, ex nihilo producit; quinetiam tum eum construet, cùm destruet; & quia destructurus est aliquando mundum, destruxit jam tum, cùm condidit. Nam si dicas, eum antea non condidisse mundum, postea condidisse, nunc non ampliùs condere, aut conditurum; partes dabis durationis divinæ, alias antecedentes, alias consequentes, in quarum alia hoc faciat, in alia illud. Idem de cæteris omnibus

Dei actio-

De Æternitate Dei.

Dei actionibus intelligendum est. Omnes licèt inter se pugnantes, jungendæ erunt: traditio Christi in mortem, cum ejus resuscitatione; assumtio in cœlum, cum ejus e cælo missione: irascetur nobis Deus, cùm maximè propitius est; & propitius erit, cùm vel maximè irascitur. Quæ tanta est rerum insociabilium consociatio? Neque verò sententiam tot absurdis fœcundam illa stabiliunt Petri verba, de quibus suprà egimus: *Unus dies apud Dominum ut mille anni, & mille anni sicut unus dies;* aut illa Psalmi, unde sua depromsisse videtur Petrus: *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit, & custodia in nocte.* Neque enim magis ex his sequitur, in æternitate Dei nullam esse successionem, nihil prius aut posterius, quàm in septem illis annis, quos pro Rachele servìit Iacobus, nihil tale fuisse; quia scriptum sit, illos *septem annos fuiße in oculis ejus* (sic est in Hebræo) *ut dies singulos.* Quin si hoc modo premere illa, sive Petri, sive Psalmi verba libeat, faciliùs contrariam inde sententiam expresseris. Nam & in mille annis, & in uno die, temporis est successio; nec totum, sive mille annorum, sive unius diei spacium, uno momento existit. Si quis dixerit, Deo victoriam largiri volenti unum militem esse ut mille, & mille ut unum; rectè omnino dixerit. Ecquis verò erit, qui inde colligere velit, unum militem & mille apud Deum per se nihil differre, nec numeri hujus ullum esse discrimen. An non manifestum est, eum, qui sic loquatur, id sibi tantùm velle, perinde esse Deo, & æquè facilè, sive per unum vincere, sive per mille? similiter etiam, vel unum vincere, vel mille. Cur ergo ex eo, quòd apud Dominum unus dies esse dicitur, ut mille anni, & contrà, colligitur, apud Dominum per se nihil inter utrumque temporis spacium interesse, aut nullam in æternitate ejus successionem esse? Plura de iis locis non addimus, quia eorum sensum jam satis suprà explicuimus.

2 Pet: 3: 8.

Psal: 90. 4.

Illud adhuc de æternitate Dei addendum est; eam non ipsi tantùm Deo, sed etiam attributis ipsius, quæ tota simul existunt, attribui. Itaque suprà vidimus, etiam potentiam Dei æternam appellari. Et iis quidem attributis, quæ Deo sunt prorsus naturalia, uti est ipsius potentia, seu vires ac robur, non minùs absolutè competit æternitas, quàm ipsi Deo. Ipse enim simpliciter æternus non foret, si attributa, quæ sunt illi prorsus naturalia, æterna simpliciter non essent. At quæ ita sunt comparata, ut actu ipso, nisi creaturæ extent aliquæ, existere nequeant; æterna non prorsus absolutè dicuntur, sed relatè, h. e. ita, ut significetur, tamdiu ea in-

De Æternitate Dei.

esse Deo, quamdiu illi extent, ad quos ea spectant. Hoc pacto regnum Dei, ut suo loco dicetur, æternum esse prædicatur; & *misericordia Domini ab æterno & usque in æternum esse* dicitur, sed additur, *super timentes eum:* quæ verba æternitatem illam restringunt, & non absolutè misericordiæ divinæ tribui ostendunt. Et hæc est caussa inter alias, cur sæpiùs in æternum duratura esse dicatur Domini misericordia, quàm ab æterno. quod etiam de regno divino intelligendum est.

inf: cap: 23. Psal. 103:27.

Quod ad usum hujus doctrinæ attinet; primùm ad venerationem divini numinis tantò majorem in animis nostris excitandam, facit consideratio divinæ æternitatis. Pertinet enim hoc ad excellentiam supremi numinis, quâ creaturas omnes superat, quòd nec initium habuerit, nec finem sit habiturus, aut habere ulla ratione possit: cùm hæ & initium habuerint, & finem, nisi ab ipsomet æternitate donentur, sint habituræ.

Quorsum autem id nominatim prosit scire, quòd Deus ab omni æternitate extiterit; jam suprà satis explicatum est, cùm ostendimus, qua ratione sac. literæ æternitatem Dei a parte antè, ut vocant, exprimere consveverint.

Quod ad eam attinet æternitatem, quam a parte pòst appellant; illius cognitio eò spectat, ut fidem ac spem nostram in Deo firmiter collocare, & æternam ab eo vitam nobis polliceri queamus. Concideret enim fides ac spes nostra, si hoc perennitatis divinæ fundamentum ei subduceretur. Quomodo enim ei tutò ad extremum usque spiritum confidere queas, de quo certò non constet, utrùm cras aut perendie sit superfuturus? At nisi de æternitate atque immortalitate divina constaret, dubitari non immeritò posset, utrùm cras aut perendie victurus esset. David, ut in principibus hominumque filiis confidendum non esse, nec ab iis salutem sperandam esse doceat, hac potissimùm ratione nititur; *Exibit spiritus ejus, revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* & loquitur tamen is de salute temporali. quid ergo de spe salutis æternæ vitæque immortalis censendum est? quomodo hæc in eo potest locari, qui mortalis ipse sit? Atque hæc est caussa, cur sac. literæ æternitatem divini numinis consequentem aliquantò & pleniùs & crebriùs exprimant, quàm antegressam. quia nimirum fides ac spes nostra magis in futurum respicit, quàm in præteritum: imò spes per se non nisi futurum spectat; maximè spes Christianorum, quibus resurrectio est & immortalis vita promissa.

Psal. 146. 3, 4.

Quod ve-

Quod verò hujus æternitatis consequens esse diximus, nempe quòd apud Dominum unus dies sit ut mille anni, & vice versa; id quē usum habeat, Petrus nos docuit, qui & de re ipsa nos monuit. Inde enim perspici potest, Deum tarditate in promissis exsolvendis non uti, nec ullas nectere moras, dum decretorium illum adventus Christi diem diutiùs differt. Tempus enim ipsi nunquam deerit ad exsolvenda promissa sua, cui mille anni perinde sunt, ac dies unus. Æternum illi superest ævum, quantumcumque etiam effluxerit. Idem ad alia quoque Dei promissa, præsertim non ad hunc aut illum hominem nominatim, sed vel ad totum genus humanum, vel ad populum aliquem spectantia, transferendum est.

Cap: XIX.

De Vita Dei.

Postquam illa Dei attributa vidimus, quæ vel ad communes rerum affectiones pertinent, vel cum iis conjunctionem habent; nunc ad ea veniendum est, quæ viventium sunt propria. Ea verò ita sunt comparata, ut alia aliis veluti innitantur, &, ut in scholis loquuntur, alia ab aliis præsupponantur. Et primùm quidem sequuntur facultates, seu actionum propriæ caussæ ac principia; tum demum ea, quæ facultatibus his iterùm nituntur. Cum autem actiones, etiam divinæ, duplicis sint generis, aliæ, quas immanētes vocant, quæ ab agente in rem aliam non transeunt, eámve afficiunt; aliæ transeuntes: etiam facultates, quæ earum sunt principia, duplicis sunt generis. Aliæ enim immanentium propria sunt principia: aliæ transeuntium. Facultates, quæ per se immanentium, consequenter & transeuntium actionum sunt principia, duæ in Deo sunt, Intellectus & Voluntas, quæ vitam ejus veluti determinant, ac differentiarum instar ad eam restringunt speciem, quæ est perfectissima. Facultates similiter, quæ actionum transeuntium sunt principia, duæ sunt, Potentia, quæ in efficacia consistit ac viribus, & Potestas, quæ in jure. De his ergo ita agemus, ut initio a Vita facto, ad actionum immanentium principia progrediamur; ab his iterum ad principia transeuntium; cætera suis locis visuri.

Quod ergo ad vitam Dei attinet; ut de voce primùm dicamus; animadvertendum est, cùm id nomen ad Deum in sacris literis refertur, non protinus vitam illam significari, quâ Deus ipse vivit, de qua nobis est hoc loco agendum. Etenim cùm Paulus in Epist. ad Ephes. Eph: 4. 18.

ad Ephes. ait, Gentes *alienatas esse a vita Dei;* quivis facilè cernit, non eam intelligi vitam, quâ Deus ipse vivit; sed vel vitæ rationem a Deo præscriptam, eique placentem; ut opus Dei aut Domini, alicubi significat opus a Deo aut Domino præscriptum, eiq; gratum & acceptum; vel vitam sempiternam, quæ a Deo proficiscatur. quo pacto *vita Iesu* apud eundem Apostolum significat vitam, seu mavis conservationem in vita, atque e mortis periculo liberationem, quæ a Iesu Christo proficiscatur. quamquam prius est vero similius. Cùm verò Christus apud Iohannem ait, *Sicut Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio habere vitam in semetipso:* itidem non de illa vita, vel saltem non de illa sola loquitur, quâ Deus aut Christus ipse vivat: sed potiùs per metonymiam effecti, vim atque efficaciam designat vitam aliis largiendi; quemadmodum ab interpretibus nonnullis est animadversum. Probat enim Christus his & sequentibus verbis id, quod antea dixerat, *mortuos audituros vocem Filii Dei, &, qui audierint, victuros.* Id autem non rectè probasset, si per vitam, quam Pater in semetipso habeat, & Filio quoque habere in semetipso dederit, eam tantùm intellexisset, quâ ipsemet Pater ac Filius vivat. At rectissimè id probat, si vim atque efficaciam intelligit vitam aliis largiendi, vel saltem hanc quoque verbis istis includit. Verùm hac de re non est hîc fusiùs dicendi locus.

Ioh: 6. 29. 1 Cor: 15. 58. 2 Cor: 4. 10. Ioh: 5. 26. VVolfg: Musculo. Ioh: Maldonato.

Accedendum enim nobis est ad illam Dei vitam, quam ipsemet Deus vivit; quæ tum significari solet, saltem primò, cùm Deus vivens in sac. literis appellatur: aut illa jurandi formula Deo usurpata legitur, *Vivo ego,* & illa hominibus, *Vivit Dominus.* Vtrumque autem horum in sac. literis frequens est. Itaque si testimonia requiras hujus divini attributi, ea sunt obvia. Quod ad alias rationes, quibus id probetur, attinet; eædem sunt, quibus Deum esse suprà probavimus. Deus enim revera non esset, si vitâ careret; ut omnes per se intelligunt. Quam ob caussam Deus verus in sac. literis idolis fictitiisque Diis eo nomine, nunc apertè, nunc tacitè opponi solet, quòd sit Deus vivus; ut propemodum perinde sit, Deum vivum dicere, ac Deum verum: quamquam nonnunquam vox *veri* & *vivi* Deo simul, uberioris declarationis caussâ tribuitur. Sic Ieremias, cùm de idolis non pauca dixisset, & ea nec benè, nec malè cuiquam facere posse docuisset, Deum verum illis opponens ait: *Dominus autem Deus verus est: ipse Deus vivens, & rex sempiternus.* & Paulus ad Thessalonicenses scribens: *Conversi estis,* inquit, *ad Deum a simulachris, servire Deo vivo & vero.* Idem in Actis so-

Ier: 10. 10. 1 Thess: 1. 9.

Cap. XIX. De Vita Dei.

Act. 14. 14.

Actis solam *vivi* vocem opponit *vanis* seu commentitiis Gentium diis. Ita enim Lystrensibus ait, sibi ac Barnabæ sacrificare volentibus,& se Mercurium, Barnabam Iovem appellantibus: *& nos mortales sumus, similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt.* Itaque cùm Deum *vivum* in sac. literis appellari audimus, præter ipsam vitam omnia illa cogitare debemus, quæ in Deo vero requiruntur, ac nominatim immensam ipsius potentiam; non quidem vi solius vocis *vivi*, sed & nominis *Dei*, cui apponitur. Quò accedit, quòd vox illa κατ᾽ ἐξοχὴν Deo summo tribui, certis præsertim in locis, omnino videatur, ita ut intelligendum sit, Deum ita vivere, ut fons sit omnis vitæ; h. e. ut ipse primò ac per seipsum vivat, cæterisque omnibus sit vitæ caussa. Vnde illic Viventis epitheto non sine peculiari emphasi videmus insigniri Deum, ubi de vita ac salute, sive æterna, sive temporali, quæ ab eo vel proficiscatur, vel speretur, sermo est. vide Ioh. 6. 58. 1 Tim. 4. 10. conf. cum v. 8. & 6. 17.

Quod ad ipsam vitæ divinæ rationem ac naturam attinet; de ea non adeo multa nobis sunt dicenda. primò quia ad religionem ac salutem hac in parte satis est, si tantum de vita Dei intelligamus, quantum etiam rudissimi quique intelligere facilè possunt, atque adeò, cùm vitæ nomen audiunt, intelligere solent. nempe ut statuamus, Deum non esse rem sive substantiam naturâ inertem atque otiosam, & porrò intelligendi, volendi, & liberè agendi vi destitutam: qualia videmus esse corpora inanimata, ac nominatim idola sive simulachra, ligna ac lapides: sed contrà talem esse Deũ intelligamus, in quo facultates illæ locum habere queãt. Deinde quia nos mortales de vitæ divinæ natura disserere non multa possumus, qui ne nostræ quidem vitæ naturam satis intelligimus. Vnde etiam inter doctissimos viros de vitæ definitione controverti videas. Eò tamen ferè eorum, qui rectiùs cæteris ea de re loqui videntur, redeunt sententiæ, ut vita dicatur esse vigor quidam, aut actus quidam internus ac continuus ab anima corpori juncta proficiscens. Sed quia hæc definitio quatenus animæ corpori junctæ mentionem facit, vitæ in universum non competit; ideo aliquid est quærendum, quod latiùs pateat, & divinæ etiam vitæ possit accommodari. De verbis, quibus accurata vitæ definitio concipi queat, non laborabimus: satis erit indicare, quod ad rei intelligentiam prosit. Dici igitur potest, vitam esse vigorem

 aut actum

aut actum quendam internum ac continuum, sive ipsius spiritus elementarem naturam superantis, sive ab hujusmodi spiritu, qui corpori alicui sit junctus, manantem. Spiritûs nomen & Deo convenit, & angelis, & animæ humanæ a Philosophis, imò & vulgò sic appellatæ, & [a] animæ brutorum, ac denique nobiliori illi plantarum parti, quæ illis insita, eas vegetat, & nutriendi ac generandi vim illis largitur. Spiritus autem vel ita perfectus est, ut per se non modò unitatem atque integritatem suam servare, sed & operari queat; vel aliqua ratione imperfectior, ita ut corpore aliquo naturaliter indigeat, quo & contineatur, & in operando utatur. Ille per se vivit: hic per se non vivit, sed ejus virtute atque efficaciâ vivit compositum, quod constituit, & cui naturaliter inest. Prioris generis spiritus est Deus; post Deum angeli. posterioris, spiritus rerum corruptibilium. in quo tamen genere spiritus humanus nobilitate ac perfectione maximè eminet. Ex his ergo intelligi aliqua ratione potest, quid Dei sit vita. Quòd si specialiùs ac distinctiùs cognoscere velis, qualis sit ille divinæ naturæ vigor, seu qualis Dei sit vita; id, quatenus nobis cognitu necessarium est, ex sequentibus intelligetur, ubi de intellectu, voluntate, potentia Dei, cæterisque ipsius attributis agemus. Illud hîc ex superiori capite repetendum est, vitam Dei esse prorsus necessariam; ac porrò, ut ab æterno duravit, ita & in æternum duraturam. Vnde eum vidimus appellari viventem in secula seculorum, deque eo pronunciari, quòd solus habeat immortalitatem. Immortalitas enim moriendi impossibilitas est, vivendi autem necessitas, quæ æternam vitæ durationem postulat. Necessitatem autem non eam intelligimus, quæ coactionis est, & spontaneo opponitur: sed quæ contingentiæ tantùm opponitur, nec externa est, sed Deo naturalis & interna. Solus autem immortalitatem habere dicitur Deus, uti & [a] solus appellatur sapiens, & [b] nemo bonus, nisi is unus, esse dicitur; nempe quia ista solus a seipso, & perfectissima ratione habeat: cæteri, qui habeant, non nisi ab ipso, & inferiori perfectionis gradu. Nam nec immortalitas nostra, ut de hac sola loquamur, Dei ipsius immortalitati prorsus par erit. Dei enim vita simpliciter & absolutè necessaria est: cæterorum non nisi ex hypothesi quadam. Nam a voluntatis divinæ constantia, & angelorum nunc pendet vita atque immortalitas, & nostra aliquando pendebit. Cæteroqui Deus, si vellet, destruere posset, quicquid construxit. Sed quod ad nos attinet, voluntatem suam Deus, non modò decreto, sed & promissione variis modis stabilita, reddidit

[a] vid: Gen: 6. 17: 7. 15. Eccle: 3. 21.

Apoc: 4. 9, 10. vid: & Deut: 32. 40. 1 Tim: 6. 16.

[a] Rom: 16. 27. Iudæ ℣ 25. [b] Mat: 19. 17.

hac in parte immutabilem: ita ut nobis extra inobedientiæ ac contumaciæ periculum positis, nunquam sit verendum, ne nobis vitam auferat, & viribus suis ad perniciem nostram utatur.

Restat, ut de usu hujus doctrinæ quædam moneamus. Is verò ex dictis satis intelligitur. Quandoquidem Deus revera Deus non esset, si vitâ destitueretur; nec magis foret colendus, quàm idola atque simulachra. Mera superstitio atque stultitia foret omnis religio, in eamque voces quadrarent divinorum virorum, quibus idololatrarum stultitiam meritò insectantur, quòd Deos habeant omni vita, omnique facultate, quæ viventium sit propria, destitutos: qui, ut Ieremias ait, *ligno dicant: Pater meus es tu: & lapidi: Tu me genuisti;* vel, ut Esaias inquit, qui *confidant in sculptili; qui dicant conflatili: Vos Dii nostri: surdi audite: & cæci intuemini.* Vnde alibi Ieremias: *Stultus*, inquit, *factus est omnis homo a scientia, confusus est artifex omnis in sculptili: quoniam falsum est, quod conflavit, & non est spiritus in eis.* Stultissimum enim est, pro domino ac rectore suo eum agnoscere, qui non vivat: metuere eum, qui nocere nequeat; spem suam in eo ponere, qui benefacere non possit; preces admovere surdo; a cœco petere, ut se respiciat. Itaque ut uno verbo rem totam complectar, vitâ Dei sublatâ, ipse Deus ac religio omnis tolleretur. Eâdem autem stabilitâ, ab idolorum cultu abstrahimur, ut ex dictis patet.

Ier: 2. 27.
Esa: 42. 19.
Ier: 10. 14.

Quorsum verò prosit scire, Dei vitam æternam esse atque immortalem, id capite superiori satis est explicatum. Itaque nihil est necesse his diutiùs immorari.

Cap: XX.

De Intellectu Dei.

Sequitur nunc, ut de intellectu Dei agamus: siquidem ejus explicatio partim ad uberiorem ac distinctiorem vitæ divinæ cognitionem pertinet; partim fundamenti cujusdam instar substernitur reliquorum Dei attributorum tractationi. Intellectum autem hoc loco pro facultate intelligendi, seu res percipiendi ac cognoscendi sumi, facilè ex superiori capite perspici potest. quod propterea monemus, quia apud Veterem Latinum Bibliorum interpretem vox Intellectûs pro sapientia aut scientia sæpe usurpata legitur, & alicubi etiam, cùm de Deo sermo est. Sapientia autem ac scientia, ejus, de quo hìc loquimur, intellectûs actus quidam est ac perfectio, de qua inferiùs agemus.

Psal: 136. 5.
inf: cap: 24.

Deinde & illud animadverti cupimus, nos non ita strictè Intellectûs vocem sumere, uti tum sumitur, cùm hominibus tribuitur. Intellectus enim humani non est, res ipsas primò ac per seipsum percipere, sed sensu jam antè perceptas dijudicare, rerum essentiam ac naturam ex iis rerum affectionibus, quæ sensu jam sunt cognitæ, penitiùs rimari, universalia ex singularibus colligere, alia ex aliis ratiocinando deducere. Vnde in scholis vulgò dicitur, Nihil esse in intellectu, quod non priùs fuerit in sensu. Similiter nec illud intellectûs nostri propriè est, res antea cognitas earúmve species retinere; sed memoriæ. At nos cùm de intellectu Dei loquimur, unà cum aliis, qui de eo disserunt, simpliciter intelligimus facultatem res quasvis, quatenus sub cognitionem ullo modo cadunt, percipiendi seu cognoscendi. Itaque uni divino intellectui tribuimus ea omnia, quæ pluribus in homine facultatibus sunt delegata, segregatâ, quæ in nobis est, facultatum istarum imperfectione. Eo nempe & præsentia intuetur Deus, & præterita tenet, & futura prævidet; eo & externas & internas rerum affectiones cognoscit, & naturas earum intelligit; eo quis rerum sit ordo, quæ similitudo aut dissimilitudo, quis caussarum atque effectuum nexus cernit; res & singulas & universas perspicit. Vt autem hujusmodi facultatem Deo inesse demonstremus, non multis est opus. Cum enim totius rerum naturæ sit & opifex, & rector supremus, uti ex illis constat, quæ de existentia Dei suprà disputavimus; cumque omnia in fines suos dirigat; nihil eorum illi incognitum esse necesse est. Cognoscere autem quî posset, nisi cognoscendi esset facultate præditus? Ipsi sensus nostri, ipsa mentis nostræ vis admonere nos debet de intellectu ejus, omnem alium sensum atque intellectum superante, unde ipsa promanavit. Quî enim sentiendi atque intelligendi vim largiri cæteris omnibus potuisset is, qui sensu (liceat enim & hac voce de Deo uti) atque intellectu ipsemet esset destitutus; imò qui omnem sensus atque intellectus vim ipsemet perfectissima ratione non complecteretur? Itaque non injuriâ ita Psaltes hominum impiorum ac providentiam divinam negantium errorem, vel potiùs væsaniam refutat: *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat*, (vel *non videbit?*) Idem de cæteris, quibus a Deo instructi sumus, cognoscendi sentiendique facultatibus cogitandum. Hinc autem est, quòd & sensuum organa, ut oculi & aures, Deo per anthropopathian, quam vocant, seu metonymiam cum metaphora conjunctam, in sac. literis tribuantur, nempe quia sensuum illorum vis

[Margin: sup: capp: 2, 3, 4.]

[Margin: Psal: 94. 9.]

rum vis ac facultas, quæ per organa iſta exſeritur, Deo convenit.

Ex his & illud cerni jam poteſt, de ſacrarum literarum auctoritate, quâ intelligendi cognoſcendique facultas Deo aſſeratur, vix neceſſe eſſe ampliùs monere. Teſtimonia ubique ſunt obvia. Siquidem Deo intellectus ſeu intelligentia, ut ſuprà vidimus, & intelligendi actus, & ſapientia, & omnium rerum ſcientia apertiſſimè adſcribitur: quemadmodum & vulgò notum eſt, & inferiùs cùm de Sapientia Dei agemus, patebit. ad quem locum & cætera differimus, quæ de intellectu Dei ſcire ad religionem ac pietatem utile eſt. Nonnulla, quæ in ſcholis de eo diſputantur, tutiùs ignorari, quàm definiri arbitramur.

Vſus hujus doctrinæ unicuique patet, & ex dictis ſatis poteſt intelligi. Tolle a Deo intelligendi facultatem, & Deum eſſe negaveris; opificium ac regimen hujus mundi ei ademeris, & unà cum providentia omnem religionem ſuſtuleris. Quod in idololatrarum ſtuporem dictum ſuperiori capite ex Eſaia attulimus, nempe quòd dicant conflatili, *Vos Dii noſtri: ſurdi audite: & cæci intuemini.* id huc maximè pertinet. In eos enim quadraret, qui Deum colunt, & ab eo auxilium ſperant, & precibus impetrare ſtudent, niſi Deus intellectu, & quidem perfectiſſimo, eſſet præditus. Sed pleniùs hujus rei uſus intelligetur, cùm de ſapientia Dei agemus.

Cap: XXI.

De Voluntate Dei.

INtellectum Dei ſequitur ejusdem voluntas, alterum actionum immanentium principium. quod unà cum illo & ad vitæ ipſius pleniorem intelligentiam pertinere, & ſequentium ejus attributorum fundamentum eſſe diximus. Voluntatis divinæ nomen paſſim in ſacris literis occurrit: quanquam pro effectu, aut objecto ejus potiùs, quàm pro ipſa facultate, de qua nos hîc agimus, uſurpatum. Triplici enim potiſſimùm ratione voluntatis nomen accipi ſolet. primùm pro ipſa facultate, quâ aliquid velle atque appetere, vel contrà nolle atque repudiare poſſumus. deinde pro ejus facultatis actu, hoc eſt ipſa θέλησει, quam barbarè, ſed ſignificanter tamen, volitionem, aut contrà nolitionem appellant. Denique pro eo, quod quiſpiam vult, aut volendo conſtituit:

vid: Pſal: 40. 9: 103. 21: 143. 10. Eſa: 44. 28: 46. 10: 53. 10. Mat: 6. 10: 7. 21: 18. 14: 26. 42 & alibi paſſim in N. Teſt.

De Voluntate Dei.
a 1 Mat: 7. 21: & 12. 50.
Joh: 7. 17: 9. 31.
Act: 13. 22.
Ephes: 6. 6.
Heb: 10. 36: 13. 21.
a 1 Joh: 2. 17.

quod partim objectum, partim effectum voluntatis est: quo pacto nos, verbi gratiâ, Dei voluntatem facere dicimur. Nos in prima significatione vocem voluntatis accipimus, quam Deo inesse ostenditur, quoties voluntatis divinæ, quocunque tandem significatu, fit mentio. Neque enim vellet quippiam Deus, nisi volendi facultas ei inesset. Siquidem actus facultatem arguit, eamque necessariò ponit. Neque verò quicquam est, quod intellectu sit præditum, quod non simul etiam sit præditum voluntate. Itaque cum Deo intellectus necessariò insit, inest & voluntas; sine qua non magis esset Deus, quàm quod ducitur nervis alienis mobile lignum. Nihil ille præciperet aut prohiberet. vult enim aliquid fieri, qui præcipit; non fieri, qui prohibet. non sceleratis supplicium ab eo metuendum esset, non piis sperandum præmium. Neque enim vel pietatem amare, vel impietatem odisse posset. Omnes ei preces frustra adhiberentur; ut pote qui moveri, seu ut aliquid velit aut nolit, induci nullo pacto posset.

Definitur autem in Scholis voluntas, Appetitus intellectualis, hoc est, appetitus ejusmodi, qui intellectum propriè sequitur: & cum eo est necessariò connexus. Appetitus enim vox latiùs hîc extenditur. Nam alioquin eo nomine illa vocatur in animalibus facultas, quæ sensibus externis annexa, ea, quæ illis grata sunt, persequitur; quæ ingrata, aversatur ac fugit: qui quidem appetitus sensitivus in scholis vulgò appellatur, ut distingvatur ab intellectivo, qui voluntas propriè dicitur. Hic enim non nisi in illis est, quæ intellectu sunt prædita, & ex eo aliquo modo pendet. Dum enim substantia intellectu prædita res percipit ac considerat, eas animadvertit sibi naturæque suæ vel accommodatas esse atque amicas, vel adversas atque inimicas, vel denique neutras. quæ autem amicæ sunt, eo ipso sunt bonæ: quæ adversæ, malæ: quæ neutræ, neutræ & hîc sunt, hoc est, nec bonæ per se, nec malæ. Bonum verò cognitum, quà tale, statim amatur ac desideratur: malum contrà cognitum aversatur animus: neutra in medio quodammodo relinquuntur; tum demum vel amoris, vel odii capacia, ubi in alterutram partem fuerint pertracta. Hoc ergo primum voluntatis munus est, bonum ab intellectu perceptum amare ac desiderare, malum ab eodem cognitum aversari, & quodammodo refugere, neutra in medio relinquere. Neque enim est, quod quis dicat, voluntatis esse velle, non verò etiam nolle, & appetitûs appetere ac desiderare, non aversari. Etenim facultates hæ sunt contrariorum; licèt appellationes ab effectu potiore ducantur. Poti-

Cap. XXI. De Voluntate Dei.

tur. Potior enim est voluntatis effectus velle, quàm nolle; & appetitûs appetere, quàm refugere. Diximus autem, hoc primum esse voluntatis munus, non solum. Sunt enim & alia duo, ad quæ primum illud gradus quidam est. Alterum ergo volũtatis officium est, e rebus duabus aut pluribus, quæ simul omnes consistere vel planè non possint, vel commodè nõ possint, unam eligere, & quid agendum, quídve omittendum decernere. qua in re voluntatis libertas maximè cernitur, quam Græci αὐτεξούσιον, Latini arbitrium appellant. Arbitrium enim libertatem in se continet, quam si demas, arbitrium esse desinet. Itaque qui servum arbitrium dicunt, arbitrium simul esse & ajunt, & negant. Est enim animadvertendum, voluntatem non protinus id omne, quod intellectus bonum esse judicat, quodque adeo ipsi voluntati aliqua ratione allubescit, eligere, & omnino persequendum statuere, etiamsi nec externum aliquod impedimentum obstet, nec majoris alicujus boni, sive cognitio, sive opinio, indeque nata spes ac desiderium, prohibeat. Nam in summa etiam æqualitate rerum propositarum, e quibus unum aliquod eligendum, cætera ommittenda sint, delectum instituit voluntas. Vbi cur hoc potiùs, quàm illud elegerit, nulla alia, quæ impulerit, præter ipsam voluntatem caussa reddi potest. quia voluntas hac in parte prima est ac suprema caussa. Quocirca licèt nullus sit voluntatis actus, qui non caussam aliquam habeat impellentem, nempe finem ac bonum objectum, ejúsve cognitionem: nihilominus tamen illa caussa non protinus talis est, ut voluntatem in suas partes cogat, ac necessariò pertrahat; sed multæ caussæ suadent tantùm, & leniter ducunt, libertate voluntati relicta, ut vel sequatur, vel resistat. Desiderium enim ciet in voluntate boni cognitio; sed non semper ineluctabile ac prorsus invictum. Vt igitur nihilominus vim caussæ impellentis sequatur voluntas, impetum ejus quendam accedere oportet, cujus præter ipsam voluntatem nulla possit reddi ratio. Quare voluntas non est ejusmodi caussa, quæ tantum agat aut moveat, quantum ipsa a caussa impulsiva movetur: sed quæ etiam ampliùs agat, quàm ipsa movetur; quia vim habet aliquo modo ex seipsa agendi. Non dicimus, voluntatem omnem ex seipsa, vim agendi habere, quasi ejus essentia a nulla alia superiori caussa pendeat: id enim non nisi de Dei voluntate verum est: sed id dicimus, voluntatem vim ac facultatem habere, licèt in creaturis aliunde pendentem, quâ possit ex seipsa ita agere, ut aliquid ad vim ac mo-

tum caus-

De Voluntate Dei.

tum caussæ, a qua fuerat primùm impulsa, adjicere queat, & impetum, quem aliunde non acceperat, addere, ut ita electio ac decretum fiat, indeque porrò actio aliqua proficiscatur. Hanc voluntatis vim, quæ sanè divinissima est, quia philosophorum Princeps in Deo non agnovit; ideo mundi æternitatem introduxit, & unà cum mundi creatione imperium, & providentiam divinam circa res singulas sustulit. quem mirum esset, non simul & arbitrium voluntatis humanæ, & sic omnem veram virtutem & improbitatem, actionumque sive bonarum, sive malarum meritum sustulisse; nisi rei evidentia, & inde natus communis hominum consensus, eum retinuisset. Nam certè si in Deo non est vis illa divina atque admirabilis movendi ultrà, quàm a bono cognito moveatur ipsa; multo minùs in homine erit. Quicquid ergo homo facit, necessariò faciet, quemadmodum suprà ostendimus, ubi voluntatis divinæ arbitrium pluribus adversus Aristotelem, & ejus hac in parte asseclas, demonstravimus. Quòd si hoc absurdissimum est, ut sanè est; Deo multò magis hæc libertas inerit. imò ei primò, cæteris non nisi per ipsum; prout & intellectus, cum quo voluntas ac libertas pari passu ambulant. Nam cæteris, in quibus intellectûs tantùm umbra quædam est, ut voluntatis, ita & libertatis hujus tantùm est imago.

Cap: 4

Porrò autem ut appareat, quousque hæc voluntatis libertas extendatur; illud satis liquet, ibi eam incipere, ubi desinit volendi aut decernendi necessitas. Necessitati enim volendi aut decernendi, opponitur libertas, utpote ad opposita indifferens. Itaque ibi locum habet, ubi contingentia ac possibilitas est volendi aut decernendi, vel potiùs in hac ipsa est sita. Nam id ipsum est libertatem voluntatis habere, posse velle, ubi & nolle possis, & contrà. Iam verò si quæ est volendi ac decernendi necessitas, ea in summo bono ultimoque vitæ fine primò apparet: in cæteris eatenus, quatenus necessitatis quodam vinculo cum eo fine connexa judicantur, & ad eum obtinendum omnino censentur requiri. Est enim summum bonum αὐταρκὲς, & explendo necessario cujusque desiderio sufficiens. Atsi necessariò quippiam aliud præter summum bonum esset expetendum, ipsum summum bonum ei rei non sufficeret. Itaque necessitas volendi atque eligendi, si quæ est, intra felicitatem, & media, quæ ad eam necessaria censentur, consistit. cætera contingenter vult, ac persequenda statuit voluntas. Diximus autem necessitatem, *si quæ sit*, intra illa consistere.

quia ubi

De Voluntate Dei.

quia ubi aliquid cum summo alicujus bono in contentionem venire potest, ut in hominibus accidit; ibi felicitas appetitur quidem ac desideratur necessariò: non tamen necessariò præ altero illo bono, quod cum illa in contentionem venit, eligitur, ac persequenda statuitur. Et ne fortasse existimes de iis tantùm nos hominibus loqui, qui quid sit felicitas, nunquam expenderint: Paulum specta. at quem virum? quàm sapientem? quàm divinum? Is anathema a Christo pro Israëlitis, suis secundùm carnem agnatis, fieri optavit. Quid autem aliud est anathema a Christo fieri, quàm perire, ac felicitatem supremam perdere? Non longè ab illo abiit Moses, vir itidem divinissimus. Is enim, nisi Deus ignoscere Israëlitis vellet, se quoque ex libro, quem scripserit, libro, inquam, vitæ, deleri cupivit. Quòd si tanta est voluntatis humanæ libertas circa ipsam felicitatem, quæ ultimus est vitæ nostræ finis ad nos relatus, & votorum nostrorum summa; quantam putamus esse libertatem in cæteris? Tanta certè est, ut modò aliquod motûs principium nanciscatur, hoc est, cognitionem aut speciem boni alicujus, sese ad id etiam, quod minus est, applicare queat, & efficere, ut illud potiùs persequamur, quàm id, quod majus est. Id autem vel eam ob caussam fit, quia bonum cæteroqui minus, ob aliquam circumstantiam in contentionem cum majori veniat, ita ut res velut in æquilibrium deducta, non nisi liberrimo voluntatis decreto definiri queat: vel quia dum per vices nunc hujus, nunc illius boni species animo occurrit, voluntas vel huic, vel illi pro libitu sese applicare, & hac ipsa sui inclinatione ei etiam pondus addere potest, quod minus esse mens non ignorat. Sua enim vi, ac liberrimo in alterutram partem impetu, voluntas supplet id, quod speciei illius boni, ad quod sese applicat, deerat. Veruntamen eò usque hæc voluntatis libertas non pertingit, ut id, quod mens impossibile esse cernit, eligere possit, utut possit optare: neque etiam eò, ut id alteri præferat, quod nullam cum eo proportionem habere, sed infinitis ab eo partibus superari liquidò cernat. Itaque ut ad libertatem voluntatis divinæ ascendamus; non potest non felicitatem suam Deus & appetere, & (fas ita sit de Deo loqui) persequi, eâve perfrui. Nam & necessaria illa prorsus est, ut suo loco docebimus; & nihil est, quod cum ea in contentionem venire ullo pacto queat, & porrò voluntatem, ut ei felicitatem suam postponat, ullo modo impellere. Itaque & illa necessariò vult ac facit Deus, sine quibus felicitas ipsius consistere non potest. At in cæteris, quibus necessarius non est cum felicitate ipsius nexus, li-

Rom: 9. 3.

Exo: 32. 32.

De Voluntate Dei.

xus, libertas voluntatis ipsius regnat. Necessitate enim volendi ac eligendi sublata, libertas, ut diximus, relinquitur. Nihil autem eorum, quæ extra Deum sunt, ad felicitatem ejus simpliciter ac per se pertinet. Quare eorum nihil velle aut facere necessariò cogitur; sed quicquid vult aut facit, per se liberè vult ac facit. Dico autem *per se*: quia cum sese obstrinxit ad aliquid faciendum, jam id necessitate juris, ac porrò justitiæ vi, omnino facit; & nisi faceret, contra naturam suam ageret, suamque felicitatem everteret. similiter cùm aliquid facit, id, ut rectè ac sapienter faciat, necesse est: quia aliàs itidem naturæ suæ repugnaret, suamque felicitatem veluti oppugnaret. Eatenus ergo necessariò extra se agit, non liberè. Sed huic necessitati locum facit liberrimus quidam voluntatis ipsius actus.

Restat adhuc ultimum voluntatis munus, seu mavis vis ac facultas: nempe quòd aliis rebus, cùm eveniunt, delectetur, aliis offendatur. Respondet id maximè primo voluntatis muneri, & quod hoc præstat in futuris, id præstat illud in præsentibus, aut etiam in præteritis. Ex eodem sanè potissimùm etiam pendet; aliquo modo & ex secunda voluntatis functione. Quisquis enim rem aliquam, ut bonam ac jucundam desiderat, vel etiam eam persequi omnino statuit, eâ potitus aliquo modo delectatur ac lætatur: contrà si, quod aversatur, id nihilominus eveniat, offenditur tanquam malo atque injucundo. Quam ob caussam sacræ literæ per metaphoram quandam, & lætandi, & dolendi seu tristandi verbum, & alia quædam his similia Deo tribuunt; ut significent, aliquid esse in Deo his voluntatis nostræ actibus analogum. qua de re ibi agetur, ubi de illis voluntatis divinæ actibus dicemus, qui affectuum nomine in sac. literis describuntur. Nam & de his, & de decretis divinis, infrà separatim tractabimus. Eò igitur cætera rejicimus de voluntate divina adhuc dicenda. Quod enim hîc quoque voluntatis divinæ actiones attigimus, id, ut facultatis ipsius rationem ac naturam explicaremus, fecimus. Quandoquidem facultates explicari non possunt, nisi per suos actus. Suâ enim naturâ ad illos referuntur, & quicquid sunt, illorum sunt.

vid: cap. 31.

Usum hujus doctrinæ jam antè attigimus. Docuimus enim, voluntate Dei sublata, omnem veram religionem ruituram, & Deum revera non futurum, omni ipsius imperio, omni cura ac providentia, cum ipsa rerum creatione sublata. Idem reipsa fit, si libertatem voluntati ipsius detrahas, & quicquid facit, necessariò eum facere statuas. Neque enim revera potestatem atque imperium habet,

um habet, qui, quod facit, necessariò facit, & arbitrio libertatéque naturali destituitur. Præterea & illud consequi vidimus, Dei arbitrio ac voluntatis libertate negata, corruituram multò magis humanæ voluntatis, uti & cæterarum creaturarum intellectu præditarum libertatem, quâ sublatâ religio concidit; concidit virtutis ac vitii seu peccati ratio, præmiũ ac pœna. Simul autẽ omnis vera e rerum natura tollitur contingentia, ut vocant. Quocunq; enim te vertas, vera atque absolutè sic dicta contingentia non alio nititur fundamento, quàm voluntatis alicujus arbitrio, seu libertate ejusmodi, quæ in alterutram partem sese flectere ex seipsâ possit. Inde enim postea actionum & effectuum longa concatenationis serie ducitur contingentia. Quæ enim non possunt vel moventi resistere, vel ultrà, quam moventur ipsa, movere alia: ea contingentiæ absolutè sic dictæ, fundamentum esse nullo modo possunt, sed per se potiùs sunt necessitati, subjecta, & libertatem nec ipsa habent, nec in aliis pariunt. Talia autem omnia sunt, quæ arbitrio ac libertate voluntatis sunt destituta.

Cap: XXII.

De Potentia Dei.

Absolutis illis facultatibus divinis, quæ immanentium actionum propria sunt principia, transeuntium consequenter: sequitur, ut eas etiam explicemus, quæ actionum transeuntium, h.e. in alia veluti manantium, & in iis vim suam exserentium, propria sunt principia. Diximus autem duas esse: Potentiam, quæ in vi atque efficacia consistit, & Potestatem, quæ in jure. Vtraque ad actiones operaque Dei externa requiritur. Nihil enim fieri potest a quoquam, nisi faciendi vires habeat: a Deo etiam nihil, cujus faciendi jus non habeat. Quamquam hæc posterior etiam ad decreta Dei requiritur. Vt enim nihil facit Deus, quod jure facere nequeat; ita nec decernit. Interim tamen ad ipsa opera decretorumque effecta primò ac per se pertinet: ad decreta propter facta ipsa. Ideo enim aliquid decernere licet, aut non licet, quia id etiam facere licet, aut non licet; non contrà, si naturæ ordinem respicias: etiamsi ex rectitudine decretorum, etiam operum rectitudinem concludere liceat. Quamquam autem harum facultatum nomina interdum videantur confundi: potestas tamen Græcis ἐξουσία propriè est: potentia autem, de qua hoc capite agere instituimus,

Cap: XXII. De Potentia Dei.

a Mat: 22. 29. Luc: 15. 17. Rom: 1 4, 20: 9. 17. 1 Cor: 6. 14. Ephef: 1. 19.
b Ephef: 1. 19. Apoc: 7. 12. fic & Eph: 6. 10. 2 Theff: 1. 9. 2 Pet: 2. 11.
c Eph: 1. 19: 6. 10. Col: 1. 11.
d vid: inter alia Gen: 17. 1: & 18. 14: & 35. 11: & 43. 14: & 48. 3. Exo: 34. 6. Iob: 9. 5, 19: & 12. 13: & 42. 20. Pfal: 89. 9, & d. Ier: 32. 17. Mat: 19. 26. Luc: 1. 37. Ephef. 3. 20. Apoc: 1. 8: 4. 8.

tuimus, five Deo, five aliis rebus attributa, [a] δύναμις potiùs vocari folet, aut [b] ἰσχὺς, item [c] κράτος, unde παντοκράτωρ, hoc eft, omnipotens. Verùm vox κράτος etiam imperium in fac. literis denotat, vel faltem de imperio accipi rectè nonunquam poteft. Non recenfemus alia, præfertim figurata, quale eft brachium, vel brachium extenfum, dextra, & his fimilia.

Quid autem ea fit potentia, ex dictis facilè intelligi poteft. Eft enim facultas extra fe efficaciter agendi. Eam verò Deo ineffe, & quidem infinitam, non tantùm affirmant facræ literæ, fed ex clariffimis etiam ejus effectis demonftrant. Loca facrarum literarum, quibus immenfa Deo potẽtia tribuitur,[d] paffim funt obvia. Quod ad effecta attinet; primum, quod habemus, immenfæ Dei potentiæ documentum eft mundi hujus creatio, quam nos fuprà cap. 4. & 5. rationibus demonftravimus. Immenfam certè ejus, qui hæc omnia condidit, vim ac potentiam effe neceffe eft. Quanta enim in hoc univerfo eft operum maximorum ac planè ftupendorum multitudo? quanta varietas? quanta in fingulis vis? quàm admirandæ facultates? Qui hæc producere potuit, quid non poffit? Ideo toties in facris literis commemoratur rerum creatio, ut inde Dei potentiam æftimare difcamus. Iungenda creationi rerum eft perpetua earundem confervatio, procuratio ac gubernatio, quæ quotidie infinitæ Dei virtutis ac roboris documenta nobis proponit. Accedunt miracula, quorum maximus fuit numerus. fed illuftria præter cætera fuerunt ea, quæ per Mofen, maximè autem, quæ per Chriftum fuerunt patrata: quorum illis Legis, his Evangelii initia Deus infignivit, ac veluti confecravit: ut certa atque in omne ævum duratura utriusque doctrinæ, fed hujus maximè, extarent fundamenta, quibus omnium pofterorum fides tutò inniti poffet. Chrifti fanè miracula tanta fuerunt, ut majora ante eum fecerit nemo. tot autem numero, ut fi fingula fuiffent nominatim perfcripta, mundum libros, qui fcribendi fuiffent, non capturum Iohannes affirmet. Miraculis autem Chrifti illa meritò accenfemus, quæ per fervos fuos in cœlum hinc profectus toto paffim orbe edidit, & quibus tot terrarum populos in jura fua adegit. Illuftre fuit & illud potentiæ divinæ documentum, ac infignitè commemorandum, quod rei & præftitu, et nobis creditu difficillimæ, creditu autem maximè neceffariæ, continet argumentum. Quid enim fecundùm naturam magis videtur effe impoffibile, quàm mortuorum refufcitatio, & ad immortalitatem tra-

Ioh: 21. ult.

tem tra-

Cap: XXII. De Potentia Dei.

tem traductio? Hic est nostræ de Dei potentia fidei, si certorum ejus effectuum habeatur ratio, quidam veluti apex. Vnde & in Abrahamo credentium patre id maximè insigne fuit, quòd crediderit, etiam a mortuis resuscitare posse Deum. At hujus rei documentum nobis evidentissimum dedit Deus in duce fidei ac salutis nostræ Christo, dum eum & a mortuis resuscitavit, & ad dextram suam in cœlestibus collocavit. quod quidem tam admirabile divinæ potentiæ opus verbis insignibus (si modò in re tanta ulla satis magnifica oratio esse potest) exprimit Apostolus in ea, quam ad Ephesios scripsit, Epistola; adeo ut dignus sit locus, qui hîc expressè inseratur. Cùm enim precatus esset a Deo Ephesiis illuminatos mentis oculos, ut scirent, quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis, hoc est, ut intelligerent summam illius boni, quod ipsis a Deo esset oblatum, præstantiam; optat etiam, ut summam ejusdem boni certitudinem cognoscant, quæ nisi infinitâ illâ Dei potentiâ, quâ solâ id præstari nobis potest, cognitâ cognosci nequit. Cognoscitur autem ea potentia ex tam illustri, quem diximus, effectu. Itaque ita subjicit: *&* (scilicet *ut sciatis*) *quæ sit supereminens magnitudo virtutis* (seu *potentiæ*) *ejus in nos, qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis* (seu *virium*) *ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem* (seu *potentiam*,) *& dominationem, & omne nomen, quod nominatur non tantùm in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput supra omnia* (sic est in Græco) *Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius,* [*&*] *plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet:* sic enim potiùs vertendum est participium πληρουμένου, quàm *adimpletur.* Satis ergo divina sese demonstravit potentia, quam Deo inesse aliàs quoque est consentaneum. Quemadmodum enim Deus, quia intelligere tum bona, tum mala potest omnia, voluntatem quoque habet, ut illa approbet, hæc improbet, ac porrò diversa de illis decreta facere queat: ita & consentaneum, imò necessarium est, ut, quæ approbet, possit efficere; quæ improbet, tollere.

vid: Heb: 11. 19.

Eph: I. 18. & d.

Cæterùm ut, quæ sit potentiæ divinæ ratio, quæ amplitudo ac perfectio, meliùs intelligatur; de omnipotentia Deo in sacris literis attributa nobis dicendum est: & quidem ita, ut primùm tum de Omnipotentiæ voce, tum de aliis loquendi modis, quibus eadem res

dem res in scripturis exprimi solet, nonnihil dicamus: deinde rem ipsam penitiùs inspiciamus. Quod ergo ad vocem *omnipotentiæ* vel potiùs *omnipotentis* attinet, Deo in sacris literis attributam; ea Græcè, ut antè monuimus, est παντοκράτωρ. quam vocem Græci Veteris Testamenti interpretes, e quibus in Novum Testamentum proculdubio manavit, nunc pro voce *Schaddai* ponunt, de qua inter Dei nomina suprà egimus, vel pro nomine *Zebaoth*, quod *exercitus* denotat; cùm Deus ille summus, vel *Iehova zebaoth*, hoc est, Iehova seu Dominus exercituum, vel explicatiùs *Iehova El Zebaoth*, hoc est, Iehova seu Dominus Deus exercituum appellatur. Vtroque autem modo sumta, Dei vim ac potentiam significat; sed magis, cùm pro nomine *Schaddai* ponitur, ut ex iis constare potest, quæ de ejus vocis vi suo loco diximus. Vox enim illa robur ac vires Dei significat, quibus omnibus omnia suppeditare ac sufficere queat. At cùm pro nomine *Zebaoth* ponitur, voci *Iehova*, aut *El* h. e. *Dei*, adjecto, primò & per se supremum Dei in legiones angelicas, ac porrò in res cæteras angelis inferiores significat: consequenter etiam potentiam Dei ac robur ipsius indicat. & hoc quidem duplici ratione. Nam primò, qui innumeris spirituum immortalium ac robore præcellentium legionibus summo cum imperio præest, eum illis omnibus longè robustiorem esse intelligimus; nisi fortè censeas, eum non nisi ita volentibus imperare, & eos exercitus, si velint, imperium ipsius excutere impune posse; id quod de supremo numine cogitare nefas est. Deinde cui res omnes, etiam angelicæ legiones, parent, quid per eas efficere, in rebus præsertim humanis, non possit? Principes ac reges δυνάστας seu potentes appellamus, non tam propter imperandi ac gubernandi jus per se consideratum, quàm propter id, quod juris hujus, cùm eo uti reipsa queunt, consequens est; nempe quòd multum in rebus humanis possint, opibus regnorum, ac subditorum suorum viribus subnixi. Quantum igitur Deum posse censemus, qui omnibus angelorum legionibus, quorum & robur maximum est, & numerus propè infinitus, imperat, easque sibi habet obsequentissimas? Itaque hoc veluti secundarium est Dei robur ac potentia, extra ipsum sita, atque ab eo pendens; quâ quidem in gubernatione rerum inferiorum, & exequutione decretorum suorum, creberrimè utitur. Etsi enim Deus etiam per se, seu vi in se habitante possit omnia, quæ vult, efficere: uti tamen libenter, atque adeò ordinariè solet mediis a se jam paratis, &

Sup: cap: 13.

Dominium.

ratis, & ad res varias efficiendas aptis. Neque enim res, quas produxit, otiosas esse vult: cum eas ideo produxerit, ut pro viribus sibi ab ipso concessis operarentur, & variis muneribus incumberent. Itaque quemadmodum per homines multa in terris efficit, multaque decreta sua ad exitum perducit: ita quæ occultiori quadam ratione efficit, per angelos libenter præstat, quemadmodum ex historia sacra intelligitur. quò respiciens Psaltes ait: *Benedicite Domino omnes angeli ejus; potentes virtute* (seu *robore*) *facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus. Benedicite Domino omnes virtutes* (Hebr. *exercitus*) *ejus, ministri ejus qui facitis voluntatem eius.* Itaque ut pateat, quantum per creaturas etiam suas possit præstare Deus; crebriùs illa Dei sive appellatio, sive descriptio inculcatur, quòd sit Dominus aut Deus exercituum. Quod ad alios loquendi modos attinet, quibus infinita Dei potentia in sac. literis exprimitur; de illis non est necesse multa dicere, qui controversia carent. qualis est ille apud [a] Iobum, cùm Deum ita alloquitur: *Novi, quòd omnia potes.* & illa Christi verba, [b] *Apud Deum omnia possibilia sunt:* & ista Angeli ad Mariam, [c] *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Notum enim est, *omne verbum* Hebraico more illic poni pro *omnis* vel *ulla res.* His autem locis adjungi possunt & illi, ubi omnipotentia divina non tam exprimitur, quàm effectu ejus manifesto commemorato indicatur, aut alia quapiam ratione describitur. quò pertinent illa [d] Davidis, in quibus Deum verum fictis omnique robore destitutis idolis opponens, *Deus*, inquit, *noster in cœlo* [*est:*] *omnia quæcunque voluit, fecit.* q. d. tantæ potentiæ est, ut quicquid voluerit, faciat. quam sententiam etiam apud [e] Esaiam habes expressam. Neque enim de rebus tantùm præteritis loquitur David, sed indefinitè de quovis tempore. Præteritum nempe Hebraico more pro præsenti, quodvis tempus indefinitè significante ponitur; quemadmodum & alibi frequenter fit in sacris literis. quandoquidem præsens Hebræi non habent, nisi participium, ut ii nôrunt, qui eam linguam primis labris gustârunt. Eódem pertinent & illa Pauli, quibus Deum ad hunc describit modum: *Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus, aut intelligimus, secundùm virtutem* (seu *potentiam*) *quæ operatur in nobis,* &c. Cùm enim inter ea, quæ nos petimus, quædam contineantur præstitu per se maximè difficilia, ut est resurrectio atque immortalis vita, nobis a Deo promissa: si Deus illa omnia præstare potest, & quidem longè abundantiùs, quàm nos non tantùm petere, sed & intelligere possumus;

Psal: 103, 20, 21.

a Iob: 42. 2.

b Mat: 19. 26. & Mar: 10. 27.

c Luc: 1. 37.

d Psal: 115. 3.

e Esa: 46. 10.

f Psal: 1. 1: 2. 1: 10. 3, 6, 10, 17: 11. 1, 7: 12. 5: 14. 1: 15. 3, 4, 5: 16. 1. & alibi passim.

g Eph: 3. 20.

ſumus; quid erit, quod is præſtare nequeat? Illud tamen tum in
h vid: Rom: 4. 21: 16. 25. 2 Cor: 9. 8. Iud: ℣ 24. add: 2 Tim: 1. 12. hoc, tum in aliis fœderis novi locis, [h] ubi Deus dicitur *potens eſſe* aliquid facere, notandum eſt, hac phraſi voluntatem, ſeu mavis propenſionem quandam Dei ad rem, de qua ſermo eſt, efficiendam, vel tacitè præſupponi, vel cogitandam, & ex ipſa potentia
vid: Rom: 11. 23: 14. 4. quodammodo æſtimandam relinqui; præſertim ibi, ubi potentiæ nomen non minùs de jure ac poteſtate, quàm de viribus accipi poteſt. Certè & ipſum verbum *poſſe*, de voluntatis propenſione, indeque nata agendi conſvetudine, omnino accipi videtur in illis
Heb: 2. 18. D. Auctoris ad Hebræos de Chriſto verbis: *In eo, in quo paßus eſt ipſe* [*&*] *tentatus, potens eſt* (Gr. ſimpliciter *poteſt*) *& iis, qui tentantur, auxiliari.* q. d. ad auxilium iis ferendum pronus eſt, & ferre libenter ſolet.

Illa autem ſacræ ſcripturæ loca, in quibus ſecundùm Veterem
Gen: 18. 14. interpretationem Latinam dicitur, Deo nihil eſſe difficile, ab aliis
Ier: 32. 17, & 27. in alium ſenſum trahuntur. Quia enim illis in locis in Hebræo pro *difficile* legitur *mirabile*; ideo id a nonnullis interpretibus recentioribus, apud Ieremiam etiam a Græcis, pro abſcondito ſumitur. Licèt autem inde nec falſus, nec a locorum circumſtantiis penitùs abhorrens naſcatur ſenſus: vero tamen ſimilior is eſt, quem vetus
Zach: 8. 6. interpres expreſſit. Eo ſanè modo vocem *mirabilis* vel reddiderunt, vel explicuerunt omnes, quos videre licuit, interpretes apud Zachariam, ubi Deus id, quod de incolis urbis Hieroſolymitanæ promiſerat, confirmaturus inquit: *Si videbitur difficile* (Hebr. *erit mirabile*) *in oculis reliquiarum populi hujus in diebus illis; numquid in oculis meis difficile* (Hebr. *mirabile*) *erit?* Adde, quòd interpretes illi, qui *mirabile* illis in locis pro abſcondito acceperunt, exiſtimaſſe videntur, id ſimpliciter pro *ignoto* poni. Hanc autem vocis *mirabilis* ſignificationem haud temerè inveneris. Nam etiam tum, cùm ad cognitionem refertur, id ſignificare ſolet, quod difficilius ac ſublimius eſt, quàm ut penitùs cognoſci, aut ratio ejus perſpici queat, etiamſi de eo cæteroqui prorſus conſtet.

De illis verò Chriſti verbis, Patrem, ut calicem a ſe transferat,
Mar: 14. 36. orantis, *Abba Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt*, meritò dubitari poteſt, utrùm de potentia hac, qua de nunc agimus, accipienda ſint. imò vix dubitandum eſt, de poteſtate potiùs, quàm de viribus ac potentia Chriſtum loqui. Indicant id Matthæi verba, quibus eandem
Mat: 26. 39. Chriſti precationem deſcribit: *Pater mi, ſi poſſibile eſt, transeat a me calix iſte.* quorum vim & Marcus expreſſit, dum proximè antè ſcripſerat, Chriſtum oraſſe, *ut ſi fieri poſſet, transiret ab eo hora.* Neque

 Cap: XXII. De Potentia Dei.

ra. Neque enim verba illa, *si possibile est*, ita sunt accipienda, ac si Christus aliquo modo de divinis, quibus id præstari queat, viribus dubitasset; quo nihil potest excogitari absurdius: sed de ejusmodi potestate, quam divina decreta, ipsiusque rei ratio concedat, eum in hoc negotio dubitasse, absurdum non est. Ambigere enim non immeritò Christus poterat, utrùm id, quod cupiebat, divina decreta permitterent, & ipsa rei ratio ferret. Vnde etiam statim precationis verbis subjunxit: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Neque verò est, quod quis dicat, pugnatura inter se Christi verba, si illa *Omnia tibi sunt possibilia*, & ista, *si possibile est*, de eodem possibilitatis genere accipiantur. In illis enim simpliciter asseri id, de quo in posterioribus ex parte dubitetur. Nam in illis Christus loquitur de rebus omnibus absolutè ac simpliciter consideratis, nulla habita ratione ejus, an sint certo aliquo Dei decreto jam definita, nec ne; at in his, ut antè indicavimus, decretorum divinorum rationem vel inprimis habet. Quare perinde esse videtur, ac si dixisset Christus: Pater, res omnes tuæ sunt potestati ac arbitrio subjectæ, ita ut de illis statuere tibi liceat, quod placet. quòd si tuis decretis, ac consiliorum tuorum rationibus planè adversum non est, transferre a me hoc poculum; transfer id, quæso. Sin minùs; id fiat, quod tu decreveris; non quod ego cupio. Sed de vi verborum satis.

Ad rem ipsam ut veniamus; primùm de objecto potentiæ divinæ, ejusque amplitudine dicendum est; deinde ipsius facultatis circa hoc objectum occupatæ genus, aliquantò propiùs est designandum, ut appareat, quomodo potentia divina circa objectum suum versetur. Objectum potentiæ divinæ, quod, cùm reipsa existit, ejusdem etiam effectum est, quàm latè pateat, satis significatur, dum dicitur *omnia* Deum posse. Quomodo autem ea vox sit intelligenda, inter omnes rerum Theologicarum peritos satis constat. Ad omnia enim illa est extendenda, quæ seipsa non evertunt, seu, ut in scholis loquuntur, contradictionem non implicant. Quæ enim implicant, sub nullam cadunt potentiam, sed suâ naturâ sunt impossibilia. Nam contradictionem illa dicuntur implicare, quæ si ponantur, necesse erit idem simul esse, & non esse. Idem autem simul esse & non esse impossibile est. Neq; verò tum demum id fieri censendum est, cùm apertè idem affirmatur, & negatur: sed etiã tum, cùm id tacitè fit, & ex eo, quod ponitur, id necessariò consequitur. Sic contradictionem involvit, Deum mori posse, imò & dormire, edere, bibere. Si enim Deus mori posset; De-

 us, nempe

us, nempe summus, & a seipso existens, non foret. Quare si quis dicat, Deum mori posse; Deum simul esse & non esse tacitè dicit. Idem autem & ille tectiùs asserit, qui affirmat, Deum dormire, edere, bibere. Hæc enim non nisi corruptibilium sunt ac mortalium. Quare talia posse facere, non potentiæ seu roboris, sed impotentiæ potiùs alicujus & infirmitatis est. Quo loco & illud est animadvertendum, quædam contradictionem involvere absolutè atque in universum; quædam respectu hujus aut illius subjecti tantùm; qualia sunt ea, quæ paulò antè commemoravimus. Nam edere, bibere, dormire, mori, per se contradictionem nullam involvunt, sed tum v. g. cùm ad Deum referuntur. Sic & Deum mentiri sine contradictione tacita non potest asseri, etiamsi idem in aliud subjectum, ut in homines, cadat. Imperfectionem enim, imò vitium id arguit, quod in Deum cadere non potest. Sed absolutè ac per se contradictionem involvit, Factum fieri infectum, ita nimirum, ut res eo ipso tempore, quo facta est, facta non fuerit. Vnde non tantùm Philosophi veteres id Deo dixerunt esse impossibile, sed & Theologi Christiani. Nam inter alios ex Augustino hæc vulgò a Theologis hoc argumentum tractantibus citantur verba, rationem hujus sententiæ continentia: *Quisquis ita dicit, si omnipotens est Deus, faciat, ut quæ facta sunt, facta non fuerint; non videt se hoc dicere: Si omnipotens est, faciat ut ea, quæ vera sunt, eo ipso, quo vera sunt, falsa sint.*

Ex lib: 26. contra Faustum cap: 5.

Sed erunt nihiolminus, qui dicant, injuriam fieri divinæ omnipotentiæ, quæ hoc pacto coarctetur, & velut in angustias cogatur. ea, quæ a nobis allata sint, non sacrarum literarum auctoritate niti, sed humani ingenii inventa esse. Neque enim desunt hodie, qui divina virtute etiam contradictoria simul cosinstere posse existiment, idque apertè asserere non dubitent. nempe quia facilè cernunt, dogmata quædam sua, quæ sacrarum literarum testimoniis niti existimant, contradictionem involvere. Candoris id quidem est, quòd contradictionem ibi cernere se dicant, ubi acutiores cernere se negant: sed superstitiosæ nihilominus credulitatis est, quòd iis, quæ seipsa evertunt, fidem, tamquam sacrarum literarum auctoritate suffultis, habeant. Non cernunt autem illi, dum Dei omnipotentiam tam latè extendunt, id se evertere, quo se maximè niti putant, ipsa nempe sacra oracula, & quicquid est, quod divinitus factum esse unquam novimus. Etenim si factum infectum reddere potest Deus; efficere poterit, ut, quæ vel ipse, vel Christus, vel servi ejus unquam aut dixerunt, aut fecerunt;

nunquam

nunquam vel ipse, vel hi dixerint, aut fecerint: & quæ scripta in sacris literis sunt, nunquam a divinis viris scripta fuerint. Itaque nec certò affirmari poterit, Deum creasse cœlum & terram, Christum in mundum venisse, Evangelium annunciasse, miracula edidisse, mortuum ac resuscitatum fuisse, in cœlos ascendisse, atque in solio Dei consedisse, & quæcunque sunt alia in sac. literis scripta. Quo, quæso, pacto tueri poterimus illa nominatim divini spiritûs verba, quæ in Epist. ad Hebræos extant: *Abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit* jus*jurandum: ut per duas res immobiles, quibus* (Gr. *in quibus*) *impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam,* & quæ sequuntur. Quænam enim sunt illæ res immobiles, seu immutabiles, h. e. tales, quæ irritæ fieri non ampliùs possint? nónne promissio, & jusjurandum promissioni additum? quamquam nihil nunc refert scire, quænam illæ sint. Nam quæcunq; tandem illæ sint, eadem illarum, quæ promissionis & juramenti, ratio erit. Hæ autem res duæ quomodo irritę fieri non possunt, si Deus factum infectum potest reddere? Poterit enim efficere, quemadmodum paulò antè vidimus, ut quod promsit, nō promiserit, quod juravit, non juraverit. Quomodo ergo inde colligere poterimus immutabilitatem consilii ipsius, & spem in his rebus firmam collocare? Si dicas, Deum, etiamsi id facere possit, facere tamen nolle; unde id tibi constat? Ratione omni destitueris, si contradictoria simul a Deo effici posse dicas. Ad sacrarū literarum auctoritatem, quam hac assertione subvertisti, confugere ampliùs non potes. Omnium & divinarum & humanarum rerum certitudinem tollis, dum illud ponis. Dubitari enim non immeritò poterit, utrùm nos etiam simus ac vivamus, utrùm ea, quæ videmus, videamus, & sic in cæteris: vel idem simul sine absurditate & affirmari & negari poterit; siquidem fieri divinâ potentiâ possit, ut quod est, non sit tamen revera tum, cùm est. Nihil tam absurdum erit, quod hac ratione asserere non liceat. Neque verò dum ad ea, quæ seipsa evertunt, Dei omnipotentiam non extendimus, eam coarctamus, aut verè limitamus; sed rectè vim vocis reique naturam explicamus. Neque enim existimandum est, vocem *omnis* aut *omnia* simpliciter positam, hanc omnino vim habere, ut in se complectatur, quicquid etiam mente fingi potest. Nam in sac. literis vel semper, vel saltem plærumque ad materiam subjectam restringitur: & ju-

Heb. 6. 17, 18, 19.

Potentia Dei.

rè affirmari poteſt, nuſpiam ita latè extendi, ut quicquid omnino fingi mente poteſt, id ambitu ſuo comprehendat. quin ne in ſermone quidem vulgari ita eam vocem accipere ſolemus: ſed cùm tam latè eam extendi volumus, aliquid adjicere ſolemus, unde id intelligatur. Quare illud immotum manet, Dei potentiam ad ea tantùm protendi, quæ contradictionem non involvunt. Immenſa autem atque infinita nihilominus rectè dicitur, quia in rerum poſſibilium genere, quarum numerus infinitus eſt, ea nullum habet terminum.

Verùm enim verò, ut nonnulli latiùs, quàm convenit, divinam extendunt potentiam: ita contrà etiam non deſunt, qui coarctant. utrique in vitio: illi quòd nimium, hi quòd parum ei tribuant. Statuunt enim quidam, Deum plura non poſſe efficere, quàm efficere reipſa velit. Atqui multa ſunt, atque adeò innumera, quæ Deus reipſa efficere non velit; quæ tamen ſi Deum facere non poſſe dixeris, id dixeris, quod abſurdiſſimum, & in Deum ejusque potentiam valde injurium cenſendum eſt. Tale v. g. eſt, Deum ne pilum quidem loco movere poſſe, quem non moveat. quia eum movere nolle, ex ipſo effectu appareat. Et quod Chriſtus de nobis dicit, imbecillitatem noſtram oſtenſurus, nos ne pilum quidem poſſe album aut nigrum facere; id etiam reſpectu pilorum hujus aut illius hominis dici de Deo poterit: nempe eum albos facere non poſſe, quia nolit: aut nigros, quia itidem nolit. Fruſtra, ſi ita ſe res habet, a nobis deprecamur pœnas ac ſupplicia divina. Nam vel poteſt illa Deus infligere, vel non poteſt. Si non poteſt; quid illa metuimus, quid a nobis averti petimus? Si poteſt, & perpetuò volet: niſi dicere velis, eum hodie quidem poſſe, cras non ampliùs poſſe ea infligere. Quamdiu enim poterit, tamdiu etiam volet. ſiquidem non poſſit, niſi ſimul etiam velit. Potentia autem Dei immutabilis eſt atque æterna. Rectè adverſus hujus ſententiæ patronos urgeri ſolet illud Chriſti: *An putas quia* (vel *quòd*) *non poßum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones angelorum?* Significat enim omnino, Patrem eas legiones mittere ſibi poſſe. at noluit tamen. Plura ergo Deus poteſt, quàm vult. Sed in re manifeſta non opus eſt pluribus. Ea tantùm amovenda ſunt: quæ ſcrupulum alicui movere poſſent.

Mat: 5.36.

Mat: 26. 53.

Objici enim primùm poteſt, quòd voluntas & potentia in Deo ſint planè idem. Itaque ad quæ voluntas Dei non extendatur, ad ea nec potentiam extendi. Sed ſi concluſio ita accipiatur, ut conſecutio-

ſecutionis ratio poſtulat; nihil ea cum ſententia illa, quam hucusque defendimus, pugnat. Etenim ſi rectè inſtituatur inter voluntatem & potentiam divinam comparatio, nihil hac in parte aliud ex utriusq; identitate colligi poteſt, quàm facultatem unam non latiùs extendi alterâ: ſimiliter nec unius actum actu alterius. id quod cum ſententia hucusque defenſa non pugnat. Illud enim tantùm aſſerimus, eam in Deo facultatem, quæ potentia dicitur, latiùs patere, quàm pateat actus voluntatis. quod & de voluntate aſſerimus. Latiùs enim patet volendi facultas, quàm actus. Quæ enim liberè vult Deus, eorum etiam contraria velle poterat, quæ tamen non vult. Sic cum liberè vellet peccatores ſervare, poterat etiam velle eosdem perdere. Quòd ſi plura velle poteſt Deus, quàm reipſa vult: cur non & plura poteſt efficere, quàm reipſa vult atque efficit? Taceo, quòd potentia & voluntas non ita ſunt in Deo eadem, quin ratione a ſe invicem diſtingvantur. Itaque licèt fateamur, Dei potentiam ſeſe reipſa non exſerere, ubi ſe non exſerat voluntas: tamen non eſt neceſſe objectum utriusq; idem prorſus eſſe. Illud certè videmus, voluntatem divinam etiam circa ea verſari, circa quæ non verſatur potentia. Verſatur enim voluntas etiam circa ipſam divinam felicitatem. Hanc enim non poteſt non appetere divina voluntas. at potentia circa illam reverà non occupatur, licèt ab illa veluti præſupponatur. Deinde videmus, voluntatem operari, non operante & vim ſuam exſerente potentia. Etenim cùm tantùm deſiderat Deus, ut quippiam ab hominibus liberè fiat, aut non fiat; vel cùm factum aliquod probat, aut improbat; vel denique cùm in futurum aliquid decernit, voluntas operatur, at non potentia, quæ tum demum ſeſe exſerit, cùm Deus id, quod apud ſe decrevit, reipſa exſequitur. Quare non ita urgenda eſt attributorum divinorum identitas, quin & objectorum, & actuum diverſitati locus relinquatur.

Deinde & illud objici poteſt, quòd Deus contra voluntatis ſuæ decreta nihil poſſit facere. Voluntatis ergo actus potentiam limitare videtur, ita ut ad ea non extendatur, ad quæ voluntatis actus non extenditur. Sed primùm animadvertendum eſt, non omnia decretis divinis definita eſſe, ita ut libertatem ſtatuendi, quod placuerit, ſibi in poſterum omnem Deus eripuerit. Quare plura adhuc velle, ac porrò etiam facere poteſt Deus, quàm actu vult ac facit, etiamſi contra ſua decreta nihil agat, agerévе poſſit. Deinde & illud animadvertendum eſt, impoſſibilitatem, quæ in iſta re cernitur, non opponi reverà huic, de qua agimus, Dei potentiæ

ſeu robori; ſed primò ac per ſe juri ac poteſtati, quam ἐξουσίαν appellari diximus; potentiæ autem non niſi conſequenter, vel potiùs per accidens tantùm. Nam quòd v. g. credentes in Chriſtum perdere ob decretum de illis factum non poteſt Deus, id non ideò fit, quia vires ac robur non habeat eos perdendi. Neque enim quiſquam dubitat, niſi decretum ac promiſſum ejus interveniſſet, eum illos perdere potuiſſe. Decreto autem ac promiſſo in contrarium facto, non factus eſt Deus minùs robuſtus: nihil ei virium propterea deceſſit: cum hæ ei prorſus ſint naturales, ac porrò immutabiles. Quare etiamnum vires illas habet. Sed cùm antea haberet jus ac poteſtatem liberam illos perdendi, eo ſe jure pro ſua benignitate abdicavit. Itaque uſu poteſtatis ſuæ liberrimo, uſum ejusdem in poſterum aliquo modo reſtrinxit & limitavit. Hîc ergo primò impoſſibilitas illa reſidet. Hinc etiam in voluntatem manat. quia Deus contra id, quod penitùs jam decrevit, promiſit, ac ſanxit, velle ac decernere nihil ampliùs poteſt: quia ſic conſtantiam, veritatem, fidem, juſtitiam, ac rectitudinem ſuam convellere tentaret. Non poteſt, inquam, ex hypotheſi, ſeu mavis, per accidens. Nam per ſe ac ſimpliciter etiam voluntas vim haberet, id, quod nunc velle non poteſt, volendi ac ſtatuendi. Hinc porrò eatenus tantùm ad potentiam ſeu robur divinum impoſſibilitas illa dimanat, quatenus non patitur eam ad actum illum progredi, ad quem cæteroqui progredi per naturam ſuam poſſet. Exeri enim potentia reipſa non poteſt, niſi actus voluntatis antecedat. Quòd ſi ille non antecedat, non ſequitur etiam actus potentiæ; licet aliàs tanta ea ſit, ut ad eum actum perficiendum abundè ſufficeret. Et hæc quidem dicitur abſoluta Dei potentia, quæ nihil eſt aliud, quàm potentia ac robur Dei per ſe conſideratum, non habita ratione cæterorum Dei attributorum, a quibus ejus actus aliquo modo pendet, nempe poteſtatis ac voluntatis divinæ. Huic opponi vulgò ſolet potentia, quam ordinariam vocant: quæ tamen non alia eſt a potentia abſoluta, ſed reipſa eadem; verùm aliter conſiderata. Ordinaria enim eatenus eſt, quatenus ad illorum attributorum, a quibus in operando pendet, normam veluti conformata eſt. Quia autem hoc ipſum liberrimæ voluntatis ac poteſtatis eſt, poſſe ſe jure ſuo, ſaltem ex parte abdicare, & vel agere extra ſe velle, vel nolle: inde fit, ut quia potentia divina non niſi ea reipſa exſequitur, quæ jure & poteſt Deus, & reipſa vult; ideo potentia Dei ratione actus ſui aliquo modo etiam reſtringitur ac limi-

ac limitatur, viribus ipsis interim in se nihil imminutis, ac prorsus illibatis. Quare ut ad id, cujus caussâ hæc disputata sunt, redeamus; plura Deus facere potest, quàm reipsa vult ac facit. Etiamsi autem (ut hoc quoque obiter addamus) totam omnipotentiæ rationem non complectatur, qui dicit, Deum id, quod reipsa vult, facere posse: tamen cùm populariùs de ea differitur, nil prohibet, eam ita describere, quòd quicquid vult aut velit Deus, facere possit. quo pacto suprà vidimus Dei omnipotentiam a Davide indicatam esse. Sed hujusmodi loquendi ratione non id tantùm complectendum est, quod Deus actu ipso velit: sed etiam quicquid unquam fortè voluerit, aut velle possit. Id quod omnipotentiæ divinæ rationem, prout cuivis etiam rudissimo cognitu necessaria est, satis complectitur, &, si quid ea præterea in se complectatur, id necessariò secum trahit; præsertim si quis liberrimam Dei voluntatem agnoscat, quæ ad omnia, a natura ejus non abhorrentia, extendere se possit. Psal: 115. 3.

Accedendum nunc ad illud est, quod secundo loco proposuimus. id autem est, ut genus potentiæ divinæ aliquantò propiùs ac distinctiùs designemus, ut appareat, quomodo ea circa objectum suum, de quo adhuc dictum est, versetur. Ex quibus & illud intelligi poterit, quo pacto spiritus sanctus Dei virtus sit, ut in sacris literis appellatur. Illud quidem ex dictis unicuique liquet, potentiam hanc divinam, de qua loquimur, ex earum esse numero, quas activas in scholis appellant. Est autem potentia activa duplex: altera, quæ ad unum effectum ita determinata est, ut ejus oppositum agere nunquam possit, &, cùm materiam nacta est habilem, in qua vim suam exserat, omniaque impedimenta fuerint amota, non possit non agere. Talis est potentia ignis, quam habet ad calefaciendum & urendum. Altera est, quæ aliquo modo indeterminata est, & ad opposita indifferens: quia etiam materiâ ad patiendum habili positâ, & impedimentis remotis, possit non agere, aut etiam contraria agere. Talis est potentia hominis, qui pro arbitrio nunc agere, nunc non agere, & idem corpus sursum aut deorsum volvere, bene aut malè facere, sanare aut perdere potest. Illam priorem, generali nomine ad speciem traducto, Naturalem appellant; hanc specialiori nomine ad genus accommodato, Rationalem aut Voluntariam. Nam & hęc naturalis est; & aliquantò latiùs, quàm rationale aut voluntarium propriè sic dictum patet. siquidem & brutis aliquo modo communis est, quæ possunt membra sua, & porrò etiam alia extra se posita, movere aut non movere; & mo-

re; & movere quidem motibus contrariis, sursum, deorsum; antrorsum, retrorsum. Cum autem eodem tempore ac respectu, opposita aut contraria facere nequeat; necesse est, ut aliquid sit, quod facultatem ad opposita indifferentem, ad alterum oppositorum determinet, atque ita efficiat, ut facultas agendi sese nunc exserat, nunc non exserat; & cùm sese exserit, hoc aut contrario modo agat. Id autem in homine est voluntas, cui & appetitus subest. Voluntas enim in opposita per se flexibilis, facultates sibi subjectas regit ac determinat. Ad hoc potentiæ genus etiam divina pertinet. Hæc enim ad omnia, ut vidimus, effecta possibilia, quorum multa sibi invicem opponuntur, extenditur; & sese nunc exserere potest, nunc non exserere; & nunc hoc, nunc contrario modo agere; imò & eodem tempore contraria, sed in diversis subjectis efficere. Satis id ostendit creatio rerum, quarum infinitæ contrariis sunt inter se qualitatibus naturâ præditæ. Ostendit idem & re-

1 Sam: 2. 6,7. rum gubernatio. Deus enim, ut Anna Samuelis mater canit, *mortificat, & vivificat; deducit ad inferos, & reducit; pauperem facit, & ditat; humiliat, & sublevat.* Cum enim potentia ipsius sit per se ad opposita indifferens, a liberrima ipsius voluntate determinatur. Itaque a potentia divina nullus manet effectus, quin voluntatis actus antecedat. Unde & voluntati divinæ opera divina virtute perfecta tribuuntur. Sic viginti quatuor illi seniores in A-

Apoc: 4. 11. pocalypsi, *Dignus es*, inquiunt, *Domine Deus noster, accipere gloriam, & honorem, & virtutem* (seu *potentiam:*) *quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant* (Gr. *sunt,*) *& creata sunt.* Et quia divina voluntas propter immensum illud robur sibi adjunctum adeò efficax est, ut sine labore rem perficiat; ideo di-

Gen: 1. cendo ac jubendo res efficere Deus dicitur. *Dixit Deus, Fiat lux:*

Psal: 33. 9. *& facta est lux:* & sic in cæteris. Unde Psaltes, *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.* quibus verbis declarat quo-

℣ 6. dammodo id, quod paulò antè dixerat: *Verbo Domini cœli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus (seu exercitus) eorum:* hoc est,

Fr. Vatablus. ut viri doctissimi explicuerunt, simul ac jussit, simul ac halitum ex ore suo emisit, (per ἀνθρωποπάθειαν enim de Deo Psaltes loqui-

Esa: 11. 4. tur,) cœli, eorumque apparatus, seu stellæ, instar exercitûs exti-

2 Tess: 2. 8. terunt. quo pacto spiritu oris sui Christus dicitur interfecturus impium, hoc est, jussu suo efficaci, simul ac halitum, ut ita dica-

Esa: 55. 11. mus, ex ore emiserit. Ipse enim ut Deus ait: *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet, quæ-*

cunque

cunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Introducitur nempe Deus instar Domini potentis, qui laborem ipse non suscipit, sed quæ vult, jubendo perficit, utpote ad cujus nutum omnes, qui ei subsunt, sese componunt. Ad Dei autem nutum ac voluntatem omnia prorsus sese veluti componunt: nec tantùm ea, quæ sunt, sed & ea, quæ non sunt, vocanti parent. Cùm enim ea veluti advocat, & comparere jubet, comparent, seu existunt. Vnde Deus dicitur *vocare ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.* sic dicitur *vocare famem*, quia ut fame homines premantur, efficiat. Neque verò ita tantùm jubet Deus, ut opera sua mandet servis suis perficienda, quemadmodum homines imperant: sed rebus etiam ipsis, ut vel existant simpliciter, vel, ut tales existant, imperat. Id autem imperare, velle est, & velle quidem absolutè. Voluntaria ergo, ut diximus, Dei potentia est: interim tamen & cum potentiis naturalibus, strictiùs ita dictis, similitudinem habet. Omnium enim earum vim aliquo modo complectitur. Potentia voluntaria, quæ hominum atq; animalium est propria, per se tantùm cernitur in rebus movendis, ac porrò conjungendis, aut separandis. Vnde etiam istius facultatis vi aliam formam materiæ imprimere per se non possunt, quàm ut superficiem ejus variè figurent, corpora densent stipentq;, aut laxent, & si quæ sunt his similia, quæ motu quodam locali perficiuntur. quòd si alia velint efficere, ut calefacere, aut frigefacere, illuminare, sanare, colorem hunc & illum non allinere, sed in ipsa re efficere, atq; ex materię potentia, ut loquuntur, elicere; necesse est, ut alia adhibeât media, quæ vim habeant naturalem illa efficiendi; qualia in seipsis pauca atque exigua habent. ideo aliunde petere habent necesse. Sic igne plurimùm ad res calefaciendas, & alias illis qualitates imprimendas utuntur. Ipsi per se nil hîc præstant aliud, quàm ut res loco moveant, & alia aliis applicent, vel ab aliis separent. At Deus potentiâ in se habitante non tantùm res loco movere potest, & eas illis qualitates atque affectiones indere, quæ motum localem consequuntur: sed & cæteras qualitates per se, cùm vult, efficere. Non indiget ille mediis, quibus nos ad quasdam illarum producendas (omnes enim non possumus) uti cogimur: non indiget etiam materiâ ad opera sua efficienda ita aptâ, uti nos ad opera nostra indigemus. ineptissimam enim aptam reddere, & ex ea pulcherrima potest opera producere. quò respiciens aut alludens Baptista, ait, Deum vel ex lapidibus posse suscitare filios Abrahæ. qua quidem in re omnes & naturales facultates, & voluntarias longè, imò infinitùm supe-

Rom: 4. 17.
vid: 4. Reg: 8. 1.
Psal: 105. 16.
Mat: 3. 9.

tùm superat. Porrò autem, ut docent Philosophi, ea, quæ in alia agunt, illa contingere vel propriè vel impropriè debent: propriè quidem, si extrema rei agentis & patientis inter se loco jungantur: impropriè, si virtus quædam ab agente in patiens emanet, qua interveniente hoc ab illo veluti tangatur. quem contactum virtualem appellant Scholastici. quo pacto astra agunt in hæc inferiora, tum virtute quadam manifesta, tum occulta, quam influentiam vocant: quæ utut non est tanta, quanta a nonnullis astrologis creditur, est tamen non exigua respectu corporum, etiam humanorum, a quibus etiam ad animum nonnihil derivatur. Simile ergo quippiam accidit, dum Deus in res cæteras agit. Eas enim virtute quadam a se manante movet, afficit ac transmutat. Hæc virtus, præsertim in homines manans, [a] Spiritus Dei appellari in sacris literis solet, qui pro effectuum ratione distingvitur. Et ille quidem, qui bonos, seu hominibus salutares, utiles ac gratos effectus parit, [b] spiritus Dei bonus appellatur, & interdum Spiritus Dei simpliciter vocatur; cui opponitur in iisdem sacris literis spiritus Dei malus, hoc est, talis, qui homines ita commeritos affligat, ac cruciet: [c] quali spiritu Saulum olim, ablato bono Dei spiritu, vexatum atque agitatum fuisse legimus. Ille autem, qui bonus Dei spiritus dicitur, pro effectuum ratione, varia iterum nomina seu epitheta sortitur. Hinc spiritus dicitur [d] sapientiæ, intelligentiæ, consilii, timoris Domini, [e] virtutis seu roboris, charitatis, sobrietatis aut prudentiæ, & si quæ sunt his similia. Quòd si effectus ejus talis sit, ut eo homines Deo peculiari quadam ratione consecrentur, & a reliquo hominum vulgo segregati, Deo quodammodo jungantur; spiritus ille, qui eum effectum parit, sanctus appellatur. Effectus autem parit spiritus divinus, quoscunque in homine Deus vult efficere. Respondet enim fonti suo, h. e., ipsi potentiæ in Deo residenti, quæ cum ad quosvis effectus per se indeterminata sit, a voluntate divina ad certos effectus determinatur. Est igitur spiritus ille qualitas quædam inter potentiã illam, & effectus manifestiores, qui vel internis, vel etiam externis hominum sensibus percipiuntur, intermedia. Et quia eo primò Deus, &, [f] qui eum a Deo accepit, Christus, deinde homines eo afflati atque repleti operantur; ideò cùm per prosopopæiam, quæ quidem ex metonymia oriatur, instar personæ cujusdam agentis introducitur, nunc [g] Dei ipsius aut Christi, a quo pomanat, nunc [h] hominum, in quos manat, & quibus communicatur, actiones ei tribuuntur, eæ nimirum, quæ illius vi interveniente perficiuntur. Sed

a vid: Iob: 26. 13. Zach: 4: 6. Luc: 1. 17, 35: & 24. 49. Act: 10. 38. 1 Cor: 2. 4, 5: Ephes: 3. 7, 20. conf: etiã Mat: 12. 28, cum Luc: 11. 20.
b Psal: 143 10.
c 1 Sam: 16. 14, 15, 16, 23: 18. 10: 19. 9.
d Esa: 11. 2.
e 2 Tim: 1. 7. vid: etiam Exo: 28. 3: Zach: 12. 10.
f Act: 2. 33.
g Luc: 12. 12. Ioh: 4. 26. Act: 2. 4. 1 Cor: 12. 11 conf: cum ỳ 6.
h Act: 7. 10. Rom: 8. 26, 27. 1 Cor: 2. 10: 14. 14.

de his nunc non est fusiùs agendi locus. Attingere ea tantùm hîc voluimus, partim ut intelligeretur distinctio inter illam Dei virtutem atque efficaciam, cui spiritus sancti nomen peculiariter tribuitur, & inter eam, de qua hoc loco propriè agimus, Dei potentiam; partim etiam ut intelligeretur modus, saltem præcipuus, quo Dei se potentia in res alias exserit.

Reliquum est ut hujus doctrinæ usum paucis explicemus. Nam ut multa hac de re dicamus, necesse non est. Quis enim non videt, quàm necessarium sit, summam atque infinitam Dei potentiam nosse? Nam præcipua Dei opera, quæ nobis in sacris literis proponuntur credenda, sive præterita, sive adhuc futura, nisi illâ simul agnitâ credere non possumus. Quis creationem rerum omnium, quis eorundem conservationem ac providentiam, quâ singulis prospicitur, quis miracula omnem naturæ vim excedentia credet, nisi summam illam, & omnes naturæ limites egredientem Dei potentiam simul agnoscat? Quis Christi resurrectioni atque exaltationi fidem adhibebit, nisi insuperabile illud Dei robur, quo illam perfectam fuisse necesse est, vel aliunde jam cognoverit, vel unà cum illa statim admittat? Quis porrò etiam credet, nos aliquando a Deo per Christum e mortuis suscitandos esse, & omnes, qui unquam vixerunt, pios immortalitate donandos, nisi infinitam Dei potentiam agnoscat? Ideò sanè Sadducæi mortuorum resurrectionem olim negarunt, quia & scripturam, & virtutem seu potentiam Dei ignorarunt, ut Christus illis objicit. Atqui illa, quæ recensuimus, adeo necessaria sunt creditu, ut si aliquid eorum in dubium vocetur, vel omnis penitus religio, vel saltem Christiana, quæ sola salutem sempiternam hominibus affert, & sola hodiè ex Dei consilio vigere debet, sit corruitura. Adde, quòd nemo se Dei præsidio ab hostium suorum, præsertim spiritualium violentia satis tutum, & adversus pericula undique circumstantia satis munitum credere potest, nisi qui Deum potentiorem omnibus firmiter credit, & porrò neminem ex illius se manibus extorquere posse novit. Qui potentiam Dei omnia vincentem novit, is demum audacter dicere potest: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Dominus mihi adjutor: non timebo, quid faciat mihi homo. Dominus mihi adjutor, & ego despiciam inimicos meos.* Quemadmodum autem spem ac fiduciam nostram, quam in Deo collocamus, fulcit consideratio potentiæ ipsius: ita & reverentiam tanti numinis in animis nostris excitat, & ut eum timeamus, atque offendere non audeamus, efficit. Quod de Christo ait Paulus, *An æmulamur* (vel

Mat: 22. 29.

vid: Ioh: 10. 29.

Rom: 8. 31.

Psal: 118. 6, 7.

Heb: 13. 6.

1 Cor: 10. 22.

potiùs

potiùs *ad iram provocamus*) *Dominum? Numquid fortiores illo sumus?* id ipsum ad Deum summum rectissimè refertur. Cogitandum nobis profectò est, *eum eße timendum, qui & animam & corpus potest perdere in Gehenna*, quemadmodum Christus monet; & potest quidem, sive vires, sive jus spectes. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. siquidem & gravissima supplicia infligere potest, & nemo est, qui ex ejus manibus, ut sacræ literæ non semel monent, eripere quenquam possit. Vnde David, vel ipse potiùs Deus, cùm pœnas impiis denunciasset: [i] *Intelligite*, inquit, *hæc, qui obliviscimini Deum; ne quando rapiat* (Hebraicè *rapiam*,) *& non sit, qui eripiat.* Itaque ob potentiam suam inprimis, cui & puniendi voluntatem adde, Deus in sacris literis [k] terribilis ac tremendus perhibetur. Satis ergo patet, quantus sit hujus de divina potentia doctrinæ usus.

Mat: 10. 28. Luc: 12. 4, 5. Heb: 10. 31. Devt: 32. 39. Job: 10. 7. Esa: 43. 13. Ose: 2. 10. i Psal: 50. 22. k Exo: 15. 11. Devt: 7. 21: 10. 7: Neh: 1. 5: 9. 32. Psal: 47. 3: 76. 8.

Interim tamen etiam cavendum est, ne omnipotentiâ divinâ ad quævis absurda dogmata adstruenda abutaris, & illis, qui ea contradictionem implicare docent, ac proinde, ne sub Dei quidem potentiam cadere demonstrant, objicias, quòd Dei omnipotentiam negent, ut hodie a multis fit. Cùm enim v.g. impossibile esse ostenditur, ut hostiæ, quas vocant, consecratæ, corpus Christi sint: omnipotentia Dei obtēditur, & qui rem impossibilem esse ajunt, iis objici vulgò solet, quòd omnipotentiam Dei negent. Atqui illud dogma contradictionem involvit multiplicem. Vnum enim numero corpus, multa numero foret. hostiæ enim multæ sunt. idem simul visibile & invisibile foret eidem homini: ei proximum, & ab eo remotissimum: intra eum, cùm ab eo comeditur, & extra eum in cælo, & infinitis aliis locis: majus simul hominis ore, quo capitur, & minus: quantum, & sine quantitate: sub specie, & sine ea: supra & infra seipsum: quia simul suprà in cælo, & infrà in terra totum: ante se & retrò: ad dextram & sinistram, prout loci sunt, in quibus & hostiæ existunt. Hæc verò opposita sunt, quæ de eodem simul eodem respectu dici sine contradictione non possunt. Eædem autem ex parte, & aliæ quædam contradictiones in illorum continentur sententia, qui idem Christi corpus vel ubiq; esse dicunt, vel saltem in Eucharistia ore comedi affirmant, qui itidem Dei omnipotentiam urgere solent. At nos ostendimus, Dei omnipotentiam ad ea, quæ naturâ suâ sunt impossibilia, hoc est, quæ contradictionem involvunt, non extendi. Itaque aliud est, Dei omnipotentiam negare; aliud, rem quampiam impossibilem dicere, & sic negare, eam sub Dei omnipotentiam cadere.

Quin

Cap: XXIII. De Poteſtate Dei.

Quin etiamſi quis tandem per errorem arbitraretur, rem aliquam naturâ impoſſibilem eſſe, ac porrò ſub potentiam Dei non cadere, quæ revera poſſibilis eſſet: tamen ſi idem omnia naturâ ſuâ poſſibilia, Deo poſſibilia eſſe conſtanter affirmaret, & præterea nihil eorum, quæ in ſacris literis Deo clarè tribuuntur, negaret; non dicendus eſſet Dei omnipotentiam negare, ſed illius rei, quam impoſſibilem eſſe diceret, rationem non ſatis noſſe.

Cap: XXIII.

De Poteſtate Dei.

SEquitur, ut de Poteſtate Dei agamus, quam Græcis ἐξουσίαν dici, & in jure conſiſtere, ſuperiùs monuimus. Hæc enim facultas alterum eſt actionum Dei transeuntium principium, & priori, h.e. potentiæ ſeu efficaciæ, quam voluntariam eſſe, & arbitrio divino gubernari diximus, quodam neceſſitatis vinculo annexum. Etenim nullum eſt agens voluntarium, ſeu arbitrio præditum, quod non & poteſtatem, ſeu jus aliquod habeat agendi, vel contrà etiam non agendi. Nam & hæc facultas oppoſitorum eſt, in eaque libertas maximè cernitur. Hinc Deo & ἐξουσία ſeu poteſtas [a] in ſac. literis expreſſè non ſemel tribuitur, & ſpecialia poteſtatis nomina, qualia ſunt [b] Regis aut Domini, de eo uſurpantur; & poſterius quidem frequentiſſimè, quemadmodum omnes nôrunt, & ex iis, quæ ſuprà [c] de nominibus Hebraicis Adon & Adonai, & Græcis κυρίου & δεσπότου diſſeruimus, perſpici poteſt. Quin & ipſum *Dei* nomen, aut poteſtatis, aut potentiæ illius, cui poteſtas neceſſariò adhæret, nomen eſſe docuimus. & cùm Deum exiſtere demonſtravimus, eum exiſtere oſtendimus, qui ſupremam in omnia poteſtatem habeat.

a Luc: 12. 5: Act: 1. 7. Iudæ ℣ 25: Apoc: 5. 13.
b Pſal: 24. 7, & ſeqq. 29. 10: 47. 3, 7, 8: 48. 3: 95. 3: Mat: 5. 35. 1 Tim: 1. 17: & c. 6. 15.
c vid: ſup: cap. 8. & ſeqq.

Verùm ut hujus attributi ratio meliùs intelligatur, primùm de poteſtatis divinæ natura in genere nonnihil dicendum eſt; deinde ſpeciatim de poteſtatis illius quaſi partibus aut gradibus agendum.

Quod ergo ad prius attinet; jam antè dictum eſt, Poteſtatis nomine jus intelligi, non illud quidem ſolum, quod ad alterum refertur, & ad juſtitiam ſpecialiter ſic dictam propriè pertinet: ſed id, quod ad honeſtatem univerſam ſpectat. Ejus autem duplex iterum eſt ſignificatio: altera laxior, ſtrictior altera. Laxior eſt, cùm ſignificat facultatem ſine pravitate aliquid agendi aut habendi, aut con-

aut contrà etiam non agendi. Facultatem hanc aliqui moralem vocant, ut illam, quæ in efficacia consistit, naturalem. Moralis enim ideo est, quia ad morum atque actionum honestatem ac rectitudinem pertinet. Sine ea enim prava est actio; cùm adest, recta, seu minimè prava atque inhonesta. Posses hoc jus appellare licentiam, nisi hæc vox in vitio poni soleret. Nam jus istud ad omnia spectat, quæ licita sunt. Strictior autem juris significatio est, cùm denotat obligationem ad aliquid agendum, vel contrà omittendum. Diversitas hæc significationis etiam in voce concreta *justi* cernitur. Aliud enim justum dicitur, quia id facere licet: aliud, quia id fieri debet, aut contrà debet omitti. Prius illud propemodum negante magis sensu justum dicitur, ut viri quidam docti hac de re loquuntur, quàm ajente seu affirmante. Justum enim ideo vocatur, quia injustum seu illicitum non est. At posterius ajente potiùs sensu ita appellatur. Iustum enim dicitur, quia jus fas illud postulat & requirit. Priori modo justum est debitum exigere; cùm interea liceat etiam non exigere. Posteriori modo justum est debitum reddere, atque in universum a maleficiis abstinere, & id, quod facere omnino decet, facere. Ex his duabus juris significationibus prior hujus loci propria est: posterior ad Sanctitatem ac justiciam Dei pertinet. Potestas enim non in eo revera cernitur, quod omnino fieri debet, præsertim quà tale est: sed in eo, quod liceat. Sanctitas autem ac justitia in eo, quod fieri debet. Potestas eatenus tantùm ad hoc etiam extenditur, quatenus id simul facere licet. Nihil enim fieri debet, quod non simul etiam facere liceat. Sed magis tamen potestas in eo cernitur, quod ita justum est, ut nec contrarium ejus sit injustum sive illicitum, quale illud tantùm est, quod priori modo justum dicitur. Quare hæc juris ac justi significatio hîc revera attendenda est. Interim tamen propter hanc & altera, quæ strictior est, hoc loco attingenda est. Nam primùm ex eo, quod ita justum est, ut fieri omnino debeat, æstimare possumus, quænam ita sint justa, ut ea facere liceat. Quæcunque enim cum illo non pugnant, ea facere licet. Deinde & illud inde cognoscere licet, quàm latè pateat illud jus, quod liberum est, & in quo potestas illa Dei, qua de agimus, propriè consistit. Id enim ad ea omnia extenditur, quæ cum justo strictiùs sumto ita consentiunt, ut nec eorum contraria sive opposita ab illo abhorreant. Nam quæ ita sunt comparata, ea vel facere, vel omittere licet. atque in hoc genere libera potestas cernitur, Est autem justum illud strictiùs sumtum, quicquid dignitas

atque excellentia naturæ intelligentis, ſive ſimpliciter, ſive ob circumſtantiam aliquam poſtulat. In eo enim ſervando omnis rectitudo atque honeſtas; in negligendo omnis vera pravitas ac turpitudo conſiſtit. Quicquid ergo tale eſt, ut ſalva naturæ intelligentis dignitate & fieri & omitti poſſit, id liberæ poteſtati ſubjectum eſt. Et in hoc rerum genere Dei poteſtas infinita eſt, nulloſque admittit limites, niſi quatenus ipſemet pro arbitrio liberaque voluntate juri ſuo aliqua in parte renunciat, & de eo cedit: ut cùm peccata remittit. Eo enim tempore uſu poteſtatis ſuæ ex una parte, uſum ejus in alteram partem tollit aut reſtringit. Sed de proprietatibus divinæ poteſtatis paulò pòſt dicetur explicatiùs. Illud autem hoc loco non repetimus, quod ſuperiori jam capite monuimus, poteſtatem Dei per ſe referri ad actiones Dei transeuntes, ſeu facta externa, & eorum objecta: ad decreta autem, quæ actiones immanentes ſunt, ſive internæ, propter facta. Ad ea enim primò ac per ſe refertur poteſtas, ad quæ & potentia, cui innititur. Hæc autem ad actiones tranſeuntes, & earum objecta revera pertinet.

Affectiones ſeu proprietates poteſtatis divinæ aliqua ex parte poſſunt ex iis intelligi, quæ de ea hucusque diximus. Etſi autem plures conſtitui poſſunt; eas tamen ad duas licet revocare: altera eſt, quòd ſit independens; altera, quòd infinita. Independens autem eſt duplici ratione, nempe ſi vel originem ejus ſpectes, vel uſum. Nam nec aliunde eſt accepta, non magis quàm potentia, cui neceſſitatis vinculo adhæret; nec ſuperioris alicujus ſubjecta eſt arbitrio, a quo ejus uſus aliqua ratione pendeat aut gubernetur, id quod Græcis eſt ἀνυπεύθυνον. Ipſa enim ſuprema eſt, ut ex iis, quæ de Dei exiſtentia ſuprà diximus, patet. Vnde Deus *altiſſimus* non ſemel in ſacris literis appellatur. Quanquam enim id Hebraicè ſimpliciter *Excelſum* ſonat: cum Hebræi ſuperlativis, uti & comparativis gradibus careant: facilè tamen intelligitur, eo nomine eminentiam Deo tribui, quæ illi ſit planè propria. Ideo interpretes Græci, ſenſum ſecuti, rectè ὕψιστον h. e. *altiſſimum* reddiderunt: & Lucas, Hebraici illius, ut apparet, nominis vim exprimere volens, itidem Deum ὕψιστον ſeu altiſſimum vocat. Sed de hac poteſtatis divinæ ſublimitate inferiùs plura dicentur. Infinita autem eſt eadem poteſtas, tum ratione objecti, circa quod verſatur, tum ratione durationis. Illa, quæ in objecto per ſe ſpectatur, amplitudo appellari ſolet, & a nonnullis ſimpliciter infinitatis no-

Gen: 14. 18: 32. 8. Pſal: 7. 18: 9. 3, & alibi ſæpe.

Luc: 1. 32, 35, 76: 6. 35: 8. 28.

tatis nomine intelligitur; quæ in modo, plenitudo aut perfectio; quæ in duratione, æternitas est, sub qua & necessitas comprehendenda est, quæ æternitatis verum est fundamentum. Sed æternitas, & necessitas, quę illius caussa est, in diversis potestatis gradibus aliquo modo variat, ut in sequentibus intelligetur, ubi videbimus, quomodo hæ potestatis divinæ proprietates gradibus illius accommodentur.

Vt igitur ad posterius veniamus eorum, quæ de potestate divina suprà proposuimus; tribus veluti gradibus potestas divina ita attollitur, ut posterior priori tanquam caussæ cuidam innitatur. Primùm enim jus fuit Deo creandi ac pro arbitrio formandi res quasvis; estque etiamnum jus res alias, si ita lubeat, producendi ac fingendi. Hinc oritur alter potestatis gradus; jus nimirum res omnes tanquam proprias habendi ac possidendi. quod quidem est dominium ipsius in res omnes absolutum. Nam ut alibi jam diximus, opus quodvis, quà tale est, naturâ suâ opificis est, &, si ex sua, non aliena materia id formârit, totum est ipsius. Deus autem ex aliena materia nihil formavit. Tertius potestatis divinæ gradus est, jus rebus omnibus pro arbitrio utendi. Qui enim absolutus est rei dominus, illi pro arbitrio eâ uti semper licet. Ex his autem tribus potestatis gradibus, primus simpliciter est ac fuit necessarius; duo posteriores ex hypothesi. Vt enim reipsa dominium haberet Deus in res creatas, iisque pro arbitrio uti posset, eas creari sanè oportuit. Itaque actum quendam liberæ voluntatis, ut duo illi gradus reipsa existerent, intervenire oportuit, nimirum ut producere res vellet Deus, ac porrò reipsa produceret. Hoc posito, duo illi posteriores potestatis gradus necessariò consequuntur. Interim in primo gradu, non quidem actu, sed potestate quodammodo continentur, tanquam ejus quædam propagines. Vnde & illud obiter notari potest, cùm Ens supremum ob potestatem & imperium Deum appellari contendimus, non ita hoc intelligendum esse, quasi ob imperium tantùm, quod in res omnes actu ipso habeat, Deus vocetur, eoque sublato Deus ampliùs dici non mereatur. Nam nihilominus partim propter infinitam potentiam viresque insuperabiles, quæ illi planè sunt naturales, Deus summo jure dici meretur, ut ex iis inprimis apparet, quæ de nomine *El* diximus: partim propter illam potestatem, quæ potentiæ isti necessariò adhæret, & in qua imperandi jus ita continetur, ut si modò res ulla extra Deum existat, in eam Deus non possit non summum imperium habere. Ob id igitur, quòd Deus actu i-

Sup: cap: 3.

cap: 8.

actu ipſo imperium, & quidem ſupremum habeat, jure quidem Dei nomen κατ' ἐξοχὴν ſortitur: præſertim cùm cæteræ, quas diximus, cauſſæ ab imperio illo ſejungi nequeant, imò illius ſint fundamenta: ſed non protinus, ſi id actu ipſo non habeat, creaturis nimirum non extantibus, Deus appellari non merebitur.

Illud autem tum in iis, quæ paulò antè diximus, tum in ſequentibus memoriâ tenēdum eſt, cùm aſſerimus, Deum pro arbitrio res & creare, & creatis uti poſſe, ejuſque dominium eſſe abſolutum; arbitrium ac dominium illud latiùs extendi non debere, quàm juſtitia, &, quæ ei veluti prælucet, ſapientia permittit. Docuimus enim antea, poteſtatem naturâ ſuâ intra ea conſiſtere, quæ licita ſint, ſeu minimè prava & ſanctitati atque juſtitiæ adverſa. Siquidem poteſtas jus eſt. Ius autem cum juſtitia pugnare non poteſt. & etiamſi tandem in creaturis a ſapientiæ lege aliqua ratione diſcedere poſſe videatur, in Deo tamen non poteſt. Nunquam ergo Deus ita pro arbitrio poteſt creare quippiam, vel ad eum modum re creata uti, ut id a ſapientiæ aut juſtitiæ lege diſcrepet ac diſſentiat. Vnde porrò intelligitur, fieri non poſſe, quin ea, quæ creat Deus, ita formet, ut ad finem bonum ac naturâ ſuâ honeſtum ſint idonea. Id enim partim ſapientiæ, partim juſtitiæ ſeu ſanctitatis lex requirit. Fieri etiam non poteſt, quin res ita formet, ut & ipſis, ſi ſenſu aliquo ſint præditæ, & maximè ſi intellectu, melius ſit exiſtere, quàm non exiſtere, vel ſaltem non deterius; ratione nimirum habita divini conſilii, & eorum, quæ ab eo ſunt profecta, non verò eventûs, ex ipſarum præſertim creaturarum arbitrio pendentis. Nam quod ad hunc attinet, aliter ſæpe res poteſt cadere, ita ut ſatius fuerit, hominem v. g. aliquem non fuiſſe natum, quemadmodum de Iuda Chriſtus ait. Sed id ſibi ſuæque improbitati acceptum referre debebat, non creationi, aut conſilio divino, quod de eo ſine conditione, in arbitrio ipſius ſita, factum eſſet. qua de re alibi agetur in hoc opere. Quapropter poteſtas divina non eò usque eſt extendenda, ut ſtatuatur, eum poſſe quippiam ad æternos cruciatus, ſine ulla conditione, quæ in ipſius creaturæ arbitrio poſita ſit, producere. Id enim ab omni rectitudine atq; æquitate, ne de benignitate nunc quicquam dicam, tam abhorret, quàm quod maximè. Sed hac de re dicetur infrà, ubi de Sanctitate ac juſtitia Dei agemus.

Mat: 26. 24.

lib: 5. cap: 17.

Poſtquam ergo gradus divinæ poteſtatis conſtituimus; ſequitur, ut ſi

tur, ut si quid adhuc in singulis considerandum restat, videamus. Et de primo quidem gradu, hoc est, de jure creandi, ac res pro arbitrio formandi, nihil est necesse ampliùs dicere. Quod ad alterum attinet, quem in absoluto dominio consistere diximus; in eo utile erit spectare proprietates potestatis antea enumeratas. Prima autem fuit, quòd sit independens; idque duplici ratione: tum quòd a nullo sit accepta; tum quòd suprema, h. e. ejusmodi, ut in ejus quoque usu a superioris arbitrio non pendeat Deus, nec quicquam illi vel præcipi, vel interdici queat. Dominium a nemine accepit Deus, quia sua ipsius virtute, non aliunde accepta, suo planè arbitrio, res omnes produxit, ab alio nec adjutus, nec jussus. A seipso ergo habet, quòd illarum sit dominus, & si ullum dominium naturale dici meretur, Dei in res omnes dominium summo jure ita meretur appellari. Supremum etiam est Dei dominium, & supremum quidem absolutè. Cum enim dominium suum a nullo acceperit, sed contrà omnes, qui dominium aliquod habent, ab ipso; necessariò supremus est omnium dominus. Vnde & Dominus dominorum est appellatus. Fierine enim potest, ut is, cujus potentia, sapientia, ac potestas a nullo pependit alio, ei, qui ab ipso totus pendeat, se subjecerit? ut is, cujus potentia ac sapientia immensa æternaque est, & omnis, quæ uspiam est, potentiȩ ac sapientiæ fons, ei se regendum permiserit, qui non nisi ab ipso acceptis viribus ac sapiētiâ imperet? Hoc verò esset rerum naturam non modò pervertere, sed & evertere. Itaque divina natura omni subjectioni repugnat. Quam ob caussam Paulus, [a] cùm dixisset, Deum *omnia subjecisse sub pedibus* (vel *pedes*) Christi, prout [b] David aliquando prædixerat; statim subjungit: *Cùm autem dicat: Omnia subjecta sunt ei, sine dubio* (Gr. *manifestum* [*est*] *quòd*) *præter eum, qui subjecit ei omnia.* licèt [c] D. Auctor Epistolæ ad Hebræos eadem Davidis verba citans dicat: *In eo quòd omnia ei subjecit, nihil dimisit* (vel *omisit*) *non subjectum ei*, h. e. nihil prætermisit, quod ei non subjiceret. Intelligit enim omnia, quorum naturæ non repugnat alteri subjici. Talia autem sunt omnia præter eum, qui Christo omnia subjecit.

Deut: 10. 17
1 Tim: 6. 15.
a 1 Cor: 15. 26:
b Psal: 8. 8.
c Heb: 2, 8.

Altera divinæ potestatis proprietas constituta fuit Infinitas, ad quam & amplitudinem ratione objecti, & plenitudinem seu perfectionem ratione modi, & æternitatem, quæ ad durationem spectat, retulimus. Amplitudinem dominii divini jam antè satis ostendimus. Docuimus enim nihil esse, quod sub illud non cadat: siquidem omnia Deus creavit. Hanc sacræ literæ non semel commemorant;

memorant; quamquam nunc apertiùs, nunc minùs apertè. Illuſtria inter alia ſunt Moſis verba, quibus Iſraëlitas ita alloquitur: *Domini Dei tui cœlum eſt, & cœlum cœli, terra, & omnia quæ in ea ſunt.* Devt: 10. 14.
Vbi cùm cœlum cœli, h. e. cœlum ſupremum, commemorat, intelligenda videntur & ea, quæ in illis continentur, nempe exercitus illi angelici, quorum dominus toties appellatur Deus: perinde ut poſtea de terra loquens ait, *& omnia quæ in ea ſunt.* de cœleſtibus autem id expreſſè non dixit, vel quia id ex eo, quod de terra dicturus eſſet, intelligi atque æſtimari aliqua ratione poſſet, vel quia ad inſtitutum eius minùs pertineret. Ad eos enim, qui & in terris viverent, & terrenis Dei beneficiis fruerentur, eaque ab ipſo expectarent, ſermonem habebat. Sic & alibi ſacræ literæ, cùm Deum appellant cœli & terræ [c] dominum, aut etiam [d] Deum, omnia illa comprehenſa volunt, quæ vel in cœlo, vel in terra extant, ut per ſe haud difficulter cernere quivis poteſt. Inſignia etiam de amplitudine divini dominii illa ſunt Davidis verba, quibus Deum alloquitur, in dedicatione rerum, quas tum ipſe, tum populus, ac populi primores, ad templum aliquando conſtruendum contulerant: *Cuncta*, inquit, *quæ in cœlo ſunt & in terra, tua ſunt: tuum, Domine, regnum, & tu es ſuper omnes principes. Tuæ divitiæ, & tua eſt gloria: tu dominaris omnium* (ſeu *omnibus*) *in manu tua virtus & potentia: in manu tua magnitudo & imperium.* & poſt pauca: *Tua ſunt omnia:* quod & ſecundò repetit. Alibi autem idem Pſaltes: *Tui*, inquit, *ſunt cœli & tua eſt terra: orbem terræ & plenitudinem ejus tu fundaſti: aquilonem & mare tu creaſti.* quibus verbis & fundamentum hujus dominii exprimit. Mitto alia apud eundem, quibus aut [e] cœlos cœlorum, aut [f] terram ac plenitudinem eius, aut [g] etiam mare, aliaque his ſimilia Dei eſſe dicuntur.

c Mat: 11. 25. Act: 17. 24.
d Gen: 14. 22.
1 Paral: 29. 11-12.
℣ 14.
℣ 16.
Pſal: 89. 12.
e Pſal: 115. 16.
f Pſal: 24. 1.
g Pſal: 95. 5.

Non eſt autem exiſtimandum, amplitudinem divini dominii aut ceſſaſſe, aut imminutam fuiſſe, poſtquam Deus omnia Chriſto ſubjecit, & omnem illi in cœlo ac terra poteſtatem tradidit. Neque enim, quæ Chriſto ſubjecit Deus, a ſe alienavit, & jure, quod in illa habuit, ſeſe revera abdicavit. Nam & proprietas, quam vocant, rerum ipſius nihilominus eſt, & uſus. Vſum enim rerum omnium ita Chriſto conceſſit, ut eum per Chriſtum ipſemet pleniſſimè ſemper percipiat. Chriſtus ſanè olim, quæ ex Patris dono ac conceſſione habebat, ea nihilominus Patris eſſe dixit. Ita enim Patrem pro diſcipulis orans, inter cætera inquit: *Pro his (oro,) quos dediſti mihi: quia tui ſunt: & omnia mea tua ſunt, & tua mea* Ioh: 17. 9, 10.

 ſunt. Et

sunt. Et quid mirum, omnia illa, quæ Christus habet, Dei esse, cùm & ipse Christus sit Dei? *Omnia,* inquit Paulus ad Corinthios,
1 Cor: 3. 22, 23. *vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura: omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei.* Deo enim in rerum omnium dominio est subordinatus: quemadmodum infrà meliùs intelligetur, cùm de imperandi jure agemus. Quòd si autem ne Christi quidem dominium divini dominii amplitudini quicquam derogat; quid de aliis dominiis multò minoribus ac longè imperfectioribus statuendum erit? Christi enim dominium ad res præter Deum omnes extenditur, & absolutum non immeritò esse dici-
Dan: 7. 14. Luc: 1, 32, 33. tur, æternumque est, prout regnum ac potestas ejus dicitur. Cætera autem & terminis longè angustioribus continentur, & minùs sunt perfecta, minusque durabilia. præsertim cum plæraque non immutabili Dei decreto aut promisso nitantur, ut regnum Christi, sed precario tantùm jure teneantur. Itaque humana dominia ita sunt comparata, ut quæ possidemus, non minùs sint Dei, quàm peculium servi in heri est potestate; imò magis. Dispensatores enim ad breve tempus constituti sumus quorundam heri nostri bonorum, sed ita, ut eorum fructum, quoad necesse est, percipere
Luc: 16. 1, 12. nobis liceat. Vnde Christus bona nostra terrena, aliena appellat, & nos, dum de illis largimur egenis, dispensatori comparat, de alieno, hoc est, de domini sui bonis liberali. Ex quibus (ut hoc obi-
Exo: 3. 21, 22. 11. 2, 3: 12. 35, 36. ter addamus) apparet, cùm Israelitæ olim res Ægyptiorum, Deo jubente, abstulerunt, eos furtum non commisisse: quia domino earum rerum naturali atque absoluto, non modò non invito, sed etiam jubente, id fecerunt. quemadmodum furtum non committit, qui, jubente hero, etiam invito dispensatore, rem heri sibi vindicat.

a Devt: 32. 30. Iudic: 2. 14: 3. 5: 4. 2. b Exo: 6. 6: 15. 13. Devt: 7. 8: 9. 26: 13. 5: 21. 8. 2 Reg: 7. 23. Psal: 77. 16: 78. 42: 106. 10, & alibi. c Apoc: 5. 9: 14. 4. conf. 1 Cor: 6. 20.

Non derogat autem & illud quicquam dominii divini amplitudini, quòd Deus populum suum nonnunquam vendidisse, [a] aut contrà [b] redemisse dicitur, vel [c] ei nos emti esse perhibemur, quæ voces propriè significant, aut quipppiam alienatum, aut alieni quippiam comparatum & acquisitum esse. Nimis enim evidens est, in vocibus illis ad Deum relatis esse metaphoram, quanquam non ubique ab omnibus satis agnitam. Vendidisse enim populum suum dicitur Deus, quia eum hostium suorum potestati permiserit, & quasi ad se non pertinentem neglexerit ac deseruerit: licèt interim jus ei dominii salvum maneret. cum ipsi quoque hostes, quorum potestati eum permisisset, quanti quanti essent, Dei, si jus spectes.

ſpectes, eſſent. Cùm autem nos Deo emti eſſe dicimur, nequaquam ſignificatur, nos antea jure ipſo Dei non fuiſſe: ſed uſum ſervorum ei non præſtitiſſe. Itaque non jus demum dominii eo pacto in nos acquiſivit Deus; ſed uſum noſtri eum, quem jure ſuo a nobis poſtulare poterat. Naturæ enim jure ipſius eramus mancipia, ſed ab eo, ut Paulus ait, fueramus *alienati & inimici ſenſu* (ſeu *mente) in operibus malis.* Col: 1. 21. Vt ergo ipſi nos totos manciparemus, & tum ſpiritu, tum corpore ipſum glorificaremus, & honori ejus ſerviremus, filio ſuo pro nobis impenſo efficit. Atque hæc illa emtio eſt. Quanquam ergo & hoc emtionis, ut ita dicam, jure Dei ſimus mancipia: non tamen interim jus creationis deſierat, ſed illius acceſſione vis hujus quodammodo aucta fuit. Sed de amplitudine dominii divini ſatis.

De plenitudine autem ejus nihil eſt neceſſe multa dicere: præſertim cum Deum & naturalem rerum omnium dominum, & ſupremum eſſe docuerimus, & de poteſtate rebus omnibus utendi paulo pòſt dicturi ſimus. In eo enim plenitudo dominii divini continetur, quòd & res ipſæ, ſeu rerum, ut loquuntur, proprietas ad Deum penitus ſpectet, & earundem uſus. Iuriſconſulti dicerent, Deum habere & directum & utile rerum omnium dominium. Directum enim illis eſt, quod ad rei proprietatem pertinet: utile, ut vox ipſa monet, quod ad uſum. Hæc divini dominii plenitudo, cum ejus amplitudine conjuncta facit, ut Deus ſubjicere omnia, cui velit, poſſit, & res earumque uſum alieno arbitrio ita permittere, ut nihilominus eis per illum perfruatur. Hoc jure uſus eſt, cùm Chriſto præter ſeipſum omnia ſubjecit.

De æternitate etiam dominii divini multa dicere non eſt neceſſe; cum vel ex iis, quæ paulò antè dicta ſunt, ſatis pateat, tamdiu Dei dominium duraturum, quamdiu res ulla extet. Cum igitur res nonnullæ creatæ in æternum ſint extituræ; non tantùm relatè dominium Dei æternum eſt, ſed & abſolutè, ex parte nimirum poſteriori. Relatè enim æternum dominium dicitur, quod tamdiu durat, quàm diu res ei ſubjecta duret, ita ut illud finem nõ habeat, antequam hæc finem ſortiatur. quo pacto & dominia quædam humana aut poſſeſſiones æternæ dicuntur. Sic æterna fuit aut vid: ſup: cap: 18. eſſe debuit Iſraëlitarum in terra Chananæa poſſeſſio, quæ tamen Gen: 48. 4. ceſſante conditione illis a Deo impoſita, actu ipſo ceſſavit. Abſolutè autem æternum eſt a parte pòſt, ut loquuntur, quod nullum prorſus habiturum eſt finem. Tale autem eſt Dei dominium.

Iam ut ad tertium juris ac poteſtatis divinę gradum accedamus;

 illum in

illũ in eo positũ esse diximus, quòd Deo rebus creatis pro arbitrio uti liceat. Vt autem usus ille rectè percipiatur, primùm considerãdus est finis, in quem rebus universis uti Deus pro jure suo potest; deinde modus utendi, & res creatas ad finem illum adhibendi.

Quod ad prius attinet; verissimum quidem est, Deum in rebus tum producendis, tum utendis, creaturarum, præsertim intellectu præditarum, bonum quæsivisse, atque etiamnum quærere. Veruntamen jus dominicum, quod in res omnes habet, ita est comparatum, ut ei liceat rebus creatis ad suum aliquod bonum sive utilitatem, si modò aliquam ex iis percipere queat, uti. Iuris enim dominici ea est ratio, ut per se spectet ad utilitatem ejus, qui id habet: licèt is possit in alienam id potiùs, qnàm in suam utilitatem convertere, aut in alienam æquè, atque in suam. Et sacræ quidem literæ satis apertè docent, docet & sana ratio, Deum non tantùm esse caussam efficientem rerum primam, sed & finem ultimum, finem, inquam, *cui*, quemadmodum alibi docuimus. Finis verò *cui* ille est, cui bonum aliquod paratur atque acquiritur. Hinc enim est, quòd sac. literæ alicubi non tantùm asserunt, *ex Deo*, aut *per Deum esse omnia*, ut significent, Deo auctore, & efficaciam suam exserente, omnia perfici: sed etiam *in Deum*, aut *propter Deum esse omnia*, id quod finem denotat. Quamquam autem de rebus ad salutem humani generis vel solùm, vel præcipuè iis in locis sit sermo: idem tamen ob rationis similitudinem, etiam ad cætera Dei opera jurè extenditur. Atque huc rectè a viris doctissimis, atque adeo a plærisque, quantum cernere possum, interpretibus refertur illud Salomonis: *Vniversa propter semetipsum operatus est Dominus, etiam impium ad diem malum*, h. e. etiam id, quòd hominem, non quidem impium facit, (id enim in Deum optimum nequaquam cadit) sed impium sponte sua factum, ad diem supplicii atque ultionis ordinat atque asservat. Nam & id Dominus facit propter semetipsum, quemadmodum paulò pòst intelligetur. Præteritum autem *operatus est* Salomon Hebraico more, de quo & superiori capite jam monuimus, usurpat pro præsenti, quodvis tempus indefinitè significante. Etsi verò Deus propriè ac strictè sumtam utilitatem ex rebus a se creatis percipere nequeat: percipere tamen id potest, quod cum ea similitudinem atque affinitatem aliquam habet. Duo autem hujus generis in sac. literis occurrunt: alterum, quod Deus ex omnibus suis operibus per se percipit: alterum quod per se ex rebus intelligentiâ præditis; ex cæteris autem, non nisi his intervenientibus. Prius est, quod Psaltes expressit:

[Margin notes: Sup: cap: 4. — Rom: 11. 36. Heb: 2. 11. confer etiam 1 Cor: 8. 6. Vid: sup: c. 13. — Prov: 16. 4.]

pressit, dum inquit: *Lætabitur* (vel *Lætetur*) *Dominus in operibus suis*. Delectatur enim Deus tam præclaris sapientiæ, potentiæ, ac bonitatis suæ operibus atque effectis. qua de re infrà suo loco. Posterius est Dei gloria, quâ non tantùm prædicationem nominis ipsius, ac laudes potentiæ, sapientiæ, justitiæ, bonitatis, ac cæterarum, ut Petrus appellat, virtutum intelligimus; sed multò magis animi venerationem, cultum, obsequium; cujus aut fructus est, esseque debet prædicatio, quæ verbis peragitur, aut incentivum. Neque enim gloriâ eâ delectatur Deus, quæ in lingva tantùm natat, & præter vocum sonum nihil propemodum habet: sed animum laudantis præcipuè respicit, & animi fructus, ex veneratione numinis ipsius proficiscentes. Vnde Psaltes: *Exultate justi in Domino: rectos* (seu innocentes ac justos) *decet laudatio*, intellige divini numinis. Nota sunt Dei verba de populo suo conquerentis, quæ ex Propheta repetit Christus apud Matthæum, *Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem longè est a me.* Longè autem cor ejus populi a Deo aberat, quia Dei mandata observare negligebat. vide non absimilem Dei querimoniam Psalmo 50. Hic autem gloriæ fructus, quem ex rebus creatis percipit Deus, ad priorem illum, nempe delectationem numinis, uti paulò antè innuimus, quodammodo redit. Etenim laudibus ex animo grato & veneratione ipsius pleno manantibus, itemque benefactis, delectari Deum, sacræ literæ testantur, & hostias eas appellant Deo acceptas, & svaveolentes: non quidem quasi ipsius honoris & gloriæ adeo avidus esset Deus: sed quia gratum ipsi est, opus suum tale esse, quale esse convenit, & suæ id intentioni ac consilio respondere. Quivis enim opifex delectatur opere suo, cùm id tale est, quale esse decet, & ipse esse voluerat. Tunc autem opus Dei, quod intelligentiâ præditum est, tale est, quale esse maximè decet, cùm conditorem suum optimum, ac Patrem benignissimum amat, colit, veneratur, ei obsequitur, & se continere non potest, quin in laudes ipsius erumpat, eumque gratiarum actione celebret. breviter, cùm id ipsi præstat, quod summo jure debet. Hinc ergo est, quòd sacræ literæ pronunciant, Deum maxima in nos beneficia contulisse, *ad laudem gloriæ suæ*, aut *gloriæ gratiæ suæ*, eúmve in finem, *ut annunciemus virtutes eius, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum*. & Paulus, postquam monuisset, nos non esse nostros, quia pretio emti simus, nempe Deo per Christum, ut superiùs vidimus, subjicit: *Glorificate ergo* (sic est in Græco) *Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei*. quasi dicat, eum,

Psal: 104. 31.
cap: 31.
1 Pet: 2. 9.
Esa: 29. 13.
Mat: 15. 8.
Heb: 13. 15, 16.
add: Rom: 12. 1.
Phil: 4. 18.
1 Pet: 2. 5.
Eph: 1. 6, 12, 14.
1 Pet: 2. 9.
1 Cor. 6, 19, 20.

cat, eum, quem unum potestis, Deo præstate usum, ut & animos & corpora vestra, atque adeo tum cogitationes animi, tum facta externa, gloriæ & honori ipsius consecretis atque impendatis. Et hæc complectitur sacrificium laudis, quod unum Deus a populo suo postulat. nempe quia cæteris, quas habemus, rebus nec ipse indiget, & ab ipso eas nos habemus: sed cor nostrum in nostra quodammodo potestate esse voluit, quod unà cum fructibus suis, qui quidem ad honorem nominis ipsius spectant, jure suo a nobis exigit. Etiamsi autem interdum gloriæ fructu ob malitiam creaturarum quarundam intellectu prçditarum fraudari videatur: tanta tamen est ipsius tum sapientia, tum potentia, ut nihilominus vel invitæ usum ipsi, quem quærit, præstent. Nam & ad multa sua decreta, ad nominis ipsius gloriam spectantia, voluntariâ ipsarum malitiâ utitur; & tandem eam consequitur, cùm eas punit, in iisq; potentiam suam patefacit, quemadmodum de Pharaone & aliis legimus. ut rectè dixerit Salomon, Deum propter semetipsum, etiam impium ad diem malum facere, seu supplicio destinare. Itaque & ipse Satan, infensissimus Dei hostis, velit nolit, usum Deo præstare cogitur, qui nominis ipsius gloriæ inserviat. Sed de fine satis.

Psal: 50 14, 15, 23. conf: & intermedia.

Exod: 9. 16. Rom: 9. 17, 22.

Quod ad modum attinet rebus creatis in hunc finem utendi; is partim communis est rebus omnibus, partim intellectu præditis proprius. Vterq; autem varius est ac multiplex, si eum specialiùs ac distinctiùs consideres. Et in eo maximè liberrima Dei potestas cernitur. Etenim & conservare res creatas potest Deus, & destruere; in eodem statu relinquere, aut immutare; meliorem, aut deteriorem earum conditionem facere. quamquam in creaturis intellectu præditis potestas destruendi, & deteriorem earum conditionem faciendi, certos habet a justitia decretisq; divinis constitutos limites, uti & anteà monuimus, & cap. sequenti ex tractatione de justitia Dei rectiùs intelligetur. In bonis distribuendis liberrima per se est ipsius potestas, sive personas ipsas spectes, quibus donat, sive rerum, quas donat, qualitatem aut quantitatem, sive denique tempus ac durationem. Itaq; & res subjicere pro arbitrio potest, tum cui vult, tum quas vult, tum quousq; vult. Quemadmodum autem donare, quæ vult, potest: ita &, nisi promissum aliquod obstet, aut ipsa rei æquitas per se dissvadeat, adimere. Quare cùm divitias, cùm copiosam progeniem alicui largitur Deus, cùm vitam producit, valetudinem reddit, vires indit, libertatem donat, sapientiam in-

entiam in-

entiam inspirat, potentiam vel auctoritatem cuipiam conciliat; aut contrà hæc cuipiam negat, aut adimit, jure illo utitur Deus, quod habet ad rerum conditionem pro arbitrio vel meliorem vel deteriorem faciendi. Eodem utitur, cùm innocentes etiam, ut nocentes puniat, aut tantò graviùs puniat, afflictionibus subjicit, ut infrà pleniùs explicabitur. Hoc jure usus est olim, cùm, ut Esavus Iacobo, seu illius posteritas hujus posteritati serviret, antequam uterq; natus esset, & quicquam boni vel mali egisset, decrevit. Hanc potestatem significat, cùm ait, [a] se misereri cujus velit. Hæc potestas in caussa est, cur nemo illi dicere possit, [b] cur ita facis? In illis enim, quæ per se sunt licita, ejus voluntas pro ratione est. quamquam ratione nunquam destituitur. Sed hac de re paulò pòst plura, cùm de imperandi jure ac potestate agemus.

Gen: 25. 23, Rom: 9. 10.

a Exod: 33. 19. Rom: 9. 15. b ib: ỳ 20, 21. Esa: 45. 9, 10. Dan: 4 32.

Iam enim tempus est, ut ad illud Dei jus accedamus, quod spectatur in modo, quo rebus intelligentiâ præditis nominatim utitur. Id autem in eo consistit, quòd potestatem habet Deus eas regendi ac gubernandi. Etenim propriè loquendo, non nisi res intellectu, ac porrò etiam liberâ voluntate præditæ gubernantur. minùs propriè res, quæ sensu & appetitu ducuntur: res inanimatæ prorsus impropriè. Ii enim propriè demum reguntur, quibus imperari ac mandari aliquid potest. Non potest autem, nisi intellectu ac voluntate libera instructis. Hujus autem potestatis ratio ut pateat, tum proprietates ejus generales considerandæ veniunt; tum functiones ejus sigillatim spectandæ, ex quibus natura ejus intelligetur. Potestatis enim natura, ex propria functione æstimanda est. Proprietates eædem sunt, quæ dominii; cum quo ita cohæret regendi potestas, ut respectu rerum intelligentiâ præditarum ab eo divelli nequeat. Dominus enim rei intellectu præditæ, eo ipso, quòd illius dominus est, jus habet eam regendi, sive imperandi. Vnde sacræ literæ, cùm *Domini* nomen vel de ipso Deo, vel de Christo usurpant, imperium ejus simul comprehendunt, vel etiam præcipuè designant. Itaq; ut dominium Dei prorsus independens est, & amplissimum, & plenissimum, & deniq; æternum: ita & imperium Dei, seu regendi ac gubernandi potestas. Quòd independens sit Dei imperium, imò etiam quòd amplissimum atq; plenissimum; ad id referri debet, quòd [a] *solus potens* a Paulo dicitur. Est enim in Græco vox δυνάστης; quam vocem eos denotare diximus, qui ob potestatem in alios multum possunt. Deus autem *solus* esse dicitur δυνάστης, quia solus a seipso imperium habeat, & quidem

1 Tim: 6. 15. vid: cap: præced.

Potestate Dei. quidem in omnia, & quisquis potestatem habet, ab ipso, h. e. ejus vel dono, vel saltem permissu, habeat. Pertinet etiam tum ad sublimitatem, tum ad amplitudinem ejusdem imperii, quòd is [b] Rex regum, Dominus dominantium, [c] Dominus exercituum, [d] Deus deorum, & denique [e] Deus ac [f] caput ipsius Christi, dicitur, qui & ipse [g] Rex regum & Dominus dominorũ est, [h] caput omnis principatus ac potestatis, [i] Deus super omnia, sive omnes, in secula benedictus, utpote ab ipso Deo super omnia evectus Ex quo apparet, imperii divini amplitudinem nihil imminutam, cùm omnis in cœlo ac terra potestas Christo fuit tradita: quemadmodum & de dominio suprà diximus. Est nempe Christus, & in ipso dominio, & in ejus usu ita Deo subordinatus, ut per eum Deus in rebus ad Ecclesiam quoquo modo pertinentibus regnet. Regium enim Christi munus eò spectat, ut quæcunque Deus de salute nostra, & rebus ad eam quoquo modo spectantibus, uti & contrà de impiorum supplicio decrevit, ac, quatenus nobis scitu necessaria sunt, per eundem revelavit, ejus imperio interveniente ad exitum perducantur. Hinc Esaias prædixit fore, ut si Christus animam suam pro peccato posuerit, *voluntas Domini in manu eius dirigatur*, seu *feliciter perficiatur*. Loquitur autẽ de voluntate Domini ad salutem humani generis spectante, ut ex sequẽtibus apparet. Iesum enim *principẽ & salvatorẽ Deus exaltavit dexterâ suâ, ad dandam pœnitentiã Israëli & remissionem peccatorũ.* seu ut ipse Christus Patrem alloquens ait, *Dedisti illi* (Filio) *potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternã.* Omnia ergo nihilominus sub imperio Dei manent, etiamsi Christus tanta cum potestate illis ex Dei voluntate præsit, ut in rebus omnibus, quæ decretis Dei non sunt definitæ, quæ quidem sunt innumeræ, statuere, quicquid velit, possit. Ea enim, quæ ad salutem humani generis, aut etiam contrà ad impiorum supplicia spectant, ferè generalibus tantùm Dei decretis fuerunt definita: cum interim particularia seu singularia occurrant infinita, in quibus aliter atq; aliter agere, salvis Dei decretis, liceat. & licèt nonnulla peculiaribus Dei decretis definita sint, non tamen omnes rerum circumstantiæ definitæ sunt. In his ergo libertas illa imperii Christo dati conspicitur. ad quæ respiciens Apostolus ait, *Cùm autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi* (vel *ipsi*) *omnia:* quasi nimirum Filius nunc, cùm ad dextram Dei sedens omnia regit, ei non sit subjectus. nempe quia in perfectiore quadam significatione *subjiciendi* verbum accipit, ita ut is demum subjectus alteri

b d. 1. ad Tim.
c Esa: 1. 24: 2. 12. 8. 1, 15, & alibi passim.
d Devt: 10. 17. Psal: 50. 1.
e Psal: 45. 8. Mich: 5. 4. Ioh: 20. 17. Ephes: 1. 17. Apoc: 3. 12.
f 1 Cor: 11 3.
g Apoc: 17. 14: 19, 16. add: c. 1. 5.
h Col: 2. 10.
i Rom: 9. 5.

Esa: 53: 10. vid: & Ioh: 6. 39, 40.

Act: 5. 31.

Ioh: 17. 2.

1 Cor: 15. 28.

alteri dicatur, qui illius imperio, utut cæteroqui lenissimum sit, ac plusquam paternum, etiam in singulis, majoris præsertim momenti rebus, sit adstrictus. Potest autem nihilominus is, qui ita alteri subjectus est, proximum ab eo dignitatis locum tenere, & reliquis omnibus, qui eidem subjecti sunt, longissimè antecellere, ac res longè maximas ex ejus voluntate gerere: ut Regis filius unigenitus, qui illud imperii, quod pater habet, nomen non gerat. qua de re nunc non est necesse plura dicere. Quòd autem tanta Christi ad Dei dextram collocati sit in gubernando libertas, id non magis amplitudini aut etiam plenitudini imperii divini derogat, quàm libertas regum terrenorum, qui salvis legibus divinis, quas migrare illis non licet, infinita de rebus particularibus statuere pro arbitrio possunt. Vide modò, quod jus regis Israelitici fuerit, ipsius Dei jussu populo annunciatum, 1. Sam. 8. 9, 11, & d. nec tamen omnia illic sunt enumerata, in quibus libera regis potestas cernitur. Ita nimirum Deus res sibi voluit esse subjectas, ut cui placeret, ejus imperio vel omnes, ut Christo, vel aliquas, ut regibus ac principibus terrenis, subjiceret, & ejus arbitrio ita permitteret, ut si quid ab aliquo statueretur suis decretis ac consiliis non consentaneum, impediendi, aut ad sua consilia flectendi potestatem sibi reservaret. At quæcunq; Christus statuit, ea divinis decretis ac consiliis nunquam adversantur, sed iis maximè sunt consentanea. quandoquidem eum Deus non minùs sapientiâ, sanctitate ac bonitate, quibus rebus ipsius consilia nituntur, quàm potestate sibi effecit similem. Quare Christi decreta non modò a Deo nunquam impediuntur; sed cum illis ita suam sententiam conjungit Deus, ut verè Christus ac Pater unum sint, quemadmodum ipse Christus aliquando asseruit; ac porrò Deus in Christo ac per Christum, Christus autem cum Deo regnare dicendus sit. Ioh: 10. 30.

Quod ad plenitudinem imperii divini attinet: ea inde facilè potest æstimari, quòd quam potestatem habet figulus in lutum suum, eam in rebus omnibus naturâ suâ non illicitis habet Deus, ut in res cæteras, ita & in eas, quæ mente sunt præditæ; potestque ex eadem massa aliud vas decreto suo fingere in honorem, aliud in ignominiam atque interitum; licèt illud alioqui non minùs, quàm hoc, ad ignominiam atque interitum formare posset. Fingere autem vas in utrumque usum Deus potest, partim in genere, partim in specie. In genere quidem, dum, qui ipsi placet, modum hominibus præscribere potest, quem qui sequatur, præmium sit consecuturus; qui non sequatur, pœnam sit incursurus; licèt & alium eligere modum Esa: 45. 9, 10. Ier: 18. 6, & d. Rom: 9. 20, 21.

re modum posset, æquitati non minùs, quàm ille sit, consentaneum. Ejus enim rei rationem habere non tenetur Deus; & potest hominem illum jure damnare, qui modum ab ipso præscriptum sequi nolit; etiamsi is tādem aliam sequatur rationem ipsi serviendi, & naturâ suâ honestam, & aliquando ab ipso Deo approbatam. Vnde eundem hominem etiam indurare potest, & pœnæ effugiendæ occasionem illi quodammodo præcidere, quòd ipsius voluntati sese opponere, quàm subjicere maluerit. In specie autem idem facere potest Deus, quatenus ex pluribus supplicium æquè commeritis, hujus quidem misereri pro arbitrio potest, illum autem indurare ac punire. Similiter autem & refingere vasa potest. Cui enim impio fuerat mortem comminatus, quemque adeò decreto suo ad ignominiam & interitum veluti formaverat; eum refingere, si resipiscat, potest, & ad vitam decreto suo formare: uti & contrà justum, cui vitam pollicitus fuerat, & quem hoc pacto ad honorem salutemque formaverat, si a justitia sua discedat, ad interitum potest refingere; quemadmodum sacræ literæ apertè testantur. Vasis enim ipsis arbitrii libertatem, quam naturaliter dedit, non eripit. Itaque cùm media sese ad Deum convertendi sunt ab ipsomet proposita, nec ob insignem hominum ingratitudinem ac pervicaciam iterum erepta; vas impurum repurgare se potest, ut sit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum, ut Paulus ea de re loquitur. contrà etiam id, quod purum est, polluere se potest; idque tantò faciliùs, quantò faciliùs est peccare, quàm piè vivere. Ex ejusmodi autem vasis mutatione ratione morum, sequitur & mutatio conditionis, & sic mutatio quædam decreti divini specialis, quo vel præmium vel pœna homini fuerat ob pristinos mores, sed cum tacita cōditione in futurum spectante, constituta, uti apertissimè sacr: lit: testantur.

vid: Rom: 9. 31, 32. & 10. 3, 4.

Ier: 18. 6, & d.

2 Tim: 2. 21.

Denique quod ad æternitatem divini regni attinet; de ea sacræ literæ apertè non semel testantur. Inter alia David ita ait: *Dominus regnabit in æternum, & in seculum seculi.* & alibi Deum alloquens, *Regnum tuum*, inquit, *regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione.* Hinc & *Rex seculorum*, hoc est, sempiternus à Paulo dicitur. Quòd enim Deus interdum dicitur certi temporis habita ratione [a] regnasse, aut [b] regnaturus esse, & [c] regna mundi, ipsius & Christi facta esse; facilè patet, id non de ipso regnandi jure ac potestate intelligendum esse, sed de certo ejus potestatis usu, & apertiori declaratione, deque divinæ potentiæ exsertione; vel de subjectione hominum, in re religio-

d. l. Ierem: 18. add. Ezech: 18. 21, & d. &c. 33. 13. & d.
Psal: 10. 16: 145. 13. vid: & 146. 10. & Dan: 3. 100, 4. 31.
1 Tim: 1. 17.
a Psal: 93. 1; 97. 1. 99. 1.
b Esa: 52. 7. conf: etiam c. 24. 23: & Mich: 4. 7.
c Apoc: 11. 15: & 12. 10:

nis ad imperium Dei ſeſe accommodantium, eique ſeſe ſubmittentium.

Sequitur nunc, ut imperii divini partes ac functiones breviter explicemus. Eæ ſunt, ſancire leges, aut contrà tollere; & deinde easdem adminiſtrare ac tueri; cui parti etiam parentium ſeu ſubditorum defenſionem adjungimus. Vtrumque autem cum vel per ſe poſſit facere Deus, vel per alios; ſimul etiam ad ipſius poteſtatem pertinet, eos eligere ac conſtituere, per quos iſta faciat; aut eos, qui conſtituti ſunt, ſi ita uſus ferat, mutare, ac penitus amovere. Iam quod ad leges attinet; earum nomine hoc loco non tantùm præcepta intelligimus, ſed & pœnarum ſanctiones; ſiquidem & decreta de pœnis promulgata, leges pœnales Iureconſulti appellant. Pœnarum autem ſanctioni adjungi poſſunt & decreta de præmiis, quæ legum obſervantibus proponuntur.

De hac poteſtate loquitur Iacobus, cùm ait, *unum eſſe legislatorem, qui poſſit ſervare & perdere.* Deum autem intelligi, nemo non intelligit. Quanta verò ſit hęc Dei poteſtas, ex ſuperiùs dictis æſtimari poteſt. Nam quod ad præcepta attinet; jus habet Deus non tantùm factis noſtris externis, aut dictis, leges ponendi, ſed & animi cogitatis ac conſiliis, licèt ad actum nullo modo progreſſis. qua in re omnem humanam poteſtatem divinum imperium ſupergreditur. Deinde non tantùm ea, quæ vi naturalis honeſtatis omnino facienda ſunt, imperare nobis poteſt Deus; ſed quicquid omnino non eſt inhoneſtum. Ius enim nobis facit volendo. Quare leges non modò naturales, quas vocant, ferre poteſt, ſed & poſitivas, quas libeat. Tales olim fuerunt ceremoniales, imò & judiciariæ, quatenus a moralibus diſtinctæ ſunt, quæ proinde δόγματα ſeu placita aut decreta appellantur: quia arbitrio legislatoris ſupremi, non ipſa honeſtatis vi nitebantur. Nulla quidem earum, ratione caruit: ſine ratione enim Deus ſapientiſſimus nihil conſtituit: ſed ratio nullius ea fuit, ut legem neceſſariò ferendam eſſe doceret. Itaq; eâdem ratione manente, poterat lex non ferri; & lata poteſt abrogari. Adde, quòd etiam in ipſis moralibus præcipiendis delectum habere poteſt Deus, & nunc pauciora, nunc plura aut perfectiora præcipere. quod diſcrimen in veteri & novo Fœdere manifeſtum eſt. Apertè enim Chriſtus Matthæi cap: 5. quædam nobis præcipit, in antiquo Fœdere non præcepta; aut interdicit, in illo non interdicta. Præterea nunc perfectiorem legis exſequendi modum ſub comminatione ſupplicii, etiam extremi, poſtulare

cap: 4. 12.

Epheſ: 2. 15. Col: 2. 14.

poteſt Deus;nunc minùs perfecto contentus eſſe.quod diſcrimen itidem inter antiquum & novum fœdus, ſed contrario modo, apparet. Ibi enim perfecta ad juſtificationem obtinendam opera requiſivit: hîc non exigit. Verùm hæc res ad poteſtatem præmia & pœnas conſtituendi non immeritò poteſt referri.Deniq; non tantùm generales leges figere poteſt Deus, quæ vel omnes omnino homines obſtringant, vel totum aliquem populum, aut certam populi partem, genere aut qualitate a reliquis diſtinctam; ſed & mandata ſingulis dare peculiaria, & quidem ejusmodi, quæ generalibus aliquo modo adverſentur, vel ſaltem adverſari videantur. ut cùm Abrahamo præcepit, ut filium ſuum unigenitum occideret atq; offerret: licèt jam lex eſſet lata, de ſangvine humano non fundendo; & natura ipſa cæteroquin a nece liberorum abhorreat. Sed quia Deus, ut Dominus omnium abſolutus, jus habebat vitæ & necis in Iſaacum; de eo ſtatuere jurè poterat, ut in experimentum virtutis ac pietatis paternæ occideretur; poterat & patri pro abſoluta ſua poteſtate præcipere, ut ipſemet filii necem manu patraret. Iurè ergo utrumque ſtatuere poterat; de illo, ut inſons necem pateretur; de hoc, ut inferret. Nec tamen jura naturæ violari voluit, & affectum parenti inditum exſcindi; ſed ſuæ voluntáti ſubjici, & ad moderationem quandam revocari. quia ſpem nihilominus voluit eſſe Abrahamo reliquam, fore, ut ea res filio dolorem quidem ad breve tempus afferret, at non interitum; & non modò non obeſſet revera, ſed & prodeſſet: cum jam promiſiſſet, per eum Abrahamo copioſam fore ſobolem. Ideò credidit Abrahamus, Deum etiam e mortuis eum excitare poſſe, atque adeò,ut promiſſa ſua impleret, excitaturum eſſe. Quemadmodum ergo dum quis ſeipſum morti, rei honeſtæ cauſâ objicit, aut filium, ut id faciat,hortatur; amorem naturalem erga ſe,aut filium non exuit, ſed moderatur, & ad honeſti leges attemperat; maximè ſi ſpes ſit futuræ vitæ: ita nec Abrahamus, occidere filiumjuſſus, amorem illum exuere iuſſus eſt,ſed divino illum amori poſtponere,& ad ſupremi numinis voluntatem attemperare. Neque interim Deus legem ſuam de homicidio revera evertit. Nam hic caſus ex mente Dei, qui legem illam tulerat, non fuerat comprehenſus. unde nec homicidii pœnæ ex lege illa divina obſtrictus fuiſſet Abrahamus, etiamſi id, quod animo jam peregerat, manu quoque fuiſſet exſecutus. Æquitas enim non permiſiſſet, ut quem caſum legislator ipſe exceptum voluiſſet, ad eum legis ſeveritas extenderetur.

Gen:22.1,& d.
Gen:9. 5,& d.
Gen:17. 16, 19: 21. 12.
Heb: 11, 18, 19.

Quod ve-

Quod verò ad sanctiones pœnarum, & præmiorum constitutionem attinet; licet Deo pœnas qualescunque, modò delicti magnitudinem non excedant, sontibus constituere. Vt enim graviores sint delictis pœnæ, justitiæ ratio non permittit: quò minus leniores sint, per se non prohibet, clementia autem sæpe postulat. Quare Deus vel æquales delicto pœnas decernere, vel delicto minores potest; quæcunque cæteroquin illarum sit qualitas, atque infligendi modus.

Quod ad præmia attinet; in istis major est Dei libertas, & ratione magnitudinis in infinitũ quodammodo exit. Quia enim actus est beneficus, aliisque utilis, ei justitia per se nullum præscribit modum. In hominibus quidem prudentia libertati illi modum ponit; quia & promittentis copiæ ac facultates modum habent, & nimia largitione exhauriuntur. At bonorum divinorum immensa atque inexhausta est copia; & cùm ab eo creaturæ bona accipiunt, illis quidem multùm accedit, danti nihil decedit. Neque verò est, quod quis dicat, Dei potestatem eatenus hîc non esse infinitam, quatenus ei, qui præmium aliquod verè mereatur, non possit id negare, aut ita minuere, ut infra meriti dignitatem subsistat. Quid enim creaturæ apud Deum merentur? Vt enim quispiam apud alterum propriè loquendo mereatur aliquid, necesse est, ut ei rem præstet cæteroquin indebitam, & talem quidem, quâ ille verè indigeat. At nos quid Deo non debemus? Cum enim toti, quanti quanti sumus, Dei simus; omnem operam, quæ a nobis proficisci possit, Deo debemus. Itaque nihil a nobis exigit, quod a nobis suo jure, etiam absque mercede, exigere non posset. quemadmodum apertè docet Christus apud Lucam. Taceo, quòd operâ nostrâ Deus non indigeat, sine nobis ab æterno felix, & in æternum futurus. Impunitatem quidem, si prorsus innocentes essemus, mereremur; sed hanc præmii nomine hîc non intelligimus. Bonum enim positivum, ut loquuntur, non privativum eo nomine significamus; certè non tale, quod in immunitate tantùm consistat ab eo malo, quod ipsa naturalis nostra conditio ac status, in quo nos Deus posuit, secum non ferat. Bonum nempe intelligimus, ultra id, quod naturalis nostra conditio secum fert, in nos conferendum. Quòd si ne innocentes quidem verè mereremur præmium; quodnam meremur homines multis modis nocentes, & innumeris peccatis contaminati? Neque enim est, quod putes, ea supervenientibus meritis compensari posse. dum enim in posterum Deo servimus, officium præstamus, Deo, nulla præcedentis delicti habita rati-

Luc: 17.10.

bita ratione, debitum; defectum, qui præceſſerat, non ſarcimus: quin ne illud quidem ſatis implemus. Quare illimitata hîc per ſe eſt Dei poteſtas; &, ut infinitum ei licet nobis decernere præmium, ita & nullum: & ſi aliquod, qualecunq; ipſe velit aut quantumcunque.

Diximus autem, non ſancire tantùm, quæ placeat, Deo licere; ſed & ſancita, quatenus nimirum ipſa honeſtatis ratio permittit, tollere. Poteſt ergo & leges, quas poſitivas vocant, abrogare, h. e. penitus tollere; ac multò magis iiſdem derogare, earúmve partem tollere: ac denique eaſdem relaxare, h. e. earum vim circa res aut perſonas ſingulares tollere, quam in cæteris velit eſſe ſalvam atque illibatam. Vbi enim abrogatio locum habet, ibi multò magis locum habet derogatio, & relaxatio, quam diſpenſationem vulgò appellant. Hac poteſtate uſus eſt Deus, cùm leges ceremoniales per Moſen latas, itemque judiciarias, quatenus a naturalibus diſtinctæ ſunt, ſub N. Fœdere ſuſtulit. Habet autem ea res non tantùm locum in præceptis, quibus Deus aliquid vel fieri jubet, vel prohibet; ſed etiam in ſanctionibus pœnalibus ac comminationibus legi additis. Sic ſub Evangelio ſuſtulit ſeveriſſimam illam Legis Moſaicæ ſanctionem: *Maledictus omnis, qui non perſeverarent in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis;* loco ejus hanc reponens: *Qui non credit,* nempe in Dei filium, *condemnabitur.* Credendi autem verbo etiam effectus fidei, nempe pietas ei conſentanea, includenda eſt. Nam & hoc ſancitum eſt, ut qui ſecundùm carnem vivunt, moriantur, & regni cæleſtis hæreditate excludantur. ſic paſſim ſacræ literæ docent. Poteſt autem Deus & lege pœnali cæteroqui durante, vim ejus circa certas perſonas aut facta tollere. quemadmodum olim mortis pœnam [a] Davidi remiſit, lege generali de adulteris & homicidis capitali ſupplicio afficiendis non abrogata, ſed durante ejus in cæteris perſonis ac factis obligatione: qua de re viri docti jam ante nos monuerunt. Quanquam ejusmodi relaxatio, quæ facta hominum ſequitur, etiam ad libertatem iudiciariæ poteſtatis pertinet, & fortè magis, quàm ad eam, quæ in ipſis legibus ferendis aut mutandis cernitur, licèt cum hac conjunctionem habeat.

Gal: 3. 10. ex Devt: 27. 26.

Mar: 16. 16. Ioh: 3. 18, 36.

vid: inter alia cap: 5. Mat: totũ, & cap: 7. & c. 25. 34, & d. Ioh: 5. 29. Rom: 6. 16: 8. 13. cõf: & ℣ 1. 4, & d. 1 Cor: 6. 9, 10. Gal: 5. 19, 20, 21. Epheſ: 5. 5. Apoc: 21. 8, 27. 22. 15.

a 2 Sam: 12. 13. conf: præced: a ℣ 5.

Quod ad decreta de præmiis attinet, quæ legislator non ab aliis perſolvi vult, ſed ſe redditurum pollicetur; ea ſub promiſſorum legem penitus cadunt: & abrogari non poſſunt, niſi fortè certo aliquo tempore, aut conditione, ſive apertâ, ſive tacitâ ſint definita. Elapſo enim tempore, aut cõditione ceſſante, eorum vis ceſſat. Sed

sat. Sed alioquin revocari non possunt sine consensu eius, cui promissum est. Huic enim jus promissione acquiritur, quod eripi invito non potest. Commutatio præmiorum fieri salvâ iustitiâ potest, præsertim minorum in longè majora, & accipienti longè utiliora ac gratiora. Sed sanctionibus pœnalibus, non delinquentibus jus acquiritur: verùm jus suum asseritur ei, ad quem pœnæ utilitas spectare meritò debet. Hic si sit ipse legislator, pro arbitrio eas leges relaxare potest. nec relaxare tantùm, sed & abrogare, aut iis derogare. quanquam sine ratione probabili id fieri, prudentiæ inprimis aut sapientiæ lex non permittit. & quò major vis legi fit, licèt alioqui positivæ, tantò major ac validior ratio id svadere debet. Major autem legi vis fit derogatione, quàm relaxatione seu dispensatione: major adhuc abrogatione, quæ totam legem tollit.

Porrò autem ut ad eam potestatis divinæ partem veniamus, quæ consistit in rerum sancitarum administratione; ad eam pertinet, tum cura, quæ adhibetur, ut, quæ aliis sunt mandata, serventur; tum de factis præteritis judicium, hoc est, pœnarum ac præmiorum persolutio. ad quam propemodum revocare possis defensionem eorum, qui parent, & ab injuriis vindicationem. quòd si tamen extra judiciorum lineam cadat, eam cæteris imperii functionibus tanquam diversam adjungere licet. Sunt autem duæ illæ, quas constituimus, partes administrationis rerum sancitarum ita inter se conjunctæ, ut prior etiam de posteriori aliquid trahat. Nam & tunc, cùm Deus delinquentes punit, aut pios præmiis in hac vita afficit, ut mandata sua observentur curat. Sive enim ipsosmet delinquentes castigando emendare conatur, sive eos alieno supplicio exemploque terret, id agit, ut legibus suis pareatur. Præmiis autem tum eos, quibus persolvit, ad virtutis constantiam hortatur, tum cæteros ad eorum imitationem excitat. Quin & præmiorum, quæ legibus fortè additur, promissio, promissorum confirmatio, pœnarum denique comminatio huc pertinet. Pertinent & alia multa, sive beneficia, sive nocumenta, quæ pietatem langventem excitant, aut materiem ei præbent uberiorem. Pertinet huc & electio & constitutio eorum, per quos leges sancitæ inculcentur, urgeantur, in earumque observatione alii juventur. Magna est hæc Dei potestas, & latissimè patens: sed augustissima est potestas judicandi, & præmia pœnasque persolveudi. Et de præmiorum quidem persolutione quid statuendum sit, ex superioribus satis constat. Quod ad pœnarum persolutionem attinet,

Cap: XXIII. De Potestate Dei.

primùm potest Deus non tantùm pœnas expressè sancitas exigere, sed etiam nunquam expressas, modò naturâ suâ non sint iniquæ, hoc est, delicto non graviores, & promissio de impunitate nulla extet. Itaque etiam olim lege nondum lata punire homines potuit Deus: modò adversus leges honesti conscientiæ uniuscujusque a natura inscriptas aliquid, præsertim grave atque enorme, deliquissent. Eo ipso enim statim pœnam fuerunt commeriti, etiamsi eam Deus expressis verbis non esset comminatus. Conscientia sanè ipsa unumquemque reum facit, &, simul ac peccatum agnoscit, præsertim grave, eum ad suum tribunal sistit, & pœnam commeritum esse judicat. Nam quòd Apostolus dicit, *Legem iram operari: quia ubi non sit Lex, nec prævaricatio*, seu *transgressio* sit: *& peccatum non imputari, cùm Lex non est*; id non est de Lege expressis verbis a Deo lata eatenus intelligendum, quatenus ea prohibet, quæ ipsa naturalis ratio adeo turpia esse cernit, ut, nisi fortè depravetur, vehementer ab illis abhorreat, eaque committi indignè ferat: sed eatenus revera, quatenus ea vetat, quæ naturalis ratio vix ac ne vix quidem vitiosa judicat, vel etiamsi vitiosa esse judicet, non tamen adeo ab illis abhorret, quin illis veniam dandam esse putet. cujusmodi est cõcupiscentia, & alia peccata, in quæ valde proclivis est lapsus. Cæteroquin in enormibus sceleribus naturæ lex sat validè homines obligat ad pœnam, ut ex non uno scripturę loco apparet, ubi supplicia divina, eaque gravissima commemorantur, ante Legem Mosaicam, de qua illa Pauli verba loquuntur, hominibus impiis inflicta. Hîc ergo primùm potestas divina circa pœnas cernitur. Deinde, ut potestatem habet Deus infligendi pœnam: ita & nõ infligendi: nisi fortè extrema peccatoris cõtumacia, aut irrevocabile ipsius Dei decretum, diversum postulet, ut inferiùs explicabitur. Cæteroquin justitiæ Dei nequaquam repugnat, peccatori, quem punire jure posset, ignoscere. Nemini enim, sive puniat, sive non puniat, facit injuriam. siquidem de iure ipsius tantùm agitur. Neque enim nocenti, ut suprà monuimus, debetur pœna, sed is eam debet: & debet quidem illi, in quem injuria om nis ultimò redundat: qui in nostro negotio est Deus. Ius autem suum, si rem per se spectes, ut persequi cuique licet: ita & non persequi, ac de eo, quantum libet, remittere. Hæc enim juris proprii ac dominici natura est. Ius autem, quod Deus ad pœnam habet, ipsius proprium esse, ex iis, quæ suprà dicta sunt, patet. Quia enim omnia, quæ nobis præcipit servis ac mancipiis suis, debemus Deo, naturali nostro domino atq; hero; eidem etiam debemus neglecti obsequii ac ministerii pœnas. Nam hæ in omissi

Rom: 4. 15: 5. 13.

vid: Gen: 6. 5. & d. & cap: 7, & 8. & cap 15. 13, 14, 15. conf: Exo: cap: 7, & seqq. Gen: 18. 20, & d. & cap: 19. Lev: 18. 24. & d. 20. 23.

officii veluti locum succedunt, & id compensare, si modò possint, debent. Cum ergo herili jure a nobis exigat Deus obsequium;eodem etiam neglecti officii pœnas exigere potest. Neque verò refert, quòd nostris delictis non tantùm Deus, sed sæpè etiam homines alii lædantur atque injuriâ afficiantur. Nihilominus enim jus illud totum in Deum redundat. siquidem omnes illi, qui a nobis præter Deum læduntur, naturâ suâ Dei sunt servi. Servis autem, ut jura docent, nulla fieri injuria intelligitur,sed domino per ipsos.Itaque invitis etiam servis ejusmodi injurias condonare dominus potest; & Deus nostras. Hoc autem Dei jus, quod in remittendis peccatis, eorúmve pœnis condonandis cernitur, vel ex eo jure discere possumus, quod homines habent. Quisque enim offensas suas liberè condonare alteri potest. quidni ergo multò magis Deus?Quòd si principes summi non tantùm suas,sed interdum etiam privatorum,aut totius reipub. injurias condonare jure,cum singulari clementiæ laude possunt: quid ni & Deus, rex regum, & dominantium dominus ? Illi enim reipublicæ tutores quidam sunt , & boni publici administri potiùs , quàm domini. At Deus publici boni dominus est, non minister; & totius universi commodum ad ipsius gloriam,tanquam ad ultimum finem, referri debet. Itaque ne boni quidem publici causâ omnino tenetur Deus punire. Quanquam &publico bono sine pœna nocentium,si præsertim resipiscant, consuli potest. imò hoc ipsum bono publico maximè consentaneum est, patere resipiscentibus spem veniæ. Quare ne summi quidem rerumpub. principes in hoc jure cum Deo sunt comparandi. Quòd si ne illi quidem hac in parte cum Deo conferendi sunt,quorum potestas certa ratione summa est ac liberrima;multò minùs Deus erit conferendus cum judicibus sub aliena potestate, ac lege certa constitutis. Hi enim ideo, quia ab ea lege discedere non possunt, & de alieno, non suo jure agunt, pœnas remittendi potestatem liberam non habent. Neque verò est,quòd putes,postquam Deus lege lata pœnam est comminatus, jam ei non esse integrum pœnas remittere; quia aliàs constantia ipsius ac veritas convelleretur: illa,quia decreta sua mutaret;hæc, quia id non faceret, quod se facturum dixerat. Etenim, ut ab aliis jam observatum est, decreta divina de pœnis irrogandis,ac porrò etiam pœnarum comminationes, non prorsus absolutæ sunt censendæ;nisi vel earum contrarium naturâ suâ pravitatem quandam in se contineat: aut signum comminationibus sit additum immutabilis planè voluntatis. ut si comminationi juramentum sit additum. qua-

lib: 4. Institut. juris tit:4.

Cap: XXIII. De Potestate Dei.
Num: 14. 28 & d.
Devt: 1. 34 35.
Ps: 95. 11; 106. 26.
Heb: 3. 11; 4. 3 & d.

tum, qualis extat de Israëlitis incredulis ac contumacibus in terram promissam non introducendis. Si neutrum horum appareat; comminationes censendæ sunt relaxabiles, & tacitam quandam sive exceptionem, sive conditionem, etiam ex parte comminantis in se continere, etiamsi ea expressè non sit apposita. Nonnunquam enim ideo conditio non apponitur, ut jus punientis tantò evidentiùs declaretur, & is, qui pœnam est commeritus, tantò magis sit sollicitus, ut eam effugiat. Itaque ne comminationis vis veluti enervetur, conditio vel exceptio cogitanda potiùs relinquitur, quàm exprimitur. Quòd si comminationes quædam, licet absolutè prolatæ, non tamen prorsus absolutè sunt accipiendæ; satis apparet, ipsa decreta in Dei voluntate existentia, quorum indicia sunt comminationes, non esse prorsus absoluta. Ideò enim comminationes, licet absolutè prolatas, tacitam conditionem in se continere dicimus, quia decretum ea de re a Deo factum conditionem appositam habeat, eamq; subintelligi Deus velit. Conditio autem non ubique eadem, aut omni ex parte æqualis est, sed, pro ratione ipsius remissionis ac relaxationis, diversa. Nam ad veram ac plenam omnium pœnarum condonationem [a] resipiscentiâ omnino est opus. Ad dilationem verò aut mitigationem supplicii, aut ad certæ tantùm pœnæ aversionem, nonnunquam suffecit, sese [b] coram Deo humiliasse, factum doluisse, Deum fuisse deprecatum. nonnunquam & [c] alienæ preces, aut [d] facta, multùm valuerunt: & [e] gloriæ divinæ respectus, quæ minui supplicio populi divini graviore poterat. quarum rerum omnium exempla sacræ literæ suppeditant. Nulla autem in eo inconstantiæ umbra est, si quis id, quod cum conditione decreverat, conditione non extante, non exequatur. qua de re plura [f] suo loco. Similiter nec ulla mendacii nota inurenda est illi, qui quod cum tacita conditione, seu mavis exceptione dixerat, non simpliciter exequatur. Res etiam ex iis, quæ in communi hominum vita occurrunt, exemplis clara est. Quoties enim parentes liberis, domini servis, præceptores discipulis, imò & principes subditis pœnas comminantur, quas tamen, intervenientibus precibus, sive ipsorum delinquentium, sive aliorum, aut alia aliqua probabili caussa svadente, remittunt? nec tamen quisquam eis vel inconstantiæ, vel mendacii notam propterea inurit. nempe quia comminationes generatim omnes per se naturâque suâ relaxabiles sunt, & ita intelligendæ, ut comminanti, sub alienaque lege non posito, eas liceat revocare. nunquam quidem sine ratione aliqua, sed tamen sine ratione necessaria. Leni-

[a] Ierem: 18. Ezech: 18, & 33. Mat: 3. 8, & d. Luc: 13. 3. 5, & alibi.
[b] 3 Reg: 21. 29. Ion: 3, & 4. capp.
[c] Exo: 32. 14, & d. & cap. 33. 17. Num: 14. 19, 20.
[d] Num: 16. 46, 47. & cap: 25. 11, 13. Iob: 42. 7, 8, 9.
[e] d. l Exod: 32. 12, & d. Num: 14. 13, & d. Devt: 32. 27. conf: cū præced. q ꝟ 15. Psal: 79. 9, 10, Esa: 52. 5, 6. Ezech. 36. 21, & d.
[f] inf: cap: 25.

ria. Lenitas enim ac clementia non cogitur, ſed exoratur, & blandè flectitur. quòd ſi neceſſaria planè eſt, clementia eſſe definit; niſi fortè neceſſitas tantùm pendeat ex promiſſo liberrimè facto. Neque verò eſt, quòd quis putet, etiam extremè contumacibus hoc pacto ſpem veniæ fore reliquam. Nulla enim ratio eſt, quæ impunitatem, præſertim plenam, hominibus extremè contumacibus a Deo dandam, & comminationis vim reſpectu ipſorum tollendam eſſe ſvadeat. Siquidem Dei majeſtatem impiè contemnere pergunt, legum auctoritatem planè proculcant, ordinem bonum, quantum in ſe eſt, penitus convellunt, & peſtes quædam ſunt minimè ferendæ, omnique beneficio divino prorſus indignæ. nec ullo modo credibile eſt, ejusmodi conditionem in comminatione tacitè fuiſſe comprehenſam, quæ etiam in extremè contumaces cadat, & eos a pœna omni liberare queat. cum etiam nulla comminatione extante, impunitate prorſus ſint indigni; vel potiùs indignum Deo ſit, eorum ſcelera impunè dimittere.

Antequam autem a liberrima hac pœnas infligendi poteſtate, quâ Deum pollere docuimus, diſcedamus; illud adhuc adjiciendum eſt, quòd, utut innocentes punire revera non liceat, jus tamen ſit Deo infantes v.g. pœnæ alienæ veluti impendere, hoc eſt, eos affligere, ac tandem neci dedere, ut ipſos nocentes in iis puniat. quam ob cauſſam non quosvis ad eam rem deligit, ſed eos tantùm, qui nocentibus arctiori vinculo ſunt conjuncti, & quos ſalvos eſſe, ſontium plurimùm intereſt. Tales ſunt liberi, nepotes, ac pronepotes reſpectu parentum ac majorum. Sunt enim liberi quædam veluti partes parentum, & in poſteris progenitorum ſangvis ac nomen eſt. Itaque ut hi puniantur, illi affliguntur; idque vel unà cum parentibus, ut tantò gravior ſit eorum pœna; vel cæteroqui ſine illis, ſed eum tamen in finem, ut dolor aut ignominia ad parentes redundet, vel ſaltem hæc ipſa chariſſimorum pignorum, ac poſteritatis jactura illis in pœnam cedat. Hoc autem jus innocentes certi generis alienæ pœnæ impendendi, non oritur propriè ex delicto aliquo, nec ad jus puniendi per ſe pertinet; ſed manat ex dominio abſoluto, quod Deus in innocentes etiam citra reſpectum ad delicta aliena habuit. Itaque & in alium quoque finem bonum, ac gloriæ ſuæ ſervientem, æquè poſſet innocentes impendere, atque in pœnam alienam. Eos revera non puniri, tum apparebit, cùm de juſtitia Dei agemus. Nunc illud tantùm explicandum eſt, quod jam innuimus, non quosvis innocentes Deum nocentium pœnæ ſolere impendere, ita præſertim, ut eos ne-

Vid: 2 Sam: 12. 14, & d.

candos curet, & iis, utut per naturam diutiùs aliàs victuri fuissent, vitam abrumpat. Sunt enim innocentes duplicis generis. alii ideò insontes sunt, quia per ætatem sontes esse nondum possunt; alii, quia sontes esse nolunt, utut per ætatem esse possent. Illorum innocentia naturæ est; horum voluntatis: illa mera est vitii negatio; hæc virtutem habet conjunctam. Itaque dubium non est, hanc Deo longè acceptiorem esse illâ, & in majori homines apud ipsum gratiâ ponere; præsertim cum tot tamque ampla ipsius extent promissa, innocentiæ huic, quæ in mandatorum ipsius observatione consistit, proposita. Deus igitur non hoc, sed illud innocentium genus pœnæ alienæ impendere solet. Similiter autem & de illis judicandum est, qui ad hoc aut illud innocentium genus proximè accedunt. Vt igitur nocentes in innocentibus puniat, deligere illos solet, qui nec mala sua usquequaque, nec bona possunt agnoscere: quòd intellectu nondum uti, aut nondum satis uti queant: parentibus autem ob tenerrimum in hanc ætatem affectum, pœna ferè est acerbior. Quanquam non dubium est, vel æquè acerbam, vel etiam acerbiorem esse, cùm liberorum mores, eruditio, fortuna ipsorum votis respondet. Sed in his tum demum punit parentes ac majores Deus, si & ipsi liberi sint nocentes; utut tandem non eorundem cum parentibus delictorum sint participes, aut eodem peccati genere se contaminarint. Satis enim est, eos esse pœnam quacunque ratione commeritos, quam postea in parentum simul aut majorum supplicium convertat. quo pacto etiam regis peccata in populo puniuntur, utut ejus peccati, cujus occasione punitur, experti, modò aliàs nocente. At si qui sint innocentes, cùm nocentes esse possent, vel saltem innocentibus proximi, & non nisi levi aliqua culpa obstricti, eos nocentium pœnæ non impendit Deus. imò propter paucos ejusmodi innocentes, maximæ nocentium multitudini parcere paratus est. ut ex iis patet, quæ de Sodomæ & finitimarum urbium excidio locutus est cum Abrahamo Deus. & ad hoc respiciens Abrahamus dixit: *Numquid perdes justum cum impio? Si fuerint quinquaginta justi in civitate, peribunt simul? & non parces loco propter quinquaginta justos, qui fuerint in eo? Absit a te, ut rem hanc facias, & occidas justum cum impio, fiatque iustus sicut impius. non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc*, vel, ut est in Hebræo, *an judex universæ terræ non faciet judicium?* Cæteroqui quod ad infantes innocentes attinet, non ignorabat Abrahamus, necesse esse, ut ingens in illis urbibus eorum extaret multitudo: nec id tamen in

[Margin: Vid: 2 Sam:24.13, & seqq.]

[Margin: Gen: 18. 23, & seq.]

men in hac oratione sua uspiam ursit; nec ejus rationem habuit Deus, quominus eodem igne absumerentur; uti nec in diluvio, nec in urbium subversionibus, aliisque publicis calamitatibus, ob impietatem populo aut loco alicui immissis. quin etiam interdum unà cum parentibus & liberos occidi, ut apparet, voluit. Vnde apparet, aliam eorum innocentium esse rationem, qui nocentes esse non possunt, aliam eorum, qui nolunt. Potest autem Deus etiam hos afflictionibus pro absoluti dominii jure objicere, aut ut eas sponte subeant, præcipere. quæ quia illis in virtutis ac pietatis materiem cedunt; simul etiam cedunt in præmium virtuti propositum, & felicitatem tantò majorem, quantò major fuerat calamitas, & quantò major, quam in iis exercuerant, pietatis constantia. Inter hos autem maximè eminet Christus, qui & innocentissimus fuit, & peccatorum nostrorum causâ dirissimum simul & ignominiosissimum mortis genus adire a Deo jussus est; non in ipsorum nocentium pœnam, sed impunitatem. tantò autem minùs, ut ipsemet puniretur. Nam nec justæ pœnæ ob innocentiam capax fuit; & cum ipsis nocentibus impunitatem dare vellet Deus, innocentissimum sanè ac sibi conjunctissimum punire noluit. Ideo & infinito præmio eum ad mortem subeundam incitavit, & eo persoluto, omnem ejus acerbitatem abundè compensavit, mortemque æternâ vitâ, dolorem infinitis gaudiis, contumeliam immensâ gloriâ obruit ac sustulit. quæ omnia a pœnæ propriè dictæ ratione, quæ vindicta est, maximè abhorrent.

vid: Thren: 1. 5; 2. 11, 12, 19, 20; 4. 10. Iosi 7. 24, & d.

vid: Esa: 53. 10, 11. Phil: 2. 9, & d. Hebr: 12. 2.

Quod verò ad electionem ac constitutionem eorum attinet, per quos Deus leges promulget ac sanciat, & porrò administret; præmia & pœnas tum proponat, tum confirmet, tum denique reipsa distribuat; bonos defendat, malos coërceat, suaque decreta hoc pacto ad exitum perducat; in eo iterum latissimè divina patet potestas. Ejus tot sunt documenta, quot sive in cœlis, sive in terris habet regni sui atque imperii administros, eos inprimis, qui in alios vel potestatem, vel auctoritatem saltem habent, & iis aliquo modo regendis sunt præfecti. quorum quidem innumera est multitudo. Et in terris quidem alii spiritualis, alii terreni ac civilis regiminis sunt administri. cui utrique regimini inserviunt & angeli, inter quos ipsos potestatis non unus est gradus, ut alibi in hoc opere docebitur. quibus omnibus summa cum potestate præest Christus, eorum [a] caput a Deo constitutus, constitutus [b] princeps ac rex regum terræ, [c] caput Ecclesiæ, [d] judex vivorum & mortuorum. Cujus imperium ex Dei decreto ac promissione æternum

lib: 2. c. 3. a Col: 2. 10. 1 Pet: 3. 22. b Apoc: 1. 5: 17. 14: 19. 16. c Ephes: 1. 22. Col: 1. 18. d Act: 10. 42: 17. 31. Rom: 14. 9, 10, 11.

ternum est: cùm cæterarum creaturarum, & inprimis hominum potestas precaria sit censenda, ut de dominio suprà diximus. Ideo Deus transfert imperia ac regna pro arbitrio ab uno in alium, de familia in familiam, de gente in gentem, pro voluntatis suæ arbitrio. Nam ut est apud Danielem, *Dominatur excelsus in regno hominum; & cuicunque voluerit, dabit illud, humillimum hominem constituit super eum.* quæ sententia apud eundem denuò repetitur. Quanquam aliàs, nisi delictum ipsorum hominum accedat, sive eorum, qui regunt, sive eorum etiam, qui reguntur; non facilè Deus imperia mutat. Similiter autem & imperii ac potestatis gradus, fines, munerum functiones, in Dei sunt positæ arbitrio. cum omnium absolutorum regnorum maximè absolutum sit Dei regnum. Imò hoc solum verè absolutum est: cætera omnia divinis legibus naturâ suâ adstricta. Vt rectè Nabuchodonosor a Deo castigatus pronunciarit, non tantùm sempiternam esse Dei potestatem, sed etiam *omnes habitatores terræ apud eum in nihilum* (seu *tanquam nihilum*) *reputatos esse: juxta voluntatem enim*, inquit, *suam facit tam in virtutibus* (seu *exercitu cœli,*) *quàm in habitatoribus terræ: & non est, qui resistat manui ejus, & dicat ei: Quare fecisti?* ubi quidem & potentiam ejus & potestatem simul prædicat.

Dan:4. 14.

ib: ℣ 22.

ib: ℣ 31, 32.

Reliquum jam est, ut de usu hujus doctrinæ agamus. Is autem tantus est, ut ne Deum quidem esse, sine ea satis intelligi possit: cum is ob eam ipsam potestatem, &, ex qua fluit, potentiam, Deus, ut suprà vidimus, dicatur. Itaque facilè etiam videre est, quantum hæc doctrina in universa religionis ac pietatis ratione momentum habeat. Primùm enim eò facit, ut Deum summa animi demissione veneremur, & adoremus. Cuilibet enim potestati honor debetur, maximè ab iis, qui ei sunt obnoxii ac subjecti: & quantò ea maior est, tantò & honor ei debetur major: terrenæ ac civili potestati, terrenus ac civilis debetur; divinæ divinus ac religiosus; supremæ ac maximæ, summus ac maximus.

Deinde hinc patet, nos in omnibus Deo obtemperare, &, quicquid nobis præcipiat, id sine tergiversatione exsequi debere. Si enim is dominus noster est absolutus, nos servi ejus ac mancipia; illi quidem, quicquid præstare possimus, præcipere licet; nobis autem, quicquid is præcipit, facere necesse est. Secùs qui facit, is, utut eum Dominum lingvâ vocet, reipsa tamen pro domino suo non agnoscit. *Quid vocatis me Domine, Domine*, inquit Christus, *& non facitis, quæ dico?* & ipse Deus apud Prophetam: *Filius honorat Patrem suum, & servus dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor*

Luc: 6. 46.

Malach: 1, 6.

honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum. In timore autem illo obsequium ipsi debitum vel inprimis comprehenditur. Tantò autem magis eum timere, & mandatis ipsius obsequi debemus, quòd sciamus, eum potestatem habere non tantùm corpus nostrum perdendi, sed & animam in gehenna. Mat: 10. 28.

Tertiò ex agnitione dominii absoluti, quod in nos habet Deus, illud quoque fluit, ut reliquæ pietati nostræ, & divinorum mandatorum obtemperationi, singularem addamus modestiam, & *cùm fecerimus omnia, quæ præcepta sunt nobis, dicamus, servi inutiles sumus: quia quod debuimus facere, fecimus;* quemadmodum Christus nos monet. Luc: 17. 10.

Fluit hinc quartò & illud, ut Deo magis, quàm hominibus, utut potentissimis, obtemperemus; & proinde nec a veritate, nec a pietate nobis ab eo præscripta unquam discedamus, etiamsi tandem ii, sub quorum potestate alioqui sumus, id urgeant, & gravissima nobis, ni id fecerimus, supplicia minentur. Potiùs hæc patienter sunt ferenda, quàm ut vel latum ungvem a Dei mandatis discedamus. Neque enim supremus dominus offendendus est, ne servos ejus offendas; atque ut horum iram ac supplicia effugias, in illius iram ac supplicia, quæ longè sunt graviora, incurrendum. Obsequendum est dominis & magistratibus propter Deum, non adversùs Deum. Act: 5. 29.

Quintò, & magistratus principesque hac ratione monentur, ut cùm omnem potestatem a Deo acceperint, ne propter eam superbiant, sed se coram Deo quàm humillimè demittant, ministros se ipsius esse cogitantes; & tales quidem, a quibus is non imperium tantùm ac potestatem auferre possit, quando libuerit, sed in quos etiam vitæ ac necis habeat potestatem. Deinde ut eum in finem potestate sua utantur, in quam illis data est, h. e. ad bonorum atque innocentium defensionem, malorum autem & societatis humanæ jura violantium coërcitionem & pœnam. ad oppressionem autem veritatis ac pietatis ne ea unquam abutantur, sed id agant, ut sub ipsorum imperio homines vitam tranquillam & quietam possint agere, cum omni pietate & honestate. Cogitandum illis est id, quod dominos seu heros nominatim monet Apostolus, ut æquitatis sint observantes, etiam tum, cùm illis res est cum inferioribus, quia & ipsorum dominus sit in cœlis, apud quem acceptio personarum non est. Rom: 13. 1, 4, 6. Ibid: 13 3, & d. conf: 1 Pet: 2. 14. 1 Tim: 2. Ephes: 6. 6. Col: 4. 1.

Sextò eò facit consideratio absolutæ, quam Deus in nos habet, potesta-

potestatis, ut æquo animo feramus ea, quæ ipsius voluntate nobis incumbunt, mala, nec decretis ejus obloqui ac refragari unquam audeamus. siquidem scimus, id ipsi ut domino absoluto licere; potestate autem sua eum nunquam abuti. Audiendus est hîc Propheta: *Væ qui contradicit fictori suo, testa de samiis terræ: numquid dicet lutum figulo suo, quid facis? & opus tuum absque manibus est. Væ qui dicit patri, quid generas? & mulieri, quid parturis?* potiùs cum Iobo dicendum, cùm ea, quæ a Deo acceperamus, bona nobis eripiuntur: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* & cùm aliàs etiam affligimur: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* aut cum Davide Semeji maledictis lacessito: *Dominus præcepit ei ut malediceret David: & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?* qua de re ita in Psalmis loquitur: *Opprobrium insipientibus dedisti me. Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Vtitur nimirum Deus paratâ hominum malitiâ ad nos affligendos castigandosq;: nec nos tam respicere debemus, quis sit is, per quem punimur, quam quis ille, a quo punimur, & a cujus veluti manu ictus venit; & æquo animo paternam castigationem admittere, ut a divino spiritu monemur.

Isa: 45. 9, 10.
Iob 1. 21.
c. 2. 10.
2 Sam: 16. 10.
Psal: 39. 9, 10.

Addendum est septimo loco & illud, quòd spem ac fiduciam nostram alat suprema atque absoluta Dei potestas, & ut tantò audaciùs omnia, quibus indigemus, a Deo postulemus, efficiat, siquidem omnia bona in ipsius potestate ac manu sunt posita, ita ut ea pro arbitrio dispensare possit ac soleat. Ideo sub precationis Dominicæ finem hæc subjicitur clausula: *Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula.* quasi dicamus, ideò hæc à te fidenter petimus, quia tu solus revera regnas, omniaque pro voluntatis tuæ arbitrio moderaris ac dispensas, adeò ut, modò tibi ita placeat, omnia nobis dare liceat. simul autem & robur tibi suppetit omnia præstandi: indeque ad te omnis redibit, & redire meritò debet gloria.

Octavò, eò facit consideratio liberrimæ Dei potestatis, ut tantò majoris ipsius beneficia æstimemus, & quantum illi debeamus, tantò rectiùs agnoscamus. Nemo satis æstimare potest divina beneficia, nisi qui ea jurè sibi a Deo negari posse agnoverit; nec rectè agnoscere potest, quantum Deo debeat, nisi qui agnoverit, nihil sibi debuisse eum, qui omnia dedit. Et ut cætera nunc taceamus; beneficium remissionis peccatorum nemo justis ponderibus examinabit, nec magnitudinem divinæ benignitatis, unde manavit, ex-

vit, expendet, nisi qui consideraverit, quas pœnas, quàm graves atque acerbas a nobis Deus exigere jure suo potuerit. qui tamen jure suo cessit, & penitus, si resipiscamus, cedere paratus est, ipsa etiam immortalitate nos donaturus, quam ne tum quidem verè mereremur, si sanctissimi & ab omni labe purissimi essemus.

Nonò, eò quoque facit dominii divini, quod in omnia habet, consideratio, ut cum nos dispensatores simus alienorum bonorum, ea, jubente Domino, libenter in alios erogemus; præsertim cùm hoc pacto nostræ ipsorum utilitati in futurum maximè possimus consulere. Iusti enim tum demùm dispensatores revera erimus, injusto tamen, sed prudenti dispensatori eatenus similes, quatenus meriti, ut heri nostri bonis exuti, ejus etiam domo expellamur, amicos nobis de alieno parabimus, ut cùm eguerimus, recipiamur in æterna tabernacula. Luc: 16. 9, & d.

Denique & eò facit, ne conscientiæ nostræ hæreant in usu istarum rerum, quas nobis utendas permisit Deus. siquidem Domini est terra, & plenitudo ejus. qua ratione utitur Apostolus de libertate loquens, quâ Christiani in cibis uti salvâ conscientiâ queant. Quamquam eandem ob caussam, earundem rerum usu etiam abstinere debemus, si is cum scandalo seu offensione aliorum conjunctus sit futurus. quia idem Dominus, qui earum usum aliàs nobis concessit, eodem nobis, si scandalum inde sit exstiturum, interdixit. 1 Cor: 10. 25, & d.

Cavendum autem est, ne potestatem Dei vel sententiâ nostrâ nimis coarctemus, vel contrà etiam ad res naturâ injustas extendamus. quorum illud faciunt ii, qui Deo negant potestatem peccata nobis sine satisfactione, seu compensatione debiti nostri, & quidem plenissimâ, condonandi. hoc illi, qui potestatem ei tribuunt, innocentibus peccata aliena imputandi, eosque verè puniendi; quin etiam homines, antequam quicquam mali faciant, immutabiliter, seu absque ulla conditione in eorum arbitrio posita, æternis suppliciis destinandi, & eos in hunc ipsum finem creandi, peccandi necessitatem iis imponendi, &, licèt credere ob ipsius decretum non potuerint, eos tamen hoc nomine æternis cruciatibus plectendi. qua de re infrà plura dicentur. cap: 25.

Cap: XXIV.

De Sapientia Dei.

Vidimus hucusque facultates, quæ Deo insunt. Sequitur, ut illa etiam Dei attributa videamus, quæ facultatibus illis vel omnibus.

omnibus, vel aliquibus innituntur. Inter ea rursus ordo quidam est. Alia enim aliorum aut principia quædam sunt, aut normæ; alia verò ex illis tanquam principiis pendent, aut ad ea tanquam ad normam quandam sese accommodant. Principia aut normæ cæterorum sunt Sapientia & Sanctitas: quarum illa Intellectûs, hæc Voluntatis potissimùm perfectio est. Ex his principiis, quamquam non solis, pendet Beatitudo, ac Magnitudo Deo in sac. literis attributa, cui posteriori & Omnipræsentia potest adjungi. Vtraque enim non modò sapientiâ & sanctitate, sed & facultatibus, quas explicuimus, omnibus nititur: quamquam diverso modo. Beatitudo enim eorum, quæ Deo sunt naturalia, verum ac proprium est consequens: Magnitudo etiam eorum, quæ a libera Dei voluntate pendent; qualia sunt potentiæ divinæ opera. Ad sapientiam autem & sanctitatem, tanquam ad normam quandam sese accommodant ea, quæ ita Deo insunt, ut a voluntate ipsius pendeant, plæraque liberè, nonnulla etiam necessariò. Eorum alia cum habitibus, qui nobis insunt, similitudinem quandam habent, quorum etiam nominibus appellantur, ut Benignitas, & Severitas. alia, ut actus revera sunt, ita & eorum nomina sortiuntur; ut ea, quæ affectuum sunt instar, & decreta de quorum discrimine suo loco dicetur. Nunc ad ea, quæ enumeravimus, explicanda nos accingemus, servato eodem, quo illa proposuimus, ordine.

Vt igitur a Sapientia incipiamus, a qua cætera omnia vel pendent, vel diriguntur; ejus nomine hoc loco omnem rerum cognitionem complectimur, sive illa simplex sit, sive practica, & in agendo occupata. Deum autem sapientem esse sacræ literæ innumeris locis testantur, quæ etiam [a] *solum sapientem* esse, & eodem sensu [b] *ejus esse sapientiam* asserunt, quòd & solus a seipso, & perfectissimâ ratione sit sapiens: cum cæteri omnes, qui sapientes sunt, ab ipso, diverso perfectionis gradu, sapientiam hauserint. Probant eandem manifestè admirabilia Dei opera; rerum omnium ab eo productarum pulcherrimus ordo, multiplex usus; earundem conservatio ac providentia, quæ in minimis etiam Dei operibus elucet. Sanè hanc Dei sapientiam prædicat Psaltes, aliique Prophetæ, & mortalium aliquando sapientissimus Salomon. nec immeritò viri docti statuunt, Paulum nomine *sapientiæ Dei*, in qua mundus, sapientiæ suæ ope, Deum non cognoverit, per Metonymiam effecti intelligere rerum omnium structuram sapientissimè constitutam, unà cum perpetua illa providentia, quâ res alioqui facilè perituræ conservantur. Probant hanc & ea, quæ in religione Christi-

a Rom: 16.26. 1 Tim: 1. 17. Iud: ℣ ult.
b Dan: 2. 20, 21, 22.

Psal: 104. 24: 136. 5. Ier: 10. 12: 51. 15. Prov: 3. 19, 20: 8. 22, & d. 1 Cor: 1. 21.

Christiana continentur, aut ejus confirmandæ caussâ per Christum facta sunt; qui propterea rectè a Paulo, ut *potentia*, ita & *sapientia Dei* vocatur. Quin, ut idem Apostolus docet, a tempore publicati inter omnes gentes Evangelii, *innotuit principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam*, hoc est, per ea, quæ in Ecclesia Christi, aut circa eam fiunt, *multiformis sapientia Dei*. Vnde non immeritò Deum, tanquam auctorem Evangelicæ prędicationis, & mysterii in eo patefacti celebrans, eum *solum sapientem* vocat; quia nimirum summa ejus sapientia in eo mysterio appareat, qua de re nunc non est fusiùs agendi locus. Satis ea res ex his libris patebit, ea præsertim parte, quâ de Christiana religione agetur.

De Sapientia Dei.

1 Cor: 1. 24.

Ephes: 3. 10.

Rom: 16. 26, 27.

Non est autem facilè universam divinæ sapientiæ rationem una definitione comprehendere. Etsi enim dicere posses, eam esse exactissimam rerum cognitionem; ea tamen definitio uni tantùm illius parti, quæ quidem naturâ prior est, propriè competere videbitur. Nam duplex Sapientiæ divinæ est ratio, seu duæ sunt illius veluti partes. Altera magis theoretica seu contemplativa est, & in nuda rerum cognitione consistit; altera practica atq; effectiva, quæ tum in consiliis ac decretis, tum in ipsa operum divinorum effectione, & universa rerum gubernatione cernitur. Hæc autem posterior illius pars non est simplex rerum cognitio; sed potiùs ex simplici rerum cognitione efflorescit, eiq; innititur. Prior illa respondet tum cognitioni sensuum nostrorum, tum cognitioni illi intellectus, quæ ad contemplativas scientias potissimùm pertinet. Posterior autem respondet prudentiæ nostræ, & artibus: quarum illa in delectu rerum, in consiliis, ac porrò in gubernandis tum nostris, tum alienis actionibus versatur: hæc in operibus variis aptè efformandis ac perficiendis. Hæc autem posterior Sapientiæ pars potissimùm, omniumq; frequentissimè designari videtur, cùm sapientiæ divinæ expressa fit mentio; quia populariori, præsertim apud Iudæos, orationis genere utuntur sacræ literæ. Illi autem sapientiæ nomine crebrò viros prudentes ac solertes intelligunt, etiam illos, qui in aliquo artis mechanicæ genere excellunt. Cùm autem de priori sapientiæ divinæ parte, seu actionibus ad eam pertinentibus sermo est, sciendi, cognoscendi, intelligendi, nonnunquam & scrutandi, aut probandi seu explorandi verbo utuntur sacræ literæ. Et propter hanc inprimis Deus videtur *Deus scientiarum*, hoc est, scientissimus fuisse in sacris literis appellatus.

vide inter alia Exod: 28. 3: 31. 6: 36. 1, 2, 8. Deut: 1. 13, 15: 34. 9. 3 Reg: 2. 6, 9: 3. 11.

1 Sam: 2. 3.

Vt igitur de Scientia divina agamus; in eo potissimùm noster

Cap: XXIV. De Sapientia Dei. occupabitur labor, ut ostendamus, quàm latè ea sese extendat, seu quàm latè objectum illius pateat. id enim & sacræ literæ nobis de scientia divina maximè inculcant; cum id unum etiam de scientia divina tenere ad religionem ac pietatem sufficiat. De eo autem ita agemus, ut primò videamus, quid sacræ literæ hac de re afferant: deinde id aliquantò diligentiùs explicabimus, ut erroribus, qui circa hanc rem occurrunt, obviàm eamus. Objectum scientiæ divinæ, ejusque amplitudinem breviter significat Iohannes, dum

1 Ioh: 3. 20. ait, Deum *omnia* scire. Comparat autem Deum ea in re cum corde nostro, & significat, eum nostrorum etiam factorum majorem ac certiorem notitiam habere, quàm cor seu conscientia uniuscujusque nostrûm propria. Etsi autem omnium creberrimè in sacris literis ea Dei scientia commemoratur, quâ res humanas omnes, etiam cogitationes in intimis mentium recessibus latentes complectitur: quia hæc scientiæ divinæ pars creditu est, ut difficillima, ita nobis maximè necessaria: scientia tamen divina ad cæteras etiã res extenditur. Et seipsum quidem quin penitus nôrit Deus, quis dubitet? Certè si seipsum ignoraret, nec sapientis nomen mereretur, nec rerum creandarum consilium suscipere unquam potuisset. Necesse enim est, ut vires suas immensas, quibus res omnes & condere, & disponere ac gubernare posset, probè cognitas haberet. At si has probè cognitas & habuit, & habet; cur non & cætera, quæ ipsi insunt? Verùm hanc sui notitiam, quam Deus habeat, aut tanquam nimis manifestam, aut tanquam ad nos salutemque nostram per se non pertinentem, nominatim commemorare non solent sacræ literæ: sed ad eam divinæ scientiæ partem nos revocant, quæ ad providentiam, atque inprimis ad rerum humanarum gubernationem ac procurationem spectat, & ad cogitationes etiam nostras extenditur. Has autem si novit Deus, quis negare audebit, eum nosse cætera, quæ vel apertiora sunt, vel non magis cognitu difficilia, quàm sunt occulta hominum consilia? Certè sa-

Psal: 33. 15. cræ lit:, cùm Deum res humanas exactè cognitas habere docent, ea sæpe dicunt, quæ ad res etiam cęteras extendi & jurè possunt, & debent. Cùm enim inter alia Psaltes ita de Deo ait: *Qui finxit sigillatim* (Hebr. *simul) corda eorum (*nempe *omnium filiorum hominum) qui intelligit omnia opera eorum*; significat, non mirandum esse, Deum opera humana, etiam quatenus ex animi consilio æstimanda sunt, nosse; quia Deus hominum omnium corda finxerit. Quis enim dubitet, eum, qui tantâ polluit sapientiâ, ut corda omnium finxerit, etiam intelligere hominum opera; & potentiæ

immensæ, quâ ista effecerit, parem in illo sapientiam esse? quis dubitet, cum ita corda hominum finxisse, ut intelligere semper posset, quidnam istic foveant, quæ agitent consilia, quid moliantur? Finxit enim ideo, ut etiam regeret, iisque pro arbitrio semper uteretur; quam ad rem cognitio operum, atque adeo animorũ, vel inprimis pertinet. Hæc autem ratio an non & ad cæteras res a Deo creatas extendi jurè potest, ac debet? Similia sunt apud Esaiam. Postquam enim dixisset: *Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt, Quis videt nos, & quis novit nos?* eos statim refutans ait: *Perversa est hæc vestra cogitatio: quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo: Non fecisti me: & figmentum dicat fictori suo: Non intelligis.* Ieremias autem ostensurus, Deum omnes homines, eorumque opera, utut aliàs occulta, cernere, ait: *Putásne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus? & non Deus de longè? Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus? numquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus?* quasi dicat, num putas me Deum esse, qui hominis instar propinqua tantùm videre ac cernere, aut curâ meâ complecti, & efficaci virtute attingere possim? Haudquaquam talis ego sum: sed etiam longissimè semota aspicio ac percipio, & in ea potentiam meam exsero. Quare non est, quòd quis putet, se meam scientiam effugere posse, utut se maximè occultet. Omnia ego loca spiritu ac providentia mea impleo; nullo sapientia ac potentia mea loco excluditur, nullo includitur. Non absimilia his leguntur apud Davidem Psal: 139, ubi sat fusè admirabilem Dei scientiam, quâ res humanas comprehendat, in sua persona explicat; dignaque sunt illius verba, quæ hîc adscribantur. multorum enim testimoniorum sunt loco. Ait ergo: *Domine probasti* (seu *explorasti*) *me, & cognovisti:* (præteritis utitur pro præsentibus:) *tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam: intellexisti cogitationes meas de longè: semitam meam & funiculum* (Hebr. *accubitum*) *meum investigasti; & omnes vias meas prævidisti: quia non* (vel *nondum*) *est sermo in lingva mea, ecce tu, Domine, cognovisti omnia, novissima & antiqua* (Heb. *retrò & antè*) *tu formasti me, & posuisti super me manum tuam: mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est* (Hebr. *excelsa* vel *exaltata est*) *& non potero ad eam* (seu *non possum eam assequi.*) *Quò ibo a spiritu tuo, & quò a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumsero pennas meas diluculo,* (Hebr. *alas auroræ*) *& habitavero in extremis maris; etiam illic*

Margin notes: Esa: 29. 15, 16. — Ier: 23. 23, 24. — ℣ 1, & 4.

manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua: Et dixi, Forsitan tenebræ occultabunt me: & lux illuminatio mea in deliciis meis: (Heb. *lux est propter me, vel circum me:) Quia tenebræ non obscurabuntur a te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ, ita & lumen:* (sic est in Hebræo:) *Quia tu possedisti renes meos;* & quæ sequuntur. Quibus verbis docemur, omnia cernere Dei oculum, & ubique ejus spiritum potentemque virtutem adesse præsentem. Adde his, quòd cum Deus naturas rerum condiderit, & ut tales essent, quales sunt, consilio ac voluntate sua effecerit, eas ignorare non possit; nisi eum obliviosum esse velis, qui, quales finxerit, non ampliùs meminerit. Itaque quæ constantis naturæ sunt, in numerato eum semper habere certum est. quod exemplo stellarum, quas nominatim recenseat, nobis ostendunt sacræ literæ. Quod ad ea attinet, quæ oriuntur & occidunt, variisque mutationibus sunt obnoxia; nec ea Deum, etiam quatenus mutantur, & nunc hoc, nunc illo modo se habent, ignorare, illud docet, quod de passerculis, vilissimo avicularum genere, asserit Christus, ne unum quidem eorum cadere super terram sine Patre nostro, hoc est, sine ipsius scitu ac permissu. Vnde porrò vult colligi, multò minùs nobis quicquam sine ipsius scitu ac voluntate accidere posse, qui multis passeribus præstantiores simus, & quorum etiam omnes capitis pili sint numerati, h. e. quorum res non tantùm maximæ, sed & minimæ Deo sint curæ. Quòd si plures desideras locos, in quibus de cognitione agatur rerum, operum, cogitationum ac consiliorum humanorum, sive bonorum, sive malorum, quam Deus habeat; vide inter alios Deut. 31. 21: 1. Sam. 16. 7: 3. Reg. 8. 39: Psal. 7. 10: 38. 10: 94. 11: Prov. 15. 11: 16. 2: 24. 12: Ierem 17. 9, 10. Ezech. 11. 5. Sirac. 23. 28. Act. 1. 24: 15. 8: Rom. 8. 27: 1. Thessal. 2. 4. in quibus locis de cordium inspectione, & cogitationum humanarum notitia sermo est. De aliis autem actionibus hominum, rebúsque, quæ in terra geruntur, licet aliàs occultis, loquuntur ista: 2. Paral. 16. 9 Iob. 28. 23: 31. 4. Psal. 94. 7, & d. Prov. 5. 21: 15. 3. Sirac. 17. 13, & d. 23. 29: 39. 24. Ier. 32. 19. Matt. 6. 4, 6, 8. quibus addi possunt & loca de Christo loquentia, per quem Deus occulta hominum est judicaturus; cui proinde cognitio factorum & consiliorum humanorum, cordiumque notitia data est, Marc. 2. 8: Ioh. 1. 48, 49: 2. 24, 25: 6. 64: 16. 30: 21. 17. 1. Cor. 4. 4, 5. Apoc. 2. & 3. capp. ubi in singulis epistolis ad Angelos Ecclesiarum Asiaticarum scriptis testatur Christus, se ipsorum opera nosse, eaque ex parte recenset; & inter alia expressè testatur, se scrutari corda & renes

Psal: 147. 4. Esa: 40. 26.

Mat: 10. 29, 30.

Rom: 2. 16.

cap. 2. 23. Quæ tam admirabilis sapientia, ex inexhausto divinæ sapientiæ fonte, vel Oceano potiùs fluxit.

Quòd si per temporum etiam differentias ire libet, & ex iis rerum genera distingvere; itidem videbis, nullum rerum genus a Deo ignorari. De præsentibus, quæ per se maximè sub cognitionem cadunt, nihil est opus dicere. His præterita sunt proxima. Ea sub cognitionem Dei cadere, nemo potest ignorare, qui nôrit, præterita Deum hinc inde in sacris literis recensere. Postulat id præmiorum ac pœnarum persolutio, atque inprimis universale illud judicium, quod per Christum est habiturus; in quo cuique pro præteritis ipsius factis, sive bonis, sive malis, redditurus est. Adde, quòd memoria Deo expressè in sacris literis tribuatur. ut cùm dicitur meminisse Testamenti aut juramenti sui. Etsi enim ideo potissimùm dicatur meminisse rerum, quia earum habeat rationem, eas curet, aut propter eas aliquid faciat: hoc tamen ipsum facere non posset, nisi res illas teneret ac nosset. Quòd verò Deus factorum quorundam dicitur oblivisci, aut, ut peccatorum oblivisci velit, rogatur; metonymiam in obliviscendi verbo esse constat: qualem etiam in verbo contrario usurpari jam indicavimus. Quemadmodum enim meminisse eorum dicitur, quorum rationem habet, quæque curat: ita contrà eorum oblivisci, quorum rationem habere non vult, & quę extra curam suam quodammodo ponit. Homines enim eorum rationem habere non possunt, quorum obliviscuntur; contrà, quorum sunt memores, eorum, si cæteroqui curam aliquam requirere videantur, rationem habere solent; aut viceversa ob id ipsum, quia eorum rationem habent, eorum diligenter meminerunt. Inde ergo factum est, ut meminisse sumatur pro curare, oblivisci pro negligere, ac extra curam suam ponere. Ex eodem fonte & illi manârunt loquendi modi, ut Deus dicatur rerum quarundam recordari, aut res aliquæ ascendere vel venire in memoriam ante Deum: nempe quia Deus, qui eas aliquando non curare visus esset, earum rationem habere, & ipso id opere testari velit. Non infrequens enim est Hebræis, ut vocibus ad sensum aut intellectum pertinentibus, pro verbis actionem voluntatis aut affectum significantibus utantur. Et ne longè abeamus, tum id fit, cùm Deus aut Christus dicitur [a] nosse eas sive res, sive, quod frequentius est, personas, quas amet, probet, ac pro suis agnoscat; aut [b] prænosse eos, quos antea elegerit. Itaque cæteros a Deo aut Christo non cognosci vel expressè dicitur, vel apertè significatur; cum tamen eosdem alioquin

Psal: 105. 8, 42: 106. 45. Luc: 1. 72.

vide inter multa alia Psal: 13. 2: 42. 13. Ier: 31. 34. Ezech: 18. 22, 24: 33. 13. Os: 1. 6: 4. 6.

Psal: 109. 14, 15. Act: 10. 4. Apoc: 16. 19.

a Psal: 1. 6. Amos 3. 2. Nah: 1. 7. 1 Cor: 8. 3. 2 Tim: 2. 19. b Rom: 11. 2. 1 Pet: 1. 20.

quin optimè nôrit. Nam cùm v.g. Deus dicit ad Israelitas: *Tantummodò vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ.* an non significat, se nullam cæterarum cognationum terræ cognovisse? Christus autem expressè ait, se aliquando dicturum impiis, *Nunquam novi vos*, aut simpliciter, *Nescio vos*, non quia eos propriè loquendo non nôrit, sed potiùs quia eos optimè nôrit, ac sciat, qui sint, & quibus sint præditi moribus. Dicet enim: *Discedite a me qui operamini iniquitatem.* Quare quia eos noverit esse homines impios, ideo nunquam eos se dicet novisse; ut *non nôsse* scientiæ propriè dictæ effectus sit & indicium, non ignorantiæ.

d. l. Am. 3.2.
Mat: 7.23.
& 25.12.

Quod denique attinet ad res futuras; illas etiam Deum nosse, apertissima sunt in sacris literis documenta. Rectè quidam ex veteribus scriptum reliquit, *Præscientiam Dei tot habere testes, quot fecit Prophetas.* Etsi enim Prohetæ loquuntur etiam de præsentibus & præteritis, dum hominum facta, verbi gratiâ, reprehendunt; magis tamen eorum proprium est futura, & alia incognita atque occulta divino spiritu patefacere; nec quisquam eorum extitit, quorum monumenta sunt reliqua, qui futuri quippiam non annunciârit. Similiter & in N.T. vaticinia non pauca legimus, quibus etiam maxima Apocalypseos pars dicata est. Hac futurorum prænotione Deus inter alia sese a fictitiis Diis vult discerni, & se solum pro vero Deo agnosci, quia solus futura annunciare possit, ac reipsa annunciet, Gentium dii non possint. Patet id ex Esaiæ non uno loco. Et inter cætera quidem ita alloquitur commentitia illa Gentium numina: *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quòd dii estis vos.* Nullũ ergo rerum genus excipitur, quod Deus cognitum non habeat. Illud autem vix monere necesse est, Deum non universalia tantùm, seu rerum genera, sed & singularia habere cognita: cum cura, providentia ac gubernatio divina, ad quam judicium de uniuscujusque factis, & præmiorum distributio, pœnarumq; inflictio pertinet, circa singularia maximè versetur: & nimis apertum sit, Deum de rebus singularibus, præsentibus, præteritis, ac futuris, in sac. literis loquutum.

Tertull: l. 2. cont. Marcionem.
Esa: 41. 22,23,26. c. 44 7,8. c. 48 3,5,6,7, 14, & al.

Postquam ergo vidimus, quid de amplitudine objecti divinæ scientiæ sacræ literæ asserant, aut ex iis colligi queat; sequitur, ut aliquantò accuratiùs rem declaremus. Dictum autem est, Deum *omnia* scire, etiam alioquin abstrusissima. Quemadmodum verò, cùm dicitur, Deum omnia posse, ea intelliguntur omnia, quæ sub potentiam ullam cadunt, seu quæ naturâ suâ sunt possibilia: ita etiam cùm dicitur, Deum omnia scire, intelligenda sunt omnia scibilia, seu

Cap: XXIV. De Sapientia Dei.

lia, seu omnia, quæ sub scientiam ullam cadunt. Scibilia autem sunt, quæ entitatem, ut loquuntur, habent, sive respectu præteriti temporis, sive respectu præsentis, sive deniq; respectu futuri. Etsi enim etiam de non ente loqui soleamus, & porrò etiam illud aliquo modo intelligere: id tamen per se ac quà tale est, non magis intelligi potest, quàm tenebræ videri. Cùm enim non ens, præsertim simpliciter ita dictum, nihil prorsus sit; omnem mentis obtutum, quà tale est, effugit, & sub cognitionem non cadit. Cognoscitur tamen & æstimatur quodammodo ex suo opposito, hoc est, ex eo, quod est: quemadmodum tenebræ ex lumine. Sic & impossibilia quodammodo cognoscuntur ex possibilibus aut necessariis. Nam termini inter se aliqua ratione oppositi, ex quibus impossibilia veluti constitui finguntur, sunt, aut esse possunt. nisi fortè eorum alter sit planè negativus, qui itidem non nisi ex suo opposito intelligitur. Similiter & repugnantia terminorum revera est, in qua impossibilitatis ratio sita est. siquidem ea prohibet, quominus termini illi componantur, & sic res impossibilis revera existat. Sic duos esse Deos summos impossibile est. cognosci autem id ipsum potest, quia & quid Deus supremus sit, quatenus hîc necesse est, intelligitur, & quid duo sint; similiter etiam pugna inter istos terminos tacita intelligitur. & sic in cæteris. Iam verò entia alia sunt potentiâ tantùm, ut res qualicunq; modo futuræ; vel actu; in quorum posteriorum numero non præsentia tantùm, sed & præterita hîc ponimus. Horum quodlibet, prout entitatem habet, a Deo cognoscitur. Deus enim ita rem concipit, ut revera est. siquidem is nunquam fallitur. At cùm quis aliter rem concipit, quàm ea sese revera habet, errat ac fallitur. Quod ergo præteriit, ut præteritum concipit & novit Deus; similiter præsens, ut præsens; possibile aut futurum, ut possibile aut futurum; idque vel simpliciter, vel sub quadam conditione. Porrò cùm possibilia, si latè hoc nomen sumatur, in duplici sint differentia: alia enim ita sunt possibilia, ut necessariò etiam sint futura; alia non necessariò, sed contingenter tantùm; quæ posteriora plærumque simplici possibilium nomine intelligi solent: quodlibet istorum, prout sese reipsa habet, cognoscit Deus, ob rationem jam dictam. Necessariò ergo futura concipit, ut necessariò futura; contingenter futura, ut contingenter futura. Contingentium autem futurorum hæc est ratio, ut possint etiam non fieri. Ob hoc ipsum enim contingenter futura dicuntur, & necessariis opponuntur. Quare cum in se adhuc sint indeterminata, & in utramq; partem aliquo modo indifferentia ac veluti fle-

xibilia; Deus etiã illa novit, ut indeterminata, & in utramq; adhuc partem flexibilia. Diximus autem, illa *aliquo modo* esse indifferentia, non prorsus absolutè ac simpliciter. Quia etsi omnia ejus generis ita sint comparata, ut & fieri possint, & non fieri; ferè tamen fit, ut in alterutram partem magis inclinent; hoc est, ut vel verisimilius sit illa futura esse, quàm non futura; vel contrà. Ejus autem rei ratio omnis latet in caussis. Futura enim entitatis suæ rationem totam à caussis suspensam habent; & ideò possibilia sunt, quia caussæ extent, quæ eas producere, utut fortè longa effectuum serie interveniente, possint. & alia rursus certò ac necessariò futura sunt, quia causæ tales extant, quæ necessariò ea sint producturæ; alia non necessariò, quia caussæ non extent necessariò ea producturæ. Quòd si ergo causæ sint, quæ magis in id inclinent, ut agant, & effectum producant, quàm ut non producant; effectus etiam ipse magis futurus censetur, quàm non futurus. verbi gratiâ, si nubes cogantur densæ, quæ jamjam videantur pluviam emissuræ; contingenter quidem futura est pluvia; sed magis tamen censetur futura, quàm non futura; nisi evidens appareat impedimentum caussis illis pluviæ validius. Similiter etiam in contrarium se res habet. ut, hominem aliquem validum ac vegetum ad vesperam usque non moriturum, quàm moriturum, verisimilius est; licèt mori interea possit. Et Græci quidem, ut ea, quæ certò futura sunt, ab iis distingvant, quæ sint verisimiliter futura; illa quidem ἐσόμενα vocant, aut vocare lingvæ suæ convenienter possunt; hæc verò μέλλοντα. quam distinctionem tradit ipse Aristoteles in libello de Divinatione per somnum. Caussam enim reddens, cur quædam somnia, res futuras portendentia, reipsa non eveniant; ait, somnia ejusmodi esse similia signis illis, ex quibus futuras tempestates, pluvias, aut ventos, conjectare solemus, quæ tamen non semper eveniunt. si enim contingat, ut potentior aliquis motus vim caussarum tempestatem minantium impediat non respondet eventus signo illi. quo pacto & multa rectè ab hominibus decreta effectu suo carent, valentiori caussa impediente ὅλως γὰρ (inquit) οὐ πᾶν γίνεται τὸ μελλῆσαν, οὐδὲ τὸ αὐτὸ τὸ ἐσόμενον, καὶ τὸ μέλλον. quæ ita reddidit interpres: *Omnino enim non omne fit, quod futurum erat. neque idem Quod erit, & Quod futurum est.* Quorum duorum, nempe τοῦ ἐσομένου, ejus *Quod erit*, & τοῦ μέλλοντος, ejus *Quod futurum est*, hæc est differentia, ut illud certò, ac porrò necessariò sit futurum; hoc verisimiliter tantùm. Itaque illiu

que illius planè determinata est veritas; hujus non item. Hinc illud etiam determinatè cognosci potest; hoc non item: & si quis hoc posterius determinatè mente concipiat, & futurum credat, fallitur. Aliter enim rem concipit atque est. Eadem autem ratio est etiam oppositi, hoc est, ejus, quod non est μέλλον aut ἐσόμενον. Quia verò ea, quæ propriè sunt μέλλοντα, seu verisimiliter eventura, nonnunquam ad ἐσόμενα, seu certò ac necessariò futura, proximè accedunt; ideo quod ad verba attinet, sæpè ea confunduntur. & ne Græci quidem, in vulgari præsertim sermone, ea semper discernunt. Fit autem id propterea, quia vis caussarum quarundam impediri difficulter, si a Deo non inhibeatur, possit. Quantò autem difficiliùs vis caussarum impediri potest; tantò effectus accedit ad τὰ ἐσόμενα propiùs. Sunt enim τὰ ἐσόμενα, ut diximus, quæ certò ac necessariò eventura sunt, ac porrò non possunt non fieri. At quantò difficiliùs vis caussarum impeditur, tantò effectus ad ea, quæ non possunt non fieri, accedit propiùs. Difficultas enim impossibilitati vicina est, & quidam ad eam veluti gradus. Vnde de rebus, quæ difficulter admodum impediri solent, dicere vulgò solemus, impossibile esse quin eveniant: & de eorum contrariis, hoc est, factu admodum difficilibus, impossibile esse ut eveniant. Quidni ergo illa simpliciter futura aut eventura dici queant, quæ difficulter impediri possunt; aut contrà non futura vel eventura, quæ vix fieri queunt? Idem de cæteris etiam est judicandum, quæ valde probabile est vel eventura, vel non eventura. Cum ergo Deus omnia, prout reipsa se habent, cognoscat; ἐσόμενα, seu certò futura, cognoscit ut talia; similiter & μέλλοντα, ut μέλλοντα, seu verisimiliter eventura, pro ratione caussarum, unde pendent. Eodem modo & ea, quæ in medio sunt constituta, & velut in æquilibrio pendent, ut talia novit. Quòd si dicas, illum ut ἐσόμενα concipere ea, quæ tantùm sunt μέλλοντα, aut etiam prorsus media seu indifferentia; eum dices falli ac errare. Itaque inconsideratè illi faciunt, qui futura contingentia Deum determinatè scire ajunt, quia aliàs non esset omniscius: cùm potiùs ideo illa determinatè futura non concipiat, quia est omniscius, & in rebus cognoscendis nunquam errat, nunquam non verum intellectu concipit. Veritas enim conformitas est seu convenientia intellectûs cum re ipsa. Qui ergo ea, quæ reipsa sunt indeterminata, aut non simpliciter futura, concipit ut determinatè ac simpliciter futura; ejus intellectus cum re non convenit, sed ei potiùs adversatur, ac

Cap: XXIV. De Sapientia Dei.

tur, ac porrò fallitur. Itaque qui ad eum modum omniſcientiam Dei urgent, perinde faciunt, ac ſi quis diceret, quia Deus omnipotens eſt, ideò eum etiam ægrotare poſſe. Nam ob id ipſum omnipotens non eſſet, ſi ægrotare poſſet. Diximus autem jam antea, omniſcientiam Dei ad omnia ſcibilia extendi, quemadmodum omnipotentia ad omnia poſſibilia. & quemadmodum huic nihil detrahitur, cùm ad impoſſibilia extendi negatur: ita nec omniſcientiæ, cùm negatur ad ea extendi, quæ ſcibilia naturâ ſuâ non ſunt, ſeu ſub nullam ſcientiam cadunt. Talia autem ſunt futura contingentia determinatè ſumta.

Etſi autem hæc ſententia veriſſima eſt, & non modò cum omniſcientia divina non pugnat, ſed etiam ad eam ſtabiliendam omnino pertinet: tamen, quia ab illis, quibus præjudicatæ opiniones ad veri cognitionem obſtant, acerbiſſimè ferè oppugnari, & impietatis accuſari ſolet; operæ pretium eſt pluribus eam confirmare, & inſignem ejus in re pietatis ac religionis uſum oſtendere. Tantum enim abeſt, ut ea cum religione ac pietate ulla ex parte pugnet, ut religio ſine illa defendi nequeat, utpote quam ſententia contraria vi ſua penitus convellit. Nam ſi omnia futura, qualiacunque ſint, Deo ab omni æternitate determinatè cognita fuiſſe contendas; neceſſe eſt ſtatuere, omnia neceſſariò fieri, ac futura eſſe. Vnde ſequetur, nullam eſſe aut fuiſſe unquam humanæ voluntatis libertatem; ac porrò nec religionem. Quin & ipſi Deo arbitrium, ſeu voluntatis libertas neganda erit. quod nil eſt aliud, quàm Deum negare Deum eſſe. ut alia nunc reticeam abſurda, ex eo dogmate in Deum redundantia, inferiùs, quantum inſtituti noſtri ratio feret, commemoranda. Nam ſi omnia determinatè ab æterno fuerunt Deo cognita; nihil in rerum natura erit, quod abſolutè ſit contingens, ſed omnia erunt neceſſaria. Abſolutè autem contingens dico, quod habita ratione omnium cauſſarum, a quibus pendet, contingens eſt, hoc eſt, non tantùm ratione cauſſarum ſecundarum, a quibus fortè proficiſci queat; ſed etiam ratione cauſſæ primæ, hoc eſt, Dei: ita ut ſimpliciter poſſit vel fieri, vel non fieri. Sunt enim qui contingentia quidem dari in rerum natura fatentur; ſed tantummodo reſpectu cauſſarum ſecundarum aut proximarum, a quibus illa proficiſcantur; non reſpectu cauſſæ primæ. Nam reſpectu hujus omnia neceſſariò fieri volunt: reſpectu autem cauſſarum ſecundarum contingenter: nempe quia, ſi cauſſæ illæ per ſe ac ſuâ naturâ conſiderentur, indifferentes ſint, hoc eſt, poſſint & agere, & non agere: quatenus autem a

prima

prima caussa dirigantur, aliter agere non possint, quàm agunt. Itaque reipsa necessariò agunt; non quidem necessitate naturali ac interna; sed necessitate externa, quæ nimirum pendeat a caussa prima. De tali contingente hîc non agimus; quia id revera ad necessaria pertinet, utut fortè necessitas illa ignoretur a caussis secundis in actione versantibus: sed de eo, quod absolutè contingens est. Iam verò nullum absolutè contingens in rerum natura esse potest, si eorum est & semper fuit determinata veritas, secundùm quam a Deo ab omni æternitate potuerint cognosci, atque adeò cognita fuerint. Quicquid enim semper est, semperque fuit, necessarium est, ut suprà jam alicubi monuimus. Quod si ergo omnium rerum veritas jam ab omni æternitate fuit definita; necessaria est, nec aliter sese habere potest. Simul autem & caussas rerum omnium ab omni æternitate ad suos effectus determinatas fuisse necesse est. Nam & dispositio caussarum ad rerum numerum pertinet. Qui ergo v. g. peccat, is jam ab omni æternitate ad id determinatus fuit, ut peccaret. Vnde consequitur nullam esse illius culpam. Si qua enim illius esset culpa, in eo esset, quòd sese ad hunc effectum, nempe peccatum, disposuisset ac determinasset. Atqui jam dispositus ad eam rem fuerat, antequam esset. Quòd si quis nihilominus contendat, posita determinata rerum omnium ab æterno veritate, aliquid absolutè contingens dari; is non videt, duo inde secutura impossibilia. Prius est, idem simul fore & possibile, & impossibile. Nam si absolutè contingens est; potest aliquid & fieri, & non fieri; & sic utrumvis contradictoriorum verum esse. At si futurorum contingentium determinata est veritas, semperq; fuit; non potest utrumvis cõtradictoriorum verum esse aut fieri. Etenim si determinatè verum est, rem non futuram; verum esse non potest, rem futurã. Aliàs id, quod determinatè verum est, posset fieri falsum; & contrà falsum posset fieri verũ. In exemplo res fiet manifesta. Si ab æterno determinatè verum fuit, Adamum esse lapsurum; fieri non potuit, ut non laberetur; ac proinde id contingens ampliùs non fuit, vel potiùs nunquam fuit, sed necessarium. Nam si dicere velis, potuisse eum nihilominus non labi, etiamsi determinatè verum esset, eum lapsurum; ponamus id, quod possibile dicis, fuisse in actu, hoc est, Adamum, stante determinata veritate ejus rei, quòd lapsurus reipsa fuerit, non fuisse tamen reipsa lapsum: nónne inde sequetur, id quod determinatè verum fuerit, falsum esse; & contrà, quod determinatè falsum fuit, verum extitisse, hoc est, contradictoria simul esse vera?

Ex quibus etiam alterum impossibile facilè ostendi potest, quod ex determinata illa contingentium futurorum veritate consequi diximus. Id autem est, fieri posse, ut Deus non semel, sed infinities etiam erret ac fallatur. Nam si alterum futurorum contingentium determinatè verum est, ac porrò ab omni æternitate determinatè cognoscitur; & nihilominus tamen contingens est; fieri poterit, ut aliter eveniat, quàm Deus cognoverit. nisi enim aliter evenire possit, jam contingens non ampliùs est. Vnde etiam contingentia, cùm reipsa fiunt, contingentia esse desinunt. Quodlibet enim, dum est, necessariò est. siquidem fieri non potest, ut dum est, simul non sit. aliàs contradictoria simul essent vera. Quare cùm ista impossibilia sequantur; necesse est vel negare, ullum esse in rerum natura absolutè contingens, sed omnia necessariò fieri; vel fateri, illa determinatè cognosci, quàm diu sint futura contingentia, non posse. quod posterius nos volumus. Quod si autem prius illud eligas, & omnia necessariò fieri dicas; jam nec Deus aliquid liberè unquam egit, vel agit, sed omnia fecit, facitq; necessariò: nec magis imperat ac gubernat, quàm cœlum, dum movet inferiora. Frustra ei preces adhibentur, ut aliquid boni faciat, aut mala avertat: cùm non possit aliter agere, quàm agit. nisi dicere velis, eum etiam precibus nostris cogi posse, & eum aliter facere non posse, quàm oremus; & rursus nos necessariò cogi, ut ita oremus; quæ necessitas non nisi a prima causa provenire potest. Ita in circulum redibimus; & Deus nos coget, nos Deum. Præterea quicquid uspiam est impietatis, id a Deo primùm, & quidem immutabiliter proveniet, & non nobis ipsis exitii nostri caussam, aut diabolo debebimus imputare, sed, quod dictu horrendum est, Deo. Adde, quòd, ubi talis necessitas est, nec ullum verum peccatum est, nec meritum pœnæ. Extra culpam enim est, qui nullo modo aliter agere potest, quàm agit. Itaque nulla erit vera impietas, nulla ejus pœna. calamitas esse aliqua poterit, quæ etiam innoxium premat. Hos & similes alios fructus parit absolutè contingentium negatio. Omnia sursum deorsum vertenda erunt, omnis religionis ac pietatis ratio tollenda, si omnia fieri necessariò dicas.

Sed dicet aliquis; nunc quidem nihil ampliùs esse, quòd absolutè contingens dici possit, postquam Dei decreto omnia sint definita: veruntamen ante decretum Dei ea fuisse indefinita, ac porrò liberè a Deo postmodum determinata. Quare libertatem ipsius Dei hoc pacto in dubium non vocari. Non enim Deum negari esse libe-

Cap:XXIV. De Sapientia Dei.

esse liberum, etiamsi post decretum jam factum aliter agere non possit; modò liberè decretum fecerit. Hæc si quis dixerit, primùm ex eo quærere libet, an credat revera, tempus aliquod fuisse, quo res illæ nondum fuerint decreto Dei definitæ; an verò putet, nullum extitisse tempus, quo illæ determinatæ non fuerint. Si prius; necesse est, ut etiam agnoscat, tempus aliquod fuisse, quo illæ ne a Deo quidem determinatè cognitæ fuerint. siquidem omnis earum determinatio a libero Dei decreto, postmodum demum subsequuto, pependit. Si posterius; frustra dicit, ullum dari aut datum fuisse in rerum natura contingens: siquidem nullum fuit tempus, quo res decreto Dei definitæ, & sic necessariæ non fuerint. Et frustrà in illis, quæ ab omni æternitate extiterunt, libertas fingitur. cùm ea omnia absolutè necessaria sint. Nam vel causam nullam prorsus habent, vel non nisi necessariò agentem. Deinde etiamsi dicas, Deum liberè omnia decrevisse, sive ab omni æternitate id factum velis, (id quod seipsum evertere jam diximus) sive certo demum tempore; non effugies tamen omnia ea, quæ antea ex negatione contingentium deduximus, absurda; sed etiam ex parte augebis. Etenim primùm dicendum erit, Deum jam omni sese libertate ab eo tempore abdicasse, quo decretis suis res omnes, alioqui contingentes, determinavit. Itaque ne hilum quidem movere aut facere ampliùs poterit, quàm moveat atq; agat. siquidem contra decreta sua facere ampliùs nil possit. Hoc autem quid est aliud, quàm Deum jam olim potestate illa, quam liberrimā esse vidimus, se abdicasse, & nunc inevitabili necessitati in omnem ęternitatem subjectum ac mancipatum esse? Quid verò id est aliud, quàm eum se simul & Deitate sua quodammodo abdicasse? Deinde summa impietas ei, per summā impietatem tribuenda erit, quòd cum aliter facere posset, decreverit tamē ut & omnes omnino homines peccarent, & maxima eorum pars in peccatis ad extremum usque perseveraret, utque tot passim flagitia, tot nefaria scelera designarentur. Quanquam, ut antè monuimus, in tanta necessitate peccandi, quod peccatum ampliùs erit? Sibi contradicit, qui quempiam necessariò peccare dicit. Si enim peccat, poterat non peccare. Nam in eo vera peccati ratio consistit, quòd quis malè agat, cùm posset non agere. Qui verò poterat non peccare, non necessariò peccat. Quid ergo? in illum omnis redibit culpa, qui liberè decreverit, ut ea omnia, quæ peccata dicuntur, necessariò committerentur. Ipse nempe Deus sanctissimus, fons & origo vera omnis impietatis erit: eidemque, licèt

justissi.

justissimo, summa injustitia, licèt benignissimo, summa crudelitas erit adscribenda; siquidem eos æternis suppliciis mactare velit, qui aliter facere non possint, quàm agant; & ob id ipsum quidem, quia id agant, quod ut agerent, ipsemet immutabiliter decreverit. Quanquam simul & seipsum ad inutilem laborem, quàm diu hic mundus durat, damnasse censendus erit; qui tantò gravior est quantò meliùs cognitum habet, id, quod quærit, præstitu impossibile esse. Nam cum homines omnes ad resipiscentiam perpetuò vocet, & multa, ut illi convertantur, faciat; necesse est, ne contingentiæ locus esset ampliùs, ut ab æterno decreverit, se ista facturum. Simul tamen decrevisse statuendus erit, ne unquam hujus suæ curæ fructum consequeretur, ac consequi posset. Deum & naturam nihil frustra facere, Ethnici etiam viderunt: quia eum viderunt sapientem, a quo & natura pendeat. At si illa sententia vera est, non tantùm frustrà, sciens scilicet ac prudens, agit Deus, sed ut necessariò frustrà ageret, ipse sciens prudens decrevit. Sequitur etiam inde, Deum liberum arbitrium nec angelis, nec hominibus unquam dedisse, nec dare salvis suis decretis potuisse. Qui enim necessariò & vult & agit, quicquid vult & agit, is libero arbitrio præditus non est. Tales autem omnes & angelos & homines perpetuò fuisse necesse est, omni contingentiâ, ut vocant, divino decreto sublatâ. Sed nolo in absurditate atque impietate, quâ dogma illud fœcundum est, explicanda esse prolixior; præsertim quia de eo alibi in hoc opere disputabitur. lib: 5. cap: 17.

Antequam autem ulteriùs progrediamur, refellendæ nobis sunt vulgares quædam exceptiones adversùs ea, quæ hucusque disputavimus. Plærique enim, cùm audiunt, nos ex sententia illa vulgari de præscientia futurorum contingentium colligere, Deum auctorem fore peccatorum nostrorum, dicere solent, non ideo illa futura esse, aut fieri, quia Deus ea præsciverit: sed ideo Deum ea præscivisse, quia futura essent. quo pacto nos cras Solem oriturum prævidemus, aut astrologus eclipsin futuram novit; licèt nec nos ortûs solaris, nec astrologus eclipseos sit caussa. Ideo enim illa prævidentur, quia futura sunt: non contrà. Sed qui ita respondent, nodum non tangunt, nedum ut solvant. Neque enim nos aut ponimus, aut ex vulgari illa sententia colligimus, ipsam præscientiam divinam peccatorum nostrorum caussam esse: sed ex ea, tanquam effectu quodam colligimus, Deum ejúsve decretum, ut aliarum rerum, ita & peccatorum caussam fore. Ita namque ratiocinando progredimur, ut primùm ex determinata futurorum

contingentium præscientia, quæ ab æterno in Deo fuisse creditur, colligamus, ipsa illa contingentia jam ab omni æternitate determinatè futura fuisse. Ex hoc deinde concludimus, ab æterno jam extitisse eorum omnium caussam, ad hos effectus determinatam. Hujusmodi autem caussa, quæ ab omni æternitate extiterit, nulla præter Deum ejusque decretum excogitari potest. Rectè autem nos ita colligere, & his veluti gradibus ad conclusionem hanc extruendam accedere, facilè intelligitur. Nam quod ad prius attinet; qui ita excipiunt, ipsimet asserunt, Deum ideo præscivisse futura, quia futura essent, intellige determinatè. Quod verò ad posterius; cum res futuræ ab omni æternitate nondum extiterint, nec extare potuerint; in seipsis etiam determinatæ esse non potuerunt. Non entis enim nulla est affectio. In caussis ergo suis, sive pluribus, sive una, quæ ab omni æternitate jam extaret, determinatæ fuerunt. Ex quibus patet, quàm dissimile sit exemplum hominum, vel ortum Solis, vel eclipsin, vel quidvis aliud, ab ipsis minimè pendens, providentium. Etenim cùm illi talia prævident, caussas eorum cernunt extra se jam existentes, ad hos effectus determinatas. At ab æterno nullam ejusmodi caussam rerum futurarum Deus cernere potuit præter seipsum.

Ajunt deinde, Deo omnia, quæ unquã fuerint, aut futura sint, perpetuò esse præsentia, atq; adeo jam ab omni æternitate præsentia fuisse. Itaq; Deũ res futuras non in caussis tantùm suis ab omni æternitate vidisse, sed etiam in seipsis. At si ita se res habet, necesse erit, res omnes ab æterno jam extitisse. Nam si non fuerunt, Deo præsentes esse non potuerunt. Non entis enim, ut antea dictum, nulla est affectio. adde, quòd hac ratione præscientia rerum Deo neganda esset, ut quidem fecerunt celeberrimi quidam auctores, hac ipsa ratione usi, quòd Deo nihil sit futurum, sed omnia præsentia. præscientia enim non nisi futurorum est. Est autem hæc sententia cum illo errore colligata, quem suprà satis refutavimus, quòd Dei æternitas quolibet momento tota existat. Adde, quòd nihilominùs sequitur, caussam peccatorum non in homine residere, sed in Deo. Homo enim efficere non potuit, ut vel ipsemet Deo ab æterno præsens esset, vel ea, quæ suo tempore esset acturus. Quare aliam ejus rei caussam, & quidem ab omni æternitate existentem fuisse necesse est. Quod autem effecit, ut omnia Deo ab æterno essent præsentia, effecit etiam, ut ea simpliciter essent. Cum non aliam ob caussam Deo res sint præsentes, quàm quia revera sint. Quæ autem caussa efficiens excogitari potest ab omni æternitate

August: lib: 2. ad Simplic: quæst: 2. Gregor: lib: 20. Moral: c. 23. citante Becano.

sup: c. 18.

ternitate exiſtens præter Deum? Quòd ſi quis illā vulgi ſententiā quòd Deo omnia ab omni æternitate fuerint præſentia, ita interpretetur, ut dicat, ea non in ſeipſis Deo fuiſſe præſentia, ſed eum omnium tam certam ſemper habuiſſe cognitionem, ac ſi reipſa ei fuiſſent præſentia; is, ſi dictum hoc etiam ad futura contingentia extendat, id ipſum pro conceſſo ſumet, quod in controverſia hîc verſatur, eſtque a nobis jam ſatis refutatum.

Ajunt etiam, Dei ſcientiam infinitam eſſe, ideoque omnia tempora ſupergredi, & quod in fine mundi v. g. futurum eſt, eum jam ab omni æternitate reipſa vidiſſe. Sed quemadmodum potentia Dei infinita eſt in genere poſſibilium, non impoſſibilium: ita & ſcientia Dei infinita eſt in genere ſcibilium; non eorum, quæ ſub ſcientiam naturâ ſuâ non cadunt, qualia ſunt futura contingentia determinatè ſumta. & contradictionem implicat, aliquid ab omni æternitate reipſa jam viſum eſſe, & ab omni æternitate nō extitiſſe. cùm nihil reipſa videri poſſit, nec eo tempore, quo nōdum eſt.

Sed jam ulteriùs progrediendum eſt, & tum veritas, tum utilitas ſententiæ noſtræ aliis adhuc rationibus oſtendenda, repetitis breviter iis, quæ ſunt a noſtris alibi hac de re dicta. Oſtenſum enim ab illis eſt, cum vulgari ſententia de præſcientia futurorum contingentium, non obſcurè pugnare quædam ſacrarum literarum loca: cum noſtra autem non pugnare ea, quæ pugnare aliis videantur. Nam quod ad prius attinet; quomodo, poſitâ illâ futurorum contingentium præſcientiâ, quæ Deo vulgò tribuitur, rectè explicari poterit id, quod in Geneſi legimus, Deum, viſâ hominum malitiâ, *pœnituiße, quòd hominem feciſset in terra?* Etſi enim tropum ſubeſſe pœnitendi verbo agnoſcimus, ut ſuo loco intelligetur: dici tamen non poteſt, Deum propterea pœnituiſſe, quòd creaſſet hominem, quia id contigerit, quod certò futurum eſſe jam tum viderit, cùm hominem crearet. niſi dicere velis, vel mutabilem revera eſſe Deum, quem ejus rei pœnituerit, cujus eum antea, cùm eaſdem cauſſas haberet videretque, non pœnituiſſet vel eum etiam tum pœnituiſſe, quòd crearet hominem, cùm crearet; imò & antequam crearet. Quod tantò magis ſtatuendum erit, ſi dicas, Deo omnia perpetuò eſſe præſentia. Hoc enim pacto eum & tum, cùm homines crearet, & ab omni æternitate ejus rei pœnituit, & in æternum pœnitebit. quia non minùs ab omni æternitate illam hominum malitiam præſentem habuerit ac viderit, & in omnem æternitatem ſit viſurus, quàm tunc, cùm illi homines viverent, & ſcelera graviſſima patrarent. Eadem ratio & i.

Gen: 6. 6, 7.
inf: cap: 31.

lius e[illegible]

lius est loci, in quo asseritur, Deum pœnituisse, quòd Saulem constituisset regem. 1 Sam: 15. 11, 35. Deinde, quo pacto dici posset Deus expectare hominum illorum resipiscentiam aut pietatem, qui id nunquam præstant, quod Deus expectare dicitur? qua de re inter alia ipse Deus apud Esaiam ita loquitur: *Quid fieri potuit ampliùs vineæ meæ*, (h. e. populo Israelitico) *& non feci ei? Cur* (sic est in Hebræo) *expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Esa: 5. 4. & paulò pòst iterũ: *Expectavi* (Hebr. *expectavit*) *ut faceret judicium, & ecce iniquitas* (Hebr. *plaga* aut *vulnus*) *& justitiam, & ecce clamor*. Quo enim pacto potest quispiam dici id expectare, quod in nulla prorsus spe habet, quódq; non eventurũ planissimè intelligit, imò jam reipsa videt?

Sunt præter hæc & alia sac. scripturæ loca, quæ cum illa sententia aut omnino pugnant, aut non satis rectè consentiunt. Etsi enim satis habent vulgò dicere, in iis humano more de Deo scripturam loqui; quod ne nos quidem usquequaque diffitemur, præsertim in quibusdam: nimis tamen longè a propria verborum significatione recedendum est, & sententiarum vis enervanda, si eas cum definita illa futurorum contingentium præscientia conciliare velis. Talis est non ille tantùm locus, in quo anthropopathiam libenter agnoscimus, cùm Deus de Sodomitis & Gomorrhæis loquens ait: *Descendam, & videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: an non est ita, ut sciam:* Gen: 18. 21. sed & ille, ubi Abrahamum ita per angelum alloquitur: *Nunc cognovi, quòd times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* ib: c. 22. 12. Quicquid enim aliàs de utriusque loci sententia statuas; illud tamen facilè est cernere, Deum novum quoddam atque insigne experimentum, illic quidem impietatis Sodomiticæ & Gomorrhææ, videre voluisse, hîc verò pietatis Abrahamicæ vidisse, quod antequam fieret, planè certum & exploratum non esset. Et quia actus ille voluntatis, qui ad istud experimentum requirebatur, in Sodomitis quidem ac Gomorrhæis pars quædam fuit & veluti complementum impietatis, in Abrahamo autem timoris Dei ac pietatis; ideo dici potest, Deum eatenus, illic quidem impietatem hominum, hîc verò pietatem Abrahami tunc cognovisse, cùm ista fierent. Cui rei & illud consentit, quod de Abrahamo initio illius historiæ scriptum est, nempe, quòd eum Deus *tentârit*, seu experimentum pietatis ipsius capere voluerit: quod alibi quoque in scriptura sacra de Deo respectu aliorum hominum dicitur. Sic enim ait inter alia Deus ipse ad Mosen: *Egrediatur populus, & colligat quæ sufficiant per singulos dies, ut tentem eum, utrùm ambulet* (seu ambulaturus sit, Exo: 16. 4.

vel ambulare velit) *in Lege mea, an non.* & Moses ad populum: *Adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te, atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo versabantur, utrùm custodires* (seu custodire velles) *mandata illius, an non.* Insignia sunt & illa Dei verba in libro Iudicum expressa: *Ego non delebo gentes, quas dimisit Iosue, & mortuus est: ut in ipsis experiar Israel, utrùm custodiant viam Domini, &c. an non.* quæ sententia repetitur cap. sequenti. Illud certè negare nemo nisi pertinacissimus potest, hæc & similia loca cum nostra potiùs sententia, quàm cum adversa consentire. Quare nemini mirandum est, eam nos defendere sententiam, quæ non modò evidentissima ac planè cogente nititur ratione, sed & sacrarum literarum auctoritate stabilitur, & earum verbis adeo est consentanea.

Devt: 8. 2.

Iud: 2. 21, 22.

3. 4.

Neque verò est, quòd quis putet, eam pugnare cum aliis non paucis scripturæ locis, ex quibus futura contingentia a Deo prævisa aut prædicta esse appareat. Nam primùm vel bona illa sunt, quæ prævisa dicuntur, vel mala, h. e. turpia atque illicita, vel denique per se media atque indifferentia. Si bona, aut indifferentia; nihil prohibet, ea Deum simpliciter fieri decrevisse; atque adeò, cùm contingentia antea essent, ea jam porrò necessaria evasisse. quod etiam de illis statui rebus potest, ad quas actum voluntatis humanæ accedere est necesse. Nihil enim prohibet, Deum in hac illáve re necessitatem imponere homini volendi id, quod turpe non est, relicta ei in cæteris plærisque libertate. Quòd si autem talia simpliciter decernere potest Deus; multò magis sub conditione. Nam de actionibus etiam malis ac per se illicitis, aliquid in futurum sub conditione decernere Deus potest: quantò magis de bonis aut naturâ suâ mediis? Simpliciter atque absolutè nunquam Deus decernit ea, quæ per se mala sunt, præsertim antequam paratam ipsius hominis malitiam inveniat: sed sub conditione, quâ positâ demum absolutum evadit decretum. Quòd si hominem sive unum inveniat, sive plures jam sponte sua improbos, eorum malitiâ uti ad consilia sua exsequenda solet, & de iis nonnihil decernit, quod sine peccato ab iis fieri non potest. Sed nec hujus generis decreta conditione carere solent, utut ea non semper exprimatur; ac porrò nec planè sunt immutabilia, nisi fortè tum, cùm ad rem ipsam ferè ventum, aut jam accedendum est. qua de re cap. seq. plura dicentur. Deinde non pauca futura prævidentur aut prædicuntur, non tanquam ἐσόμενα, sed tanquam μέλλοντα

h. e. non

h. e. non tanquam omnino futura, ſed tanquam veriſimiliter extitura. & non malè dixeris, interdum non tam id aſſeri, rem, de qua ſermo eſt, eventuram, quàm cauſſas extare, quæ effectum illum portendant, & ſecuturum eſſe ſvadeant. Quin etiam verba, quæ prædictionum formam habent, nonnunquam cohortationum aut dehortationum vim potiùs habere deprehenduntur. Id ſanè, quod aſſerimus, communi loquēdi conſvetudini eſt conſentaneum. Nam de iis, quæ tantùm ſunt μέλλοντα, ſæpè ſine ulla temeritatis nota ita loquimur, ac ſi eſſent ἐσόμενα, ſeu omnino futura. ut cùm de iis ſermo eſt, quæ jam jam futura videntur, licèt ea ab arbitrio humano adhuc pendere norimus, nec ignoremus, multa inter calicem, quod dicitur, & ſuprema labra cadere poſſe. Sic ſi conſtet, virum aliquem bonum ac fidei tenacem, pecuniam habere præſentem, quam alteri jam jam perſolvere & debeat, & ſe omninò velle dicat; quis dubitat dicere, eum id facturum, & certò quidem facturum, præſertim niſi Deus ipſe impediat? At in ipſius adhuc poteſtate eſt, voluntatem mutare: & intervenire poſſunt alia, quę effectum impediant. Solemus nimirum tum, cùm illa futura, aut etiam certò futura eſſe dicimus, eam certitudinem intelligere, quæ in rebus humanis locum habeat; adeò ut ſermo noſter materiæ ſubjectæ accommodari, & pro eius ratione intelligi debeat. Itaque non ſine tacita quadam conditione verba ſua, de re contingenti & in futurum ſpectante elata, cordati potiſſimùm viri accipi volunt, perinde ac ſi dixiſſent, niſi quid interveniat inuſitatum aut inopinatum. Quis dubitet rectè, verbi gratiâ, locutum eſſe Paulum, cùm de Timotheo ad Corinthios ſcribit, eum ipſis in memoriam revocaturum vias ipſius in Chriſto; licèt res non eſſet prorſus neceſſaria ac immutabilis. Neque enim credibile eſt, Paulum ideo id dixiſſe, quia ipſi divinitus patefactum fuerit, ita Timotheum omnino facturum; ſed quia cauſſas ejus rei partim in Timotheo, partim extra ipſum videbat, planè veriſimiliter illum effectum parituras. Videbat enim, illum & viarum ſuarum in Chriſto gnarum eſſe, & ea pietate præditum, ut Corinthiis ea re indigentibus, eas vellet in memoriam revocare, præſertim a Paulo monitus aut juſſus. Quis dubitet rectè loquutum atque argumentarum fuiſſe Moſen, cùm inter alia ita loquitur: *Ecce adhuc vivente me, & ingrediente vobiscum ſemper,* (Hebr. *ecce adhuc me vivente vobiscum hodie,*) *contentioſè egiſtis* (vel *agitis*) *contra Dominum: quantò magis cùm mortuus fuero?* At non erat tamen

1 Cor. 4. 17.

Deut. 31. 27.

id necessarium; & ne fieret, hac ipsa oratione curabat Moses. Eòdem referri debent & illa Pauli ad Philemonem: *Confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam & super id, quod dico, facies.*

§ 21. Quæ verba ita sunt comparata, ut dum ait Apostolus, se scire, ita Philemonem facturum, eum ad id faciendum non obscurè hortetur. nec immeritò dixeris, propè magis Apostolum hortari, ut id faciat Philemon, quàm asserere, id eum facturum. Nam alioqui rem non prorsus certam sive necessariam fuisse, ipsæ indicant preces, quas in eadem epistola Paulus Philemoni admovet. Non absimilia sunt & illa ejusdem Apostoli ad Galatas: *Ego confido in vobis in Domino, quòd nihil aliud sapietis.* Nam dum fiduciam ac spem de illis suam exprimit, ad eam implendam illos hortatur. (Gal: 5. 10.)

Hæc si jungantur illis, quæ suprà diximus de ratione, quâ res futuræ sub scientiam, ac porrò sub Dei præscientiam cadant, facilè intelligi poterit, nihil esse in scriptura, quod determinatam illam ac planè certam futurorum contingentium præscientiam Deo tribuendam esse demonstret. Sine ea enim defendi possunt & explicari omnia, quæ de præscientia futurorum in sac. literis dicuntur, omnesque adeo de rebus futuris prædictiones. Rectissimè Deus dicitur *annunciare ventura* seu *futura*, id quod falsi Dii nequeant. (Vid: Esa: 41: 44: 48. capp.) *Ventura* enim simpliciter non dicuntur ea, quæ adhuc sunt planè indifferentia seu indeterminata, & non magis futura, quàm non futura: sed ea tantùm, quæ aut certò, aut saltem admodum verisimiliter eventura sunt. Ea verò omnia Deus novit, ac porrò etiam annunciare potest: vel quia ipsemet ea decrevit; vel quia eorum caussas, utut aliis omnibus adhuc incognitas, videt, quas vel promovere, vel impedire in ipsius est arbitrio situm. Itaque & illa prævidet Deus, quæ naturâ suâ sunt contingentia, &, si decretum ipsius absit, certò futura non sunt. de quo rerum futurarum genere inprimis loquitur scriptura, cùm earum cognitionem ac prædictionem Deo uni tribuit, falsis autem diis adimit. Has enim non modò ipsi illi fictitii Dii, cum revera non extent, annunciare non possunt; sed ne dæmones quidem, qui sub commentitiorum Deorum nominibus sese olim venditare, ac credulis hominibus colendos obtrudere sunt soliti; ac porrò nec falsi fictorum numinum vates. partim quidem, quia Dei decreta ignorant, antequam ea Deus aliqua ratione patefaciat; partim quia alias occultas rerum futuraram caussas pervidere non possunt; & utut tandem nonnullas videant, aut ipsimet quippiam apud se moliantur; nihil tamen certi prædicere de ipso effectu possunt. quandoquidem

Deus

Deus tum ipsorum consilia, tum omnium aliarum caussarum vim impedire potest. an autem impedire velit nec ne, certò illi scire nequeunt, utut interdum conjecturâ nonnihil assequantur.

Hinc etiam perspicitur, rectissimè Deum dici *absconditorum cognitorem, qui omnia nôrit antequam fiant*, hoc est, antequam reipsa eveniant. Novit enim ea in intimo etiam caussarum suarum recessu, & nominatim in hominis pectore adhuc latentia. Patet etiam, jurè eum aliquando ita de Abrahamo dicere potuisse: *Scio quòd præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini.* Quia enim noverat, eum esse virum pium ac justum; prorsus verisimile erat, fore, ut ita filiis suis præciperet; præsertim & novo beneficio ab ipso, arcana ei consilia sua revelante, obligatus, & his ipsis verbis, ut id faceret, monitus. Diximus autẽ, potuisse ita Deũ loqui; non, omnino ita loquutum: quia in Hebræo ita legitur: *Novi enim eum* (Abrahamum,) *ut præcipiat filiis suis*, &c. quod ita viri Hebraicę lingvę & sac. lit. peritissimi explicant: *Novi eum esse hominem pium, iustum, & docilem; non, inquam, celabo eũ, ut præcipiat filiis suis*, &c. Quorum virorum sententiâ non dicit Deus, quid facturus sit Abrahamus; sed, in quem finem ipsemet ei velit patefacere consilium suum; & cur eum sibi finem proponat, ac verisimiliter consecuturum judicet; nempe quia Abrahamum noverit, hoc est, ejus pietatem optimè habeat cognitam. Hæc enim eum impulsura erat, ut amici cujusdam instar ad notitiam arcanorum Dei consiliorum admissus, diligenter præciperet filiis suis, ut, quæ Deo tam beniguo placerent, in omni vita sequerentur. Intelligi etiam potest, quo pacto Deus olim prædixerit Mosi, fore ut populus ipso mortuo fornicaretur post Deos alienos, & irritum faceret fœdus, quod cum eo pepigerat. siquidem ejus rei rationem ipse affert: *Scio enim cogitationes ejus, quæ facturus sit* (Hebr. *quid ipse faciat*) *hodie, antequam introducam eum in terram, quam ei pollicitus sum*, seu, ut est in Hebræo, *juravi*. Si enim, ut suprà vidimus, Moses ex populi illius contumacia, ante oculos ipsius jam tum versante, ejusdem rebellionem post mortem suam collegit secuturam; quantò magis id Deus facere poterat, qui corda omnium penitus nôrat? Quid mirum, eum aliorum quoque populorum, aut aliquorum indefinitè hominum, quorum operâ ad decreta sua perficienda sit usurus, futuram malitiam prædixisse? Quòd si enim nos homunciones videre facilè possumus, ni Deus singulari quadam ratione malitię cursum impediat; tum populos quosdam, tum aliquos indefinitè homines fore pessimos, idque post multa

Dan: 13. 42.
Gen: 18. 19.
Franc: Vatabl.
Deut. 31. 16, 20.
℣ 21.

secula, si tam diu duraturus sit mundus; quid de Deo cogitandum est? Intelligi similiter & illud potest, quo pacto Deus Davidi olim quærenti, utrùm cives Ceilæ ipsum in manus Saulis sint tradituri, si eo in loco ad illius usque adventum persistat, responderit, eos tradituros. Eorum enim animos ita comparatos esse cernebat Deus, ut Davidem advenienti ac urgenti Sauli essent tradituri. & idipsum etiam revera tantùm quærebat David: non verò, quis omnino secuturus esset eventus. Aliàs facilè cogitare poterat, si nil aliud impediret, quominus eum Sauli traderent, Deum impedire posse. Quærebatur ergo περὶ τ͂ μέλλοντος, de re probabiliter eventura, atque adeò magis de dispositione animorum Ceilensium, & vi caussarum, quæ effectum illum pariturae essent, quàm de ipso eventu. Eodem modo & illud est intelligendum, quod Christus dicit, si ea miracula Tyri & Sidone facta fuissent, quæ ipse certis quibusdam in locis ediderat, urbes eas olim in cilicio ac cinere pœnitentiam acturas fuisse. nempe quia minùs contumaces fuerint Tyriorum & Sidoniorum animi, quàm Iudæorum illorum, qui tot Christi miracula vidissent: adeo ut omnino credibile esset, Tyrios & Sidonios, stupendis Christi factis commotos, ad frugem redituros fuisse. De aliis quibusdam scripturæ locis, quæ cum nostra sententia pugnare cuipiam videri possunt, agemus cap. seq.

1 Sam: 23. 11.

Mat: 11. 21, & d.

Expectabit hìc fortè quispiam, ut explicato scientiæ divinæ objecto, aliquid addamus de modo, quo ea circa illud versetur. Verùm id, quod a nobis utiliter hac de re dici posse videtur, propè totum in iis continetur, quæ partim hucusque de scientiæ illius objecto, partim superiùs de intellectu divino disseruimus. Neque verò necessarium est modum scientiæ divinæ nosse, modò de re ipsa constet. Sacræ sanè literæ, ut suprà jam diximus, id maximè inculcant, ut credamus, Deum omnia nosse, etiam occultissima, atque inprimis ea, quæ ad homines gubernandos, judicandos, juvandos, aut contrà etiam plectendos pertinent: de cognitionis illius modo vel tacent, vel pauca loquuntur, & obiter tantùm rem attingunt. Illud fortè ad modum quispiam retulerit, quo res etiam longissimè dissitas cognoscat Deus, quod apud Zachariam legitur, cui in visione septem lucernæ super candelabro aureo fuerant ostensæ: *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram.* de quibus & in Apocalypsi legas. Nam & cap. 4. ait Iohannes, se inter alia vidisse *septem lampades ardentes ante thronum,* nempe Dei, *qui sunt septem spiritus Dei.* & cap. 5. agnum, quem viderit, describens ait, eum *habuiße cornua septem, & oculos septem:*

c 4. 10.

℣ 5.

℣ 6.

qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. quibus in locis ad Zachariæ verba alludi, facilè quivis perspicit. de iisdem septem Dei spiritibus legitur etiam cap. 1. ubi ab iis quoque gratiam & pacem Ecclesiis septem Asiaticis precatur Iohannes, & eos in conspectu throni Dei esse affirmat: & cap. 3. ubi Christus ita inter alia se describit, quòd habeat illos septẽ Dei spiritus. Verùm quia inter sac. literarum interpretes nondum satis constat, quid spirituum istorum nomine intelligatur; & plærique oculos nõ ideo dici existimant, quia Deus aut Christus per eos res longè dissitas videat ac cognoscat, sed quia per eos nobis prospiciat, nosque curet; ideo nos quoque rem in medio relinquemus, certi, sacram scripturam hominibus piis crucem hîc non fixisse, nec ab iis exigere, ut ista omnino intelligant. ℣ 4. ℣ 1.

Solet autem hoc loco distinctio explicari scientiæ divinæ a Scholasticis tradita, in naturalem, liberam, & mediam. Etsi verò non omnes eodem prorsus modo eam explicent; eò tamen ferè res redit, ut naturalem aut necessariam Dei scientiam statuant illam, quâ is tum seipsum suaque attributa naturalia, tum res omnes possibiles, quà tales, ab æterno cognoverit. Liberam, quâ res a libera ipsius voluntate pendentes, vel olim simpliciter futuras præscivit, vel nunc existentes novit. Liberam autem ideo vocant, quia cum ipsarum rerum existentia a libero volũtatis divinæ actu pendeat; consequenter ipsam quoque scientiam inde pendere necesse est, nec simpliciter esse Deo necessariam. Scientia enim ab ipsa rerum existentia sive præsente, sive præterita, sive aliquando demum futura pendet, eamque, ut loquuntur, præsupponit. Quòd si ergo hæc non est simpliciter necessaria, nec illa erit. Mediam autem scientiam statuunt, quâ Deus sub conditione novit, quid futurum sit aut fuerit. v. g. quid Tyrii aut Sidonii fuissent facturi, si miracula illa inter ipsos fuissent edita, quæ in his illísve Iudæorum urbibus a Christo edita fuerant. quæ scientia ex necessaria & libera veluti mixta est: unde & media dicitur. Nam partim res aut futuras, aut jam existentes spectat, partim possibiles: quorum hoc cum necessaria scientia commune habet, illud cum libera. Sed hæc ita libasse nobis suffecerit. Si quem enim ea distinctio in rebus sacris usum habet, eum percipere illi quoq; poterunt, qui vel hęc pauca cognoverint. Si quis tamẽ plura desideraverit, adire poterit Scholasticos, & alios, qui de attributis divinis disputant.

Veniendum nunc est ad alteram sapientiæ divinæ partem, quam practicam esse, & Sapientiæ nomine in sac. literis potissimũm de-

signari solere diximus. Etsi verò eam dicere posses vel scientiam, vel facultatem omnia & consilia & opera aptissimè disponendi, ac porrò etiam perficiendi: ex quibusdam tamen sacrarum literarum locis apparet, Sapientiæ nomine actum potiùs intellectus divini significari, quo omnia aptissimè constituat, ac perficiat, atque adeò consvetudinem quandam summa cum ratione, ordinéque convenientissimo omnia & decernendi, & porrò etiam exsequendi. Salomon certè, cùm in Proverbiis Sapientiam introducit loquentem, & ea sibi tribuentem, quæ divinæ sapientiæ magis sunt propria, tanquam de divino quodam effectu loquitur. Ita enim illa de se ait: *Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio*, (Hebr. *ex tunc*, sive *ab eo tempore:*, *ab æterno* (Hebr. *a seculo*) *ordinata sum, & ex antiquis* (Hebr. *a principio*) *antequam terra fieret: nondum erant abyssi, & ego jam concepta* (Hebr. *formata*) *eram: nec dum fontes aquarum eruperant; nec dum montes gravi mole consliterant; ante colles ego parturiebar* (Hebr. *formata sum.*) Vbi vides, sapientiam dicere, se fuisse ordinatam & quidem a principio, se fuisse conceptam aut formatam. quin & illa verba *Dominus possedit me*, in versione interlineari Ariæ Montani, quæ Operi etiam Regio est inserta, ita videas reddita: *Dominus acquisivit me*. Nam & hanc significationem habere verbum Hebraicum, quo Salomon utitur, omnes ejus lingvæ non ignari nôrunt. Nec mirum, Græcos interpretes ita locum vertisse: *Dominus creavit me*. quod imitatus est & Siracides, dum ita Sapientiam introducit loquentem: *Ab initio ante secula creata sum:* & paulò antè: *Conditor universi mandatum mihi dedit, & creator meus domicilium meum constituit*, ut ex Græco locum recentiores quidam interpretes verterunt. & cap. 1. dixerat idem Auctor: *Prior, vel prima omnium creata est sapientia*. Vnde etiam non defuerunt viri doctissimi, qui verba illa Salomonis ab Arianis ad Filium Dei detorta esse conquesti, censuerunt, de ea tantùm sapientia, quæ hominibus a Deo communicata ac patefacta fuerit, h. e. de verbo Dei, aut cognitione voluntatis ipsius, in verbo ejus comprehensa sermonem hîc esse. Hanc sapientiam a Deo ante seculo veluti formatam ac mente ejus conceptam, ab eo postmodum in homines dimanasse. Cui sententiæ vehementer favere videntur Siracidis verba, qui cùm Salomonem sequutus Sapientiam introduxisset laudes suas prædicantem, subjicit: *Hæc omnia liber vitæ, & testamentum altissimi, & agnitio veritatis. Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum, & hæreditatem domui Iacob, & Israel promissione.*

Prov: 8. 22, & d.

Sir: 24. 14.

ỽ 12.

ỽ 4.

vid. Philipp: Melanchthon ad locum Prov: 8. 22. & ad cap: 3.

Sir: 24. 32, 33.

De Sapientia Dei.

siones. vel, ut est in Græco: *Hæc omnia liber sunt testamenti Dei altissimi, Lex quam mandavit nobis Moyses,* [*quasi*] *hæreditatem in congregationibus Iacob.* Vnde & suprà dixerat, Deum sapientiæ præcepisse, ut in Iacobo habitaret, & in Israële acciperet hæreditatem. Illud certum est, ideo & Salomonem & Siracidem tantopere commendasse Sapientiam, ut ad eam discendam ac comparandam homines incitaret. ut dubitandum non sit, utrumque præcipuè de illa sapientia laborare, quæ a Deo in homines proficiscitur, & cum illis communicatur. Interea tamen & illud ex utriusque dictis apparet, ut tantò major atque illustrior sit sapientiæ hujus commendatio, eam cum divina, utpote genere quodammodo eâdem, conjungi, & sic de utraque in genere, seu abstractè, ut loquuntur, ita dissεri, ut nunc ea illi tribuantur, quæ divinæ, nunc illa, quæ humanæ, a Deo tamen veluti a fonte suo profectæ, magis sunt propria. id quod doctissimus quidam inter Pontificios Proverbiorum Salomonis interpres eruditè in Commentariis suis explicuit: qui proinde & illud unà cum aliis quibusdam animadvertit, Salomonem per prosopopœiam de sapientia loqui, quasi esset persona aliqua, & res a Deo ac hominibus distincta. Quia enim, ut idem scribit, cap. 7. introduxerat Salomon mulierem procacem, invitantem ad se juvenes sermone blando & petulanti; cap. 8. e regione ejus convenienter introducit sapiẽtiam, velut alteram mulierem, invitantem homines ad se sermone, qui meritò efficacior esse deberet, cùm ex personæ invitantis probitate, integritate, & excellentia, tum ex fructu, quem adfert sequentibus se. Ad excellentiam autem & antiquitas pertinet, ac natalium splendor, & res præclarè gestæ. Ideo in verbis illis cap. 8. Prov. quæ ab initio adduximus, & sequentibus, Sapientia & antiquitatem suam, & natalium splendorem, & opera sua insignia ad sui commendationem adfert, seque ante mundi creationem a Deo formatam asserit; apud eum se in deliciis fuisse; operibus ejus omnibus adfuisse; coram eo, ut filioli aut filiolæ teneræ coram parentibus solent, lusisse. nimirum quia Deus sapientissimo suo consilio omnia ita pulchrè ab ipso statim initio constituit & construxit, ut operibus ipse suis delectaretur, videns ea esse valde bona, & ad id, quod quærebat, aptissima. Inde porrò ait, se lusisse in orbe terrarum, & delicias suas fuisse, atque adhuc esse, cum filiis hominum. nempe quia Deus eâdem sapientiâ in regendis ac gubernandis hominibus usus semper fuerit, & eam cum hominibus libenter communicaverit, atque adhuc communicet, & vehementer cupiat, e-

Cornel: Iansenius S. Theol. Lovanii Professor, design: Episcopus Gandensis.

vid: quæ dicat ad Prov: 8. 1, & 22.

℣ 22.

am ipſorum animis penitùs inſertam. Similem proſopopœiam de ſapientia invenies ſuprà cap. 1. 20, & d. quin eadem ratione contrariam ſtultitiam introducit Salomon inſtar perſonæ cujusdam cap. 9. nempe poſt abſolutam hanc, de qua agimus, proſopopœiam. Plura hac de re dici poſſent, ſi id inſtituti noſtri ratio ferret. nec tamen omittenda hæc fuerunt, ut & nobiliſſimus hic locus de Sapientia agens, quem vulgaris interpretatio tenebris involvit, aliquid lucis acciperet, & illud intelligeretur, quod ſuperiùs aſſeruimus, Sapientiam hanc, quæ in efficiendo atque agendo eſt occupata, alicubi ſaltem pro effectu quodam intellectus divini ſumi. quod meritò etiam ſtatui poteſt de illis Pauli verbis, ubi ſapientiam Dei multiformem vocat, eamque ab illo demum tempore principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam, ſeu ea, quæ circa Eccleſiam fierent, innotuiſſe ſignificat.

Ephes. 3. 10.

Diximus autem jam ſuprà, hanc ſapientiam omniſcientiâ Dei niti, & ex ea veluti enaſci. Cum enim ea partim in conſiliis, partim in ipſis actionibus rectè ac convenienter inſtituendis cernatur; quid ad eam rem illi deeſſe poteſt, qui omnia habet exactè cognita? Siquidem ad conſilia rectè inſtituenda requiritur, ut & finis proponatur bonus; & media deligantur, ac modus illis utendi, ad finem obtinendum aptiſſimus, ſive ſimpliciter, ſive illi, qui conſilium exſequi debet. Ad actiones autem rectè inſtituendas id ſolum eſt neceſſarium, ut quod rectè conſtitutum eſt, aut inter agendum conſtituitur, eodem modo fiat, nec quicquam per errorem omittatur. Ad hoc verò quid deeſſe poteſt illi, qui omnia penitus novit, qui quid bonum, quid malum, quid melius aut deterius, quid ad quamque rem accommodatius, aut minùs accommodatũ, quæ rerum vires, quis cauſſarum atque effectuum nexus, quis ordo, quæ circumſtantiæ ſingulorum, penitùs habet exploratum? Quo autem pacto in ſingulis operum generibus verſetur hæc Dei ſapientia, id explicare hujus loci non eſt. Pertinet enim id, quatenus ad religionem ſpectat, ad tractationem Operum divinorum, ex quibus & de conſiliis judicare licet. De operibus autem Dei in ſequentibus libris agetur.

Illud tamen hîc monendum videtur, Deum ad conſilia ſua exequenda non ſemper ea adhibere media, quæ ſuâ naturâ ad rem perficiendam ſint aptiſſima ac validiſſima: ſed ſæpè etiam ea, quæ per ſe imbecilla atque inepta eſſe videantur, & nonnunquam ei, quod agere inſtituit, quodammodo contraria. Neque interim a ſapientiæ lege quicquam diſcedit. Ipſe enim mediis per ſe invali-

dis robur,

dis robur, ineptis aptitudinem indere, & omnia in contrarium flectere facilè potest: & quò media videntur esse, imò per se suâque naturâ sunt ad rem perficiendam minùs idonea, tantò sæpe sunt ei, quod Deus spectat, aptiora. Solet enim id sæpe quærere Deus, ut ratio consiliorum suorum minùs quidem initio pateat; tandem verò, ubi res perfecta fuerit, tantò magis appareat, a divina eā manu fuisse profectam, non humanis viribus, non naturali aliqua ratione perfectam. Ita enim fit, ut nihil sibi laudis humana potentia decerpat, nihil humanum ingenium sibi arrogare queat; imò potiùs ii, qui sapientiæ opinione tument, & ad carnalis prudentiæ rationem res divinas exigunt, stulti evadant, seque ipsi consiliis suis implicent. Quia enim aliâ longè viâ ad scopum sibi præfixum progreditur Deus, quàm illi putarent esse progrediendum, imò ratione utitur carnalibus illorum consiliis planè contrariâ; inde fit, ut Dei consilia, licèt certissimis documentis comprobata, non modò non assequantur, sed etiam tanquam prorsus inepta repudient, & porrò, cùm ea non sequantur, interitum sibi accersant voluntarium. quod quid est aliud, quàm ob sapientiam stultum fieri, & nimiùm intelligendo facere, ut nihil intelligas? Hac de re non pauca disserit Paulus in tribus primis Epistolæ prioris ad Corinthios capitibus, ut alia nunc scripturæ loca prætercam. Atque hanc divinæ sapientiæ rationem in rejectione Iudæorum, conversione autem Gentium, cùm considerasset atque explicuisset idem Apostolus ad Romanos scribens, admirabundus [a] exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles (seu impervestigabiles) viæ ejus! Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso* (Gr. *in ipsum*) *sunt omnia: ipsi gloria in secula. Amen.*

vid: cap: 1. 18, & d. usque ad finem capitis. c. 2. 6, usque ad finem cap: c. 3. 18. vide etiam Esa: 29. 14. a cap: 11. 33, 34.

Restat nunc, ut de usu hujus doctrinæ dicamus. Is verò est admodum insignis & necessarius. Nam quod ad omniscientiam divinam attinet; ideo ea animis nostris penitus infixa esse debet, primùm ut Deo sive futura nobis prædicenti, sive alia occulta nobis patefacienti, indubitatò credamus: quandoquidem falli nequaquam possit ob omniscientiam; uti nec fallere, ob immutabilem sanctitatem, cujus pars est veracitas ac fides, de qua in sequentibus. Deinde, ut Deum, prout par est, revereamur, cū metu ac pudore, cum summa animi simplicitate ac sinceritate ei serviamus, & non externa tantùm facta, hominumque oculis subjecta, sed & occulta.

occulta, atque adeo ipsa animi cogitata ad ejus præscriptum componamus. Hoc enim tum demum faciemus, si firmiter crediderimus, omnia cernere vindicem Dei oculum; non factum nostrum ullum, non dictum, non consilium animi, ipsum latere; omnia nuda atque resupinata coram oculis ejus esse. Quis enim tam sanctum numen non revereatur? quis ausit aliquid indecori, nedum impii, vel animo concipere, vel ore proloqui, vel opere designare, qui se in Dei oculis versari semper cogitet? qui cogitet, eum, cùm leges non tantùm factis nostris, sed & cogitatis præscripserit, & præmia iis ac pœnas constituerit, eorundem arbitrum esse, & nullo alio teste indigere, sed ipsum certissimum simul esse testem, & judicem justissimum. Quis item ausit aliud lingvâ promtum, aliud pectore clausum habere, & in fidei aut pietatis ratione ulla uti simulatione, qui Deum corda nosse, & non faciem, ut homines solent, sed animum spectare intelligat? Nulla igitur impietas, nulla securitas, hypocrisis nulla locum ibi habet, ubi firma est de omniscientia Dei persvasio ac fides. Hanc qui habet, is demum credet vera esse, quæ sacræ literæ testantur, Deum occulta hominum per Iesum Christum esse judicaturum; & porrò Christum, qui a Deo constitutus est judex vivorum ac mortuorum, ut munus hoc rectè obire possit, scrutari corda ac renes, & aliquando illuminaturum abscondita tenebrarum, & manifestaturum consilia cordium, & tunc laudem fore unicuique a Deo.

Rom: 2.16. Act: 10. 42. Apoc: 2. 23. 1 Cor: 4. 5.

Sed deinde non tantùm ad metum numinis nobis incutiendum, sed etiam ad animos nostros consolandos, & spem nostram fovendam, consideratio omniscientiæ divinæ plurimùm facit. Nam primùm solatur nos adversus perversa hominum de nobis factisque nostris judicia, & varias, quæ de Christianis hominibus spargi semper consveverunt, calumnias, atque atrocissimas criminationes. Cum enim Deus omnia nôrit, non est metuendum, ne nobis iniqua hominum judicia apud ipsum noceant. Nullus in ipsius judicio falsus testis surgere, & opprimere quenquam calumniâ potest. Itaque modò mens recti sibi sit conscia, omnia hominum mendacia, obtrectationes ac calumnias contemnere potest, & innocentiâ se suâ involvere, in eâque securè conquiescere, & sperare, Deum innocentiæ vindicem, eam aliquando in apertum producturum. qua spe se nō semel solatur in [a] Psalmis David, & Deum innocentiæ suæ testem invocat, eiq; caussam suam committit. Huc etiam respicere videtur Christus apud [b] Matthæum, dum discipulos adversus hominum odia& contumelias obfirmat,

[a] Psal: 7. 9, & d. conf: & ỷ 4, & d. & Psal: 17. 1, & d. ult: & 18 21, & d. & 26. 1, & d. & 35. 23, 24. & 43. 1. & alibi.

[b] Mat: 10, 26.

& inter

& inter alia ait: *Nihil est opertum, quod non revelabitur; & occultum, quod non sciētur.* Deinde & eatenus nos solatur, ac spem nostram alit de omniscientia divina cogitatio, quatenus inde constat, Deum preces nostras audire atque intelligere, quocunque loco aut tempore fusas; nec preces tantùm verbis conceptas, sed & tacita animi nostri vota atque suspiria; quin etiam, ut Christus monet, antequam oremus, eum scire, quibus indigeamus rebus. Itaque etiamsi nec satis explicare oratione possimus, quid cupiamus; nec satis etiam intelligere, quid cupere debeamus; illud tamen nos solatur, quòd Deus & animi nostri sensa intelligere, & supra vota etiam nostra nobis consulere possit. Quò inter alia respiciens Paulus ait: *Nos quid oremus, sicut oportet nescire,* (loquitur autem de nobis infirmitate laborantibus, & sub persecutionum onere fatiscentibus) *sed ipsum Spiritum postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus: eum autem, qui scrutetur corda, scire, quid desideret spiritus: quia* (vel *quòd*) *secundùm Deum postulet pro sanctis.* Præterea solatur nos Dei omniscientia, quòd certò inde nobis constat, etiamsi morte quodammodo absorbeamur, & in omnium mortalium oblivionem veniamus, in oblivionem tamen apud Deum nos non venturos, & Dominum suos etiam post mortem nosse, ac planè in numerato habere eorum nomina, non secùs ac si in libris haberet descripta. Vnde & libri vitæ fit in sacris literis mentio, in quo nomina sint eorum descripta, qui cum pietate vixerint. quæ res licèt ad decreta divina propriè pertineat; pertinet tamen simul & ad omniscientiam, sine qua illa constare non possent. Pertinere huc videtur & illud Salomonis, cùm ait, *Infernum & perditionem esse coram Domino.* Id enim videtur dicere, Deum eos etiam exactè nosse, inque numerato habere, quos infernus absorpserit, quique jamdudum etiam perierint. Vnde colligit, multò magis coram ipso esse corda filiorum hominum, hoc est, hominum cogitationes ac consilia, quæ sunt adhuc præsentia. Denique nos erigit ac solatur omniscientiæ divinæ consideratio, quòd scimus, Deum etiam occultissima adversariorum nostrorum consilia, & clandestinas machinationes nosse. Itaque eas nobis, si cum pietate vixerimus, revera nocere non posse, sive eas detegere Deo placeat, sive alia aliqua ratione impedire, sive denique permittere, ut ad exitum perducantur. cum nihilominus pro sapientia sua efficere possit, ut quæ illi in perniciem nostram moliuntur, nobis fiant salutaria. qua in re etiam illa Sapientiæ pars, quam practicam appellari posse diximus, cernitur, cujus notitia ac certa in nobis fides

Mat: 6. 6, 7.
Rom: 8. 26, 27.
Phil: 4. 3.
Apoc: 3. 5: 20. 12. 21. 27: 22. 19.
Prov: 15. 11.

Sapientia Dei. fides quàm sit necessaria, quámque utilis, itidem paucis nunc est declarandum.

Primùm necessaria est ejus cognitio, ut iis, quæ de admirandis Dei operibus in sac. lit. prædicantur, fides indubitata possit adhiberi. Quia enim ea illorum est ratio, ut absque summa sapientia perfici non potuerint: unde nos ex iis, tanquam effectis, eam demonstravimus: si quis ei fidem adhibere nolit, eum simul necesse esset illis fidem derogare, quæ de præcipuis Dei operibus in sac. lit. scripta sunt. id quod sine certa pernicie fieri non potest. Deinde eò facit illius cognitio, ut firmiter credamus, Deum, etiamsi omnia ipsius promissionibus videantur obstare, & ad impedienda ipsius decreta conspirare; rationem tamen tenere, omnes difficultates facillimo negotio expediendi. facillimè illum omnia hostium suorum simul ac nostrorum cōsilia turbare posse: nullam esse sapientiam, nullam prudentiam, nullum consilium contra Dominum, quemadmodum sapientissimus mortalium olim dixit. quod etsi ad Dei potentiam spectet; spectat tamen etiam ad ejus sapientiam. Itaque vanos hostium suorum conatus ridere dicitur Deus, & apprehendere sapientes in astutia eorum, & consilium pravorum dissipare, efficereque, ut per diem incurrant tenebras, & quasi in nocte, sic palpent in meridie. Præterea & eò prodest de Sapientia divina notitia, ne quia rationes divinorum consiliorum non capimus, ideò ea spernamus ac repudiemus; néve ad carnalis atque animalis prudentiæ normam, divinam sapientiam exigamus. Quin potiùs, monente Paulo, stulti fiamus in hoc seculo, ut verè sapientes fiamus. siquidem sapientia hujus mundi apud Deum stultitia est: & quia in sapientia Dei (hoc est, per ea Dei opera, in quibus sapientia ipsius manifestè elucet) non cognovit mundus per sapientiam (nempe suam) Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis, h. e. per prædicationem, quæ hominibus animalibus, & nil nisi terrenum spirantibus, utut secundùm carnem sapientibus, stulta videatur, salvos facere credentes. Stultus enim est sapientibus illis sermo crucis, & Christus crucifixus, per quem nos Deus servare constituit. Sed cogitandum est, quod stultū est Dei, ut loquitur idem Apostolus, sapientius esse hominibus; uti &, quod infirmum est Dei, fortius esse hominibus. Quæ n. divinâ sapientiâ gubernantur, etiamsi ad rem, quam parat Deus, inepta, ac porrò stulta esse videantur, aptissima tamen sunt; & quæ invalida, divinæ potentiæ accessione fiunt validissima. Itaque illa quidem superant omnia, etiam acutissimorum hominum inventa;

Marginalia: Prov: 21. 30. — Psal: 2. 4. — Iob: 5. 12, 13. — 1 Cor: 3. 18, 19. — cap: 1. 21. — ib: ℣ 18, & 23. — ib. ℣ 25.

hæc omnes potentissimorum hominum molitiones. Quare non externam rerum divinarum speciem, certè non solam, sed multò magis vim earum reconditam spectare, & inde eas æstimare debemus. quam ad rem diligenti rerum examine ac judicio est opus. Hoc verò cum absque rationis usu nequaquam fiat; valdè inconsideratè illi faciunt, qui propterea, quòd divinissima quædam consilia prima fronte stulta videantur, & a sapientibus secundùm carnem repudientur, rationis usum a rebus sacris removent, eamq; in divinis non audiendam esse simpliciter asserunt. quod dum faciunt, id imprudentes agunt, ne quicquam rerum divinarum intelligamus, & absurdissima quævis dogmata nobis obtrudi patiamur. At non rationis usus, sed abusus istiusmodi scripturæ dictis tollitur; usus vel maximè præcipitur. Vnde enim tibi constare poterit, hæc divina esse, illa non esse? Argumenta sanè ac testimonia, ex quibus id constare possit, non nisi rationis beneficio intelliguntur atque examinantur. Hanc ergo non destruit divina sapientia, sed eam & postulat, & perficit. Vnde & illud intelligitur, non eò usque extendendam esse hanc stultitiæ speciem, quæ in divinis rebus occurrat, ut etiam contradictoria nobis persvaderi patiamur. Hæc enim non in eorum sunt numero, quæ stulta tantùm esse videantur: sed omninò falsa sunt atque impossibilia, ut jam suprà alicubi monuimus. Eatenus nobis sapientissima quadam simplicitate utendum est, ut postquam ratione ac judicio adhibito deprehendimus, aliquid divinitus esse profectum, illud amplectamur, & divino consilio nos penitùs attemperemus, etiamsi carnis sensus maximè repugnet, & stultū esse homines pro sapientibus habiti clamitent. Talia sunt, velle Deum homines per crucem atque ignominiam ad summam felicitatem ac gloriam, & per ipsa inferni, ut ita dicam, claustra, in cœli adyta perducere: & per similia mala decuisse religionis ac salutis nostræ ducem, ad supremum gloriæ fastigium ascendere. ac porrò in Christum aliquando crucifixum, & tam ignominiosa morte e vivis sublatum, omnibus, qui servari velint, esse credendum. Hujusmodi enim sermonem stultum ex hominum sapientum opinione vocat Apostolus; qui tamen & reipsa est sapientissimus, & rem rectè æstimantibus talis apparet. Vnde idem Apostolus ait, *Christum crucifixum Iudæis quidem scādalum esse, Græcis, autem* (seu *Gentibus*) *stultitiam: ipsis autem vocatis, Iudæis atque Græcis Christum esse Dei virtutem, & Dei sapientiam.* quod etiam de sermone crucis ex parte suprà scripserat.

cap: [illegible]

d. l. 1 Cor: 1. 23, 24.

ib: v. 18.

Hic au-

Hic autem doctrinæ de Sapientia Dei usus in universa providentiæ ipsius ac gubernationis ratione patet latissimè. Multa enim occurrunt, in tanta præsertim rerum humanarum confusione ac perturbatione, quæ piorum ac robustorum etiam animorum fidem labefactare cæteroqui possent; præsertim antequam ii vel ex eventu, vel aliis ex rebus divinorum consiliorum rationes deprehendant. atque illud inprimis, cur impiis benè, piis malè esse videatur. quæ res & Asaphum aliquando turbavit, ut ipsemet de se Psalmo 73. testatur; quin & Hieremiam, qui ea de re quodammodo expostulat cum Deo cap. 12. & ne quemquam hæc res turbet, monet Psalmo 37. David, interitum impiis certissimum denuncians, piis mercedem promittens. qua de re quia & nos nonnihil suprà monuimus, & alibi in hoc opere ex professo agetur; ideo plura de ea hîc dicere nihil attinet. cap: 6.

Illud adhuc ad usum hujus de sapientia divina doctrinæ addendum est: cum Deus ita sit sapiens, ut simul omnis sapientiæ fons sit; unde & solus dicitur esse sapiens; ab eo sapientiam, quâ plurimùm indigemus, petendam, quemadmodum & Iacobus monet: Iac: 1. 5. ei etiam omnem, si quam habemus, sapientiam, & maximè eam, quæ circa rem pietatis ac salutis occupatur, acceptam ferendam esse. Sic Daniel olim, cùm ipsi res occulta esset a Deo patefacta, dixit: *Sit nomen Domini benedictum a seculo & usque in seculum, quia sapientia & fortitudo ejus sunt*, & post pauca: *ipse dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam: ipse revelat profunda & abscondita, & novit in tenebris constituta, & lux cum eo est. Tibi Deus patrum meorum confiteor, teque laudo, quia sapientiam & & fortitudinem dedisti mihi*, &c. Verùm exempla eorum, qui vel sibi vel aliis sapientiam, ac inprimis divinæ voluntatis cognitionem a Deo petierunt, hinc inde in sacris literis occurrunt. Dan: 2. 20, & d.

Cap: XXV.

De Sanctitate Dei.

POstquam de Sapientia egimus, quæ intellectus divini propri[a] est perfectio; sequitur, ut de Sanctitate agamus, quæ volun[t]atis potissimùm est perfectio, seu mavis, bonitas. Potissimùm di[c]imus; quia aliquo modo ad totam Dei naturam extenditur. Com[]plectitur enim ea vox naturæ divinæ puritatem quandam: se[d] præcipuè significat eam voluntatis bonitatem, quâ fit, ut omne[s] Dei actiones rectæ sint, & ab omni pravitate alienæ. Hanc Iohan-

nes puri

nes puritatis voce intelligit, cùm Deum purum esse ait. Et sanè sanctum impuro inprimis opponitur; & quia vulgaria ac profana impura esse solent: ideò & vulgaribus, & profano usui expositis opponitur. Subest autem & alia sanctitatis voci ad Deum relatæ significatio, sed quæ ad hunc locum propriè non pertinet; cum sit aliorum etiam Dei attributorum, & maximè potentiæ & imperii summi atque infiniti, veluti consequens. Significat enim non rarò vox *sancti* de Deo usurpata idē, quod augustum, venerabile, inviolabile, uti ab aliis viris doctis est ante nos observatum. quæ significatio illic inprimis locum habet, ubi Deus non simpliciter sanctus, sed sanctus alicujus, verbi gratiâ, [a] Israëlis appellatur. quo pacto tum alibi sæpè, tum verò omnium creberrimè apud Esaiam nominatur. Itaque sanctus Israëlis significare videtur augustum ac venerandum Israëlis numen, gloriosum ac majestatis plenum. unde & [b] nonnemo interpretum recētiorum non semel *Augustum Israëlis* vertit. Sic & Habacus eum *sanctum suum* vocat, hoc est, sibi unicè colendum ac venerandum. In eadem significatione videtur ea vox accipi, cùm in scriptura sæpiùs [c] *sanctum Dei nomē* esse dicitur; ut nomen sanctum idem sit, quod augustum ac venerandum. Atq; haud scio, an & in illa acclamatione angelica, quæ apud [d] Esaiam cap 6. extat, & illâ quatuor animalium in Apocalypsi, quâ Deus sanctus appellatur, eademque vox ad summam sanctitatis illius perfectionem indicandam, & constantiorem rei asseverationem exprimendam, ter repetitur, *sancti* nomen pro augusto ac venerando ponatur; ut alia loca prætercam. Venerandus autem est Deus ob varias atque admirandas, quæ in eo elucent, proprietates, indeque profecta opera stupenda, atque adeo ob ipsam quoque sanctitatem, de qua hîc propriè nobis est institutus sermo.

Hanc autem ibi inter alia intelligunt sacræ literæ, dum Deum sanctum ita appellant, ut homines ad eum hac in parte imitandum hortentur. Sic in Levitico aliquoties inculcat Deus hæc verba, hisve similia: *Sancti estote, quia ego sanctus sum;* id nimirum monens, ne Israëlitæ, & inprimis sacerdotes ipsi consecrati, ulla in re sese contaminent, animásve suas polluant. Eadem verba & Petrus repetit, dum monet, ut *secundùm eum, qui vocavit nos, Sanctum, & ipsi in omni conversatione* (hoc est, in omnibus vitæ actionibus) *sancti simus: quoniam scriptum est, Sancti eritis* (Gr. *estote,*) *quoniam ego sanctus sum.* Hanc Dei sanctitatem metaphoricè quidem, sed satis tamen significanter describit Iohannes, dum ait: *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Si dixerimus, quòd socie-*

1 Ioh: 3. 3.

a vid: 4 Reg: 19. 22: Psal: 71. 22: 78. 41, 42: 89. 19. Esa: 1. 4: 5. 19, 24: 10. 20: 12. 6: 17. 7. 29. 19, 23: & alibi sæpe.

b Castellio.

Hab: 1. 12.

c vid: Lev: 20. 3. Ps: 99. 3: 111. 9. Ezech: 20. 39: 36. 20, & d & alibi. Luc: 1. 49.

d Esa: 6. 3. Apoc: 4. 8.

Exod: 15. 11. 1 Sam: 2. 2. Psal: 30. 5: 99. 3.

Levit: 11. 44, 45: & 19. 2: & 20. 25: & 21. 8. vide etiam Ios: 24. 19.

1 Pet: 1. 15, 16.

1 Ioh: 1. 5, 6, 7.

tatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus: si autem in luce ambulamus, sicut ipse (nempe Deus) *est in luce, societatem habemus ad invicem*. Vbi quidem *Lucis* nomine sanctitatem seu puritatem intelligi, contrà per *Tenebras* impuritatem, turpitudinem, pravitatem, quivis cernit. Est enim lux res purissima, tenebræ contrà impuritatis speciem habent. Cum ergo Apostolus ait, Deum esse lucem, perinde est, ac si dixisset, Deum esse ipsam sanctitatem, nempe ob summam sanctitatis, quæ in eo est, perfectionem. Quemadmodum enim per metonymiam scelus pro homine scelesto & valdè flagitioso ponunt Latini; ita Iohnnnes contrà lucem ponit pro lucidissimo, seu sanctitatem pro sanctissimo. quo modo idem Deus chatitas ab eodem Iohanne dicitur, quia maxima sit in eo charitatis abundantia & perfectio. Eâdem metaphorâ Iacobus Deum vocat Patrem luminum, quia nimirum & lucidissimus sit, hoc est, sanctissimus, & omnis lucis seu sanctitatis in hominibus fons & auctor: quemadmodum Sol siderum est & lucidissimus, & simul propè omnis, quæ in terris est, lucis fons & origo. Addit autem, *apud eum non esse transmutationem, nec vicissitudinis* (seu *conversionis*) *obumbrationem;* eum hac in parte & Lunæ, & Soli, quæ magna in sacris dicuntur luminaria, tacitè opponens. Nam Luna quidem mutabilis est, & nunc illustris, nunc obscura. Sol autem, licèt in se nunquam obscuretur, proprio splendore semper lucens; tamen ob sui conversionem, & in adversam cœli partem transitum, tenebras quodammodo inducit illi mundi parti, quam relinquit. At Pater ille spiritualis luminis, nec unquam in se obscuratur, aut lumine aliqua in parte deficit, ut Luna; nec Solis instar sponte sua a nobis discedit, ut quos semel suo lumine illustraverat, eos iterum tenebris involvat, hoc est, quos sanctitatis suæ fecerat participes, eos iterum vitiorum tenebris involat. Probat enim Iacobus, Deum, qui ipse malis non tentatur, seu ad malè agendum nunquam incitatur, nec alios tentare atque ad peccandum impellere: neque ita instabilem esse, ut quos semel donis suis cœlestibus complexerat, & sponte sua genuerat, ut primitiæ quædam ejus creaturarum essent, eos iterum peccatorum sordibus immergat, & invitos etiam ad scelera impellat.

1 Epist: 4. 8.

Iac: 1. 17.

Ex his autem apertissimè intelligitur, Deo eam, qua de agere instituimus, sanctitatem revera inesse. quanquam ea res probatione vix eget. Adeo enim id est rationi consentaneum, ut si quis dicere ausit, Deum non esse sanctum, id omnino dicere videatur,

deatur, vel potiùs revera dicat, Deum non esse Deum. Quî enim is, unde omnis, quæ in natura cernitur, bonitas pendet, ipse optimus non sit? Optimus autem quî esse possit, nisi sanctus justusque sit? Præterea, quî sapientis nomen mereretur absque justitia? Iustitiæ enim illius, de qua agimus, est id velle atque agere, quod dignitati atque excellentiæ naturæ intelligentis est consentaneum. ut autem id fiat, & sapientia omninò postulat.

Ex his autem, quid de sanctitatis divinæ natura statuendum sit, haud difficulter intelligitur. Diximus enim ab initio, eam tum naturæ divinæ puritatem, tum eam inprimis voluntatis bonitatem complecti, quâ fiat, ut omnes divinæ actiones rectæ sint. Posses fortasse definire, Naturalem seu necessariam Dei bonitatem. Analogiam cum ea habet aliquam honestas ac virtus humana. Et virtutum quidem nomen de Deo Petrus usurpare nihil est veritus: sed ea voce non tantùm sanctitatem ejus complectitur, sed & alia admiranda ipsius attributa, imò & eorum opera, quibus effectum est, ut ex ignorantiæ tenebris, in lucem veritatis traduceremur. qualia attributa sunt, sapientia, potentia, benignitas. Naturalem autem seu necessariam hanc Dei bonitatem esse dicimus, ut ab ea discernatur, quæ voluntaria potiùs seu libera est, & alio nomine benignitas dicitur. Et naturæ quidem divinæ puritas in eo consistit, quòd nihil in eam cadat, quod aliqua ratione indecorum sit, & labem aut maculam ei aliquam aspergere possit. quales sunt actiones quædam hominum, vel penitus, vel aliqua etiam ex parte necessariæ, illis cum brutis communes. a quibus natura divina tam longè abest, quàm quod longissimè. Addi potest & illud, quod tamen ad voluntatis bonitatem propiùs pertinet; quòd nihil in natura sit Dei, quod voluntatem ipsius ad quippiam pravum, iniquum, crudele incitet atque inclinet. Quin potiùs intellectus Dei, &, quæ ei inest, sapientia, voluntatem ad id, quod rectum est, semper inclinat. Id enim quod rectum est ac conveniens, intellectus semper cernit, & sequendum esse monstrat. voluntas autem divina intellectui, a quo pendet, sese applicat, nec quicquam ei adversum statuit. Quare naturalis voluntatis divinæ bonitas in eo cernitur, quòd in id, quod rectum est, semper prona est, ab eo autem, quod pravum est, quod turpe & indecorum, abhorret. Vnde porrò & singularum actionum, sive internarum, sive externarum a voluntate pendentium, manat rectitudo: ob quam Deus appellatur in sac. literis [a] rectus, aut [b] justus. quamquam justitiæ nomen Deo tributum a-

1 Pet: 3. 9.

a Psal: 25. 8: 92. 16. b Neh: 9. 33: Ier: 12. 1. Dan: 9. 7, 14. Soph: 3. 5.

butum aliter quoque sumitur, ut paulò pòst dicetur. Hanc Dei rectitudinem sive justitiam prædicat Moses dum ait: *Dei perfecta* (h. e. recta) *sunt opera*, *&* (Hebr. *quia*) *omnes viæ ejus judicium: Deus fidelis* (Hebr. *veritas*,) *& absque ulla iniquitate*, *justus & rectus*. & David: *Iustus Dominus*, *& justitias dilexit*: *æquitatem* (Hebr. *rectum*) *vidit vultus ejus*, h. e. libenter aspicere solet. Huc referuntur & illa ejusdem: *Iustus est Dominus in omnibus viis suis*, h. e. in omnibus suis actionibus; nisi cum doctis quibusdam viris hæc verba de beneficentia divina sumere malis. quia sequitur: *& misericors in omnibus operibus suis*. Sic enim legitur in Hebræo, nõ verò, ut ex Græco Latinus interpres vertit, *sanctus* in omnibus operibus suis. Solet autẽ *justitiæ* aut *justi* nomen ad Deum relatum tum alibi, tum verò præcipuè in a Psalmis non rarò ita poni, ut dubites, utrùm de beneficentia, an verò de ea justitiæ parte accipiendum sit, quæ in servandis promissis cernitur, & speciali nomine fides seu fidelitas dicitur. quia & res & locorum circumstantiæ utrumq; patiuntur. Interdum locorum circumstantiæ id potiùs postulat, ut de beneficentia intelligatur. Vnde & plurale nomen *justitiarum* pro beneficiis usurpatum [b] alicubi legas. De beneficentia verò hìc non agimus, sed de ea sanctitatis parte, quæ justitiæ nomen magis propriè meretur. Ea verò, ut notum est, duplici ratione sumitur: laxiùs & strictiùs. Laxiùs sumta, universalis dicitur; strictiùs, particularis. Vniversalis, ex sacrarum literarum mente acceptæ, est omnia ea facere, quæ fieri jure debent, seu quæ fieri jus atque honestas ipsa postulat, uti contrà non facere ea, quæ fieri jus atque honestas prohibet. Itaque ad homines relata, universam illorum pietatem ambitu suo complectitur; ad Deum relata, omnem eam, quæ in actionibus ipsius cernitur, rectitudinem ac sanctitatem. Particularis autem in illis tantùm rebus cernitur, in quibus jus alterius agitur. Est enim justitia particularis ea rectitudinis pars, quâ jus suum cuique tribuitur; seu quâ id præstatur alteri, quod ei præstari jure debet. De universali autem justitia Dei loquuntur illa sacrarum literarum loca, quæ paulò superiùs expressimus. Quare cum dictum sit, universalis justitiæ esse, id omne facere, quod jus atque honestas fieri postulat; & contrà vitare atque omittere, quod jus atque honestas prohibet: considerandum est, quænam ea sint, quæ vel fieri, vel omitti jus atque honestas requirit. Docuimus autem suprà, cùm de Potestate Dei egimus, jus illud, quod æquè latè atq; honestas patet, ex dignitate naturæ intelligentis æstimandum esse. Quicquid enim ei nec per se,

Devt: 32. 4.

Psal: 11. 8.

Psal: 145. 17.

a vid: inter alia Psal: 5. 9: 22. 32: 31. 2: 36. 7, 11: 40. 10, 11: 48. 11: 51. 16: 69. 28: 71. 2, 15, 16, 19, 24: 88. 13: 112. 9.

b 1 Sam: 12. 7. vid: Heb:

per se, nec ob circumstantiam aliquam adversatur, id licitum esse: quicquid ab ea postulatur, ita esse justum atque honestum, ut fieri debeat: quicquid ei repugnat, injustum, illicitum, pravum ac turpe esse. Primùm ergo vi justitiæ suæ, quam universalem appellari diximus, omnia illa aversatur Deus, nec unquam vel vult, vel facit, quæ dignitati naturæ intelligentis, atque inprimis suæ, adversentur. Deinde omnia illa vult ac facit, quæ dignitas illa ob circumstantiam fortè aliquam postulat. Nam alioqui, ut Deus quippiam extra se agat, aut de rebus agendis decernat, naturæ ipsius dignitas simpliciter non postulat. At cùm liberrimæ voluntatis actus antecessit, fieri potest, ut naturæ dignitas aliquid postulet, quod actum illum consequi jurè debeat. Ad prius autem justitiæ munus a nobis constitutum non tantùm pertinet, ne per seipsum quicquam pravi agat Deus, sed etiam ne per alios faciat, aut ab iis factum approbet. siquidem qui per alium facit quippiam, per se ipsum facere videtur: imò si is solus liberè agat, ille verò, per quem res prava perficitur, necessariò; omnis culpa penes eum est, qui per alium id facit. Quin & is, qui factum pravum, quà tale approbat, eóve delectatur, pravi quippiam facit. Pravus enim hic ipse voluntatis actus est, & nonnunquam deterior ipso, quod approbatur, delicto. quemadmodum cernitur ex eo, quod Paulus de hominibus impiis scribit sub finem cap. 1. ad Roman. ubi ita in Græco legitur: *qui cum jus Dei cognovißent, quòd qui talia agunt, digni sunt morte; non solùm ea faciunt, sed & facientibus applaudunt*, seu eorum facta approbant, iisque delectantur. ubi tanquam aliquid gravius ac flagitiosius ponitur, mala facientibus applaudere, quàm mala facere. Nec injuriâ. Certam enim is prodit malitiam, qui, cum ipsius cæteroqui nihil intersit, peccatum designari; peccatum tamen alienum approbat. cùm designari peccatum nonnunquam ex aliqua imbecillitate, aut valido affectuum impetu, ab occasionibus & variis irritamentis excitato, sine vera animi malitia possit. Quòd si ejus, qui approbat, intersit, delictum admissum esse; fieri quidem potest, ut non magis peccet, quàm is, qui designavit: sed interim fieri non potest, quin approbando peccet. Quapropter omnes ejusmodi a Deo, quem sanctum, rectum ac justum esse novimus, removendæ sunt actiones. Removenda ergo est a Deo omnis crudelitas, invidia omnis, omnis ἐπιχαιρεκακία, seu ex calamitatibus creaturarum innocentium delectatio, omnis ex earundem peccatis ac sceleribus voluptas: ac porrò & decreta & actiones ejusmodi, quæ illum aut sceleribus hominum, aut eorum, ut

rum, utut innocentium, calamitatibus ac doloribus delectari o-
stenderent, & maleficam quandam aut naturam, aut voluntatem
arguerent. Neque verò frustra hæc a nobis dicuntur. Eò enim
(proh dolor!) res devenit, ut homines Christiani, & quidem non
postremi nominis, hujusmodi actiones, utut speciosis nominibus
palliatas, Deo attribuant: & cum injustitiæ Deum accusare horre-
ant, interim ea, quibus nihil excogitari potest injustius, ipsi ad-
scribere audeant. Quid enim faciunt aliud, qui statuunt, Deum
infinitam hominum multitudinem decreto immutabili, ab omni
æternitate facto, æternis atque intolerandis cruciatibus, sine ulla
conditione, quæ in ipsorum arbitrio posita sit, destinasse, & porrò
etiam in hunc finem condidisse? Et audent tamen illi asserere, id
Deum fecisse ad justitiæ suæ demonstrationem, & porrò ad nomi-
nis sui gloriam: cùm nulla major possit excogitari crudelitas; ut-
pote quæ omnium, quotquot unquam vixerunt, tyrannorum
crudelitatem infinitis modis superet. quod verò crudelissimum
est, non potest non esse iniquissimum ac maximè pravum. Quòd
si innocentem punire, aut nocentem ultra meritum plectere, in-
justum est; quid de eo cogitandum foret, qui & infinitam inno-
centum multitudinem, & infinitis seu æternùm duraturis cruciati-
bus, atq; acerbissimis suppliciis sponte sua mactare simpliciter de-
crevisset, & in eum illos finem condidisset? Itaque tantum abest,
ut ea res ad Dei gloriam cedere possit, ut vix ulla possit major san-
ctissimo ipsius nomini ignominia inuri. Neque verò hanc pravi-
tatem, quam Deo tribuunt, excusant, sed etiam augent, dum sta-
tuunt, eundem Deum simul etiam de iis decrevisse, ut peccarent;
nempe ut hoc pacto supplicia æterna mererentur, & sic justè pu-
niri possent. cum in tanta necessitate, omnem voluntatis huma-
næ actum antecedente, & nullam hac in parte libertatem homini
relinquente, omnis vera cesset hominis culpa, omne pœnæ me-
ritum. Itaque nihil fit aliud, quàm ut innocentibus duplicetur
malum, & infinitæ calamitati probrum etiam ac turpitudo aliqua
accedat, ac quibus perire necesse est, etiam virtutis adimatur so-
latium. Omnis autem, quæ hac in parte est, culpa in Deum, omnis
sanctitatis fontem redundaret, qui liberè decrevisset, ut, qui natu-
râ suâ possent esse a peccato immunes, omnino peccarent, & tot
ubique designarentur scelera, a quorum etiam cogitatione viri
honesti animus refugit. Quàm longè verò ab his opinionum por-
tentis abhorrent sacræ literæ? Nam quod ad priorem sententiæ il-
lius partem attinet; ipse Deus testatur, imò jurat, se ne impiorum
quidem

Ezech. 18. 23, & c. 33. 11.

quidem morte delectari, nedum ut innocentissimos etiam æternis suppliciis simplici atque immutabili decreto destinârit. quod quàm longè a justitiæ divinæ ratione absit, postea clariùs apparebit, cùm de particulari justitia agemus. Rectè Auctor libri Sapientiæ inter alia, Deum alloquens, ait: *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti: nec enim odiens* (vel potiùs *odiosum*) *aliquid constituisti aut fecisti.* & rursus: *Parcis omnibus: quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.* Rectè idem scriptum reliquit: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viventium. creavit enim, ut eßent, omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum* (Gr. *salutares sunt ortus mundi,*) *& non est in illis medicamentum* (vel potiùs *venenum*) *exterminii* seu *perniciei.* Et hæc quidem dicta etiam illi verbis approbant, qui iis reipsa maximè adversantur. Quomodo enim magis posset odisse Deus ea, quæ fecit, quàm si maximam nobilissimarum creaturarum in terris partem, ad æternos immensosque cruciatus immutabiliter destinasset, ac porrò condidisset? Quomodo mortem non fecisset Deus, si de morte hominibus inferenda sine ulla conditione decretum fecisset? Quomodo ortus mundi salutares essent, & non venenum perniciosissimum in iis lateret, si ea conditione hominum pars maxima fuisset cōdita, ut æternis suppliciis mactaretur, & ea evitare nullo modo posset? Hoc pacto non modò nullum illis Deus præstitisset beneficium, cùm eos creavit, sed pejus etiam in illos consulere non potuisset. Itaque loco beneficii maleficium omnium maximum ea in re cerneremus. Neq; verò amorem ab illis ullū exigere jure suo posset Deus, quos ad tantam infelicitatem, nullis lacrymis satis deplorandam, produxisset; nec ullam obedientiam ab iis, quos ante omnem inobedientiam immutabiliter ad pœnam destinasset longè majorem, quàm bonum illud fuerat, quod illis dederat. Quod ad alteram sententiæ illius partem attinet, quâ statuitur, Deum etiam, ut maxima hominum pars, imò omnes omnino peccarent, decrevisse, & porrò etiam auxilium suum, quod ad evitandum peccatum prorsus sit necessarium, ita iis subtrahere statuisse, ut non possent non peccare; ut scilicet in aliis misericordiæ, in aliis severitatis ac justitiæ exercendæ materiam haberet; etiam illa longissimè a sacrarum literarum mente abest. Siquidem Deum iniquitatem non velle, ac propterea, qui eam designant, aversari, odisse, eósque punire ac perdere testantur. qua de re vide, quæ inter alia dicat David Psalmo 5. Non repetemus hîc illa, quæ suprà ex Iacobo docuimus, qui Deum neminem tentare, seu ad peccandum impelle-

Sap: 11. 25, 27.

cap: 2. 14.

ỽ 5, 6, 7, 8

impellere docet; quia ipsemet a malis non tentetur, nulloque peccandi desiderio tangatur. In quam sententiam & Siracides elegantissimè scribit: *Non dixeris, Per Deum abest* (Gr. defeci.) *Quæ enim odit, ne feceris. Ne dicas, Ille me implanavit, (*h. e. seduxit.) *non enim neceßarii sunt ei homines impii. Omne exerramentum* (seu abominabile, aut nefas) *erroris odit Dominus , & non erit amabile timentibus eum. Deus ab initio constituit* (Gr. fecit) *hominem, & reliquit illum in manu consilii sui.* [*Adjecit mandata & præcepta sua.*] *Si volueris mandata servare,* (Gr. servabis) [*conservabunt te,*] & [*in perpetuum*] *fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Et quid multis opus? Satis sit, quòd Deus ubique peccata prohibeat, severè interdicat, homines omnes ab iis avocet. Absit enim, ut Deo hypocrisin tribuamus, & quæ apertè prohibet, eum occultè, ut omnino fiant, velle putemus. qua de re infrà.

c. 15. 11, & d.

Ea verò, quæ hucusque disputata sunt, non impediunt, quò minùs Deus quædam decernat, quæ sine creaturarum ipsarum pravitate perfici non possunt; si modò decreta ejusmodi tacitam contineant conditionem, aut hypothesin, extituros nempe homines, qui ob improbitatem sponte sua conceptam, aut vitium aliquod voluntarium, ad ea decreta exsequenda sint apti, & veluti accincti. Sic enim nihil erit opus, ut quicquam ad ipsam hominum pravitatem conferat Deus, aut quicquam tale faciat, unde eam in ipsorum animis nasci sit necesse. Satis erit voluntariâ hominum malitiâ aut vitio uti, eamque ad finem certum dirigere. Itaque culpa tota est creaturæ, decretum divinum, sub certa hypothesi aut conditione factum, exsequentis, non Dei. Culpa enim tota in eo est, quòd quis improbus sponte (nam aliàs ne improbitas quidem foret) evadat, quòd vitium aliquod contrahat, aut consilium pravum suscipiat, & sic talem sese præstet, ut occasionibus, quæ ipsi objiciuntur, & incitamentis, eum ad peccandum impellentibus, resistere jam non possit, vel vix ac ne vix quidem possit, præsertim auxilio divino destitutus. At homines ob ipsorum peccata auxilio suo destituere, & pravas eorum mentes ac consilia in bonum finem dirigere, vitiosum non est. quare nec ista decernere. Quicquid enim facere sine vitio potest quispiam, potest & decernere. Huc pertinent divina decreta ac vaticinia de Christo per aliquem ex domesticis prodendo, & a Iudæis occidendo, & alia his similia. Iis autem, quæ diximus, vicinum illud est, quòd

Ioh. 13. 18. 17. 12. Act. 2, 23.

Cap: XXV. De Sanctitate Dei.

est, quòd Deus salvâ suâ sanctitate ac justitiâ, possit homines improbos tradere in desideriis eorum in immunditiam; tradere eos in reprobum sensum seu mentem, ut faciant ea, quæ non conveniunt. Eam enim ad rem nihil aliud ex Dei parte necessarium est, quàm ut homines improbitati sponte susceptæ relinquat, auxilium eis suum subtrahat, & repagula, quæ improbitatem ipsorum aliquo modo coërcere ac reprimere possent, tollat, & sic ope sua destitutos Satanæ fraudi ac libidini exponat. Magna enim consvetudinis pravæ, magna occasionis vis est, præsertim si hinc quidem Deus cupiditatem hominis non coërceat, illinc multæ invitent ac trahant illecebræ, vel etiam, ni pecces, ingens periculum ac damnum consequuturum appareat. Tantò autem major earum rerum vis est, quòd eæ Satanæ astutiâ gubernentur, & ad earum vim occulti ejus impulsus accedant. Has difficultates eluctari animus jam sponte sua pravus non potest, vel vix ac ne vix quidem potest. Licèt enim non sit naturâ suâ impossibile, hominem sibi tantam vim inferre, ut animi improbitatem sponte conceptam tunc deponat: est tamen adeò difficile, ut impossibile non immeritò possis dicere.

Rom: 1. 24, 26, 28.

Ex quo etiam intelligitur, quomodo Deus homines malos indurare queat. Dico autem malos; quia nunquam quenquam nisi sponte sua malum aut contumacem indurasse legitur. præsertim cum induratio pœna quædam sit, quanquam talis, quæ ad majorem ac graviorem ducat. Deus autem neminem, ut postea docebimus, punit innocentem; nedum ut impedire velit, quominus ille id faciat, quod ipsi gratissimum est, quódq; ipse præcepit. qua in re induratio consistit. Id enim tum demum facit Deus, cùm homo ipsi parere obstinatè noluit tunc, cùm parere posset. Itaque cùm pœnam, & quidem gravem fuerit commeritus; dignus est, cui via eam effugiendi præcludatur. Quia verò Deus omnibus resipiscentibus & vitam emendantibus peccata condonat; ideò cùm pœnam diutiùs differre cogitat, aut ea homini supplicia infligere, quæ animi contumaciam frangere aliàs facilè possent, & eum ad resipiscentiam adducere; eum indurat, & sic viam illi, quominus supplicium effugiat, præcludit. Est nempe induratio instar vinculorum ac carceris cujusdam, quo malefici ad supplicium veluti detinentur. Ad eam verò generatim loquendo nihil aliud requiritur, quàm ut omnia remedia homini subtrahat Deus, quibus animi contumacia sponte contracta molliri posset, vel saltem ita illa moderetur, ne animi duritiem omnino frangant, permissa Sa-

tanæ, ut eam alat, aut etiam augeat, potestate. Nam si homines etiam tunc pervicaciam animi vel suscipiunt, vel deponere nolunt, cùm a Deo invitantur, cùm auxilia illis subministrantur, quibus flecti in melius possent; quid cogitamus fieri, cùm auxilio divino destituti, ubique animarum suarum hosti patent? Neque verò necesse est Satanæ imperare, ut hominum contumaciam alat, ut eos in scelera impellat. sua sponte in id perpetuò excubat, divinæ gloriæ, humanæ salutis, ac porrò etiam pietatis perpetuus atque infensissimus hostis. Vincula tantùm, quibus a Deo tenetur constrictus, illi aliquantùm laxari satis est. Interim tamen indurationis vis non est planè ineluctabilis, præsertim semper. Cùm enim Deus homini mentem non eripit, nec naturalem arbitrii vim eidem eripit; sed, cùm a malitia intùs jam sit valde constricta, & deteriori parti veluti adstricta, exterioribus eam vinculis, quæ malitiam ac contumaciam solvi non facilè patiuntur, adhuc magis constringit. Ideo vix ullæ sunt illius ad bonum vires. Quòd si tamen, id quod proculdubio rarissimè fit, diuturniore temporis spatio concesso, se aliquantùm a malitiæ nodo, adjumenti fortè aliquid exteriùs nacta, expedierit, divinæ voluntati consentaneum est, ut indurationis quoque vis cesset. Hæc enim animi malitiam homini non ingenerat, sed sponte susceptam ac voluntariam præsupponit, sine illa vim suam amissura. Et sanè dignum est Deo, contumaces ita constrigere, ut non nisi per summas difficultates, & inusitato, ut ita dicam, facinore pœnam evitare queant.

conf: Rom: 9, 22. 10. 1, & d. 11. 14, 23.

Intelligitur denique hinc, quomodo etiam aliàs peccata peccatis punire possit Deus, & talia hominibus, etiam non planè improbis, comminari, quæ sine scelere ab iis fieri non possunt. quale fuit illud, quòd Christus comminatus est Petro, eum ter sese abnegaturum: cùm nimirum Domini ac Magistri verbis, auctoritate etiam antiqui vaticinii communitis, nimis audacter restitisset, & constantem præ cæteris omnibus erga Dominum in periculis fidem nimis audacter promisisset, ac cæteris discipulis ejusdem temeritatis veluti signum erexisset. Duo enim inprimis hic sunt observanda. alterum est, ad eam rem non fuisse opus, voluntatem negandi Dominum animo Petri occulta quadam ratione instillari. Satis enim fuit, eum ope divina destitutum, imbecillitati suæ, cum nimia sui fiducia conjunctæ, relinqui; & Satanæ vim atque astutiam, ipsum, ut Christus monuerat, tentare volentis, non cohiberi. Nam ipsius simul temeritate, & Satanæ eâ utentis astutiâ factum est, ut in id præcipitium, unde delapsus est, deduceretur

Mat: 26. 31, & d.

eretur, & tanto tam graviter peccandi discrimini objiceretur. Imbecillitas autem effecit, ut ejusdem Satanæ instinctu atq; arte, objecta ei peccandi occasione, periculi sese undique ostendentis metu perculsus, succumberet. Vt autem divino auxilio hac in parte destitueretur, suâ illâ audaciâ ac confidentiâ commeritus fuerat; præsertim quia remedium illud usurpare neglexerat, quo poterat severitatem hujus comminationis mitigare, & pœnam hujusmodi ac flagitium a se deprecari atque avertere. Nam ut alterum etiam addamus, quod hîc observandum esse diximus; quemadmodum multæ aliæ Dei comminationes, licèt simpliciter prolatæ, prorsus tamē absolutæ ac irrevocabiles non sunt; ita nec hoc decretum videtur fuisse absolutum, ac penitus irrevocabile. Patet id ex eo, quòd Christus etiam post illud tempus, Petrum nominatim unà cum Iacobo & Iohanne ita monuit: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma.* Quorsum enim istud monuit, si fieri nulla ratione poterat, ut Petrus adversus tentationem subsisteret, & Dominum haud negaret? Itaq; nihil est credibilius, nihil etiam rectitudini divinæ, cum summa benignitate conjunctæ, magis consentaneum, quàm Deum id decretum mitigaturum fuisse, si iis, quæ adhibere poterat, remediis fuisset usus, h. e. si illa Domini comminatione aut prædictione audita, in se rediisset; si culpam deprecatus, Dominum etiam ipsum rogasset, ut pro se preces apud Deum interponeret; si ipsemet imbecillitatis suæ memor, ad Dei opem, a Domino præsertim monitus, supplex confugisset, eum assiduè ardenterque rogâsset, ne Satanæ tantum permitteret virium, ut ipsum vinceret, sed suæ imbecillitati succurreret; si denique temeritate ac nimiâ sui fiduciâ depositâ, occasioni & periculo peccandi ultrò se offerre noluisset, imò eam quàm diligentissimè cavere studuisset. Hæc cum facere neglexerit Petrus, in eum impegit scopulum, in quem se impegisse mox acerbè flevit. ib: ℣ 40,41.

Hucusque de priori potissimùm justitiæ seu rectitudinis divinæ munere egimus, quod in eo cernitur, quòd nihil eorum agat Deus, quæ sine pravitate fieri nequeunt. Sequitur ut posterius quoque videamus, quod in eo consistit, quòd omnia illa faciat Deus, quæ sine pravitate omitti non possunt. Quanquam in eo quoque explicando subinde facienda est mentio eorum, quæ sine pravitate fieri nequeunt. Actiones autem, in quibus istud justitiæ munus cernitur, triplices constitui possunt; unde insigniores quædam emergunt justitiæ universalis partes. Vel enim facta sunt, vel dicta,

vel de alterutris decreta. In factis, & propter facta etiam in decretis, quæ de illis fiunt, justitia particularis inprimis cernitur: in dictis ac factis sinceritas, quæ veritatem in se complectitur: in omnibus, sed maximè in decretis, constantia. Dicimus autem, in factis justitiam particularem inprimis cerni, non solam. Nam ne de sinceritate, itemque de constantia, nunc quicquam dicam; sunt & alia quædam justitiæ universalis munia, in faciendo, non in omittendo posita, quæ ad justitiam particularem non ita commodè revocari possint. ut, quòd Deus, cum creaturas rationales produxerit, etiam id egerit, atque agat, ut dignitati ac præstantiæ naturæ suæ convenienter viverent vivantque: licèt interea possit creaturas spontè improbas deserere, & suæ illas libidini constringendas tradere, quemadmodum suprà dictum est. Huc etiam pertinere videtur, pœnam decretam ab extremè improbis ac contumacibus exigere, & veniam illis non concedere. Hæc enim ad justitiam particularem propriè non pertinent: sed ad eam, quæ id, quod rectum atque honestum est, simpliciter spectat. Particularis enim justitia ea est, ut suprà vidimus, quæ jus suum alteri tribuit. Tribuere autem non tantùm eum dicimus, qui quod alteri debet, reddit; sed etiam, qui nihil præter jus fasque vel exigit ab altero, vel ei adimit. Adimi autem possunt non tantùm bona externa, fortunæ vulgò tributa, ut opes ac honores, sed & vita ac valetudo, corporisque integritas, pudicitia; ne de aliis nunc dicam, quæ extra nos sunt posita, ut sunt uxor, liberi, eorum pudicitia, aut integritas. Hæc justitia quomodo in Deum cadat, & quatenus, porrò videndum est. Etenim arbitrari quispiam posset, nullam ei in Deo esse locum; quia creaturæ respectu creatoris nullum penitus jus esse videatur. Quare nec jus illis suum a Deo reddi posse; qua in re omnem justitiæ particularis vim consistere diximus. Ius autem creaturæ respectu creatoris nullum penitus esse, inde quispiam collegerit, quòd creatura, quanta quanta est, Dei sit, tanquam domini ac possessoris, ut suprà vidimus. Rei autem nullum esse videtur jus respectu domini. Quin nec respectu aliorum ei jus aliquod competere videtur, sed domino. Vnde, si ea lædatur a quopiam, non ipsi, sed domino per ipsam injuria fieri censetur, ut de servis suprà vidimus. Itaque concludendum videtur, jus, quod Deus in creaturas, etiam ratione atque intellectu utentes habet, prorsus in infinitum exire, & etiamsi innocentissimum cruciatibus æternis, &, quantas natura ejus caperet, maximis subjiceret, cum tamen nullam creaturæ injuriam facturum. Et videri sanè

possunt

possunt huc spectare ea, quæ scribuntur ad Rom. cap. 9. atque inprimis illa, quæ de Esavo & Iacobo leguntur, quorum illum hujus servituti subjecisse, eaque ratione odisse Deus dicitur, cùm neuter adhuc natus esset, neuter quicquam boni aut mali fecisset: itemq; illa, quòd Deus induret, quem velit: quodque potestatem habeat, ex eadem massa, aliud quidem vas in honorem, aliud in ignominiam fingendi. Sed cum omnes ipsa rei veritate coacti fateantur, licèt nonnulli non satis constanter, creaturæ pœnam a Deo infligi, salvâ ipsius justitiâ non posse, nisi ob aliquod delictum, (proprium, an alienum, nunc non definimus,) necesse est etiam eosdem fateri, jus aliquod esse creaturæ respectu Dei, si non usquequaque propriè sic dictum, saltem id, quod per analogiam juri propriè dicto respondeat, & eandem respectu Dei vim habeat, quam jus propriè dictum habere alioqui solet. Nam si jus non habet Deus puniendi creaturam nisi ob aliquod delictum; jus aliquod habet creatura, ne puniatur a Deo, nisi ob aliquod delictum. nempe ubi jus divinum respectu creaturæ, ut ita dicam, definit, ibi jus creaturæ respectu Dei incipit. Iuris autem illius tum prima origo, tum incrementum a benignitate divina ita est, ut ipsius rei æquitate nitatur, vel potiùs in ea ipsa consistat. Postquam enim Deus (id quod benignitatis fuit) intellectum nobis dedit atque arbitrium, & sic tales effecit, ut inter nos & ipsum conjunctio ac societas quædam esset, ut inter herum & servos; simul etiam id dedit, quod hujus conjunctionis est consequens, nempe jus aliquod. Eandem autem conjunctionem cùm postea ex singulari benignitate auxit, fœdere nobiscum constituto, simul & jus nostrum auxit. Intelligendum enim est, jus cum societate tam arcto colligatum esse vinculo, ut ubi societatis vel umbra est, etiam juris sit, & contrà. Itaq; quia aliqua est inter dominum & servum societas, etiam jus inter utrumq; est, licèt non ita ab utraq; parte plenũ, ut inter pares aut liberos. Est namq; jus, de quo agimus, id quod natura societatis rerum intellectu præditarum postulat. Quemadmodum autem societas est mutua, ita & jus: & si societas est inæqualium, etiam in jure aliqua cernitur inæqualitas, ut in jure, quod inter dominum & servum intercedit; imò & quod inter patrem & liberos. Hujusmodi autem est conjunctio & societas, quæ inter Deum est & homines. Nam naturâ quidem ita Deo sumus conjuncti, ut servi domino, quemadmodum antea dictum est: sed singulari benignitate, ut filii patri, postquam jus adoptionis per

vid: Arist: l. 8. Eth: Pacio c. 11. & 13. & lib: 5. c. 10.

Christum sumus consequuti. quod quidem jus licèt non efficiat, quominus servi Dei eatenus simus, quatenus ejus præceptis parere debemus; imò nos aliqua ratione magis ad parendum obstringat: conditionem tamen nostram cæteroqui supra servilem effert. Non est autem, quòd quisquam societatis nomen de conjunctione Dei & creaturarum intelligentium usurpare horreat: cum sacræ literæ de Christianis piè viventibus expressè dicant, eos *societatem*, arctiorem nimirum illam, qualis est inter patrem liberosque charissimos, *cum Patre* habere; & Abrahamum aliquoties *Dei amicum* vocent. Quæ cum ita sint, non est negandum, jus quoddam, & quidem mutuum, inter Deum & homines esse, quamquam, ut diximus, inæquale. Absq; comparatione enim majus est jus Dei respectu hominum, quàm hominum respectu Dei. Porrò autem, ut ad rationem in contrarium allatam accedamus, jus omne requirit, ut qui illud habet, aliqua saltem ratione liber sit, & sic suus, non alterius. Qui enim ipsemet suus nullo pacto est, jus etiam suum habere nequit; sed quicquid illius esse dicitur, ejus est, cujus est & ipse. Itaque si servus ita esset domini ac heri sui, ut nulla prorsus ratione libertatis esset particeps, nullum planè ipsius jus esset, & quicquid ei tribueretur, id, habita ratione juris, domino tribueretur; quicquid adimeretur, domino adimeretur. Quare a domino nec injuria ei ulla inferri, nec justitia, quâ suum alteri tribuitur, erga eum exerceri posset: nisi dicere velis, posse eum sibi ipsi facere injuriam, aut justitiam erga seipsum exercere. Atqui & ratio ipsa dictat, & sacræ literæ docent, posse servo injuriam a domino fieri, & justitiam eam, de qua loquimur, erga eum exerceri. Vnde Paulus monet, ut domini, quod justum & æquum est, servis præstent. Patet id in promissionibus, quas domini servis proponunt. Etenim si servi nulla prorsus in re a jure ac potestate herorum suorum sunt liberi; etiam ea, quæ illis sunt a dominis promissa, in dominorum potestate atque arbitrio semper erunt posita; nec magis illis debebuntur post promissionem factam, quàm antè. Quare non minùs illis negari poterunt, quàm tum, cùm nondum essent promissa. Id autem cum omnem promissionis vim evertat; necesse est servos etiam respectu herorum suorum aliquatenus esse liberos. Et respectu quidem hominum facilè quispiam id concesserit. Facilè enim est credere, non esse hominem homini ita mancipatum, quin aliquo modo sit suus. Sed durum fortè videbitur, si idem aliquatenus etiam dixerimus de creaturis respectu Creatoris. Verùm si id consideraveris, quod modò de

1 Ioh: 1. 3, 6, 7.

2 Paral: 20. 7. Esa: 41. 8. Iacob: 2. 23.

Col: 4. 1.

modò de promissionibus diximus; videbis, idem etiam hîc statuendum esse. Cæteroquin enim omnis promissionum divinarum ac fidelitatis ipsius vis cessabit; nullus erit fœderi inter Deum & homines locus. Neque enim fœdera cum iis percutiuntur, qui illis, cum quibus paciscendum est, omnibus in rebus penitus sunt mancipati. Saltem eo ipso, quòd fœdus cum illis feritur, & certis conditionibus contrahitur, libertas iis aliqua datur, & ob contractum illum justitiæ suum cuique tribuenti fit locus. Quid, quòd etiam supplicia divina tollere necesse est, omni creaturæ libertate respectu Creatoris sublata? Etenim si aliqua est pœna, quam meritò cuipiam infligit Deus, necesse est jus quoddam ex delicto creaturæ natum esse ad pœnam infligendam, quod ante delictum non extiterit. Quòd si jus ante delictum creaturæ non habuit Deus ad pœnam infligendam; eatenus saltem libera fuit creatura, ut pœnæ divinæ non esset subjecta: & aliquid habuit suum, quod ei, antequam peccaret, eripi a Deo quavis ratione non poterat. Ne illud nunc repetam, quod suprà diximus, jus Deo non fuisse, creaturas innocentes æternis atque intolerabilibus cruciatibus subjiciendi. Ex quo consequitur, jus, quod Deus in creaturas habet, non exire simpliciter in infinitum; etsi in iis, quæ naturâ suâ licita sunt, per se infinitum est. Vbi autem id quodammodo desinit, ibi creaturæ libertas incipit, ut de jure suprà dictum est. Quam enim noxam Deus hominibus inferre jure nequit; eam ne inferat jus creaturarum ac libertas est. Etiamsi autem hæc ita se habeant, rectè nihilominus dicitur, nos totos, quanti quanti simus, esse Dei; & Deum in nos absolutum dominium habere. Nos enim respectu omnium partium, & facultatum, quæ in nobis sunt, Dei sumus, & sic ipsius dominio subjecti; unde porrò, ut eas omnes divinis usibus mancipemus, jure obstringimur. & hactenus dominium Dei absolutum est. Sed interim respectu certi usus, nostros nos esse voluit Deus, & in quandam libertatis partem nos produxit, eam nimirum, sine qua ne illa quidem societas inter ipsum & nos constare posset, quæ est inter herum & servos, & nec præmio vero ac stabili, nec pœnæ, locus esset. Hanc libertatem postea beneficio suo auxit, & tantò majorem fecit, quantò ampliora nobis promissa dedit. Omnium autem amplissima dedit per Christum, per quem nos certa ratione e servorum statu in filiorum libertatem traduxit, fœdere æterno nobiscum constituto. Vnde facilè solvitur objectio superiùs proposita. Etenim rei suæ nemo potest facere injuriam, quatenus ea ipsius est. Sed fieri tamen potest, ut, perso-

Rom: 8. 15, & d. Gal: 4. 7. conf. & præced: a ℣ 1. & ℣ 22, & d.

persona, quę est alieni juris, certæ rei aut usûs respectu sua sit, non aliena; libera, non serva. Eatenus ergo & juris & injuriæ capax est. Id autem in omnibus locum habet, qui libertate voluntatis, quæ intellectum sequitur, sunt præditi, sive aliarum creaturarum intelligentium, sive Dei respectu; nisi peccatis suis commeruerint, ut omni libertate, omni jure suo excidant. Nititur quidem libertas ac jus nostrum beneficio divino: sed postquam semel datum est, non nisi voluntariâ nostrâ culpâ eo privari possumus. De loco ad Rom. 9. quatenus huc spectare videatur, egimus suprà, cùm de potestate Dei loqueremur, & alibi ex parte agetur.

lib: 5. cap: 17.

Postquam ergo ostendimus, jus nobis esse aliquod respectu Dei; facilè est intelligere, locum esse in Deo justitiæ, quæ suum cuique tribuat. Ejus duplex est effectus. prior est, præter jus nihil creaturis imponere; posterior, ea, ad quæ obtinenda creaturis jus aliquod ipsius fecit benignitas, illis præstare. Prior effectus duabus potissimùm in rebus cernitur, nempe in præceptis, & pœnis. In præceptis, quatenus nullum honoris aut obsequii genus a creaturis exigit, quod ipsi non debeatur. In pœnis, quatenus nec præter nec ultra meritum quemquam punit. Deus enim ob justitiam suam, nec innocentem unquam punit, nec nocentem graviùs, quàm delicto est commeritus. Omne enim puniendi jus ex noxa, seu delicto oritur, quatenus id vitiositate sua alterum lædit. Itaque noxa & personam definit puniendam, & pœnæ magnitudinem. Vbi enim illa reperitur, ibi & pœna locum meritò habet; ubi illa non est, ibi nec pœna habere debet: & quantò gravior illa est, tantò & hæc gravior esse jurè potest. Qui ergo culpæ nullo modo est particeps, quo jure pœnæ subjici potest? Innocenti ne irasci quidem jure potes; nedum eundem punire. Afflictioni quidem subjicere etiam innocentem licet, absoluto præsertim ipsius domino, ut suprà est explicatum; sed afflictio latiùs patet, quàm pœna, & latiùs illius, quàm hujus jus extenditur. Neque verò est, quòd quis putet, Deum tum v.g. nocentes graviùs punire, quàm suis delictis sunt commeriti, cùm liberos tum ob ipsorum, tum ob parentum impietatem punit. Nam Deus, cùm id facit, non majorem revera, quàm ipsi liberi commeriti fuerant, pœnam illis infligit sed eam pœnam, quam illi suis peccatis fuerant meriti, duplicem ob caussam, nempe tum ob propriam ipsorum, tum ob alienam culpam exigit; & exigit quidem severiùs, quàm aliàs facturus fortassè fuerat. Quod dum facit, simul & parentes in liberis punit. Posset autem illis duobus, in quibus priorem particularis ju-

stitiæ effectum cerni diximus, addi & tertium, nempe quòd Deus sibi addictos supra vires tentari non permittat, ut paulò pòst intelligetur, cùm de fidelitate agemus.

Posterior effectus cernitur in præmiis ab eo constitutis persolvendis, atque adeò in universum in promissis præstandis: quod proprium fidei seu fidelitatis munus est. Est enim fidelitas propriè dicta, justitia, quæ in promissis implendis cernitur; quam eandem dictorum factorumque constantiam definiunt. De hac iustitiæ parte loquitur Nehemias cap. 9. ubi, cùm fœderis fecisset mentionem, quod Deus cum Abrahamo pepigit, in quo posteritati ipsius terram Palæstinam promiserit, addit: *& implesti verba tua, quoniam justus es.* Diximus autem & suprà, *justitiæ* nomen ita non rarò in Psalmis poni, ut dubites utrùm fidelitas, an benignitas designetur, possisque sine sententiæ detrimento, vel hoc vel illud nomen pro justitiæ voce reponere. Apostolus sanè Rom. 3. fidem, veritatem, justitiam Dei promiscuè ponit; & Iohannes, cùm ait, *Si confiteamur peccata nostra, fidelis & justus est, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate;* alterum per alterum explicat, atque aliqua ratione illustrat; ita ut necesse sit, vel justum illic nil significare aliud, quàm fidelem; vel justitiam eatenus illic spectari, quatenus fidelitatem in se continet. Animadvertendum autem est, sacras literas fidei nomen, etiam cùm de Deo loquuntur, ita latè extendere, ut illam Dei sinceritatem ac constantiam complectatur, quâ fiat, ut non tantùm ea præstet, quæ verè ac propriè promisit, sed quæcunque consentanea sunt ipsius favori ac gratiæ, cujus significationem aliquam homini dedit. quò pertinere videntur illa 1. Cor. 1. 8: 10. 13: 1. Thess. 5. 24. qua de re infrà in veritatis ac sinceritatis explicatione dicemus. Sacræ enim literæ & sinceritatem & fidem propriè sic dictam, etiam Veritatis nomine crebrò significant. Et sanè fides tum ad iustitiam, tum ad veritatem spectat. Ad iustitiam; quia dum promissis satisfit, jus suum alteri tribuitur. Nam promissione jus acquiritur ei, cui quippiam est promissum; & promissor eo ipso obligatur alteri, ejusq; debitor constituitur. Vnde vulgò dicitur, Omne promissum cadit in debitum. Ad veritatem autem ideò etiam spectat; quia dum promissio impletur, ejus veritas stabilitur, seu ipsa promissio, ut cum vulgo loquar, verificatur. Itaque veritatis etiam studium impellit, ut promissa impleamus, aliàs pro mendacibus habendi. Sed magis tamen ad iustitiam pertinet fidelitas, quàm ad veritatem, seu veritatis studium. Veritatis enim est ita loqui, ut verba rebus

Margin notes: ℣ 8. — ℣ 3, & d. — 1 Ioh: 1. 9.

consentiant: Fidelitatis efficere, ut res consentiant verbis. Itaque illa in ipsis dictis propriè cernitur, in factis consequenter, hoc est, eatenus tantùm, quatenus sine factis dictorum veritas constare non potest. Fidelitas autem primò ac propriè in factis occupatur, quanquam ad dicta promissáve relatis. Quare justitia potiùs appellanda est, sed ad promissiones nostras restricta; suâque naturâ circa omnia versari potest, circa quæ justitia particularis. Nihil enim est, quod jure facere possumus, non possimus etiam promittere. Vbi autem promissio locum habet, ibi & fides, & cum fide justitia particularis. Iustitiam ergo simul & fidelitatem suam exercet Deus, cùm secundùm promissa sua varia hominibus beneficia præstat, ut cùm ex ipsius præscripto orantes exaudit, nos in pietatis cursu laborantes adjuvat, supra vires tentari non permittit, resipiscentibus veniam concedit, fidei ac pietati præmia persolvit.

Ita autem justus ac fidelis est Deus, ut non jus strictum sequatur, sed æquitate utatur summa. Æquitatem enim hîc intelligimus, quæ rigori juris opponitur. Nam aliàs cum justitia eadem est. Itaque etiam ea facit Deus, quæ, si rigidiùs aliquantò agere vellet, facere non teneretur: adeò ut etiam ex benignitate aliquid hæc æquitas trahat. Quò pertinere omnino videntur illa D. Auctoris ad Hebræos verba; qui cùm dixisset, se de illis meliora & saluti viciniora sibi polliceri, subjicit: *Non enim est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine* (Gr. *in nomen*) *ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis.* Satis enim ex iis, quæ de illis in superioribus dicuntur, apparet, Deum si aliquantò rigidiùs cum iis agere voluisset, eos repudiare meritò potuisse. Sed quia admodum ejus promissis consentaneum est, iis parcere, aut resipiscendi saltem spacium ac facultatem concedere, qui charitatem singularem in fideles ac pios exercuerint: ideò justitiæ divinæ esse asserit, operis ac dilectionis ipsorum rationem habere, & eos, prout cæteroqui commeriti fuerant, propterea non abjicere penitus ac repudiare. Æquitatis hujus eædem in genere sunt partes seu functiones, quæ & justitiæ particularis. Est enim revera justitia, sed a stricto jure, seu rigore juris discedens, atque adeò benignitate quadam temperata. Itaque Deus præter id, quod juris temperamento consentaneum est, nec quidquam nobis imponit, aut a nobis exigit; nec quidquam nobis denegat. non denegare autem, largiri ac præstare est.

Cap: 6. 9, ℣ 10.

Alterutrer autem justitiæ & æquitatis divinæ effectus in judiciis

ipsius apparet, & sæpè quidem uterque. Etenim judicando aut punit Deus, aut impunitatem concedit, aut etiam præmium. Cùm punit, justitiam exercet, quia non nisi merentem, nec ultra meritum punit. Cùm impunitatem alicui concedit, vel ideo id facit, quia is reverâ sit innocens, saltem respectu certi alicujus facti, de quo judicium instituitur, vel quia ita promissa ipsius ferunt. Illic justitiam exercet, quia præter jus nihil illi imponit, aut ab eo exigit: hîc quia jus, quod promittendo illi dedit, reddit. quod posterius etiam de præmiis statuendum est, quæ Deus rectè agentibus persolvit. Quanquam non negamus, etiam sine promisso persolvi præmium posse; id quod benignitatis revera est, non justitiæ divinæ. siquidem meritum creaturæ propriè dictum respectu Dei nullum extat, ut alibi docuimus. Maximè autem hi justitiæ divinæ effectus elucescent in universali illo ultimoque judicio, quod Deus per Christum instituet. Quanquam non solius justitiæ particularis effectus tunc apparebunt, sed & justitiæ in universum. Hoc enim est, quòd dicitur Deus judicaturus esse orbem in æquitate seu justitia. quod quo pacto sit futurum cap. 2. Rom. docetur. Cùm enim mentionem fecisset Apostolus *diei iræ & revelationis justi judicii Dei*, addit, *qui reddet unicuique secundùm opera ejus: iis quidem, qui secundùm patientiam* (vel potiùs *perseverantiam*) *boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt* (Gr. *obtemperant*) *autem iniquitati, ira & indignatio: Tribulatio & angustia in* (vel *super*) *omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm, & Græci: gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco. Non enim est acceptio personarum apud Deum.* & in secunda ad Thessalonicenses Epistola, cùm dixisset, eos tribulationes sustinere *in exemplum* (vel *demonstrationem*) *justi judicii Dei, ut digni habeantur regno Dei, pro quo & patiantur;* subjungit: *si tamen* (Gr. *siquidem*) *justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant: & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Iesu de cælo*, & quæ sequunrur. Iustum autem erit illud Dei judicium, non tantùm quia nihil in eo fiet iniqui atque illiciti, sed etiam quia ea facturus est Deus, quæ justitia seu rectitudo ipsius postulat. nempe quia & illos puniet, quos decreta ipsius puniri postulant, nullis præsertim, cur ea relaxentur, caussis extantibus: & contrà etiam præmia persolvet iis, quibus ut persolvantur, decreta ac promissa ipsius requirunt. Qua utraque in re universali justi-

Gen: 18: 25. Psal: 7. 12: 9, 5, 9: 50. 6: Act: 17. 31. Rom: 2. 5, 6: 3. 6: 2 Thess: 1. 5, 6. Heb: 2. 2. Apoc: 16. 5, 6, 7.

cap: 23.

Act: 17. 31.

Rom: 2. 5, & 6.

2 Thess: 1. 6.

vid: sup: c. 23.

tiæ ita ſatisfiet, ut ſimul etiam exerceatur particularis, eo, quo ſuperiùs dictum eſt, modo.

Ex illis autem verbis, quæ ex Epiſtola ad Romanos citavimus, ſatis apparet, juſtitiam illam, quâ Deus in judicando ſit uſurus, inprimis excludere προσωποληψίαν, hoc eſt, acceptionem perſonarum, ſeu mavis facierum, ut Hebræi loquuntur. Eſt autem proſopolepſia vitium ejusmodi, quo fit, ut in judicio, & porrò etiam in factis judicium conſequentibus, non ad ipſam rei æquitatem reſpicias, ſed ad alias perſonarum, quæ in judicium veniunt, qualitates ac circumſtantias, quæ ad rationem juris aut injuriæ nihil adferunt momenti. Sunt enim quædam perſonarum qualitates, quæ nonnunquam ad juris rationem non parùm pertinent, quæ proinde a judice, qui de facto aliquo rectè judicare vult, omnino attendendæ ſunt, ut, an aliquis rei, quæ erepta eſt, dominus fuerit nec ne; an is, qui læſus fuit ab altero, magiſtratus fuerit, an privatus, an pater, an alienus. Spectatur etiam in delinquentibus ætas, officium, & alia ſimilia, quæ factorum gravitatem vel augent, vel minuunt. Hæc ſi quis in ſententia de delictis ferenda reſpiciat, perſonam accipere non eſt dicendus: quia ipſum factorum meritum, & juris rationem reſpicit. Opponuntur autem inter ſe, ſecundùm cujusque opus judicare aut reddere, & perſonas accipere. In aliis controverſiis fieri poteſt, ut eædem illæ qualitates ad juris rationem nihil faciant, ut ſi de emtione ac venditione aliiſve ſimilibus contractibus agatur, nihil id habere ſolet momenti, quòd hic ſit magiſtratus, ille privatus. Quare ſi ob id ipſum res, quæ privati ſit juris, adjudicetur alteri, quia ſit magiſtratus, & privato eripiatur, proſopolepſia hæc erit. Tales qualitates ferè ſunt, potentia, divitiæ, genus ac nobilitas, ſapientia, aliaque dignitatis ac honoris genera, amicitia, cognatio, quæ judici cum eo intercedit, de quo ſententia ferenda eſt, utilitas, quam ab eo percipit, &, ſi quæ ſunt his ſimilia, eorumque contraria. Hæc Deus in judicando non reſpicit, ſed ſecundùm uniuscujusque facta ſententiam fert, & præmia pœnáſve decernit. Quid, quòd ne tum quidem ad eas hominum qualitates attendit, cùm beneficia in eos confert, aut inter eos diſtribuit: licèt alioqui beneficiorum ratio ſit liberior, & lege videatur eſſe ſoluta. Patet id ex quibusdam locis, in quibus proſopolepſia a Deo removetur; e quibus eſt ille Moſis: *Deus perſonam non accipit, nec munera. Facit judicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum atque veſtitum.* quod poſtremum ad beneficentiam divinam ſpectat. ideo autem commemoratur, (Deut. 10. 17.)

ut pateat

ut pateat, Deum ne hîc quidem personæ qualitatem, nempe gentem ac nationem respicere: quia non tantùm Israelitam, sed & peregrinum amet atque alat. Ad idem prosopolepsiæ genus excludendum spectant & illa ipsius Dei verba ad Samuelem, qui cùm ex Isai filiis unum deberet ungere, & Eliabi formam ac proceritatem spectans cogitaret, hunc esse, quem Deus regem elegisset, ita ei dixit Deus: *Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem ejus respicias. quoniam abjeci eum: nec juxta hominis intuitum ego judico. Homo enim videt ea, quæ patent: Dominus autem intuetur cor.* Et ne alia nunc commemorem, pertinent huc insignia illa Petri verba, quæ tunc protulit, cùm Ethnicis hominibus esset primùm Dei jussu Evangelium annunciaturus: *In veritate comperio, quòd non est acceptor personarum Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi.* Scilicet & beneficentia ad justitiæ naturam ac rationem sese quodammodo accommodat, cujus etiam nomen eam in s. literis sortiri vidimus. Etsi enim interdum nihil est necesse, ut qui beneficium in alium confert, aliquam extra se caussam in dando beneficio respiciat: consentaneum tamen est, ut si quid tale spectare velit aut debeat, partim quidem indigentiam respiciat ejus, cui benefacere vult; partim eam illius dignitatem, quæ ex factis pendet; nonnunquam & aptitudinem quandam ad id perficiendum, cujus caussâ beneficium datur. Homines quidem etiam conjunctionem, quæ illis cum aliis intercedit, sæpè non immeritò spectant: sed ea caussa in Deo, quatenus a dignitate factorum sejuncta est, vix ullum habet locum. Dignitas autem illa, quæ in factis consistit, juri illi, quod justitia particularis spectat, aliquo modo est analoga: quanquam non earundem planè est virium. quia illa ad beneficium dandum per se neminem obstringit: at jus obstringit. Ad illam ergo Deus in beneficiis etiam dandis, si quicquam extra se spectet, attendit, & tum judicium, tum facta sua attemperat. Dico, *si quicquam extra se spectet:* quia nec semper ad qualitates eorum, quibus benefaciendum est, respicit, nec respicere necesse habet; sed libera ejus voluntas ad beneficium conferendum sufficit, ut ex iis patet, quæ suprà de Potestate Dei disseruimus. Quin etiam cùm creaturas primùm produxit, & eo ipso variis eas beneficiis ornavit, ad caussas ejusmodi ne potuit quidem attendere. Vnde nec prosopolepsiæ ea in parte est accusandus. Hæc enim qualitates personarum semper æstimat; quanquam non illas, quas debebat: Deum autem tunc qualitates personarum nullas respexisse dicimus.

1 Sam: 16. 7.

Act: 10. 34, 35.

Non obſtat autem iis, quæ hucusque diximus, quòd Deus poſteritati Abrahami, Iſaaci, & Iacobi, præ cæteris terræ nationibus peculiariter faverit; ſimiliter & Davidis poſteris præ cæteris Iſraëlitis, & quidem ob id ipſum, quòd ab iſtis majoribus eſſent progeniti. Diximus enim, proſopolepſiam eſſe, reſpicere eas perſonarum qualitates, quæ ad juris & æquitatis rationem nullum habent momentum. Atqui in illis, aliiſque hominum piorum poſteris, propagatio ad juris & æquitatis rationem pertinet; non quidem per ſe, ſed veluti per accidens. Neque verò etiam per ſe a Deo reſpicitur; ſed quia majorum pietatem etiam in poſteris remunerari æquum eſt, præſertim poſtquam promiſſio aliqua ea de re interceſſit. Interceſſit autem in Abrahami, Iſaaci, & Iacobi, Davidíſque poſteris: imò in omnibus, qui mandata Dei obſervant. Vtrumque docent ſacræ literæ. Et ne ſpecialia promiſſa nunc commemorem, Patriarcharum illorum poſteritati data; omnium piorum liberis in milleſimam etiam generationem Deus ſe promiſit benefacturum. Non eſt autem proſopoleptes, qui ex promiſſo, certæ nationi aut familiæ adſtricto, debitor factus, promiſſa illa exſolvit, & porrò ad familiam eo tempore reſpicit. ſiquidem promiſſum exſolvi non poteſt, niſi ad familiam, cui *id* adſtrictum eſt, reſpectu habito. Similis autem ratio eſt, cùm nulla quidem extat promiſſio, eadem tamen aut ſimilis eſt cauſſa, quæ ad promiſſionem etiam familiæ alicui nominatim faciendam impellere ſolet, hoc eſt, pietas parentum ac majorum. Non accuſantur principes aut magiſtratus proſopolepſias, qui ſive ob legem ea de re extantem, ſive nulla lege cogente, bene meritorum liberos majoribus, quàm cæteros, beneficiis afficiunt, aut iis interdum parcunt, cum aliis in eodem delicti genere deprehenſis non parcant. Illud rectè reprehenditur, ſi nimium ſit inter illos & cæteros diſcrimen, aut licentiæ illis feneſtra hujusmodi indulgentiâ aperiatur. Sed neutrum facit Deus. Habet enim illud diſcrimen, quod Deus inter piorum & impiorum liberos promiſſione ſua conſtituit, certos quosdam limites, nec licentiæ relinquit locum. Nam & illi, ſi impiè agere pergant, pœnæ ſubjiciuntur; & hi ſi piè vixerint, præmiis a Deo afficiuntur: licèt illi in præmiis aliqua gaudeant prærogativâ; in pœnis autem mitiùs nonnunquam tractentur; niſi fortè aut ipſorum utilitati in pœna conſulatur, aut uberior divinæ voluntatis cognitio delicta eorum aggravet, & eos pœnæ reddat magis obnoxios. Nam ob illam etiam cauſſam, Iſraëlitæ olim citiùs nonnunquam puniebantur, ut teſtatur Auctor

Exo: 20. 6. Deut: 5. 10.

libri

libri 2. Maccabæorum[a]; ob hanc verò etiam gravius ac severius puniti sunt, & aliquando punientur. Vnde Paulus in loco[b] cap. 2. Rom. superiùs a nobis citato docet, præmium quidem pietatis, uti & pœnam impietatis, esse Iudæo & Græco seu Ethnico commune; sed utrumque tamen ad Iudæos primùm ac potiori quodam jure spectare. Neutrum autem cum prosopolepsia quicquam conjunctum habere, imò prius illud ei planè etiam adversari, ostendit ratio subjecta: *Non enim est acceptio personarum apud Deum.* Tum demum acceptio personarum apud Deum foret, si Deus Iudæos, licet impiè viventes, ob id ipsum, quòd Iudæi sint, hoc est, ex Patriarchis oriundi, circumcisi, Legis cognitione donati, pœnâ eximeret; Gentes contrà, utut piè viventes, a præmio excluderet, quia illa prærogativa destituantur. Sed id non facit Deus. ad facta hominum, in ipso præmio aut pœna decernenda revera attendit: non gentem aut natalium splendorem respicit; non circumcisionem aut præputium; non quicquid a virtute ac pietate hominis sejungi potest. Vnde Petrus quoq; ait, Deum *sine acceptione personarum judicare secundùm uniuscujusque opus.* quod idem a Paulo Rom. 2. affirmari suprà vidimus. cujus non tantùm illa, quæ ex eo recitavimus verba, sed & cætera, quæ sequuntur, consideranda sunt: in quibus docet, nec Gentibus ignorantiam Legis Mosaicæ, nec Iudæis Legis cognitionem, si nihilominus peccaverint, ad impunitatem profuturam; nedum ut sola generis prærogativa Iudæos in impietate perseverantes sit a pœnis liberatura.

a cap: 6. 12, & d.
b ℣ 9, 10.
℣ 11.
1 Pet: 1. 17.
Rom: 2. 12, & d.

Satis, ni fallimur, de justitia particulari diximus. Sequitur nunc, ut de Sinceritate, &, quæ sub ea continetur, Veritate dicamus. Sinceritas enim tum in verbis, tum in factis, quibus animi sententiam significare aliis volumus aut solemus, cernitur. Veritas propriè loquendo in verbis tantùm, & illis quidem solis, quibus aliquid sive affirmando sive negando pronunciamus atque asserimus. quanquam Veritatis vox in f. l. interdum & sinceritatem ac fidem in se complectitur, & non fictam benevolentiam significat: in iis præsertim locis, in quibus cum misericordia jungitur, de quibus infrà. Est autem Sinceritas ea sive virtus, sive rectitudinis pars, quâ fit, ut quatenus rerum circumstantiæ postulant, aliis significemus id, quod revera sentimus. Opponitur enim hypocrisi, & fraudi: quarum illa propriè affectum erga quempiam benevolum, vel aliud quippiam honesti, verbis externâve specie præfert, & persvadere aliis conatur; cum tamen illum non habeas, hoc non præstes. Hæc verò, nempe fraus, malum, quod injustè moli-

tur, occultat; & ſæpe quidem cum hypocriſi jungitur: interdum altera ſejungitur ab altera. His ergo vitiis oppoſita ſinceritas curat atque efficit, ut inter ea, quæ intùs ſentimus, & exteriùs ſignificamus, convenientia ſit, & legitimus conſenſus. Non eſt autem conſenſus ille, ex honeſtatis lege in omnibus & perſonis & rebus planè uniusmodi. Quin & ſignorum diverſitas aliquod parit in ſinceritatis ratione diſcrimen. Nam quod ad perſonas attinet; hominibus nonnunquam, cùm alia ratione vel ſuæ, vel alienæ ſecuritati, honeſtoque commodo conſulere non poſſunt, permittitur, ut contrarium ejus, quod ſentiunt, dicant: cujus rei etiam in ſacris literis exempla extant. Non commemoro ea, in quibus homines hominibus ignoſcunt, licèt a rigida veritatis lege diſcedant, cùm non usquequaque ſeriò rem agunt, aut in blandimentis longiùs, quàm res ipſa cæteroqui fert, progrediuntur. Sed cum & ab iſtiusmodi neceſſitate Deum immenſa ipſius potentia liberet; & a cæteris, quæ humanæ imbecillitatis atque imperfectionis ſunt propria, ſumma ipſius perfectio ac majeſtas; ideo illud quoq; ab eo abeſt, quod ob neceſſitatem, vel ſaltem ob cauſſam aliquam ex humana imbecillitate aut imperfectione profectam, in hominibus toleratur, nonnunquam aliqua ex parte laudatur. Itaque nunquam Deus contrarium ejus, quod revera ſentit, teſtatur, h. e. nihil unquam vel dicit, vel facit, quod in alium ſenſum jure accipi nequeat, quàm in eum, qui menti ac ſententiæ ipſius repugnet. Quare cùm verba Dei ita ſunt comparata, ut aliter accipi nequeant, quàm ut videatur gratiam ſuam homini offerre, & aliquid ei promittere; omninò ſtatuendum eſt, eum revera velle hominem gratiâ ſuâ proſequi, & id, quod offert, ipſi præſtare, licèt fortè ſub conditione aliqua, in hominis ipſius arbitrio poſita. Similiter etiam cùm comminatur, intelligendum eſt, eum velle punire, licèt conditionem, aut etiam exceptionem aliquam fortè ſubintelligat, ut ſuperiùs eſt explicatum, cùm de poteſtate divina ageremus. Nam major aliquo modo promiſſionis, quàm comminationis vis eſt; & candor nonnunquam magis permittit, ut cùm minaris, exceptiones quasdam ſubaudias, quæ comminationis vim aliquo modo infringant, quàm cùm quippiam promittis. Neque enim candoris eſt, promiſſionibus, præſertim liberrimè factis, quales ſunt divinæ omnes, quemquam ludificari, & ſpe vana, præſertim miſerum, lactare. Illud quidem fieri poteſt, ut Deus non ſatis clarè exprimat, quale aut quantum ſit illud bonum, quod illi præſtare velit. ſed in eo tamen hominem nequaquam deludit. Solet enim

Exo: 1. 19. conf: cum præced. 1 Sam: 19. 14, 17. conf: cum ℣ 11, 12, & c. 20. 6, 28, 29. 30. 2.

let enim Deus ferè plus præstare, quàm promisit; nedum ut, cùm magnifica promittere omnino videtur, parum aut nihil præstare cogitet. Hominum est vanorum, aut Satanæ, mendacii parentis, multa polliceri, & parum aut nihil præstare; non Dei, qui ipsa est sinceritas ac fides. Similiter autem, cùm verba divina ita sunt comparata, ut omninò aliquid præcipere videatur; dubitandum non est, eum seriò velle, ut ii, quibus mandata illa proponi curat, iis pareant. idque tantò magis, si pœnam illis, qui non paruerint, comminetur. Quamquam omnibus Dei mandatis pœnam tacitè appositam esse intelligendum est, cùm expressè non est addita; & tantò quidem majorem, quantò gravius est delictum, quod adversus illa committitur. Pœnæ autem comminatio signum est voluntatis maximè seriæ, & certum argumentum, ex quo intelligatur, illum, qui mandato eam apponit, omnino velle ac cupere, ut præcepto suo pareatur ab iis, quibus id proponit. Maximè autem certum est hoc argumentum in Deo, cujus sacrosanctam tremendamque majestatem non decet ludere aut jocari; nec sinceritatem, in fraudem quemquam impellere, & pœnâ etiam eum, qui parere libenter vellet, implicare. Quare cùm generalia hominibus proponit præcepta, omnino etiam vult, h. e. cupit ac desiderat, ut illa ab omnibus generatim, quibus ea proponi curat, observentur: licèt interea potestatem sibi reservare queat, eorum effectum in certis casibus, justasque ob caussas, aliquo modo impediendi. Nam cùm homines, cognitis illis legibus, contumaciter iis reluctantur, indurare eos potest, & media illis ac vires quodammodo subtrahere, mandatis illis parendi, & sic pœnam, quæ transgressoribus eorum est proposita, effugiendi. Eodem modo cùm specialia seu singularia hominibus proponit mandata, vult ea etiam observari; licèt interdum, ob peculiarem aliquam caussam, effectum eorum aliquò usque impedire possit, & tum, cùm præcepta proponit, id jam habere decretum. Hoc autem propter quædam f. literarum loca dicimus, ex quibus colligi posse videatur, imò a quibusdam omnino colligitur, Deum ea nonnullis præcepisse, quæ tamen ab iis fieri noluerit. quod postmodum ulteriùs ab iisdem trahitur, & ad generalia etiam Dei præcepta extenditur, quasi nimirum is potuerit præcepta hujusmodi promulgare, licèt jam omnino apud se constituisset, ut maxima eorum, quibus illa proponeret, hominum pars, ea non observaret, & observare non posset. qua in re summam divinæ sinceritati ac rectitudini faciunt injuriam. Loca verò, ex quibus tam absurdam

colligunt sententiam, illa inprimis sunt, ubi legimus, Deum Abrahamo præcepisse, ut filium suum Isaacum offerret in holocaustum: & Pharaoni, ut populum Israeliticum dimitteret; cùm interea constituisset cor ipsius indurare, ne populum dimitteret. Atqui nequaquam concedendum est, Deum istic id præcepisse, quod planè noluerit fieri; & quicquam esse ab eo dictum, quod menti ipsius planè esset adversum, licèt eam consultò non satis clarè expresserit. Nam quod ad præceptum Abrahamo datum attinet; non sunt ita Dei verba comparata, ut omnino necesse sit statuere, Deum voluisse, ut Abrahamus effectu ipso occideret filium, ac combureret. Cum ad eorum vim sufficiat, voluisse Deum, ut is, quantum in se esset, filium in holocaustum offerret, & omnia ad eam rem pertinentia faceret, nisi quatenus ab ipsomet Deo impediretur. Nam & is jure dicitur quippiam fecisse, qui, quantum in se fuit, id fecit, nec quippiam, ut id perageretur, prætermisit, etiamsi, ne rem penitus perficeret, fuerit impeditus. Neque verò necesse est exempla longè petere; cum hæc ipsa res, de qua disputamus, exemplum nobis suppeditet. Etenim Deus ipse apud Mosen testatur, Abrahamum *obedivisse voci suæ*. Quæ verò illa vox Dei fuit, cui Abrahamus obedivit? Nempe ut offerret filium in holocaustum. Hoc ergo fecit Abrahamus, quod ipsi fuerat præceptum, quodque adeo Deus voluit ac sensit, cùm ei mandatum illud daret. Quare id sensit, quod dixit; licèt obscuriùs diceret. Confirmant idem D. Auctor Epist. ad Hebr. & Iacobus, qui simpliciter asserunt, Abrahamum *obtulisse* filium suum. Quo quidem verbo totum id complectuntur, quod apud Mosen dicit Deus, ut Abrahamus filium *offerat in holocaustum*, seu, ut Hebræa propriè sonant, eum *ascendere faciat in ascensionem*. Neque enim oblatio in sola mactatione consistit, sed potiùs in re mactationem consequente, & hoc quidem loco in combustione. Omnia enim, quæ ad combustionem illam pertinerent, comparaverat Abrahamus, jamque in eo fuerat, ut filium lignis impositum jugularet, ac porrò cremaret. Quod ad Pharaonem attinet; revera etiam Deus voluit, ut is populum dimitteret; licèt non statim, quemadmodum verba præ se ferunt, id fieri vellet; sed tùm demum, ubi suppliciis, quæ commeritus inusitata crudelitate ac tyrannide fuerat, jam ferè esset confectus. Adde, quòd nihil prohibet, quominus dicamus, etiam hoc voluisse Deum, nisi quatenus malitia ipsius jamdudum contracta, & sponte ab eo suscepta prohiberet. Neque enim Deus, cor ipsius indurando, malitiam aut contumaciam ei in-

Gen: 22. 1. Exo: 2. 7, & d. Gen. 22. 12.

am ei indidit, & voluntatem populum haudquaquam dimittendi inseruit; sed spontè ab eo susceptam eatenus obfirmavit, ne vi suppliciorum, quibus frangi alioqui potuisset, ita lassaretur, quin denuo sese erigeret, & sese Dei mandatis opponeret. Indignus enim erat, qui castigatione aliqua, utut duriore, ad frugem revocaretur, & secuturis suppliciis hac ratione viam quodammodo præcluderet. Quòd si suscepta animi malitia permisisset, ut Pharao animum ad Deo parendum flecteret; divinæ voluntati consentaneum fuisset, ut induratio, quæ voluntariam istam animi malitiam præsupponebat, vim suam amitteret. Quare ne ex hoc quidem exemplo colligi potest, Deum aliquid præcepisse, quod fieri planè noluerit. Vnde porrò intelligitur, quàm iniquè ex hujusmodi exemplis colligatur, Deum hominibus generatim ea præcipere, quæ a maxima eorum parte observari nolit. Nam ne ea, quæ hucusque dicta sunt, repetamus; illud etiam satis liquet, hæc exempla inusitata esse, & illi, quod inde concluditur, valde dissimilia. Nam quod ad prius attinet; expressè scribitur, Deum tentasse Abrahamum, h. e. insigne atq; adeò insolitum quoddam fidei ac pietatis ejus experimentum capere voluisse. Hoc autē non semper facit Deus, cùm præcepta sua proponit; imò eo ipso, quòd generalia præcepta proponit, nunquam; nisi in alia vulgariori significatione verbum tentandi accipias. quo modo nos tentare dici possit Deus, qvoties qualemcunque pietatis ac virtutis effectum ac documentum a nobis requirit. Quod ad posterius attinet; itidem satis apparet, rem esse extraordinariam, & caussam habere peculiarem, quæ in hominibus plærisque locum non habet, quibus Deus legem suam proponit. Neque enim ullum ejus rei extat indicium, quòd Deus eorum hominum, quibus leges suas proponi curat, animos induret, aut indurare absque ulla conditione, in ipsorum arbitrio adhuc posita, velit. Cogitandum est, Deo illic cum tyranno rem fuisse, qui ob inusitatam, in infantes etiam innocentissimos crudelitatem, ob tyrannidem in populum innoxium exercitam dignus fuerat, quem inusitato quodam modo ulcisceretur. Adde, quòd nullam tum temporis gratiæ ac benevolentiæ erga Pharaonem significationem dedit, nihil illi obtulit aut promisit. At cùm populo Israëlitico v. g. præcepta daret, promissa simul addidit, & fœdus cum illis percussit. Cùm verò Christi præcepta promulgari curavit, inusitati planè amoris erga genus humanum significationem dedit, remissionem peccatorum ei obtulit, regnum cœlorum promisit; filium pro iis morti impendit, ac

fœdus

fœdus cum illis feriit. Hæc certè non sunt illius, qui homines simpliciter, seu absque ulla conditione indurare velit; sed potiùs ejus, qui loco cordis lapidei, cor carneum illis dare, & mentibus eorum leges suas inscribere cupiat. Præterea dissimilitudo eo ipso se prodit, quòd præceptorum istorum specialium significationem ac sententiam aliquo modo occultavit Deus; at hîc sententiam præceptorum non occultat. Satis enim apparet, id omnino jubere præcepta, quod nos ex verborum vi, & rerum locorúmve circumstantiis intelligimus, aut intelligere haud difficulter possumus. Quis namque dubitet, Dei præcepta v. g. postulare, ut ipsummet toto pectore diligamus, eum colamus ac revereamur; proximum perinde ac nos ipsos amemus, eique non modò non malè faciamus, sed potiùs pro virili benefaciamus; itemque ut sobrii, casti, patientes simus? Sententia ergò hîc satis plana est. Id tantùm quæritur, utrùm id revera fieri velit Deus nec ne, quod præcepta velle liquidò constat. Atqui in illis exemplis id, quod verba obscuriùs significabant, fieri omnino voluit Deus: hîc ubi de verborum sententia satis constat, dubitatur, utrùm id etiam velit Deus, quod eum jubere apertè cernimus? ubi obscurior fuit, candidus nihilominus fuit: ubi apertus est, non erit? Denique *in* Abrahamo Deus non ita effectum mandati sui vel impedivit, vel impedire constituit, quin is fidem ac pietatem suam abunde probare posset; secùs quàm in majori humani generis parte illi fieri putant, quibuscum hîc nobis res est. In Pharaone quoque non virtutis actum revera, sed coactionis potiùs effectum Deus impedivit. Id enim tantùm præcavit, ne Pharao plagis tam gravibus ad pœnitentiam quandam adactus, in ea constanter perseveraret; néve id, quod vi expressum erat, ei aliquo modo prodesset. Quare firmum illud & inconcussum manet, quod asseruimus, nunquam Deum quicquam dicere aut facere, quod aliter accipi nequeat, quàm in sententiam menti ipsius adversam, aut ab ea prorsus alienam. Et hic quidem primus est ac latissimè patens sinceritatis ipsius effectus.

Porrò autem, ut ad alios, eosque speciales sinceritatis effectus veniamus; tum rerum ipsarum, circa quas ea occupari possit, tum signorum, quibus animi sententia indicari aliis queat aut soleat, discrimen attendendum est. Quod ad rerum discrimen attinet; quarundam ea est ratio, ut quid de illis sentiamus, salva sinceritate occultare liceat, nonnunquam etiam omnino deceat; adeò ut etiam facere quædam consultò possis, quæ ab animi tui sententia cogno-

tia cognoscenda aliorum mentes veluti abducant; cùm nimirum non parum intereſt, ut res aliquo modo celetur, ut inferiùs apparebit. Quarundam verò rerum ea eſt ratio, ut, licèt tuam de illis ſententiam aliqua ratione ſignificare velis, poſſis tamen non plenè ſignificare; quarundam denique ea, ut apertè, quid de iis ſentias aut ſtatuas, ſignificandum ſit, ita ut ea omnia vites, quæ meritò efficere poſſint, ut ii, cum quibus tibi res eſt, aliud te ſentire exiſtiment, aliud tu ſentias. Nam, ut de prioribus duobus rerum generibus nonnihil dicamus; facilè quivis cernit, nihil in eo contra ſinceritatem agere Deum, quòd non omnia ſua conſilia, vel hominibus, vel ipſis etiam angelis patefacit, ſed quædam diu occultat, ut [a] de myſterio Evangelico, rebusque ad illud pertinentibus, [b] de die ultimi iudicii, & [c] aliis quibusdam Dei decretis legimus. Nihil etiam in eo adverſus ſinceritatis legem facit, quòd, cùm quædam prædicit, præſertim in futurum longiùs ſpectantia, obſcuriùs nonnunquam prædicit, aut ſub figuris quibusdam ſpectanda proponit, ita ut non niſi ex parte aliqua intelligi poſſint, præſertim antequam ipſe eventus ea declaret atque in apertum producat. Talia non pauca apud Prophetas, & in Apocalypſi occurrunt. Sed, ut ad tertium rerum genus veniamus, quod præcipuè huc pertinet; nonnulla ſunt, in quibus, ut apertè agatur, ſinceritas poſtulat. Talia ſunt inprimis fœdera, & juramenta: quamquam juramenta etiam ad ſigna, quibus animi ſententiam aliis ſignificare ſoleamus, revocari non immeritò poſſunt. Sinceritas autem in utrisque ſingularis requiritur; quia & his & illis alteri cavetur; quamquam in fœderibus non ſoli; quódque fœdera pro ſanctiſſimo contractuum ſeu pactorum genere meritò habentur; & juramētum, quod religioſa conſtat affirmatione, omnium ſanctiſſimus eſt modus aliquid confirmandi, & alteri cavendi. Itaque ſi illis aliquid ſimulati aut ficti admiſcere liceret, nihil jam ſincerum, nihil ſanctum foret, nihil cui fidere tutò poſſes. Quare in utroque ita apertè agendum eſt, ut is, cum quo res eſt, quid ſentias, intelligere facilè poſſit. Nam eo ſenſu te verba tua accepiſſe, intelligendum eſt, quo eum intelligere, aut intellecturum eſſe cenſuiſti, cui juras, aut cum quo fœdus pangis. Vnde facilè animadverti poteſt, Deum, cùm ad fœdera nobiscum ferienda ſeſe demittit, juramento ſe nobis obligat, non minùs ſincerè nobiscum agere, quàm homines cum hominibus in fœderum pactione aut jurejurando debent; imò tantò magis, quantò eſt ſanctior, & ab omni fraude alienior. Cum enim, ut nobis tantò magis caveat, & ſpem noſtram

a vid: Rom: 16. 25: Eph: 3, 5, 9.
b Mat: 24 36.
c Apoc: 5. 3.

reddat

reddat firmiorem, ad sanctissima pactionum, aut confirmationum genera descendat; necesse est, ut illa etiam omnino observet, quæ pactorum illorum aut confirmationum ratio postulat, & sine quibus illa vim suam genuinā essent amissura, nec plus roboris, quàm simplicia dicta, essent habitura. Aliàs frustra nobis fœdera, frustrà juramenta divina inculcarentur. Frustrà, ut alia nunc omittam, diceret divinus ille ad Hebr. scriptor eo, quem superiùs alicubi ex parte citavimus loco: *Abrahæ promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per semetipsum, dicens: Nisi* (Gr. *Certè*) *Benedicens benedicam te*, &c. *Homines enim per majorem sui* (Gr. simpliciter *per majorem*) *jurant: & omnis controversiæ eorum* (Gr. *illis*) *finis, ad confirmationem, est juramentum. In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit juramentum: ut per duas res immobiles* (nempe promissionem, & juramentum promissioni additum) *in quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus*, &c. Quo quidem loco cum non simpliciter dicatur, *impossibile esse mentiri Deum*, licèt id alioqui verissimum sit; sed in duabus istis rebus, nempe promissione & juramento, impossibile esse mentiri Deum; non sine caussa viri quidam docti existimant, aliquantò latiùs verbum *mentiri*, aut Græcum ψεύδεσϑ, quo utitur divinus auctor, extendi, quàm proprietas illius postulat, ita nimirum, ut etiam tacitam quandam exceptionem aut conditionem excludat, qua cessante eventus non sequatur, atque ita spem nostram frustretur; quia nimirum id non fiat, quod verba apertè præ se ferant. Hujusmodi enim exceptiones, aut conditiones tacitas a juramenti religione excludi. Quicquid sit; illud ex eo loco satis constat, non minùs sanctum apud Deum juramentum esse, quàm apud homines; & si humana juramenta sincera esse debeant, divina etiam omnino esse. Quare cùm Deus jurat v. g. se nolle mortem impii, sed ut convertatur ac vivat; non dubitandum est, id Deum sincerè velle, quod simplicitas verborum præ se fert. Similiter etiam, quia interventu mortis filii sui fœdus cum genere humano percussit, in quo remissionem peccatorum omnibus hominibus, sub cōditione fidei ac resipiscentiæ offert, (sic enim fœderis illius mediator, ejúsque ministri ac legati in orbem universum dimissi, ejus vice ac nomine testantur;) statuendum etiam est, Deum omnino cupere, ut homines credant ac resipiscant, & sic remissionem peccatorum consequantur; tum demum justissimè ab hujus fœderis beneficio arcendi, ubi tantam benignitatem impiè contemserint.

Heb: 6, 13, & d.

Ezech: 33. 11.

Quam-

Quamquam, ut ſuperiùs jam diximus, cætera quoque promiſſa ſimulationem excludunt. quod etiam de præceptis dicendum eſt. Nam juramentis ac fœderibus, in quibus apertè ſit agendum, etiam præcepta ſunt adjungenda, præſertim ſi illi, qui ea non obſervaverit, pœna propterea ſit ſubeunda. In iis enim ita loquendum eſt, ut alter intelligere haud difficulter poſſit, quid ſibi faciendum ſit, præſertim ſi animum attendere velit, & eam, quam rei gravitas exigat, diligentiam adhibere, animumque ad obſequendum componere. Aliter enim ſi quis faciat, cauſſam conſultò videtur quæſiiſſe, etiam eum, qui libenter cæteroqui paruiſſet, pœnâ atque ſupplicio involvendi, quod effugere is alioqui potuiſſet. id quod a ſinceritate prorſus alienum eſt, & a fraudis ac doli mali crimine vindicari non poteſt. Illud ſinceritati non repugnat, ſi in præcepto aliquid non exprimatur, cujus ignorantia ei, qui parere vult, nil noceat, ut in præcepto Abrahamo dato, de filio offerendo factum vidimus. Nihil etiam illud, ſi quippiam celetur eum, cujus animus ad parendum minimè compoſitus eſt, ſed ab obſequio adeo alienus, ut non niſi vi quadam ad illud pertrahi poſſit; quique diuturna improbitate eſt commeritus, non ut ſpacium atque opportunitas ei detur obſequium aliquo modo probandi, ac pœnam effugiendi; ſed potiùs ut ea illi occaſio præcidatur, utque ad ſupplicium rapiatur. quod poſterius in Pharaonis exemplo vidimus.

Iam ut ad ſignorum etiam diſcrimen veniamus, quibus animi ſententiam, conſilium, aut affectum aliis ſignificare poſſimus, aut ſoleamus; jam antea indicavimus, ea vel dicta eſſe, vel facta. Et de dictis quidem quid ſentiendum ſit, haud difficulter ex generali ſinceritatis divinæ effectu colligi poteſt. Nam cùm verba certam ex inſtituto ſignificationem, quamquam non ſemper unam habeant; ſintque adeò definitarum rerum inter homines ſymbola: ſinceritatis divinæ eſt, ut, cùm iſtis ſymbolis utitur, & omninò oſtendit, ſe hac ratione ſuam nobis ſententiam aperire velle, ita verbis utatur, prout lingvæ, quâ loquitur, ratio fert; non verò ad eum modum illa tacitè accipiat, ut ab iis, qui audiunt, non poſſit non aut contraria menti ipſius ſententia, aut ab ea planè aliena concipi. quod quidem fieret, ſi novas ac planè inuſitatas vocibus aut phraſibus ſignificationes inderet, deque iis homines, quibuscum loquitur, non moneret. Nihil id ſanè foret aliud, quàm homines deludere, & cùm aliquid ſignificare illis videretur, nihil tamen ſi-

men significare, aut in errorem eos consultò inducere. id quod a sinceritate prorsus abhorret.

Quod ad facta attinet; ea duplicem significandi vim habere possunt: vel naturalem, vel ex instituto; vel partim a natura, partim ex instituto. Naturalem significandi vim habent facta, quatenus naturalem quendam cum rebus, quas indicant, nexum habent; qualis est v. g. inter caussas & effectus, aut inter res, quarum altera alteri adjuncta esse solet. Harum enim alia aliam arguit, quamquam non semper similiter. Ex instituto autem significant, quatenus vel communi consvetudine, vel certarum personarum voluntate aut pacto ad quippiam designandum adhibentur. Naturaliter v. g. divina beneficia, præsertim ingentia, amorem ipsius erga eum, in quem conferuntur, significant: uti & contrà supplicia gravia atque horrenda iram. Ex instituto autem illa, quæ ad fœdera quædam sancienda Deus adhibuit, aut adhiberi voluit. Talis fuit transitus per partes victimarum dissectarum; quo signo usus est Deus ad fœdus cum Abrahamo pangendum: quanquam & miraculum fuit adjunctum. Notant enim præter Hebræos alii quoque viri docti, tum ex isto loco, tum ex Ierem. 34. hujusmodi per partes victimarum dissectarum transitu, fœdera confirmari solita fuisse. Talis fuit & aspersio sangvinis victimarum, quam Moses, fœderis inter Deum & Israëlitas mediator, ab ipsomet Deo constitutus, ad id sanciendum adhibuit. De utroque genere aliquid trahunt miracula, quibus Deus ea confirmare consvevit, quæ hominibus annunciari curavit. De utroque etiam, sed plus tamen de priori trahit Filii Dei traditio in mortem, quâ novum fœdus inter Deum & homines fuit sancitum. Siquidem effectus est & argumentum certissimum divini erga nos adhuc impios amoris, ex quo remissio peccatorum, nobis in novo fœdere proposita, pendet. Hoc pacto & spiritus sanctus in fideles Christi effusus, arrhabo est hæreditatis nostræ.

Gen: 15. 9, & d. & ℣ 17, 18.
Ier: 34. 18, 19.
Exo: 24. 8.
Heb 9, 18, & d.
Mat: 26. 28.
Luc: 22. 20.
Heb: 9. 15, & d. c. 10. 29: 13. 20.
Ephes: 1. 4.

Discrimine factorum, quod ex modo significandi pendet, animadverso, jam porrò dispiciendum est, quo pacto sinceritatis sit, aut non sit, his signis uti. Quod ergo ad facta attinet, quæ certam ex natura rei significationem habent, sive per se ac simpliciter, sive ob certam circumstantiam; in illis, quà talia sunt, nullæ sunt propriæ candoris ac sinceritatis partes. Hæc enim ibi propriè locum habet, ubi per naturam & simulatio habere posset. Hæc autem in factis, quatenus certam ex natura significationem habent, locum invenit nullum. Itaque nulla habita ratione sinceritatis divinæ,

vinæ, cùm ex effectis ipsius evidentibus, caussa eorum necessaria, quæ in ipso existat, colligitur, in eo errari non potest. Quatenus autem facta, nec ex instituto ullam significandi vim habent, nec ex natura rei planè certã, utut fortè probabilem; eatenus quidem sinceritas in illis locum habet, sed non adeo arctum. Neque enim sinceritas semper jubet, ut id facias, quod animi sententiæ ac consilio magis appareat esse consentaneum, & ad id alteri significandum aptius. Imò ut suprà jam indicavimus, cùm justa est atque idonea caussa, cur alterum consilia tua celes, aut operam des, ne illi ea ex tuis factis veluti pelluceant; sinceritas non vetat, quominùs consultò quædam facias, quæ sententiæ tuæ sint in speciem contraria, & ab ea cognoscenda alterius animum quodammodo abducant. Hoc pacto Paulum nonnulla fecisse apertè videmus, & plura ex iis, quæ de se ipse scribit, fecisse colligimus, quæ ad sententiam ipsius de libertate Christiana apud Iudæos aut Christianos infirmiores occultandam facerent, & ab ea cognoscenda illorum mentes abducerent. nempe quia id ipsismet erat utile, & ad eorum ædificationem spectabat. Hinc idem & aliis in re simili præcipit: *Tu fidem habes? penes temetipsum habe coram Deo.* Loquitur enim de fide ea, quâ quis credat, licere sibi uti rebus omnibus, quarum usus non est a Christo interdictus, utut a Mose aliquando prohibitus. Hanc fidem qui habet, eum monet, ut illam premat, ac sibi servet, ita ut Deus tantùm illius sit conscius, si nimirum ejus patefactio infirmiores sit offensura. Quamquam & aliis in rebus, aliisque de caussis videas, tum ipsum [a] Christum, tum [b] alios viros sanctos, & nonnullos quidem ipsius Dei jussu, aliud consultò in factis præ se tulisse, quàm revera spectarent. Neque tamen quisquam ausit dicere, eos quicquam adversùs candoris leges fecisse. Vnde jam aliquo modo colligere possumus, quid de divinis factis sit statuendum. Facit nempe Deus interdum quædam, quæ speciem præ se ferant sententiæ consilio ipsius contrariæ; idque consultò, ut vel fidei ac pietatis humanæ experimentum eo pacto capiat; vel homines impios ac perversos judiciorum suorum, ut ita dicam, indagine cingat, eorumque cassibus ita implicet, ut ad illa se duci vel non facilè, vel non nisi serò animadvertant. Nam quod ad prius attinet; ita nonnunquam cum suis agit, ac si eos non amaret, vel amare desiisset, & eos exaudire, ac opem illis ferre nollet. qua de re divinos viros cum eo quodammodo expostulare videas. Quod ad posterius attinet; cum impiis ita non raro agit, ac si eos punire nollet. Nam non modò supplicium differt, gravitate ali-

vid: Act: 16. 3. 21. 20, & d. 1 Cor: 9. 20, & d.

Rom: 14 22.

a Luc: 24 28. add: Mar: 6. 48. b d. l. Act: 16 & 21. & 1 Cor: 9. c 1 Sam: 16 2. cōf. ℣ 1, 3, & d. 3 Reg: 20. 38.

vid: Num: 11. 11, & d. Psal: 10, [illegible] 38. 1, & d. 22. 1: 31. 2, [illegible] 42. 10, & alibi.

Cap: XXV. De Sanctitate Dei. vid: Psal:37 & 50. 21,22: & 73. add: Mat: 24. 38. & d. 1 Thess: 5. 2, 3.

tate aliquando tarditatem compensaturus; sed ipsos etiam impios opibus, potentiâ, honoribus vult florere, & omnia illis ex animi sententia fluere, ut se felices existiment. Tum demum ex inopinato eos aggreditur, & eam ipsam, quâ se extulerant, fortunam eis in ruinam vertit. Qua quidem in re nec iniquè agit Deus: siquidem non nisi homines id abundè commeritos ita ulciscitur: nec contra sinceritatem quicquam facit. Neque enim impio revera significat Deus, se eum, si ita vivere pergat, punire nolle. sed impius supplicii dilationem, & indulgentiam divinam, quam in occasionem resipiscentiæ vertere debebat, stultè interpretatur tanquam impunitatis signum, & in licentiam ac laqueum suâ planè culpâ vertit. Qui enim jus puniendi habet, non cavet sonti, dum supplicium differt: quanquam illi nonnunquam resipiscendi, ac supplicium hoc pacto evitandi spacium largitur: sed sæpe etiam occasionem ulciscendi commodiorem expectat. Quare si is qui pœnam est commeritus, aliter hoc ejus factum interpretetur, in eoque fallatur, sibi id imputare debet, & suam accusare insipientiam, fraudem punienti adscribere jurè non potest. Idem ergo & de Deo cogitandum est; præsertim cùm indulgentia ipsius talem sortiri soleat exitum, qualis illius est usus; malum, si malus; si bonus, bonum. Veruntamen, quia Deus, dum homines perversos punire vult, simili quodammodo ratione, quâ illi peccarunt, in illis ulciscendis utitur; ideo a Davide, per metaphoram catachresticam, cui antanaclasis locum facit, & duritiem quodammodo demit, *cum perversis perverti*, seu *perversè agere* dicitur. Sic enim Deum alloquens ait: *Cum sancto sanctus* (Hebr. *cum misericorde misericors*) *eris; & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus* (Hebr. *cum mundo mundus*) *eris; & cum perverso pervertéris.* & rationem addit: *Quoniam tu populum humilem* (vel *afflictum*) *salvum facies, & oculos superborum* (Hebr. *excelsos*) *humiliabis.* Significat nimirum Propheta, Deum talionis quodammodo jure cum hominibus agere, & planè dignam ipsorum factis mercedem illis persolvere, sivè bona illa sint, sive mala. Itaque & in perversis hominibus puniendis ratione ipsum uti, factis atque artibus illorum convenienti; ita ut si facta divina, illorum factis per se compares, non habita ratione juris ac honestatis, inter ea non exigua sit similitudo ac convenientia. Veruntamen si jus atque honestatem respicias, longè alia est horum & illorum ratio; siquidem non nisi commeritos ita tractat Deus. Itaque supplicia ab ipso inflicta recta sunt, utut per-

Psal: 18. 26, & d.

utut perversa aliquo modo videantur: illorum facta perversa, utut fortè recta esse videantur.

Sed jam tempus est, ut de illis etiam Dei factis dicamus, quæ ex instituto aliquid significant;&primò quidem de miraculis,quæ, ut diximus, aliquatenus naturalem significandi vim habent,quanquam generalem, respectu eorum, quæ Dei nomine hominibus annunciantur. Nam cùm Deus ipse revera miracula edit, taliaque facit, quæ omnem rerum aliarum vim ita superant, ut ne dæmonum quidem astu aut viribus præstari ulla ratione possint; ea pro certissimis sententiæ ipsius argumentis sunt habenda; & statuendum,ea,quibus confirmandis adhibentur approbare Deum, &, ut a nobis recipiantur, velle. Cætera prodigia non semper sunt certa divinæ sententiæ indicia; cum ea interdum Deus non tam faciat, quàm fieri permittat; imò revera non faciat, sed, ut a Satana fiant, concedat. Et in certis quidem casibus, de quibus populus divinus est ab ipso Deo præmonitus,pro ejusmodi rebus prodigia sunt habenda, per quas Deus populum suum tentet, aut orbem ingratum atque impium puniat. Atque huc pertinent illa, de quibus Moses in Deuter. 13. cap. monet. Eódem & illa pertinent, quæ a Pseudochristis & Pseudoprophetis, & nominatim ab Antichristo edenda esse, partim Christus, partim Apostoli ejus prædixerunt. Quia enim prodigia hujusmodi magnam vim habent ad animos hominum commovendos, & admodum probabile fit, ea divinitus edi ad id, quod dicitur, confirmandum; ideo divinæ sinceritatis ac bonitatis est, ne permittere quidem, ut ea edantur, nisi in certis casibus, & hominibus quidem antea præmonitis, ac satis præmunitis, ita ut non nisi suâ culpâ seduci queant.

℣ 1, & 2.

Mat 24. 24, & 2. 2 Thes. 2. 9.

Quod ad cætera Dei facta attinet,quæ aliquid ex instituto significant;ut transitus ille in fœdere Abrahamico per partes victimarum dissectas,non quà miraculosus fuit,& generalem quandam significandi ac dicta cõfirmandi vim habuit;sed quatenus speciatim ad sanciendum fœdus ex humana consvetudine fuit adhibitus; itemq; sangvinis aspersio a Mose facta; quò & baptismus Iohannis referri potest,qui ablutionẽ a sordibus peccatorũ designavit, partim quidem ab hominibus per resipiscẽtiam, partim a Deo per remissionem peccatorũ,perficiendã:in his sinceritas divina non minùs,quàm in juramẽtis cernitur.Quia n.hujusmodi ritus ideo sunt instituti,ut plenam ac perfectã voluntatem, & sincerum minimé, que fucatum animi assensum testentur;nullam in illis simulationẽ

aut dissimulationem sinceritas admittit, ne talem quidem, qualis in verbis aliàs licitè nonnunquam usurpatur. Certiorem enim significationem signa hujusmodi, quàm verba simpliciter prolata habere censentur. Ideo cùm verbis res jam testata constitutaque est, nihilominus ad pleniorem rei fidem, & uberiorem consensûs significationem, facta hujusmodi adhibentur; quæ proinde verbis vim addunt, eaque revocari non ampliùs patiuntur, & eo quidem sensu, quo intellecta fuisse censentur ab eo, cum quo res fuit. Quare ut dicta nostra velut in summam colligamus; sinceritatis divinæ est, nunquam quicquam dicere aut facere, quod aliter accipi jurè nequeat, quàm ut cum mente Dei pugnet; promissis aut significatione benevolentiæ neminem ludificari; comminationibus frustrà non terrere; præceptis aliísve dictis neminem in fraudem impellere; miracula non nisi ad verum confirmandum edere, & ne permittere quidem, ut prodigia ad mendacium confirmandum fiant, nisi in certis casibus, populo suo satis jam præmonito; in fœderibus, eorumque confirmationibus, & in juramentis apertè agere, & id omnino velle, quod ex dictis ac factis ejus facilè intelligitur, ac probabiliter colligitur. Quòd si plura, quæ singula non vulgarem sinceritatem postulant, aut etiam omnia concurrant, quid tum statuendum esse censemus? Concurrunt autem plæraq; in fœdere antiquo; omnia in novo, per Christum nobiscum pacto. Nam & præcepta in eo continentur sanctissima, & promissa amplissima, toti mundo facta; miracula sunt addita longè maxima & divinissima, & alia sanciendo fœderi servientia, maximè mors unigeniti Filii Dei: quin & juramento promissa illi inserta nituntur, ut ex iis intelligi potest, quæ ex Epist. ad Hebr. sub finem leguntur, superiùs a nobis ex parte citata. Nónne ergo sincerissimè ac candidissimè in illis Deus agere censendus est? Quò majorem sanctissimo ipsius numini faciunt injuriam, quin & spem generis humani subvertunt, qui asserere audent, eum, cùm per Evangelii præcones, fœderisque novi ministros, expressis apertissimisque verbis salutem hominibus generatim omnibus offert, & significat, se velle ac cupere, ut omnes credant ac resipiscant, & sic peccatorum remissionem ac vitam sempiternam consequantur; interea tamen simplici ac prorsus absoluto decreto apud se statuere, aut ab omni æternitate jam statuisse, ut eorum plærique, quibus tantam gratiam offerri curat, nec resipiscant, nec porrò salutem consequantur, sed æternis suppliciis, etiam ob id ipsum, quòd non crediderint, mactentur. Unde duplicem illi volunta-

voluntatem, revelatam & occultam, quarum illam signi, hanc beneplaciti quidam vocant, tribuunt: quarum illâ gratiam offerat, hac nolit, ut eam amplectaris, eaque potiaris. adeò mira est beneplaciti ratio, quod tam noxios ac pestiferos effectus pariat. Hoc autem dum illi faciunt, id Deo adscribunt, quo nihil ipsius judicio est exsecrabilius ac detestabilius, dictuque magis horrendum, nempe os lingvamque fraudulentam, & hypocrisin seu simulationem ejusmodi, quæ verbis blandiatur, gratiam offerat, benevolentiam omnibus signis testetur, animo interea perniciem machinetur. At David cùm conquestus esset, veraces ac candidos inter homines defecisse, quemque loqui vana cum proximo suo labiis dolosis, corde ac corde, seu duplici animo; addidissetque comminationem gravissimam, *Disperditurum Dominum universa labia dolosa;* paulò pòst eloquia Domini verbis hominum fraudulentis opponens, *Eloquia,* inquit, *Domini eloquia casta:* (seu *pura*) *argentum igne examinatum, probatum terræ,* (seu *excoctum in vase terreo,*) *purgatum septulum*(seu *septies.*) significans illis nihil fraudulentum, nihil fictum ac simulatum revera subesse. Sed de his satis.

Psal: 5.7: 55. 24.

Psal: 12.1,& d.

Tempus enim jam est, ut de Veritate agamus. ea Sinceritas seu candor est, qui in dictis cernitur, quatenus illis aliquid asseritur, sive affirmando id fiat, sive negando. Ejus est curare, ut verba cum re ipsa consentiant, nec aliter loquaris, quàm rem sese habere sentis. Veritatem enim hoc loco non sumimus pro ipso consensu atque convenientia, sive intellectûs, sive dictorum nostrorum cum re ipsa: sed pro virtute, quæ veritatis dictorum nostrorum veluti custos est. Vnde veritatis studium appellatur, vulgò Veracitas. Quia verò cùm aliquid promittimus, verba nostra vera esse non possunt, quin id ipsum præstemus; ideo veritatis etiam est præstare promissa. Itaque veritas quidem primò ac per se in dictis cernitur; consequenter autem etiam in factis illis, sine quibus veritas dictorum nostrorum constare non potest, præstandis. unde, ut inferiùs intelligetur, in sacris literis pro fide seu fidelitate non raro ponitur, aut tam latè extenditur, ut eam quoque in se complectatur. cum fides, si accuratiùs loqui velimus, ejus potiùs sit effectus necessarius. Cum autem Veritatis, ut diximus, sit, non aliter de re loqui, quàm eam se habere intelligis; necesse est, ut, quia verax est Deus, omnia ejus dicta cum re consentiant: secùs quàm in hominibus contingit, utut alioqui veracibus. Ii enim cùm falli possint ipsi, possunt & falsum dicere, & tam constanter affirmare,

quàm firmiter credunt. Itaque cùm homines veritatis amantes aliquid conſtanter aſſerunt, rectè quidem inde concludimus, eos ita ſentire: ſed non protinus, ita ſe rem habere; niſi tum, cùm res ita eſt comparata, ut niſi ita ſe haberet, eos fingere, ac fallere velle neceſſe foret. Itaque viri etiam boni mendacium dicere poſſunt, ſed non mentiri. & neſcio quis dixit, Boni viri eſſe non mentiri, Sapientis mendacium non dicere. Diſtingvunt enim inter mentiri, & mendacium dicere, ut hoc latiùs pateat, illud anguſtiùs. Nam mentiri illum tantùm dicunt, qui aliter loquitur, quàm ſentit: mendacium etiam illum, qui ita quidem loquitur, ut ſentit: ſed quia aliter ſentit, quàm res ſeſe habet, ideò & aliter loquitur, atq; a rei veritate aberrat. Qui mentitur, fallere vult, quod boni viri non eſt: qui mendacium dicit, ſi fallere non vult, fallitur ipſe, quod non eſt Sapientis. quanquam nulla in re falli, non hominis eſt ſapientis, ſed ſolius ſapientis Dei, & illius, cui Deus omnium rerum cognitionem dedit. Deus ergo nullo in ſermone a veritate abludit. ſiquidem nec fallitur, ob ſummam ſapientiam: nec fallere vult, ob ſummam rectitudinem ac veracitatem. Hinc in ſacris literis toties ipſius veritas celebratur; & ipſemet alicubi hominibus, qui omnes ſint mendaces, (quia nimirum plærique eſſe ſoleant) eo nomine opponitur, quòd verax ſit. Hinc & ἀψευδὴς ſeu mentiri neſcius a Paulo dicitur, & pro magno ſcelere reputatur, ei fidem derogare, & mendacem eum facere. quodq; D. Auctor Epiſtolæ ad Hebr. reſpectu certorum Dei dictorum pronunciavit, *impoſſibile eſſe mentiri Deum*, ſi vox *mentiendi* ſimpliciter accipiatur, ad omnia ejus dicta, ob cauſſam paulò antè allatam, extendi jurè poteſt ac debet. Quare ſive de rebus præteritis, ſive de præſentibus, ſive denique de futuris loquitur Deus, ſemper vera loquitur, eique ſine ulla hæſitatione credendum eſt. Etſi autem veritas Dei ad omnia ejus dicta pertinet, quibus aliquid aſſerit; ſacræ literæ tamen omnium creberrimè eam ad promiſſa ipſius referunt, & ſic fidelitatem ipſius hoc nomine comprehendunt. Res facilè patebit ſacrum codicem evolventi. In Pſalmis quidem, cùm Dei veritas celebratur, ad fidem ipſius potiſſimùm reſpicitur. Quanquam videtur interdum latiùs adhuc extendi, ut quicquid æquum rectumque eſt, complectatur: ut cùm [a] Lex Domini, aut omnes viæ ejus veritas eſſe dicuntur. Sed, ut diximus, fidem Dei potiſſimùm deſignare ſolet. Ideo Apoſtolus Rom. 3. cap: promiſcuè uſurpat veritatem, fidem, & juſtitiam Dei. & cap. 15. ait, *Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis* (hoc eſt, circumciſorum, quatenus

Rom: 3. 4.
Tit: 1. 2.
1 Ioh: 1. 10: 5. 10.
Heb: 6. 18.

Vide inter alios Pſal: 89. & 119.
a Pſal: 19. 10: 119. 86, 142, 151. add. Neh: 9. 33. Apoc: 15. 3: 16. 7.
Rom: 3: 3, & d. cap: 15, 8.

quatenus iis Evangelium annunciarit) *propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum.* Vbi quidem Veritatem Dei aliquo modo opponit Misericordiæ, quæ Gentibus præstita fuerit: nempe quia Iudæis quidem expressè Deus Messiam promiserat: unde veritas ac justitia, ut eum illis exhiberet, postulavit. Gentibus autem sine expressa promissione postea revelavit, eandemque felicitatem, quam Iudæis, obtulit, id quod meræ ac nullo modo debitæ benignitatis fuit. Sed in Psalmis creberrimè Veritas cum Misericdrdia conjungitur; quod & alibi fit, sive de Deo, sive de hominibus sit sermo. partim quia etiam misericordia in promissis præstandis cernitur, quatenus ipsæ quoque promissiones ex mera gratia ac benignitate fuerant profectæ: partim quia veritas latiùs aliquantò extendi videtur, quàm in Apostoli verbis proximè citatis contingit. Significat enim sinceram benevolentiam, seu mavis, ejusmodi fidem ac sinceritatem, quâ fiat, ut non tantùm ea prçstes alteri, quæ ei apertè promiseris, sed etiam quæcunque consentanea sint gratiæ ac favori, cujus illi significationem aliquam dedisti; atque adeò quæcunque amicitiæ ac necessitudinis quodam jure alteri præstari æquum videatur. Hoc modo servus Abrahami, cùm iter suum Dei favore prosperè successisse cerneret, dicit, Deum *non abstulisse misericordiam & veritatem suam a domino suo*, Gen: 24. 27.
nempe Abrahamo; quia id fecerit, quod & promissis ipsius, & favori, quem ei non semel declaraverat, esset consentaneum. Simili autem loquendi formula utitur inferiùs, Bathuelem & Labanem alloquens: *Si facitis*, inquit, *misericordiam & veritatem cum domino meo.* quod ita viri docti explicant, ut dicant, Hebraismum esse, quo humanitatem præstare, & bona fide agere cum aliquo significant. q. d. Quamobrem si liberaliter & ex animo daturi estis filiam vestram filio heri mei. Si quis plura exempla desiderat, [a] Psalmos adeat, in quibus sat frequentia deprehendet. Non prætereunda autē videntur & [b] Bileami verba de hac Dei veritate loquentia, quæ ita apud Mosen leguntur: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur* (Hebr. *ut eum pœniteat.*) *Dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit?* Quomodo autem Deus ab omni mendacii crimine penitus absit, etiamsi id, quod comminatus est, certas ob caussas postea non præstet, partim suprà exposuimus, cùm de Potestate Dei egimus, quæ in pœnis remittendis cernitur, partim in sequentibus uberiùs declarabimus.

℣ 49. vid: Bibl: magna Rob: Steph.

a vide inter alia Psal: 25. 10: 36. 6: 40. 11, 12: 57. 4, 11. 61. 8: 84. 12: 85. 11: 89. 34.

b Num: 23. 19.

Veniendum enim tandem est ad explicationem divinæ constantiæ, cujus in Bileami verbis modò adductis fit mentio, dum

negat Deum esse similem filio hominis, ut mutetur. Est autem constantia virtus, quæ in tuendo animi proposito cernitur. Quare & Dei constantia ea est rectitudinis ipsius pars, quam & virtutem appellare licet, quæ in tuendo proposito conservandisque decretis cernitur: propter decreta autem etiam in dictis ac factis occupatur. Opponitur mutabilitati, levitati, ac inconstantiæ. De ea loquitur & Samuel: *Triumphator in Israel* (Hebr. *Israelis*) *non parcet,* (Hebr. *non mentietur,*) *& pœnitudine non flectetur. Neque enim homo est, ut agat pœnitentiam.* & ipse Deus apud Malachiam: *Ego Dominus* (seu *Iehova*) *& non mutor.* Hebraicè quidem est, *non muto:* sed eodem sensu. Perinde enim est, ac si dixisset, non muto sententiam, quemadmodum & viri docti annotârunt. Huc & illa Apostoli pertinent: *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei*, h. e. Deum non pœnitet suorũ donorum, nec, si cui gratiam obtulerit, verba sua revocat. Interim tamen semper observandum est, quo pacto Deus quippiam decreverit, aut pronunciaverit, vel saltem dicta sua intelligi voluerit; an cum conditione, an sine conditione. Nam si sine condirione quippiam decrevit, id ut omnino etiam eveniat, constantia ipsius postulat. si cum conditione; non postulat constantia, ut res eveniat, conditione non extante, sed tum demum, si hæc extiterit. Constantia enim non in parte aliqua decreti per se sumta, sed in toto decreto tuendo cernitur. pars autem decreti conditionalis, est & conditio. Et etiamsi Deus nonnunquam, cùm decreta sua enunciat, conditiones non apponat; non tamen protinus conditionem nullam vult subaudiri; quemadmodum jam suprà ostendimus, de ea divinæ potestatis parte differentes, quæ in pœnis remittendis, relaxandisque comminationibus cernitur. Exempla hac de re aperta extant de [a] Abimelecho, de [b] Ezechia, [c] de Ninivitis: quorum illis mors simpliciter fuerat denũciata, his urbis subversio quadragesimo die secutura. Et tamen eventus non fuit subsecutus, ob caussas quasdam, quæ Deum ad mitigandam aut tollendam comminationis vim flexerunt. Quid, quòd generalia etiam hac de re apud Prophetas Dei effata extant? Ita enim apud Ieremiam loquitur: *Repentè loquar adversus gentem, & adversus regnum, ut eradicem, & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit* (vel *conversa fuerit*) *gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam,* (vel potiùs, *adversùs quod locutus sum;*) *agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei. Et subitò loquar de gente, & de regno, ut ædificem, & plantem illud. Si*

1 Sam: 15. 29.
Mal: 3. 6.
Vid: Bibl: magna Rob: Stephani.
Rom: 11. 29.
a Gen: 20. 3, & d.
b 4 Reg: 20. 1, & d. Esa: 38. 1, & d.
c Ion: 3. 4, 10.
Ierem: 18. 3, & d.

fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum ut faciam ei. Vnde eodem loco dicit, se adversus Israelitas finngere malum, & cogitare cogitationes contra ipsos, & nihilominus a via sua mala ipsos jubet reverti; significans, illis adhuc spem veniæ superesse. Sic & apud Ezechielem: *Si dixero justo, quòd vita vivat* (Hebr. *vivet,) & confisus in justitia sua fecerit iniquitatem; omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio, Morte morieris; & egerit pœnitentiam* (vel *conversus fuerit) a peccato suo, feceritque judicium & justitiam:* &c. *vita vivet, & non morietur.* Ex quibus clarissimè apparet, hujusmodi sive promissiones Dei, sive comminationes, licèt simpliciter prolatas, tamen cum tacita conditione, in futurum respiciente, intelligendas esse. Quare non evertit Deus decreta sua, cùm conditione non extante, aut cessante, id non implet, quod sub ea decreverat. Interim tamen cùm non implet, pœnitere eum illius dicitur, & sic sententiam quodamodo mutare censetur. nempe quia id non amplìus vult facere, quod facere, licèt sub conditione, constituerat, & in quod jam vehementer etiã propendebat. Sic olim vehementer in pœnam Israëlitarum inclinabat, cùm diceret Mosi, *Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* & nihilominus tamen precibus Mosis *placatus fuit Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum.* Enimverò constantis est persistere in animi proposito, nisi quid intervenerit, cujus ratio non immeritò haberi possit, quódque in aliam sententiam flectere voluntatem jurè queat, & maximè in mitiorem. Hoc enim clementiæ est. Clementia autem constantiæ non adversatur. siquidem cum rectitudine penitus conspirat. Istud inconstantis est, vel id, quod simpliciter, & rectè quidem decreveris, rescindere; vel nulla aut levi de caussa propositum mutare, in re præsertim magni momenti, utut tandem simplex de ea decretum non intercesserit. Nihil istorum Deus unquam facit. Nam non tantùm constantiæ, sed & sapientiæ perfectæ laudem amitteret. Etenim qui aliquid istorum facit, vel non omnia novit tum, cùm quippiam sibi proponit, quæ vel in hanc, vel in illam partem aliquid habere queant momenti; vel non satis ea expendit. unde ea nunc majoris, nunc minoris ipsi videntur esse ponderis; siquidem a sententia eum nunc deducant, a qua antea non abduxerant. Hoc verò ipsum aliquam ignorantiam arguit. Non enim totam rei rationem semper exactè novit, cui ea nunc majoris, nunc minoris esse videtur

[Margin notes: ℣ 11. — Ezech: 33: 14. & d. — Exod: 32. 10. — ib: ℣ 14.]

ponderis. Alterutra in parte errorem aliquem versari necesse est. Cum ergo Deus sit omniscius ac perfectè sapiens, talis mutabilitas in eum minimè cadit. Omnia in illius conspectu sunt, quæ aliquid habere possent ad rem, quam decernit, momenti. Itaque si simplex decretum facit, apparet, nullam unquam extituram caussam, quæ id mutare cogat. unde nec unquam ob constantiam mutat. Si verò sub conditione quippiam sibi proponit; non nisi eas ob caussas mutat, quas evenire posse tum vidit, cùm decretum fecit, & quibus extantibus decretum vim suam habere noluit. Itaque nihilominus sibi semper constat, &, licèt sententiam aliqua ratione mutet; non mutat tamen eatenus, quatenus eam immutabilem esse ab initio voluit, sed quatenus voluit esse immutabilem.

Cùm autem Deus in proposito, ut vidimus, constans sit; necesse est etiam, eum in dictis & factis, quæ propositi ipsius effecta sunt, aut testimonia, constantem esse. Cæteroquin ubi nullum adhuc decretum extat, & res liberæ ipsius potestati penitus est subjecta, Deus interdum ob id ipsum, ut liberrimam illam potestatem suam exserat, aliter atq; aliter agit. Nam nec eadem in omnes beneficia confert, eadémve mensurâ dispensat. quamquam ita in illis progredi solet, ut ab imis ad summa tendat, nisi hominis malitia eum beneficẽtiæ cursum interrumpat. Similiter & leges quasdam fert, quas postea abrogat. Sic leges ceremoniales populo Israelitico, pueritiam adhuc veluti agenti, præfixit, ut sub iis, tanquam sub pædagogo, ad pubertatis annos, aut virilem etiam ætatem proficeret. Ab eodem igitur jam ad virilem ætatem progresso pædagogum hunc amovit, nec rudimentis, pueritiæ ejus convenientibus, mancipatum ampliùs voluit, sed legibus his refixis in libertatem emisit. Qua in re nulla Deo tribuenda est inconstantia, sed summa potiùs sapientia, cum absolutissima potestate conjuncta.

vid: Gal: 3.24, 25: 4. 1,&c.

Postquam ergo de Sanctitate Dei satis videmur dixisse; restat, ut usum ejus doctrinæ subjiciamus. Primùm autem plurimùm ea res pertinet ad amorem ac venerationem divini numinis in animis nostris excitandam atque alendam. Etenim vel amare Deum non satis possemus, vel non ita, uti dignus est, venerari, si eum aliqua pravitate laborare, aut ulla impuritatis labe contaminatum esse crederemus. Crudelitatis certè, iniquitatis, infidelitatis, fraudulentiæ opinio, omnem erga ipsum ex animis nostris amorem facilè evel-

tilè evelleret; simul autem & spem fiduciamq; nostram, quam in ipso collocamus, perimeret. Hæc enim fide ac veritate Dei nititur.

Deinde sanctitatis divinæ consideratio, ut nos quoque sanctitatem summo studio sectemur, efficit. primò quia convenit [a] ut Deum imitemur, nos præsertim, qui pro filiis ipsius nos gerimus, haberique volumus. Vnde quemadmodum suprà ex parte vidimus, sacræ literæ nos hortantur, [b] ut sancti simus, sicut & Deus sanctus est; [c] ut in luce ambulemus, quemadmodum & ipse in luce est: ut, [d] purificemus nos ipsos, sicut ipse purus est: ut, [e] cum sciamus eum esse justum, norimus, eum demum ex eo genitum esse, qui justitiam faciat. Deinde quia ex tanta Dei sanctitate facilè cernere est, Deum non modò nos ad peccata non impellere, sed contrà ab iis nos penitus abstractos velle. siquidem tanta Dei sanctitas facit, ut impietatem in aliis vehementer oderit; pietatem contrà, & ob eam etiam homines illi deditos amet, iisque delectetur. Vnde consequitur, non nisi hos communionem cum Deo habere, sempiternâque felicitate potituros esse: impios contrà, nisi resipuerint, ipsi perpetuò fore abominabiles, gravissimasque pœnas daturos. Pulchra hac de re sunt Psaltæ verba, quæ ita in Hebræo leguntur: *Dominus justum probat; & impium,* (seu *impium autem,*) *& eum, qui diligit iniquitatem, odit anima ejus. Pluet super impium laqueos, ignem & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Quoniam justus Dominus, justitias diligit; rectum videbunt facies ejus*, hoc est, homines probos libenter respicit. Sed hac de re plura videbimus ibi, ubi de amore & odio, quo Deus homines prosequatur, agemus. Quod autem de sanctitate ac justitia Dei in universum dicimus, id etiam de singulis eius partibus intelligendum est. nempe cum Deus injuriam nemini faciat, nec nos facere debere. cum personas non accipiat, nec nos fidem Domini nostri Iesu Christi cum personarum acceptione habere debere, ut monet Iacobus. quod præceptum judicibus inprimis observandum esse sac. literæ monent. cùm fidelis sit, verax, ac sincerus, nos quoque tales esse debere, & porrò ab omni perfidia, mendacio, fraude, hypocrisi quàm longissimè abesse: & qui contrà fecerint, iis vindicem Dei iram metuendam esse. Quò accedit, quòd cum Deum non esse prosopolepten audiamus, sed justum judicem, qui secundùm uniuscujusque opera cuique reddere & velit, & soleat; nobis omnino cogitandum est, in timore vitæ nostræ tempus exigendum, & in bonorum operum studio perseverandum esse, ut coram ipsius tribunali consistere aliquando possimus. Insignitè etiam illis id ex-

a Eph: 5. 1.

b Levit: 11. & 19. & 20. & 1 Pet: 1.

c 1 Ioh: 1. 7.

d ib: c. 3. 3.

e ib: c. 2. 29.

Iac: 1. 13, & d.

d. l. 1 Ioh: 1. 7.

Psal: 11. 7, 8, 9.

inf: cap: 32.

Iac: 2. 1, & d.

Devit: 19. 15.

Levt: 1. 17.

Rom: 2. 11, & d. conf: & præced. 1 Pet: 1. 17: add: Devt: 10. 16, & d.

lis id expendendum est, qui cæteris eminent, ut dominis ac magistratibus, ne inferiores injuriâ aliquâ afficiant, cogitantes, se in cœlis habere judicem, apud quem nullus sit personarum respectus.

Eph: 6: 9, 10.

Tertiò vehementer prodest justitiæ divinæ consideratio ad animi modestiam, ad obsequii, quod Deo debemus, promtitudinem, & malorum, quæ illius voluntate nobis immittuntur patientiam. Si enim Dei sententiam justissimam semper esse cogitemus, fiet, ut adversùs eam ne hiscere quidem ac mutire audeamus; ac porrò mandatis ejus sine ulla tergiversatione parendũ censeamus; quicquid nobis calamitatis imposuerit, id, ni deprecari possimus, æquo animo feramus. similiter autem & in aliis divina judicia factaque reprehendere, aut ullius ea iniquitatis insimulare horreamus; scientes, nullam nec nobis, nec cuiquam ulla in re fieri a Deo injuriam. Itaque si sententiæ divinæ æquitatem non satis capiamus, de nostri potiùs judicii, quàm de divini æquitate dubitemus; & ignorantiam potiùs nostram, aut culpam, sive nostram, sive alienam, quæ sæpè occulta est, non Deum accusemus. De æquitate mandatorum divinorum vide inprimis Deut 4. Psalm. 19. & Psal. 119. De judiciis autem aliisque sententiis ac factis divinis, vide inter cætera, quæ apud Ezechielem leguntur cap. 18. & 33. & in libro Iobi non uno loco. adde & illa, quæ medio ferè cap. 9. Rom. extant.

Abutuntur autem divinâ justitiâ, vel potiùs ejus rationem non satis intelligunt, quicunq; arbitrantur, eâ impelli Deum ad quodvis delictum, sive in eo ipso, qui id commisit, sive in alio, qui vices ejus subeat, puniendum. Vnde porrò concludunt, necesse omnino fuisse, ut Christus justitiæ divinæ, pœnas omnium peccatorum nostrorum persolvendo, plenissimè satisfaceret. Cum innocentem, qualis vel maximè Christus fuit, punire, tum per se justitiæ planè adversetur, tum propterea, quòd etiam divinis decretis atque effatis repugnat. qua de re alibi in hoc opere agetur. Solent autem illi homines ferè justitiam misericordiæ opponere, & contrarios eis effectus tribuere; justitiæ quidem punire, misericordiæ autem peccata condonare. Cum sacræ literæ non tantùm alteram alteri non opponant, sed etiam remissionem peccatorum ac justificationem nostram, aliaque misericordiæ effecta, justitiæ divinæ adscribant. Nulla enim Dei actio, sive puniat, sive pœnam condonet, justitiâ vacare potest: licèt non ad quamvis actionem justitiæ vi impellatur: sed ad illas tantùm, quæ sine pravitate omitti non pos-

Ezech: 18. 20. vid. inf: lib: 5. cap: 22.

Rom: 3. 25, 26. 1 Ioh: 1. 9. 2 Pet: 1. 1. Psal: 31. 2: 71. 2, 19, & d. 24: 89. 17. 143. 1.

non possent. quales sunt eæ, ad quas se aliqua ratione obstrinxit. in quo numero est & remissio peccatorum resipiscentibus proposita, & alia multa misericordiæ effecta, quæ Deus vel ante Christum, vel per Christum demum hominibus promisit.

Cap: XXVI.

De Beatitudine Dei.

POstquam de perfectione tum intellectus divini, tum voluntatis propria diximus; sequitur, ut de ea etiam loquamur, quæ ex omnibus, quæ hucusque consideravimus, Dei attributis necessariò resultat. Ea verò est Beatitudo Dei. Dicitur autem Deus beatus ab Apostolo in priori ad Timotheum Epistola, primo & ultimo capite. primo quidem, dum Evangelium gloriæ seu gloriosum beati Dei commemorat; ultimo verò, dum ait, beatum illum ac solum Potentem, nempe Deum, ostensurum suis temporibus Christum, ejúsve illustrem apparitionem. Vtrobique autem ideo Deum hoc epitheto describere videtur, ut eum non tantùm in seipso beatum intelligamus, sed etiam beatitatis nostræ fontem esse cogitemus, quam in Evangelio quidem omnibus hominibus obtulit, in adventu autem Iesu Christi piis reipsa largietur. Facilè verò cuivis patet, omnino necessarium esse, ut Deus sit beatus. Etsi enim non inter omnes eruditos convenit, quânam in re beatitatis natura sit collocanda; quamcunque tamen earum sententiarum receperis, quæ non sunt ab omnibus jamdudum explosæ; agnoscendum tibi erit, non modò beatum Deum, sed & beatissimum esse. Sunt qui beatitudinem definiant, secretis malis omnibus cumulatã bonorum omnium complexionem, seu statum omnium bonorum aggregatione perfectum. Quamquam bona illa sunt intelligenda omnia, quę naturæ cuiq; intelligenti (in hanc enim solam beatitudo cadit) conveniant: siquidem alia Deo, alia angelis, alia hominibus conveniunt. Sunt rursus alii, qui beatitatem in actione naturæ intelligentis optima ac perfectissima, eademq; maximè stabili ac firma, putent consistere. Sunt denique, qui in ea vitæ suavitate seu voluptate collocent, quæ sive ex cumulata bonorum aliorum complexione, sive ex hujusmodi actione, qualem modò diximus, nascatur. Et harum quidem sententiarum aliquam necesse est verissimam esse. Quamquam prima & ultima, quatenus hæc beatitatem in ea vitæ suavitate collocat, quæ ex cæterorum bonorum omnium complexione proficiscatur, populari

1 Tim: 1. 11. 6. 15.

Cic: Tuscul. lib: 5. Boëth: 4. de Consol: Philos.

De Beatitudine Dei.

pulari loquendi consvetudini, quam sacræ literæ sequi solent, magis est consentanea; nec altera ab altera multùm distat, sed eódem tandem recidit. Sed quamcunque tandem harum sententiarum admiseris, necesse est, ut Deum beatissimum esse statuas. Nam si primam spectes; & ab omni malorum contagione secretus est Deus; & bona ei adsunt omnia, quæ perfectissimæ naturæ intelligenti conveniant. Si alteram; actio intelligenti naturæ conveniens, primò quidem est intellectio ac contemplatio; tum actio inde manans, aut operis alicujus effectio. Et contemplatio quidem, quæ & in rebus divinissimis cernitur, & liquida claraque est, nec ullis errorum nebulis impedita, naturâ suâ inspectâ, non immeritò principem obtinere locum censetur: licèt in humanis actio operísve effectio necessitatis caussâ illi non raro sit prævertenda. Neque enim semper quæ per se omnium præstantissima sunt, tractare possumus: siquidem necessitas aliò nos vocat: pluribus autem simul intenti esse non possumus. At in Deo & perpetuò durare potest, duratque contemplatio, nec actione, operísve effectione impeditur, versaturque circa divinissima omnia. quamquam nec aliorum cognitionem excludit, quæ vel ad operum effectionem, vel ad rerum procurationem ac gubernationem faciunt. Eadem autem liquidissima est ac clarissima, omnique errore vacat. Si tertiam ex enumeratis sententiis spectes, eâ quoque positâ Deum beatissimum esse, modò dicta evincunt. Siquidem vel ex infinito illo bonorum, quæ Deo insunt, cumulo, vel ex actione illa præstantissima, quam Deo propriam ac perpetuam esse diximus, perennem, nullaque vera dolorum admixtione perturbatam voluptatem manare necesse est. Iucundissimus illi inest sui, ut ita dicam, sensus. Nihil ille in se, nisi valde bonum atque expetendum invenit; nihil etiam in actionibus suis reperit verè pœnitendum. Omnis ab illo abest mutationis in deterius metus; nullus illi timendus est hostis, qui ipsi nocere aut vim inferre queat: cum, quicunq; ipsi adversantur, toti in ipsius sint manu, nec quicquam, nisi ipso sciente, cogitare, nihil, nisi illo permittente, facere, ac ne loco quidem movere se possunt; nedum ut Deo, cujus natura vim noxamque omnem repellit, nocere queant.

Neque verò dictis nostris quicquam obstat, quòd multa videat Deus fieri, quæ fieri nollet; quódque scriptura eum alicubi ob scelera hominum in corde suo contristatum esse, iratum autem sæpissimè testetur; non semel etiam eum pœnituisse consiliorum quorundam suorum referat; alicubi & metum quendam ei adscri-

bat, ut

pat, ut infrà docebimus, ubi de affectibus ipsi tributis agemus. De Beatitudine Dei.
Nam quominus illa, ut ita dicam, displicentia factorum humanorum, contra voluntatem ipsius susceptorum, beatitudinem ipsius turbet, duo potissimùm obstant: alterum est, quòd quicquid hujus est, ab immensa bonorum in ipso existentium copiâ ac magnitudine obruatur, & non secùs ac gutta aquæ ingenti flammæ adspersa, absumatur atque evanescat. alterum, quòd ea ipsa, quæ cæteroqui pessima sunt, & cum optima Dei voluntate maximè pugnantia, novit Deus ad nominis sui gloriam, pro summa sua sapientia ac potentia, convertere. Itaque licèt res ipsæ Deo per se sint ingratæ ac minimè jucundæ; tamen ob finem, in quem ea dirigere semper & potest & solet, ejus, ut ita dicam, voluptati servire cogantur. Quòd verò & tristitia, & ira, & pœnitentia, & metus in sacris literis eidem adscribuntur; tum improprietas vocibus subest, ut inferiùs loco suo dicetur; tum quicquid illis vocibus subest, quod cum earum proprietate consentiat, id ejusmodi est, ut beatitudinem perennemque Dei voluptatem non modò non interrumpat, aut abrumpat, sed nec revera perturbet, ob caussas paulò antè explicatas. Quare ut breviter rem omnem complectamur; nihil quod ad summam perfectissimamque felicitatem pertineat, Deo deest. siquidem tum mala ab eo absunt omnia, nec quicquam ei revera nocere potest: tum ex adverso bona ei adsunt immensa, stabilia ac perpetua. Adde, quòd a nullo planè pendet, nullius opis, ut Apostolus in Actis docet, indigus: cùm ipse potiùs omnibus omnia suppeditet. Quare verè αὐταρκὴς est, ac seipso contentus, id quod beati tantùm esse, sapientes docent; habetque in se illud, quod in beatissimo requiritur, ut, quemadmodum ille ait, totus sit aptus ex sese, atque in se uno sua ponat omnia.

cap: 29, & seqq.

Act: 17. 25.

Cic: in Paradox:

His ita breviter explicatis, usus hujus doctrinæ paucis itidem ostendendus est; quanquam is per se facilè cuivis liquet. Nam primùm ad reverentiam numinis majorem in animis nostris sive excitandam, sive fovendam facit, si eum beatissimum esse intelligamus. Minoris enim, quàm par est, a nobis fieret Deus, si eum miserum vel jam esse, vel esse posse intelligeremus, & contemtibilior ipsius majestas in animis nostris evaderet. Adde, quòd tantò majoris cogimur ipsius beneficia æstimare, quantò rectiùs intelligimus, cum sine nobis beatissimum & fuisse semper, & in omnem ævorum perennitatē esse potuisse, nullius externæ opis ad perfectissimam voluptatem indigum. quin ex uberrimo illo, vel potiùs immenso beatitudinis divinæ Oceano, omnem in nos felicitatem derivari;

De Magnitudine, Immensitate, & Omnipræsentia Dei.

derivari; & quicquid nobis boni evenit, utut maximum sit, & vota animi nostri non impleat modò, sed & superet, id beatitudinis illius inexhaustæ rivulum tantùm esse in nos deductum.

Sed præterea consideratione beatitatis divinæ ipsa beatitudinis nostræ sempiternæ spes fulcitur ac sustentatur; quæ protinus concideret, nisi ipsummet Deum perpetuò felicem esse ac fore nossemus. Quis enim ab eo, qui miser ipse esse possit, vel saltem non perpetuò felix, certam sibi ac perennem felicitatem polliceri possit? Quare ut ab initio diximus, ideo Deum beatum esse prædicat Apostolus, ut inde & nostræ eum beatitudinis fontem esse, vel esse saltem posse, intelligamus.

Cap: XXVII.

De Magnitudine, Immensitate, & Omnipræsentia Dei.

Subjungenda nunc est doctrina de magnitudine, atque immensitate, Deo in sacris literis attributa, quæ ex attributis superiùs explicatis, atque imprimis ex potentia, potestate atque imperio, ac sapientia, veluti resultat, & summam tum ipsorum, tum operum ab illis profectorum amplitudinem ac perfectionem designat: quemadmodum patebit, si eos sacrarum literarum locos aliquantò penitiùs inspicias, quibus magnitudo, aut immensitas Deo tribuitur. Et quia cum immensitate aliquo modo cohæret omnipræsentia eidem tributa, de hac etiam nonnihil dicemus.

a 1 Paral: 16. 23, Esd: 5. 8: Iob: 36. 26, & alibi sæpè. b Exod: 18. 11. 2 Par: 2. 5. Psal: 77. 14. c Psal: 47. 3. d Devt: 7. 21: 10. 17. Nah: 1. 3. Iob: 37. 23. Ierem: 32. 19.

Quod ergo ad magnitudinem attinet; ea Deo sat frequenter in sacris literis adscribitur. Passim enim magnus appellatur, sive [a] simpliciter, sive comparatè, ut cùm magnus [b] supra omnes Deos dicitur; aut cum adjectione aliqua, ut cùm [c] magnus Rex, aut Deus vocatur; aut cùm genus illius magnitudinis exprimitur, & qua in re cernatur, apertè indicatur. Dicitur enim apud Nahumum magnus *fortitudine* sive *potentiâ*; quod etiam apud Iobum extat, ubi simul vocatur *magnus judicio, ac multitudine justitiæ*: apud Ieremiam autem *magnus consilio, & multus* (sive excellens) *opere*; in quo posteriore magnitudo potentiæ ipsius comprehenditur. Etenim magnitudinis vox ad Deum relata, ex vulgari loquendi consvetudine, eminentiam seu excellentiam significat, & eam maximè, quæ vel in imperio, vel in potentia, & operibus inde profectis, consistit. Ob quam posteriorem caussam libenter in eodem verborum contextu Deus magnus simul & terribilis dicitur. Est enim Deus terribilis potentiâ atque opere, præsertim si iratus

Devt: 7. 21: 10. 17. 1 Par: 16. 25. Neh: 1. 5: 4. 14. Psal: 47. 3: 89. 8. Dan: 9. 4.

i iratus vindictam sumere velit. siquidem David ait: [a] *Dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua, Domine: in multitudine virtutis tuæ* (seu *magnitudine potentiæ tuæ*) *mentientur* (hoc est, blandientur, & quasi adulabuntur) *tibi inimici tui.* & iterum; [b] *Venite & videte opera Dei: terribilis in consiliis suis* (Hebr. *opere*) *super filios hominum.* [c] Nonnunquam autem & magnus & potens & terribilis simul appellatur, vel ut potentiæ voce magnitudo explicetur, vel ut hujus adjectione illa amplificetur, & magis inculcetur. Mitto alia, quibus itidem significatur, magnitudinem Dei ad potentiam ipsius potissimùm referri.

De Magnitudine, Immensitate, & Omnipræsentia Dei.
a Psal: 66 3.
b ib: ℣ 5.
c Deut: 10. 17: Nehem: 9 32. Ecclesi: 43. 31.

Est autem hæc Dei magnitudo, ut ex iis intelligi potest, quæ de potentia ac potestate Dei, itemque de Sapientia ejus dicta sunt, infinita, & incomprehensibilis. Vnde Psaltes ait: *Magnus Dominus & laudabilis nimis* (Hebr. *valde:*) *& magnitudinis ejus non est finis* (Hebr: *investigatio.*) De magnitudine autem potentiæ, & operum admirabilium ab eo perfectorum Psalten loqui, satis indicant sequentia, ubi magnitudinem illam laudare pergit, & aliqua ratione explicat: *Generatio*, inquit, *& generatio laudabit* (Heb. *Generatio generationi narrabit*) *opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt: magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur*, (Hebr. *decorem gloriæ magnificentiæ tuæ loquar,*) *& mirabilia tua narrabunt: & virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt.* quibus verbis & illa, quæ paulò inferiùs leguntur, aliquo modo respondent, cùm ait: *Gloriam regni tui dicent* (*Sancti tui,*) *& potentiam tuam loquentur.* Huc etiam respicitur Psalmo ultimo, cùm *multitudo magnitudinis* Deo tribuitur, & nos, prout illâ dignum est, Deum laudare jubemur. Possis ad hanc Dei immensitatem jure etiam referre illa Iobi verba, quanquam de sapientia Dei, quam perfectionem appellat, prolata, quæ quidem ita in Hebræo leguntur: *Num investigationem Dei invenies? an usq; ad perfectionem omnipotentis invenies? altitudinibus cœli quid facies? profundior est inferno, quomodo cognosces? longior est terrâ mensura ejus, & latior mari.* Non de ipso autem Deo, sed de re in ipso existente sermonem esse, nomina & particulæ affixæ fœminini generis in Hebræo indicant. Dicitur enim *profunda* ab inferno, seu præ inferno, & *lata* a mari, seu præ mari; & cùm mensura ejus commemoratur, particula *ejus* itidem est fœminini generis.

Psal: 145. 3.
℣ 2.
Iob: 11. 7, 8, 9.

Spectatur autem hæc immensitas magnitudinis divinæ, partim in perfectione, ratione habita gradûs, partim in amplitudine ratione objectorum; quarum illam intensivam licet appellare, hanc

De Magnitudine, Immensitate, & Omnipræsentia Dei.

extensivam. Atq; hæc posterior omnipræsentiam illam in se complectitur, aut ex se parit, quæ Deo in sacris literis tribuitur. Quia enim Dei & potentia & sapientia ad res omnes extenditur, uti & potestas sive imperium; ideò ubique præsens, omniaque numine suo complere dicitur. Nam cum in humanis inspectio non nisi a præsente homine fieri soleat, & agentia cum illis, in quæ agunt, aliquo modo jungi necesse sit; inde fit, ut verbis ab homine ad Deum translatis, quæ Deus inspicit, curat, & circa quæ actio ejus versatur, illis adesse dicatur: quemadmodum & [a] venire, cùm ad opus aliquod, præsertim illustre, inter homines perficiendum veluti accedit. Maximè autem illis adesse rebus dicitur Deus, quas fovet, sustentat, ac juvat. Hinc orti sunt diversi illi præsentiæ divinæ gradus, qui etiam vulgò ab iis explicantur, qui de Deo agunt. Nã generali sua providentia omnibus adest rebus a se creatis; & in his inferioribus inprimis homini, qui & cæteris rebus est præstantior, & majori indiget cura atque ope, ac majori quodammodo sapientia gubernandus est. Deinde inter homines specialiori & insigniori quadam ratione adest [b] populo suo, & inprimis iis, qui sunt verè pii: adeò ut ad hunc tam perfectum præsentiæ divinæ modum habito respectu, impiis atque a se alienis [c] non adesse, aut eos, si aliquando adfuerit, deseruisse dicatur. quamquam & a piis rogatur, ne ab ipsis discedat. quin etiam cùm illis præsentem opem non fert, sed in calamitates aliquas eos vel incidere, vel in iis hærere diutiùs patitur, [e] recessisse ab iis Deus, eósq; dereliquisse nonnunquam dicitur. Quo pacto & homines dicuntur aliis assistere, aut contrà eos deserere, cùm vel opem illis ferunt, vel ferre nolunt. Itaque & hìc iterum diversi sunt præsentiæ divinæ gradus aut modi, quorum alii latiùs patent, alii angustiùs, & alii alios præstantiâ superant. Inter cæteros autem, qui piis hominibus mortalem hìc vitam agentibus vel est, vel esse potest communis, is est omnium præstantissimus, cùm per Spiritum sanctum in quopiam habitat, & cum eo, ut pater cum filio, intimo charitatis affectu jungitur, de quo sacræ literæ non uno loco [d] disserunt. Denique perfectissima ratione Deus Christo ipsi olim adfuit, & in ipso, licèt in terris degente, habitavit; de quo præsentiæ gradu loquitur Christus, cùm ait, Patrem in se, & se in Patre esse, idque ex operibus suis ac dictis vult agnosci. qua de re vide Iohannem cap. 10. & 14. adde etiam verba Petri Act. 2. & 10. Neque enim nunc vel locus est, vel animus ista explicandi; quæ ideò tantùm attigimus,

ut quæ

a vid: Psal: 80. 3: 96. 13: 98. 9: 101. 2: Esa: 3. 14: 30. 27: 35. 4: 36. 17: 40. 10, & alibi:

b Levit: 26. 11, 12. Devt: 23. 14. 2 Cor: 6. 16. Gen: 26. 3: 39. 2, 3, 21, 23. Psal: 145. 18. Esa: 55. 6.

c Num: 14. 22. Ios: 7. 12. 1 Sam: 26. 15. 2 Par: 25. 5.

d Psal: 22. 12. 35. 22: 38. 22.

e Psal: 10. 1: 22. 1. Mat: 27. 46.

d 1 Cor: 3. 16. 14 25. Eph: 2 22: 4. 6. 1 Ioh: 3. 24: & c. 4. 13.

cap: 10, 38: 14. 10, 12. Act: 2. 22, 24: & 10. 38.

De Magnitudine, Immensitate, & Omnipræsentia Dei.

ut quæ de generali illo præsentiæ divinæ modo, & omnibus rebus creatis communi diximus, tantò faciliùs intelligerentur. De generali autem illo divinæ præsentiæ modo loquitur David loco superiùs citato, cùm de Omniscientia divina ageremus, qui quidem extat Psalmo 139. illic inprimis, ubi ait: *Quò ibo a spiritu tuo, & quò a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumsero alas auroræ, & habitavero in extremis maris, etiam illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* In quibus Dei tum scientia, tum efficacia, quam spiritûs, manûs, & dexteræ nomine complectitur, nullo loco excludi, sed ad omnia penetrare ac pertingere dicitur. quò docuimus etiam illa Dei apud Ieremiam verba pertinere, quibus asserit, *se cœlum & terram implere.* quemadmodum & alii viri doctissimi animadverterunt, qui noluerunt illa, sive Davidis, sive Ieremiæ verba, de infinitate essentiæ divinę, & per loca resq; omnes diffusione accipi. alii, licèt hoc etiam fieri posse crediderint, ita tamē, ut modò diximus, accipi posse statuerunt. in qua sententia non postremi nominis Scholastici fuerunt. De essentiæ autem divinæ per omnia diffusione Ieremiæ verba non loqui, illa sunt indicio, quæ ibidē pręcedunt: *Putásne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longè?* quibus verbis docet, se nō esse ejusmodi Deum, qui e vicino tantùm cernere, aut operari, & vel juvare, vel punire queat; sed talem, qui e longinquo etiam omnia præstare possit. quæ oratio ejus non est, qui significare vult, se essentiæ ac personæ suæ ratione habita omnibus rebus præsentem adesse. Idem autem, quod duobus illis scripturæ locis intelligi diximus, significat & Salomon, cùm ita Deum alloquitur: *Ergóne putandum est verè,* (Hebr. *verúmne est,*) *quòd Deus habitet super terram? Ecce cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc, quam ædificavi?* scilicet te non capiet. de immensitate nimirum Dei, ratione efficaciæ, scientiæ, ac providentiæ loquitur. Nam cum templum id demum sit, in quo numen habitet, saltem virtute ac providentiâ suâ, quâ fiat, ut illic sese adorantes benignè respiciat, & opem suam implorantes exaudiat; videri poterat Salomon, extructo tēplo, in quo uno Deus optimus maximus perpetuò solennibus ritibus colendus esset, ejus virtutem & providentiam ei loco quodammodo includere voluisse. Itaque ut huic rei occurrat, & longè augustiùs se de Deo sentire doceat, affirmat, eum, ratione nimirum virtutis ac providentiæ, ne ab amplissimis quidem cœlorum omnium spaciis comprehendi, nedum ut ejus, quod extruxerat, templi angustiis

℣ 7, & d.

Ierem: 23. 24.

Augustin: Steuchus, Ioh: Calvinus, Mart: Bucerus, Phil: Marnixius.

3 Reg: 8. 27.

De Magnitudine, Immensitate, & Omnipræsentia Dei. concludi possit. Interim tamen peculiari quadam ratione cum templo illi cupit esse intentum, & in eo singularem providentiæ suæ vim exserere, ut ex sequentibus intelligitur. Non longè ab his abeunt illa Dei apud Esaiam verba: *Cœlum sedes mea, (seu solium meum,) terra autem scabellum pedum meorum: quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi? & quis est iste locus quietis meæ?* Vt enim magnitudinem atque amplitudinem potentiæ, imperii, & providentiæ suæ exprimat, quâ in cœlis residens, etiam ad terrena pertingat, sibi tantam staturæ molem per metaphoram tribuit, ut in cœlis tanquam solio sedens, pedibus terram sibi subjectam contingat. Regibus longas dicimus esse manus, quia illorum potentia longè protendatur. Non absimili ratione staturam corporis tam grandem, atque adeò immensam sibi tribuit Deus. Quia verò in cœlo residere passim dicitur, cui terra & loci & dignitatis ratione subjecta est; ut ad hanc etiam suam potentiam, imperium, ac providentiam protendi ostendat, eam scabellum vocat, ad quod pedes ipsius porrigantur, & cui veluti insistant. Ad hæc loquendi genera referendum est & illud Christi apud Matthæum, cùm dicit, *Patrem nostrum esse in abscondito*, per *absconditum* intelligens occultum, in quo oremus, locum. Pro eodem enim sumit, *esse in abscondito*, & *videre in abscondito*, ut ex verborum inter se collatione apparet. Nec mirum; cùm eadem scriptura & de hominibus dicat, vel ipsos, vel ipsorum cor aut spiritum ibi esse, quò vel animo tantùm ac cogitatione respiciunt, vel eorum pertingit notitia. Sic in eodem apud Matthæum loco paulò pòst ait Christus: *ubi est thesaurus tuus* (Gr. *vester,*) *ibi est & cor tuum* (Gr. *vestrum.*) & Elisæus olim, qui viderat spiritu Prophetico absens, quid inter servum ipsius & Naamanum actum esset, ait: *Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui?* Idem autem sensus est verborum Hebræorum: *nonne cor meum ivit*, scilicet *tecum?* Sic & Paulus ait, se Corinthiis præsentem esse spiritu, & congregatum iri cum Corinthiis spiritum suum significat. similiter & spiritu Colossensibus se adesse ait, gaudentem & videntem (seu cum gaudio videntem) ordinem ipsorum, & firmamentum ejus, quæ sit in Christo, fidei ipsorum. At longè rectiùs id de Deo dicitur, qui perfectissima ratione omnia, perspicaci simul & efficaci sua providentia pervadit, & in occultissima quæque penetrat. De hac denique præsentia divina, quæ divina ipsius virtute ac providentiâ continetur, loquitur & Paulus in Actis, cùm ait: *Deum non longè esse ab unoquoque nostrûm. In ipso enim,* inquit, *vivimus, & move-*

Margin notes: Esa: 66. 1. — Mat: 6. conf. ℣ 4, 6, 18. — ℣ 21. — 4 Reg: 5. 26. — 1 Cor: 5. 3, 4. — Col: 2. 5.

De Magnitudine, Immensitate, & Omnipræsentia Dei.

& movemur, & sumus. In ipso autem idem est hoc loco, quod per ipsum, seu ipsius efficaciâ, curâ, providentiâ. Indicant id sequentia, quæ probationis caussâ subjiciuntur: *sicut & quidam vestrorum Poëtarum dixerunt: Ipsius enim & genus sumus*, hoc est, a Deo originem trahimus, generisque nostri ortum ducimus. quæ verba non docent, nos in substantiæ divinæ, ut ita dicam, amplitudine nos undique amplectente, moveri, vivere, & esse; sed ejus virtute atque efficaciâ & extitisse, & porrò vitam ac movendi facultatem habere, ac tanquam prolem quandam ipsius, ejusdem curâ ac providentiâ perpetuò foveri.

Hæc Dei immensitas atque omnipræsentia ut omnium confessione est certissima, & sacris literis testatissima: ita nobis creditu utilissima, & maximè necessaria: quemadmodum ex iis constare potest, quæ suprà de omniscientia Dei, itemque de omnipotentia, & infinita imperii ipsius amplitudine diximus. Nam & metum numinis quovis loco præsentis nobis ingenerat, & porrò ab omni peccato, quo ipsius oculos offendere possemus, nos avocat; & fiduciam nostram, quam in ipso collocavimus, fulcit ac sustentat: siquidem ejus potentiam ac providentiam nuspiam nobis deesse, nullam loci distantiam ipsius auxilium excludere, nec quicquam mali, nisi ipso sciente ac volente, ac simul etiam moderante, nobis contingere posse sciamus. Ejus autem essentiam in quovis pulvisculo atque atomo totam latere, ac in locis quibusvis spurcissimis non minùs, quàm in augustissimo cœlorum domicilio extare, & porrò obscœnissimis etiam atque impurissimis actionibus planè mediam intervenire, & cum iis rebus intimè jungi, a quibus vel cogitatio abhorret; id de Deo sanctissimo atque augustissimo omnino sentiendum esse, & sine certissima salutis jactura ignorari non posse, nondum ex sacris literis discere potuimus. Nec est credibile, hoc eum de se credi jussisse, qui olim ex Israelitarum castris, quicquid fœdum esset, amoveri, & abscondi præcepit, hac addita ratione: *Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum tuorum, ut eruat te, & tradat tibi inimicos tuos. Sint itaque castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te.* ut taceam, cum aliàs quoque, cùm in angelis, aut per angelos apparuit, locum re impura ne contingi quidem voluisse. quò minùs credibile est, gloriosissimam ipsius substantiam in medio impurissimarum rerum ac sordium latere. Itaque ignoscendum saltem iis est, qui ob summam Dei majestatem, ac venerationem numinis illius, ista de eo cogitare non audent, & malunt simpliciùs

Num: 5. 2, 3. Deut: 23. 10. ibi: ỷ 14.

Exod: 3. 5, & d. 19. 10, & d. Jos: 5. 16.

plicius

De Magnitudine, Immensitate, & Omnipræsentia Dei.

plicius, quam a plærisque Theologis fieri solet, & vulgari loquendi consvetudini accommodatius accipere & credere id, quod toties tamque aperte inculcant sacræ literæ: nempe Deum [a] in cœlo, in alto, in excelsis esse aut habitare, [b] cœlum ipsius esse habitaculum, sedem, domum; [c] e cœlo illum attendere, exaudire, respicere, [d] prospicere super filios hominum; [e] eum inaccessam lucem inhabitare; [f] in templis manufactis non habitare, & si quæ sunt his similia, quibus habitaculi, & [g] loci (nam & hac voce utuntur sacri scriptores de Deo loquentes) [h] distantia significatur, quâ Deus ab hominibus distingvatur. Tantò autem minùs ista sententiæ simplicitas damnanda est, quòd ipsa quodammodo natura omnes terrarum populos monere videatur, ut in cœlis Deum quærant, aut esse intelligant, cum ipsi etiam barbari orantes in cœlum oculos, aut etiam manus attollant; quod idem & [i] Davidem, & Salomonem, & alios, & ipsum denique Christum fecisse legimus. Vnde & Hebræi veteres, & Philosophi plærique, certè præstantissimi, in cœlo Deum locarunt; quòd istic dignissima Deo sit sedes, & locus incorruptibilitatis, quemadmodum [k] viri quidam doctissimi testimoniis eorum prolatis docuerunt; qui iidem ex Christianorum quoque tum veterum, tum recentium scriptis ea collegerunt dicta, quæ vulgarem sententiam de diffusione essentiæ divinæ per res universas, vel penitùs refellunt, vel non parùm labefactant: quin & contradictiones varias, quæ in vulgari dogmate lateant, ostenderunt. Primùm Deum infinitum esse, & nihilominus in minimo quovis pulvisculo, aut spacio, quod oculorum etiam nostrorum aciem fugiat, totum consistere, totumque puncti instar esse. Deinde Deum eidem rei simul & æqualem & inæqualem, infinities majorem, & minorem esse. Æqualem; quia in toto aliquo corpore ita existat, ut nulla sit ejus corporis pars, quæ Deo plena non sit; nec vicissim quicquam sit essentiæ divinæ, quod in eo corpore non sit. Hoc autem non esse nisi æqualium. Infinities rursus majorem esse; quia sit infinitus. Infinitum enim quovis finito infinities majus est. Minorem denique, quia in atomo etiam totus consistat, & in minima quavis corporis particula, cujusmodi vel innumeræ in eodem toto contineri possunt. Addi potest, Deum seipso etiam fore & infinities majorem & minorem, & nihilominus æqualem: quia & totus in re minima existat, & nihilominus ultra rem quamvis in infinitum pateat, & sic seipsum totum infinities in se contineat. æqualem nihilominus sibi ipsi esse; siquidem idem seipso nec majus nec minus eodem tempore esse possit. Ad

[a] Iob: 16. 19: Ps: 2. 4: 113. 6: 115. 3: 123. 1. Eccle: 5. 1: Dan: 2. 28: Mat: 5. 16, 45: 6. 1, 9: 7, 11, 21, & alibi sæpè: Luc: 2. 14: 19. 38.
[b] Devt: 26. 15. 3 Reg: 8. 30, 39, 43, 49: Psal: 33. 14: 103. 19: Esa: 63. 15: 66. 1. Mat: 5. 24: 23. 22. Ioh: 14. 2.
[c] dict: ll. Devt: 26: 3 Reg: 8. sæpiùs. Esa: 63: 2 Par: 7. 14: Psal: 20. 7: 57. 4: 80. 15: 102. 20. Thren: 3. 50.
[d] Psal: 14. 2: 33. 18: 113. 6.
[e] 1 Tim: 6. 16.
[f] 3 Reg: 8. 27. Esa: 66. 1: Act: 7. 49: 17. 24.
[g] 3 Reg: 8. 30, 39, 43, 49: Esa: 18. 4: 26. 21: Ose: 5. 15: Bar: 3. 24. 25.
[h] Ps: 115. 16: Eccle: 5. 1: Esa: 40. 20.
[i] Ps: 123. 1: 3 Reg: 8. 22, 54. Thren: 3. 41. Luc: 9. 16: Ioh: 17. 1. vide etiam libros Maccab: passim.
[k] vid: Cōr: Vorstii Appendices ad 1. partē Respons: ad Matth: Sladum: & Apolog: Exeges: cap: 16, & seqq.

Cap: X X VIII. De Benignitate & Severitate Dei.

fit. Ad hæc, Deum respectu ejusdem planè rei, & secundùm eandem rei cujusvis partem, totum extrà & intrà, suprà & infrà, antè & pòst, ad dextram & ad sinistram esse; imò non tantùm respectu aliarum rerum, verùm etiam respectu sui ipsius: quæ omnia cùm opposita sint, tacitam contradictionem in se continent. Præterea omnia corpora, licèt extra se invicem posita, ac longissimè a se mutuò distantia, secundùm omnes tamen partes simul juncta esse. Iungentur enim secundùm omnes partes Deo indivisibili: ac porrò etiam inter se jungentur secundùm omnes partes, ubicunq; illa res indivisibilis existit. Quæ enim eidem secundùm idem junguntur, etiam inter se junguntur. Quæ autem Deo junguntur, secundùm idem ei jungi necesse est, non secundùm diversa membra seu partes. siquidem tota toti jungantur. Hæc & alia si quis conciliare non possit, nec ab aliis conciliari posse credat; num tanquam impius damnabitur, utut cæteroqui Dei numen nuspiam abesse credat, & se in ejus oculis perpetuò versari, in ipsius manibus totum esse positum, firmiter sibi persvadeat, eaque de causa ipsi confidat, eum reverenter colat, ei placere in omnibus studeat? Qui hunc damnare ausit, is nondum se Deum & Christum satis nosse ostenderit. Sed pergamus ad alia.

Cap. XXVIII.

De Benignitate ac Clementia Dei, & huic opposita Severitate.

Veniendum nunc est, ex ordine superiùs constituto, ad illa Dei attributa, quæ ad Sapientiæ ac Sanctitatis normam sese veluti attemperant; & primò quidem ad ea, quæ habituum nomina sortiuntur, licèt interdum & affectuum appellationes illis accommodentur. Ea verò sunt, Benignitas, & quæ illius ambitu continetur, Clementia, & huic opposita Severitas. De quibus hoc capite simul agemus; quia opposita sibi invicem lucis aliquid afferunt; nec facilè cognosci potest, quousque clementia extendatur, nisi cognoscatur, qui sint severitatis veluti cancelli ac fines, intra quos sese contineat; & contrà. cap: 24.

Quod ergo ad benignitatem attinet; ea in sac. literis crebrò admodum Bonitatis nomine appellatur: atq; adeò, licèt alicubi sanctitas quoque Dei, nomine bonitatis comprehendi queat; jurè tamen affirmari potest, ubicunque Deus in sacris literis bonus prædicatur, benignitatem ejus comprehendi, frequentiùs solam designari.

De Benignitate & Severitate Dei.

gnari: quamvis ea interim sanctitatem veluti præsupponat. Nam nec verè benignus esse posset, nisi simul esset justus ac rectus. Hinc illud solenne in sacris literis, ac præcipuè in Psalmis: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in secula misericordia ejus.* ubi posteriora verba explicatio sunt priorum. Ex quibus illud quoque intelligitur, etiam Misericordiæ nomine hoc Dei attributum venire. Licet enim misericordia affectûs sit nomen; sæpè tamē pro ipsa benignitate seu beneficentia sumitur, sive de Deo, sive de hominibus efferatur, & non certum aliquem miserendi actum, sed potiùs miserendi cōsvetudinem constantemq; voluntatem significat. Unde Deus misericors esse dicitur, ejusq; exemplo & nos misericordes esse jubemur. Misericors autem non dicitur, qui tantùm semel atque iterum miseretur; sed qui facilè, qui frequenter constanterq; miseretur. Licèt autem suâ naturâ paulò angustius esse videatur misericordiæ, quàm benignitatis nomen: quandoquidem misericordia propriè exercetur erga miseros atque afflictos tantùm, uti & nomen ipsum indicat; benignitas autem exerceri potest etiam erga eos, qui miseri non sunt, modò beneficii adhuc alicujus sint capaces: tamen nonnunquam ita latè videtur extendi misericordiæ vox, ut universam benignitatem ambitu suo comprehendat. Hoc sanè modò accipiendum videtur illud Psalmi, *Suavis* (vel, ut est in Hebræo, *bonus*) *Dominus universis, & miserationes* (seu *misericordiæ*) *ejus super omnia opera ejus*, h. e. Deus misericordiam exercet in omnia sua opera, résve omnes a se creatas. ubi itidem posteriora verba sunt epexegesis quædam priorum, & per misericordias Domini, bonitas seu benignitas ejus explicatur. Similiter autem, & Gratiæ nomine Dei beneficentia designatur; vel saltem nihil impedit, quominus eo nomine, cùm Deo tribuitur, creberrimè intelligatur, & tunc quidem inprimis, cùm Deus Hebraicè [a] Channun, q. d. gratiosus, &, ut nonnulli vocem vertunt, gratificus vocatur. quia nimirum ad gratiam, favorem, ac benevolentiam hominibus præstandam sit valde propensus, atque adeò eam libenter facileque præstet. licèt aliàs gratia quoque affectum propriè significet. de quo genere divinorum attributorum capp. seqq. agetur. Vidimus suprà & Iustitiæ & Veritatis nomine benignitatem appellari aut comprehendi. Sed de nominibus satis.

1 Par: 16. 34. 2 Par: 7. 3. 1 Esd: 3. 11. Psal: 106. 1: 107: 1: 118. & alibi. vid: etiam 25. 7, & d: 34. 9.

Luc: 6. 36.

Psal: 145 9.

a Exo: 22. 27: 34: 6. 90. Neh: 9 27: Ps: 86. 15: 103. 8: & alibi.

cap: 25.

Quod ad rem ipsam attinet, Benignitas Deo in sacris literis attributa, voluntaria est ad benefaciendum propensio, seu constans benefaciendi voluntas, ac consvetudo. Non semel enim, cùm Dei beneficentia, quocunque tandem dictorum nominum elata, commemo-

memoratur, non ſolùm ad benefaciendum propenſio, ſed & ipſa benefaciendi conſvetudo ſignificatur. Voluntariam autem propenſionem eſſe diximus: quia ea demum beneficentia vera eſt, ad quam non neceſſitas adigit, ſed quæ libera voluntate ſuſcipitur. Itaque licèt benignitas naturæ divinæ admodum ſit conſentanea, eâque digniſſima: non tamen ſimplici atque immutabili neceſſitate ei eſt alligata. Alioqui non poſſet non Deus benignè agere: nec unquam ira ac ſeveritas, quæ bonitati ſeu benignitati ejus apertè in ſacris literis opponitur, in illum caderet, aut in ullo ejus opere cerneretur. Neq; enim naturalibus Dei proprietatibus quicquam poteſt in Deum cadere contrarium, aut in ullo ejus opere cerni. Sic cum ſapiens naturâ ſit Deus, nec inſipientia in illum cadere, aut inſipienter quicquam agere poteſt: cùm naturâ ſanctus juſtúsque, nulla impuritas, nullum *injuſtitiæ* genus in ipſo extare, aut in ullo ipſius opere verſari poteſt. Quòd ſi nonnulla, quæ benignitati repugnant, in eum nullo modo cadere poſſunt, ut invidia, crudelitas, ἐπιχαιρεκακία, ſeu lætitia ex innocentium malis profecta; non ideò non cadunt, quia cum beneficentia ſola pugnent; ſed quia ſimul cum ſanctitate. ſic quòd credentibus in Chriſtum non poteſt non dare vitam æternam; id propterea fit, quòd fides ac juſtitia ipſius poſtulet: quanquam ut ea id poſtularet, ex benignitate divina primò fuit profectum. Etſi autem voluntaria eſt hæc Dei benignitas, ac liberè ab ipſo ſuſcepta; conſtans tamen eſt: tum quia eâ frequentiùs libentiusque utitur Deus, quàm ira ac ſeveritate: unde longanimis, ſeu tardus ad iram, ſed multæ miſerationis eſſe prædicatur: tum quia, cùm ſemel aliquem benignitate proſequi inſtituit, eâ illum proſequi non deſinit, niſi is ſeipſum eâ indignum reddat.

De Benignitate & Severitate Dei.

Exo: 34. 6: Neh: 9. 17: Pſal: 86. 15: 103. 8: 145. 8. Ioël: 2. 13: Ion: 4. 2.

Patet autem Dei benignitas latiſſimè, atque adeò in res omnes ſenſu aliquo præditas ſeſe diffundit. ſiquidem, ut ſuprà vidimus, *miſericordiæ Domini ſuper omnia ejus opera* eſſe dicũtur a Pſalte, qui aliquot locis inſignem ejus, tum in homines, tum in brutas animantes beneficentiam celebrat. *Tu* enim, inquit alicubi, Deum alloquens, *homines & jumenta ſalvabis*, h. e. conſervas, alis, tueris. & alibi: *tu aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione*, ſeu *pro benigna tua volũtate.* Veruntamen præcipua in homines (ut de rebus inferioribus nunc tantùm loquamur) extat Dei benignitas, atq; ad iis benefaciendũ propenſio. Vnde eam etiam peculiari φιλανθρωπίας nomine alicubi deſignat Apoſtolus. Neq; enim ibi

Pſal: 145. 9.
Pſal: 36 9.
Pſal: 145. 16.
vid: & Pſal: 104. 11. & d.
Tit: 3. 4.

De Benignitate & Severitate Dei.

φιλανθρωπία simplicem quandam humanitatem seu comitatem significat, ut aliàs apud Græcos solet, sed vim majorem, & naturæ suæ propiorem habet. Significat autem propriè, ut notum est, amorem seu charitatem erga homines. Etiamsi autem amor affectus sit, ac porrò φιλανθρωπία ad illud attributorum genus referendum videatur, quæ affectuum instar Deo insunt: tamen quia constantem Dei erga homines benevolentiam, atque ad benefaciendum promtitudinem significat, habitus cujusdam instar est, & idem reipsa cum beneficentia, sed ad certum objecti genus, nempe homines, restricta. Quanta autem illa sit, quamque perfecta, satis explicuit Paulus eo ipso, quo vocem illam de Deo usurpavit, loco. Verumenimverò licèt benignus sit Deus erga universos homines, atque adeò etiam erga malos, ut præter sacras literas etiam ipsa testatur experientia: nominatim tamen [a] bonus seu benignus in pios ac fideles esse prædicatur: non quòd in cæteros planè non sit, sed quòd in illos maximè. Nam & longè majora in pios, quàm in impios, conferre solet beneficia, si non terrena & ad corpus spectantia, saltem spiritualia & cœlestia: & longè constantiùs illis, quàm his, benefacit. Nam impios, cùm ipsius benignitate ad frugem adduci se non patiuntur, tandem omnibus suis beneficiis exclusos, gravissimè punit, & a facie sua in æternum abjicit. Pios autem amare nunquam desinit, eosque post mortem etiam novit, nominibus ipsorum in vitæ librum relatis. Vnde meritò sacræ literæ, Deum bonitate in fideles, severitate in infideles ac contumaces uti asserunt.

A. 1. Psal: 145. 9. Luc: 6. 35. a Psal: 73. 1. Thren: 3. 25.

Rom: 11. 22.

Ex dictis autem jam aliqua ex parte proprietates benignitatis divinæ apparent. Est enim ea primùm amplissima: cum ad omnes res creatas beneficii alicujus capaces, quales sunt res sensu præditæ, extendatur; & respectu hominum ita universalis, ut nemo, nisi peccatis suis id fuerit commeritus, ab ea excludatur; & plærique non protinus, sed diu tolerati, diu ad frugem vocati. Deinde & uberrima est: cum maxima donorum copia semper ab ea promanet. Vbertatem hanc divinæ benignitatis, cum ejus amplitudine conjunctam, tum alibi prædicat scriptura, tum Psaltes non semel prædicat, atque inter alia psalmo suprà notato 36. ubi licèt etiam *veritatis* ac *justitiæ* faciat mentionem; tamen & illis vocibus benignitatem aliqua ratione comprehendit. quandoquidem fidem illam designat, quâ Deus promissa sua, & quicquid illis est consentàneum, præstat, qua in re & benignitas ejus continetur. adde, quòd, ut suprà docuimus, & justitiæ vox beneficentiam nonnunquam

℣. 6. & d.

Cap: 25.

De Benignitate & Severitate Dei.

nunquam denotat, & veritas sinceram benevolentiam. Ita ergo ait: *Domine in cœlo* (seu *usque ad cœlos*) *misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes. Iustitia tua sicut montes Dei: judicia tua abyßus multa. Homines & jumenta salvabis,* (seu *servare soles,*) *filii autem* (Hebr: *& filii*) *hominum in tegmine* (Hebr: *umbrâ*) *alarum tuarum sperabunt. Inebriantur ab ubertate* (Hebr: *pingvedine*) *domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* q. d. tanta est tua benignitas, tanta fides, quâ promissa tua, quæque iis sunt consentanea, præstas, ut ad cœlos nubesque pertingere videatur, & montes altissimos æquet; ita ubique eminet, séque conspiciendam præbet. Opera providentiæ tuæ (hæc enim *judiciorum* divinorum nominè hoc loco cum viris quibusdam doctis accipimus) tam sunt multa, ut instar profundissimæ sint abyssi. Nam tu & homines & bruta conservas, alis, ac tueris. & inprimis homines sub tua tutela securi sunt, in eaque fiduciam suam tutò collocare queunt. Tu es instar locupletissimi patrisfamiliâs, in cujus domo beata rerum est copia, quâ omnes fruuntur, omnes replentur: a te profluunt omnis generis beneficia, quibus vita nostra exhilaratur. Nam a te uno manat vita, & quicquid ad illam conservandam pertinet. Te opem nobis ferente, & beatitatis veluti radiis nos collustrante, discussis calamitatum ac curarum tenebris nebulisque, læti ac beati vivimus. Et hæc quidem ratione terrenorum beneficiorum revera de benignitate divina dixit David. Quid nunc dicturus esset, postquam nos Deus ditavit omni benedictione spirituali in rebus cœlestibus per Christum? Itaq; nō mirum, in sac. literis Novi fœderis divitias benignitatis, aut gratiæ ejus non semel celebrari. Animadvertendum enim est, licèt divina benignitas adeò sit dives, eam tamen respectu diversorum objectorum & temporū, diversos habere effectus, graduū ratione inter se distinctos. Ratione objectorū; quia majoribus olim cumulavit beneficiis Israëlitas, quàm Gentes extraneas: majoribus item cumulat pios, quàm impios; & inter pios iterum eos, qui virtutem majori studio colunt. quamquam liberrimæ Dei potestatis est, etiam inter pares discrimen facere, ut superiùs est explicatum. Quò pertinet illud, quòd Deus misereatur, cujus vult misereri. Ratione diversorum temporum; quia major ipsius benignitas eluxit sub Novo Fœdere, quàm sub Veteri. Vnde illud Iohannis: *De plenitudine* Sermonis, h. e. Christi, qui plenus fuit gratiâ & veritate, *nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia; quia Lex per Mosen data est; gratia & veritas per Iesum Chri-*

Eph: 1. 3.

Exo: 33. 19.
Rom: 9. 15, 16, 18.

Ioh: 1. 16, 17. conf: ℣ 14.

De Benignitate & Severitate Dei.

Rom: 6. 14, 15, Tit: 3. 4.

Christum facta est. & illud Pauli: *non sumus sub Lege, sed sub gratia.* & quòd idem alibi publicati Evãgelii tempora ita describit: *Cùm benignitas & humanitas* (vel potiùs *amor erga homines*) *apparuit Salvatoris nostri Dei.* Sic & respectu ejusdem hominis diverso tempore diversa sunt divinæ benignitatis effecta. Solet enim Deus, ut suprà etiam alicubi monuimus, a minoribus beneficiis ad majora progredi, nisi hunc beneficiorum cursum hominis peccata, & ingrati animi crimen impediat. Denique æterna est divina benignitas, tum universim considerata, tum in specie, respectu piorum. Nã & in universum benignitate semper usus est Deus, ex quo creaturæ extiterunt: siquidẽ nec existere, nec conservari sine benignitate divina potuerunt: & porrò eâ utetur. Vnde Misericordia Dei nunc [b] a seculo fuisse dicitur, nunc in [c] seculum. Sed nominatim respectu piorum æterna dicitur a Davide,[d] cùm ait: *Misericordia Domini ab æterno & usq; in æternum super timentes eum, & justitia ejus* (h. e. benignitas promissis ejus consentanea, seu fides liberalissimè promissa præstans) *super filios filiorum, his qui servant testamentum ejus, & memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.* Id autem verissimum est non tantùm generatim, quatenus nimirum Deus hominibus piis quovis tempore solitus est benefacere, *ac* porrò benefaciet; sed sigillatim de unoquoque eorum, qui in pietate ad extremum usque spiritum perseveraverint. siquidem eorum etiam post mortem Deus est, ad immortalem eos vitam aliquando resuscitaturus.

b Psal: 25. 6.
c Psal: 106. 1; 107. 1: 118. 1, 2, 3, 4, 29.
d Psal: 103. 17.

Cernitur autem Dei benignitas in omnibus cujuscunque generis beneficiis, quæ rebus creatis impertit, sive malum tantùm aliquod ab illis avertat, sive insuper boni aliquid in eos conferat. Sed tamen ea beneficentiæ pars, quæ cernitur in malis, & malis quidem commeritis avertendis, speciali nomine Mansvetudo aut Clementia dicitur. Mansvetudo enim est, quæ iram temperat; & Clementia quidem propriè mansvetudo est superioris erga inferiorem, potentioris erga imbecilliorem. Tribuitur autem Deo in sacris literis ira, h. e. voluntas, seu (si ita de Deo loqui fas est) affectus puniendi. Ea ergo benignitatis divinæ pars, quæ iram illam vel exoriri, cùm meritò posset, non sinit, vel eandem differt, vel jam exortam mitigat, aut penitus extingvit, mansvetudo est ac clementia, quæ Deo in sacris literis tribuitur. quanquam interdum generalius χρηϛότητος seu benignitatis nomen retinet.

Rom: 2. 4.

Intelligitur autẽ hinc, clementiæ divinæ effectum non esse unius modi, sed nunc perfectiorem ac pleniorem, nunc minùs perfectum,

ctum,

De Benignitate & Severitate Dei.

ctum. Præcipuus est, peccatorum remissio seu condonatio, h. e. gratuita liberatio a reatu ac pœnis peccatorum. Minùs perfectus est, pœnarum mitigatio, aut dilatio. Et ea quidem mansvetudinis pars, quę pœnam differt, & peccantes diu tolerat, ἀνοχὴ seu patientia ac tolerãtia speciali nomine dicitur: appellatur & μακροθυμία. quanquam hæc vox latiùs etiam extenditur, & universam Dei mansvetudinem ac clementiam interdum complectitur, respondetque illi Dei epitheto, quo sacræ literæ Veteris Testamenti eum insigniunt, dum eum Hebraicè *erech appajim*, h. e. *longum irarum*, seu ad iram tardum appellant. siquidem & Græci interpretes τ̃ μακροθύμου voce Hebræum illud Dei elogium exprimunt; uti & sum, cùm idem de hominibus effertur. Id autem epithetō universam mansvetudinem complecti videtur. cùm cæteroqui Græca μακροθυμίας vox nonnunquam a πρᾳότητι in sacris literis distinguatur, ita nimirum, ut μακροθυμίας seu longanimitatis officium sit, iram diu cohibere atque differre, &, utut sæpè diúque offendaris, non irritari tamen, aut ad vindictam progredi: πρᾳότητος autem, nec graviter irasci, & iram facilè deponere, placabilémque esse.

Rom: 2. 4: 3. 26: 9. 22.
Exod: 34. 7. Num. 14. 18. Psal: 86. 15: 103. 8.
Prov 14. 29: 15. 18: 16 32.
Gal: 5. 22.

Vtitur autem Deus priori clementiæ effectu, qui in remissione peccatorum cernitur, erga omnes, qui resipiscunt, & vitam ad normam divinorum mandatorum emendant, ut ex sac. literis cuivis liquet. Quamquam hæc Dei benignitas novo potissimùm fœdere est inclusa, & promissis illius comprehensa. Nam quæ ante Christum de remissione peccatorum exstiterunt promissiones, fœderi præsertim antiquo insertæ, eæ non uno modo restrictæ fuerunt. Nam primùm ad solos Israëlitas reverà pertinebant. deinde de remissione pœnarum temporalium reverà loquebantur: liberationem ab æterna pœna ita significabant, ut ipsum fœdus antiquum significabat novum, & populus Israeliticus Christianum; atq; adeo respectu illius temporis Deum ad pœnam illam ab hominibus auferendam non obligabant. Denique respectu peccatorum condonandorum limitatæ erant promissiones illæ, præsertim si habeatur ratio singulorum ex populo, non populi generatim considerati. qua de re nunc non est fusiùs dicendi locus. Apud Prophetas ampliores quodammodo extant promissiones: sed in iis divinus spiritus ad novi fœderis tempora magis respexit. quatenus autem eædem ad Veteris tempora spectant. ita sunt accipiendæ.

vid: Ier: 31. 34, conf: cum anteced.
Heb: 8. 12. conf: ꝟ 6, & d. & c. 10. 16, 17.
Mat: 12 30, 31.
Act: 13. 38, 39.
vid: d. l. Act: 13. conf: Levit: 18, 29, conf: anteced c. 20. 9, & d. 24. 15, & d Num: 15. 30, & d.
Devt: 27. 15, & d.

De Benignitate & Severitate Dei.

endæ, ut severitatem quidem illius aliquatenus relaxent, sed non penitus tollant, & sic ipsam fœderis rationem evertant.

Quod ad posteriorem clementiæ partem effectúmve attinet, qui in differendis pœnis cernitur; eo creberrimè quidem utitur Deus, hodie præsertim, ubi tam benignè cum genere humano agere ipsi placuit; nec tamen semper. Nam interdum divina vindicta sat celeri gradu hominum flagitia consequitur, nec resipiscentiam eorum expectat. Quamquam dubium non est, illos ipsos homines aliquando longanimitatem divinam in aliis delictis, utut minùs gravibus, fuisse expertos.

Animadvertendum autem est, cum clementiæ divinæ effectis alios beneficentiæ fructus creberrimè solere conjungi. Nam cùm pœnas aufert Deus, præsertim penitus, beneficia earũ loco reponit. quod in iis maximè conspicitur, quibus sub N. fœdere peccata condonantur. Nam in hoc quidem seculo, præter alia bona, spiritus sancti donum illis largitur; in futuro autem, loco mortis sempiternæ, vitam illis donabit immortalem, perpetuis gaudiis affluentem. Cùm verò differt pœnas, variis sæpe modis illorum hominum, quibus parcit, resipiscentiam quærit; & iis quidem, qui veritatis agnoscendæ occasionem nondum habuerant, eam præbet: a cæteris, si nec veritatem nec animum resipiscendi abjecerint, & virtutibus quibusdam ipsi valde gratis, ut charitati ac beneficentiæ, operam adhuc dent, eam non aufert, sed eorum conversionem ac salutem curæ sibi habet, præsertim si aliorum precibus juventur. Aliàs, si quis animum adversus pietatem aut ipsam etiam veritatem obfirmet, ab ipso quoque Deo indurari solet.

Hæc quò meliùs intelligantur, jam de Severitate quoque divina nobis est agendum. Reperitur autem Severitatis vox de Deo usurpata in illo Epist. ad Rom. loco, quem suprà indicavimus, ubi ait Apostolus: *Vide ergo bonitatem, & severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem* [*Dei,*] *si permanseris in bonitate.* quamquam eo in loco severitas non consvetudinem severè agendi, aut quippiam habitui analogum, sed actum tantùm severitatis certum denotat. Alibi autem nec severitatis vocem de Deo usurpatam, nec ipsum Severum fuisse appellatum, uspiam animadvertimus. Nec mirum: cùm is demùm Severi nomen verè mereatur, qui pœnam libentiùs exigit, quàm condonat, & raro aut vix quicquam de supplicio remittit. At Deus ad parcendum atque ignoscendum, absolutè loquendo longè propensior est, quàm ad puniendum; & rarissimè, imò fortasse

c. 11. 22.

nunquam

De Benignitate & Severitate Dei.

[n]unquam summo jure in suppliciis exigendis utitur. Vnde ut su[p]ra jam vidimus, non semel tardus ad iram, sed multæ miseratio[n]is esse dicitur. & punire ac perdere opus Dei alienum, servare ac [b]enefacere proprium ipsius opus censendum est. præsertim habi[t]a ratione populi ipsius, cum quo ipsi peculiare fœdus est. quò non [i]mmeritò a viris quibusdam doctissimis pertinere censentur illa [E]saiæ verba, qui postquam populo graves pœnas Dei nomine de[n]unciasset, addit: *ut faciat opus suum, alienum opus ejus: ut opere[t]ur opus suum, peregrinum* (seu *alienum*) *est opus ejus ab eo.* q. d. [D]eus, ut opus sibi proprium facere queat, facturus est opus alie[n]um, h. e. populum suum graviter puniet, ut eum hoc pacto ad [f]rugem revocatum servare, ac variis beneficiis cumulare queat. [Q]uin & illud indicat, quàm ad puniendum non sit propensus De[u]s, quod apud Ieremiam legitur in Threnis: *Non humiliavit* (seu *af[fl]ixit*) *ex corde suo, & abjecit* (vel *nec dolore affecit*) *filios hominum.* [q.] d. non solet Deus homines ex animo affligere, sed quodammo[d]o invitus, & ipsorum peccatis coactus. quamquam id ad popu[lu]m divinum potissimùm pertinet, nec ita extendendum est, quin [e]x illis sac. scripturæ dictis locus relinquatur, qui asserunt, Deum [h]ostium suorum vindictâ quodammodo gaudere. de quibus infrà [su]o loco agetur. Ex quibus intelligitur, Deum quidem Severũ sim[p]liciter dici vix posse: interim tamen sceleribus hominum ad se[v]eritatem quandam adduci, atque adeo quodammodo adigi. Ete[n]im nec sanctitas, nec majestas ipsius usquequaque fert, ut impu[n]è mandata ipsius violentur; & ordinis communis ac publici boni [r]atio exemplum nonnunquam postulat: & denique ut potestatem [s]uam, aut etiam vires ac potentiam declaret, nominique suo glo[r]iam ac venerationem tantò majorem conciliet, consentaneum [e]st, ut jure suo, quod ad pœnam infligendam habet, utatur. Et hæc [e]st caussa, cur sacræ literæ ea etiam de ipso pronuncient, quæ quan[d]am severè agendi consvetudinem significent, imò & constantem [q]uodammodo puniendi voluntatem; sed quæ ad certa sive homi[n]um peccantium, sive ipsorum facinorum genera sit restringenda. [H]uc referri potest id, quòd Deus sæpe zelotes, seu æmulator dici[t]ur; quamquam eam inprimis ob caussam, quòd æmulum hono[r]isque rivalem ferrre nolit, & de idololatris vindictam sumat, quemadmodum infrà explicabimus: veruntamen id ad affectum cæteros etiam peccatores puniendi, extendi jurè potest. Siquidem ita Deus in Decalogo loquitur, postquam falsorum Deorum atq; imaginum cultum prohibuisset: *Quia ego sum Dominus Deus tuus*

c. 28. 21.

cap: 3. 33.

cap: 38.

Exod: 20. 5, 6.
Deut: 5. 9, 10.

De Benignitate & Severitate Dei.

fortis(vel *Deus*)*zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* quamquam ſtatim, ut majorem in ſe benignitatem eſſe declaret, ſubjicit: *Et faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.* Pertinet huc & illud, quod apud Nahumum legitur, qui pluribus ſeveritatem divinam deſcribens ait: *Deus æmulator, & ulciſcens Dominus, ulciſcens* (inquam) *Dominus, & habens furorem,* (Heb. *dominus iræ:*) *ulciſcens Dominus in hoſtes ſuos, & iraſcens ipſe* (Hebr. *reſervans* ſcil. iram) *ipſe inimicis ſuis. Dominus patiens* (ſeu *longanimis,*) *& magnus fortitudine, & mundans non faciet innocentem.* Vbi quidem clementiæ quoque divinæ non fuit oblitus, licèt ſeveritatem præcipuè deſcribere vellet, de qua & in ſequentibus plura dicit. Quòd verò ultimo loco in verbis citatis ad ſeveritatem Dei deſcribendam ait, Deus *mundans non faciet innocentem,* quod in Hebræo eſt *innocentem faciendo non faciet innocentem,* vel *abſolvendo non abſolvet;* id etiam extat apud Moſen in illuſtri Exodi loco, ubi poſtquam Dei benignitas inprimis ac clementia his verbis fuiſſet deſcripta: *Dominator Domine,* (Hebr. utrobique eſt *Iehova*) *Deus, miſericors, & clemens, patiens*(ſeu *longanimis* aut *tardus ad iram,*) *& multæ miſerationis, ac verax* (ſeu *veritatis,*) *qui cuſtodis miſericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & ſcelera*(ſeu *prævaricationem,*) *& peccata;* additur, *nullusque apud te per ſe innocens eſt,* (Hebr. *& innocentem faciendo non facies innocentem,* ſeu *abſolvendo non abſolves,*) *qui reddis iniquitatem patrum in filiis ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem.* Eadem ferè leguntur & cap. 14. Numer. Eorum autem verborum, quibus aſſeritur, Deum *abſolvendo non abſolvere,* quæ in Latina interpretatione tribus iſtis locis triplici modo verſa legas, ita rectè viri nonnulli docti explicant, quòd Deus impios, ſeu reſipiſcere neſcios, omninò non ſoleat abſolvere, ſed eos tandem aliquando ſit puniturus, etiamſi fortè ſupplicium diutiùs differat. Neque enim eſt, quòd quis putet, verba illa ſimpliciter eſſe accipienda, quia ſimpliciter ſint prolata; quaſi nimirum Deus neminem, qui nocens ſit, abſolvat. Quemadmodum enim in utroque loco apud Moſen ſimpliciter dicitur, *Deum auferre iniquitatem, & ſcelera, & peccata,* non addita ulla ſive conditione, ſive deſcriptione ejus hominum generis, a quo peccata auferre Deus ſoleat; quod etiam alibi in ſacris literis fieri videmus: ita nec in illis verbis, de quibus nunc agimus, eos commemorat, quos Deus planè non abſolvat. Vtrobique nempe ſubaudiendum relinquitur, tanquam aliunde ſatis notum, quinam illi ſint,

[Margin notes: cap: 1. 2. — Exo: 34. 6, 7. — ℣ 18. — vid: Mat: 12. 30, 31. 2. Cor: 5. 19.]

illi sint, a quibus Deus auferre soleat peccata: aut contrà illi, a quibus non auferat, quósque omnino absolvere non soleat. Docent autem & exempla, & alia divina testimonia, & ex parte ipsa ratio, Deum a resipiscentibus auferre peccata, seu peccatorum pœnas; ab iis autem, qui non resipiscunt, non auferre. Quòd si quis neutrobi limitationem aliquam admittere velit, omnino pugnantia loquentem faciet divinum spiritum, & sibi iisdem in locis contradicentem. Ad eandem autem Dei severitatem designandam & illud pertinet, quòd a Davide *Deus ultionum*, a Ieremia *Deus ultor*, seu, ut est in Hebræo, *Deus retributionum* appellatur; & a Mose dicitur esse *ignis consumens*; quod etiam ab Auctore Epistolæ ad Hebræos repetitur, qui propterea monet, *ut serviamus placentes Deo cum metu* (Gr. *pudore*) *& reverentia* seu *timore*. quemadmodum & Moses ideo eum ignem consumentem vocat, ne quis eum offendere atque irritare audeat. Non appellat autem ignem consumentem ideo, quòd semper irascatur: nam id apertè sac. literis repugnat: sed quòd irasci illis, qui ipsum offendunt, soleat, & sæpe quidem graviter, ita ut eos ignis instar consumat ac perdat, præsertim qui graviùs in ipsum peccant, ut paulò inferiùs explicabitur. Aliàs Deus potiùs charitas est, uti a Iohanne appellatur; maximè sub Novo fœdere.

De Benignitate & Severitate Dei.

Psal: 94. 1. bis. Ier: 51. 56. Devt: 4. 24. Heb: 12. ult.

1 Ioh: 4. 16.

Severitatis autem divinæ primus atque ordinarius, seu mavis perpetuus effectus est ille, de quo & Mosen & Nahumum loqui superiùs vidimus, nempe iis, qui non resipiscunt, veniam non concedere, sed eos punire ac plectere, sive in ipsorum personis, sive in personis conjunctis, ut liberis aliisque posteris, sive in utrisque. Alter effectus est, quòd nonnunquam peccatores, eorum resipiscentiâ non expectatâ, e medio tollit, & sic omnem illis veniæ spem præcidit. quo pacto non paucos olim Israëlitas, qui in deserto, ipsius majestatem oculis subjectam non reveriti, ei obloqui, aliaque in ipsius conspectu flagitia committere non horruerunt, in ipsis propè facinoribus oppressit ac perdidit. Quamquam nonnunquam homines contumaces non statim quidem perdit, sed tamen, ne pœnam effugiant, aut effugere facilè queant, eos indurat, & velut in vincula conjectos ad majorem pœnam asservat, ut superiùs est a nobis explicatum. Quò referri potest & illa pœna, quam hominibus ad claram veritatis lucem oculos sponte claudentibus, & salutis occasionem negligentibus infligit, dum lumen illud veritatis aliqua ratione abdit, iisque subtrahit, & Satanæ fraudibus eos exponit; ne fortè oculis videant, & corde intelligant, & conver-

Num: 11. 33, conf: cum ℣ 1, & seqq. & c. 16. toto. & c. 21. 5, & d. & c. 25. 1, & d.

cap: 25.

Mat: 13. 14, & d. Esa: 6. 9, & d. vid: & 2 Thess: 2. 10, & d.

De Benignitate & Severitate Dei.

convertantur, & Deus illos ſanet, ut ex Eſaia Chriſtus docet. Itaq; hic tertius eſt ſeveritatis effectus, ſecundo aliqua ratione contrarius, ſed eódem tamen tendens. Quo quidem loco non ſunt prætereunda illa Moſis verba, quæ leguntur Deuteronomii cap. 7. 10. quæ videri poſſent tertio huic ſeveritatis divinæ effectui obſtare; ſed multò magis illi clementiæ divinæ parti, quæ in pœna differenda cernitur, ac longanimitatis ac patientiæ nomine propriè ſignificatur. Nam apud Veterem interpretem ad hunc modum d. l. legimus: *& reddens* (Deus) *odientibus ſe ſtatim, ita ut diſperdat eos, & ultrà non differat, protinus eis reſtituens quod merentur*. Sed primùm animadvertendum eſt, non de omnibus, qui quacunque ratione delinquunt, ſermonem hîc eſſe, ſed de iis tantùm, qui Deum oderunt. Ii autem Deum odiſſe cenſentur, qui pietatem oderunt, & nefariis ſeſe ſceleribus contaminant, præſertim ſi poſt perpetrata facinora, nullam doloris ac pœnitentiæ dent ſignificationem. Deinde pro vocibus *ſtatim* & *protinus*, in Hebræo legitur *ad faciem*; quod variè ab interpretibus accipitur. Significare autem poteſt, Deum ita hoſtium ſuorum impietatem ulciſci, ut ipſi pœnam manifeſtè cernant, aut prævidere facilè poſſint; quaſi ante ipſorum faciem, ante ipſos eorum oculos ſupplicium collocaret. Quòd verò legitur, eum *ultrà non differre*, quod in Hebræo eſt, *eum non tardaturum*; id non ſignificat, Deum, ſimul ac quiſpiam ſcelus aliquod commiſerit, eum ad ſupplicium rapere, ac perdere: ſed ultrà, quàm conveniat, ſupplicii tempus non prorogare, nec ita cunctari, ut non immeritò dici queat, hominem ſceleratum pœnam effugiſſe. Quòd ſi quis verba hæc contulerit cum præcedentibus, & aliis apud Moſen in eandem ſententiam ſcriptis; haud difficulter animadvertet, ea nihil aliud revera ſignificare, quàm Deum punire iniquitatem patrum, qui ipſum oderunt, in tertiam & quartam generationem. Eſt enim hîc oppoſitio inter miſericordiam, quam Deus præſtet *diligentibus ſe, & cuſtodientibus præcepta ſua, in mille generationes*, & inter mercedem, quam Deus *reddat odientibus ſe ſtatim*, ſeu *ad faciem*: cum alibi miſericordiæ illi, quam Deus diligentibus ſe, in mille generationes præſtet, opponi ſoleat viſitatio iniquitatum patrum in filiis in tertiam & quartam generationem. Et rectè ſanè dici poteſt, Deum ad faciem reddere odientibus ſeſe, nec tardare, ſeu nimiùm differre pœnam, etiamſi ad tertiam, nonnunquam ad quartam usque generationem, h. e. ad abnepotes, eam differat. quia ad abnepotum conſpectum pertingere poteſt humana ætas. quam cauſſam fuiſſe cenſent viri do-

Vid: Hug: Grotium De jure belli & pacis lib: 2. cap: 21. paragr: 14.

ctissimi, cur Lex minas istas ultra abnepotes non extendat. Quòd si non eò usque provivunt; tamen supplicium non adeo multò pòst secuturum metuere coguntur, idque non semel prævident; quod ipsis quoque haud leve supplicium est. Quòd si verba illa non prohibent, quominùs Deus ad tertiam aut quartam usque generationem pœnam differat; nihil ea dictis nostris, sive de longanimitate, sive de severitate obstant. & his quidem tantò minùs, quòd quem Deus indurat, eum jam punire incipit, licèt eum ad gravius adhuc supplicium reservet. Denique quod a Mose illorum temporum ratione habita dictum est, de pœnis non differendis, id non protinus ad Novi fœderis tempora trahendum est. idque duplicem ob caussam: partim quidem, quia hæc gratiæ ac clementiæ tempora sunt, illa potiùs *severitatis*: partim verò, quia per Christum demum patefactum est ultimum illud judicium, quod non de vivis tantùm, sed etiam de mortuis habendum sit. Itaque non mirum est, Deum nunc ita non raro differre supplicia sua, ut scelerati pœnam effugisse videantur, quam tamen in magno illo judicii die persolvent. Olim autem, cùm non nisi temporalia supplicia Deus hominibus apertè comminaretur, aut infligere soleret, licèt æternum interitum secum in impiis traherent; non ita conveniebat, ut Deus nimis diu pœnas differret.

De Benignitate & Severitate Dei.

Potest autem tribus hisce, quos constituimus, severitatis effectibus addi quartus, qui tamen cum clementiæ effectu conjunctus, eoque veluti temperatus est. Is verò est, quòd Deus nonnunquam iis, quibus gravissimam peccatorum pœnam remisit, aut remittere constituit, alias non leves pœnas infligit, ut vel ipsi, vel alii, vel utrique simul, majestatem ipsius magis revereri, & cum timore ac tremore ipsi servire discant; &, si quæ ignominiæ labes ipsorum peccatis fuit divino numini aspersa, ea ipsorum pœnis eluatur. quò pertinet inter alia [a] Davidis exemplum: pertinet etiam illorum, de quibus loquitur Paulus 1. Cor. 11.30, & d. Sed in castigationibus hujusmodi sæpe plus clementiæ, quàm severitatis, plus amoris, quàm iræ est. Vnde sacræ literæ [b] ab amore eas proficisci asserunt.

a 2 Sam: 12. 14, & d. & c. 15, & tribus seqq. conf: cum c. 12. 11
b vid: Prov: 3. 12. Heb: 12. 6, & d. Apoc: 3. 19.

Ex dictis autem intelligi potest, ut clementiæ, ita & severitatis divinæ effectus gradibus quibusdam inter se distinctos esse. Et ad summum quidem hujus gradum, ad quē progredi jure suo posset, nunquam adscendit Deus. Is verò est, nullum planè peccatum in quoquam impunitum dimittere. Hoc enim pacto clementia, quâ libentiùs utitur Deus, quàm severitate, prorsus excluderetur. Re-

De Benignitate & Severitate Dei.

qui sunt cęteri severitatis divinę gradus, qui infra illum subsistunt, & aliquod clementiæ temperamentum admittunt, alii magis, alii minùs. Differunt autem inter se, prout vel gravior est per se pœna, vel major eam subeundi necessitas. Ad gravitatē autem & temporis rationem hîc revocamus, quâ nunc intenditur pœna, nunc remittitur; quin etiam multitudinem eorum, quos supplicium comprehendit, aut paucitatem. Solet autem Deus eos graviùs punire, qui graviùs peccaverint: licèt liberrimæ ipsius potestatis sit, etiam inter eos, qui pœnam æquè sunt commeriti, discrimen facere, & alium alio mitiùs tractare. Neque enim cuiquam facit injuriam, si ab illo quidem commeritas pœnas exigat, ab illo non exigat, vel haud paulò mitiores repetat, quàm commeritus fuerat. Quamquam sine peculiari ratione id Deus facere non solet. Cum verò gravitas delictorum non tantùm ex ipsa factorum natura ac qualitate æstimetur, sed etiam ex variis rerum circumstantiis, atque inprimis ex animo, itemque ex caussis, quæ vel ad peccatum impellere, vel ab eo avocare quempiā poterant; ideo, ut de aliis taceā, iis etiam inprimis metuenda est divina severitas, quibus uberior divinę voluntatis notitia contigit, aut qui aliàs majoribus sunt a Deo cumulati beneficiis. Plures enim caussas habent, quæ a peccando eos avocant. Similiter & illi, qui res sanctiores tractant, & propiùs quodammodo ad Deum accedunt. Majori enim religione tractandæ sunt res sacræ, quàm profanæ; & ad divinum numen propiùs accedenti, majori utendum est erga illud reverentia, & cautè agendum, ne ab illo consumaris. Docet hoc tum exemplum duorum Aaronis filiorum, igni divino extinctorum, eò quòd ausi essent ignem alienum, seu vulgarem, in sacrarium inferre, eoque thura adolere: tum Mosis verba, quæ super ea re habuit ad Aaronem: *Hoc est quod loquutus est Dominus: Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor.* quod viri quidam docti ita explicant: *Sanctus apparebo, q. d. sumam pœnam de his, qui propinquiores sunt mihi.* Quin & ipse Moses aliquod hujus rei exemplum præbet. Sed accuratior horum explicatio ad operum divinorum tractationem pertinet.

Levit. 10. 1. & d.

ib: ℣ 3.

vid: Bibl: Magna Rob: Stephani.

Illud nunc restat, ut usum hujus doctrinæ paucis aperiamus. Est autem is longè maximus atque uberrimus. Benignitatis enim ac clementiæ divinæ notitiâ universa nostra in Deum spes ac fiducia nititur: illâ subtractâ hanc corruere necesse est, præsertim in tanta nostra, non modò naturæ vilitate, sed etiam, si facta nostra spectes, indignitate, tantáque peccatorum nostrorum magnitudine

De Benignitate & Severitate Dei.

ac multitudine. Solam, ut apparet, vilitatem naturæ nostræ respiciens Psaltes, exclamat: *Quid est homo, quòd memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Ad facta autem nostra oculum referens, *Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit?* & alibi, *Ne intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Quid ergo est, quod animos nostros ad ullam beneficii divini spem erigat? quid est, quod miseriam nostram solетur, præter immensam benignitatem, & ineffabilem Dei clementiam? Ex hac profluunt, hac nituntur omnes Dei promissiones, & maximè illæ, quæ sunt omnium maximæ, nobis per Iesum Christum factæ, de remissione omnium peccatorum scelerumque nostrorum, de vita æterna nobis danda. Subduc benignitatem ac clementiam divinam, concident; subduc nobis illius notitiam, spes nostra protinus collabetur. Quæ caussa una est e præcipuis, cur toties in sacris literis inculcetur celebreturque Dei benignitas ac clementia, &, quæ cum ea conjuncta sunt, amor, gratia, ac misericordia: adeò ut nullum aliud Dei attributum videatur commemorari frequentiùs; ipseque Deus Mosi sese aliqua ex parte videndum præbens, istis se potissimùm epithetis describat, quæ summam ipsius benignitatem arguunt, ut suprà vidimus. Adde, quòd nihil sit, quod ad Deum amandum ac colendum, ad nomen ejus celebrandum, & laudes alacri animo lætoque ore prædicandas magis alliciat, vehementiusque impellat, quàm tantæ ipsius beneficentiæ, mansvetudinis ac clementiæ consideratio. Quis enim tam benignum, tam clementem patrem non amet, non laudet? quis non colat ac veneretur? quis tam impius esse audeat, ut eum offendat, ac maleficia pro beneficiis ipsius innumeris atq; immensis reponat? Vt autem incitamento nobis est contemplatio divinæ benignitatis, ut ei gratias perpetuò agamus; ita etiam ad opem ejus perpetuò implorandam allicit. Quis enim adeò suæ felicitatis erit incuriosius, imò ei inimicus, ut tam largum, tam munificum patrem, tam liberaliter sua nobis dona offerentem, non libenter adeat, &, cùm is precibus sua munera impetrari velit ac cupiat, eum orare cesset?

Psal: 8.
Psal: 130. 3.
143. 2.
Exod: 34. 6, 7.

Facit etiam consideratio divinæ benignitatis ad patientiam in nobis excitandam firmandamque. Ex ea enim liquet, nec plura gravioraque nobis imponere aut impositurum esse Deum, quàm vires nostræ ferant, quod & fidem ejus aliqua ratione postulare suprà vidimus, & omnes calamitates ad lætum tandem exitum perducturum,

cap: 25.

Præterea Dei exemplo monemur, ut & nos, qui illius filii esse cupimus, ejus benignitatem, lenitatem ac mansvetudinem imitemur. *Diligite*, inquit Christus, *inimicos vestros: benefacite & mutuū date, nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos*: (seu, ut est apud Matthæum, *Solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super justos & injustos.*) *Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Sic & alibi Patris nostri cœlestis mansvetudinem ac clementiam in alienis delictis condonandis, vindictaque injuriarum prætermittenda, imitari jubemur.

Luc: 6. 35, & d.

Mat: 5. 45.

ib: c. 18. 22, & d. Eph: 4. ult: & c. 5. 1.

Magnam autem summæ atq; inexhaustæ benignitati divinæ faciunt injuriam, & præcipuum ejus in nos beneficium, quantum in se est, convellunt, qui contendunt, Deum non nisi plenissima accepta satisfactione ac compensatione, nobis peccata remittere; imò nullum peccatum, ne minimum quidem ita prætermittere, quin vel in ipso nocente, vel saltem in alio, puniat ac vindicet. quod quidem nil aliud est, quàm ipsam peccatorum remissionem seu condonationem, ac porrò præcipuum benignitatis divinæ effectum in nos manantem, funditus tollere. qua de re non est nunc fusiùs dicendi locus.

Verùm ne contrà, quàm fieri debet, tanta Dei benignitate ac longanimitate ad peccandi licentiam ac securitatem abutamur, eamque contemtui habeamus, divina nos severitas monet. Hinc Apostolus: *An*, inquit, *divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te ducit? Secundùm autem duritiem tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuiq; secundùm opera illius*. quò pertinent & illa, quæ superiùs ex eadem epistola citavimus, ubi monet Apostolus, ut Gentes ad Christum conversæ, tum benignitatem, tum severitatem Dei considerent; & illis dandam esse operam significat, ut in benignitate perseverent, eáve ne excidant. *alioquin*, inquit, *& tu excidéris*. Videndum nempe est ei, qui stare videtur, ne cadat, ut alibi idem Apostolus monet.

Rom: 2. 4, & d.

Cap: 11. 22.

1. Cor: 10. 12.

Cap: XXIX.

De illis, quæ affectuum instar Deo insunt.

TRanseundum nunc est ad illa Dei attributa, quæ ut actus quidam revera sunt, ita & eorum nomina sortiuntur. Ea verò sunt

voluntatis divinæ actus, in ipso Deo residentes, seu actiones voluntatis immanentes, ut vocant. Nam etsi intellectûs quoque actus sint immanentes: de iis tamen nihil ampliùs dicere necesse est. quandoquidem quid de illis statuendum sit, ex tractatione de Intellectu & Sapientia Dei perspici satis potest. Actus verò illi voluntatis divini, de quibus hîc nobis agendum est, duplicis sunt generis. Alii enim affectuum similitudinem inprimis referunt, eorumq; nominibus in sacr. literis præcipuè designantur: alii decreta sunt. Illi sunt voluntatis divinæ, ut ita dicam, commotiones, præsertim vehementiores, seu actus ejusmodi, quibus voluntas vehementiùs vel in objectum suum fertur, vel ab eo refugit atq; abhorret; utut fortè res, ad quam affectus incitat, nondum sit firmiter conclusa. Decreta verò sunt sententiæ a voluntate firmiter conclusæ, & pleno quodam assensu comprobatæ. Affectus illi (ut eos nunc simpliciter hoc nomine appellemus) etiam iis in rebus locum habent, quas voluntas naturæ necessitate aut amplectitur, aut refugit: decreta propriè loquendo in iis tantùm, in quibus libertati aliquatenus saltem locus est. In illis magis patitur seu movetur voluntas, quàm agit: in his agit potiùs, quàm patitur; strictiùs nimirùm agendi verbo sumto, ut non potentiæ tantùm, sed & passioni opponatur. Nam aliàs etiam affectus diximus esse actus, verùm laxiùs sumta voce, ita ut potentiæ tantùm, non passioni opponatur. Patitur autem voluntas vel a solo objecto, quia nimirum id per se vim habeat, voluntatem in hanc aut illam partem inclinandi, ut in odio atq; ira cernitur; vel ab objecto quidem, at non solo: quia per se vim talem nō habeat, sed ob decretum antecedens, liberè factū; ut in gratiæ affectu videmus. Et in eo quidem rerum genere, in quo decreta revera locum habent, firmiora sunt decreta, certioremque effectum habent, quàm simplices affectus. Affectuum enim vis decretis impediri ac penitus tolli potest: ut vis iræ, cùm decretum puniendi non est subsecutum, præsertim absolutum: at decreti absoluti vis tolli affectu nullo potest: sed illud potiùs impedit, ne affectus ei quodammodo contrarius oriatur. quin nullum planè decretum, si integrum sumatur, h. e. inclusa etiam conditione, quæ ei fortè subest, irritum fit, ut suprà declaravimus, cùm de constantia divina ageremus. Non arbitramur autem, ita decreta ab affectuum ratione abhorrere, ut nullam planè cum illis similitudinem habeant, & interdum illorum nominibus non designentur aut comprehendantur. Siquidem & decreta quâdam voluntatis inclinatione ac propensione constant.

Cap: XXIX. De Quasi-affectibus Dei.

Cap: XXIX. De Quasi-affectibus Dei.

Omnis autem voluntatis propensio cum affectibus similitudinem habet; quamquam alia majorem, alia minorem. Itaque non frustrà antea illos voluntatis actus, quos decretis opposuimus, affectuum similitudinem inprimis referre diximus; significantes, & alios voluntatis actus, eos nimirum, qui decreta constituunt, eorum similitudinem quandam referre. Adde, quòd decreta cum affectibus quibusdam veluti coalescunt; ut decretum puniendi cum ira; decretum juvandi cum misericordia. Ideo non mirum est, hujusmodi decreta eorum affectuum nomina sortiri, iisvé comprehendi, quorum naturam ac rationem quodammodo æmulantur, aut cum quibus veluti coalescunt. Ex quibus etiam intelligi potest, cur benignitas ac clementia, charitatis, gratiæ, aut misericordiæ nomina, quæ affectuum sunt, sortiantur; ut severitas, iræ atque indignationis. nempe quia ista Dei attributa ex affectibus illis, & decretis eorum naturæ ac rationi consentaneis, quamquam generalibus ac latè patentibus, constant.

Visâ differentiâ, quæ inter affectus & decreta Dei intercedit; sequitur, ut utrorumque genera distinctiùs consideremus, initio ab affectibus facto. Mirari autem nemo debet, nos ita absolutè Affectûs nomen Deo tribuere; cum specialia affectuum nomina illi *in* s. literis absolutè tribui innumeris in locis omnes cernant Eodem enim tropo, nempe metaphorâ, quam in hoc rerum genere ἀνθρωποπάθειαν appellari suprà non semel monuimus, actus illi divinæ voluntatis generale affectuū nomen sortiri possunt, quo specialia sortiuntur: præsertim quia minùs in generali Affectûs voce videatur esse improprietatis, cùm ea ad Deū transfertur, quàm cùm specialia illa iræ, imò furoris, pœnitentiæ, aliaq; similia nomina illi accōmodantur; quod tamen toties faciunt s. literæ. Satius quidem est propriè loqui, quàm impropriè, in accuratiori præsertim rerum explicatione: sed cùm propria desunt, quibus rotundè, seu absque circumlocutione rem exprimere queas, impropriis uti nemo prohibet, præsertim si de improprietate apertè moneas, & veluti cum venia alienis vocibus, ut propriis, utaris. Itaq; nil prohibebit, quominus illos, de quibus loquimur, voluntatis divinæ actus *affectus* jam porrò simpliciter nominemus. Interim illud non modò libenter agnoscimus, sed etiam ultrò monemus, non cadere in Deum perturbationes ejusmodi, quales in hominum aut brutorum affectibus cerni solent; sejungendaque esse ab his voluntatis divinæ actibus omnia, quæcunque sunt impura, quæcunque terreni corporis concretionem, quæcunque imperfectionem aut imbe-

Cap:XXIX. De Quasi-affectibus Dei.

cillitatem resipiunt: cætera, quæ in natura cernuntur affectuum illorum, quorum nomina Deo tribuuntur, esse relinquenda. Itaq; ex natura affectuum humanorum, a quibus ipse Dei spiritus ob analogiam ac similitudinem voces ad Deum transfert, aliqua ratione æstimanda nobis erit natura illorum, de quibus agimus, voluntatis divinæ actuum.

Sunt autem in nobis affectus commotiones quædam atque inclinationes appetitus, cui vim facultatemque analogam voluntas divina in se complectitur. Commotiones esse dicimus: quia etiam cùm de humanis affectibus loquimur, necesse habemus, ob vocum inopiam, metaphoricis uti propriorum loco, quæ porrò ad Deum eo, quo paulò antè diximus, modo lingvæ nostræ infantia transferre cogit. Vnde & suprà diximus, Affectus illos Dei esse commotiones quasdam divinæ voluntatis. Oriuntur autem affectus in nobis ex cognitione rei alicujus jucundæ vel injucundæ, gratæ vel ingratæ. Gratam enim amplectuntur ac persequuntur; ingratam aversantur ac fugiunt. Vnde alii affectus sunt, qui rem jucundam persequuntur, ut amor; alii qui injucundam refugiunt, ut odium; alii denique veluti ex utrisque sunt misti, ut ira, quæ ita injuriam ac contemtum refugit, ut vindictam pœnamq; appetat. Idem in genere de divinis illis affectibus est statuendum; quanquam non eadem sunt jucunda Deo, ac nobis. Appetitus enim noster primò ac potissimùm in res sensibus corporeis gratas fertur, contrarias refugit. Ab harum autem rerum contagione purissima Dei natura penitus est segregata. unde nec illarum desiderio capitur; nec harum in illo fuga est; quia eum attingere non possunt. Quæ autem Deus ut grata amplectitur, sæpè ita sunt comparata, ut quicquid in illis est, quod Deo placere possit, facilè obrueretur magnitudine rerum ingratarum, quæ in iisdem reperiuntur, nisi summma Dei benignitas, spontaneumque ipsius decretum, earum vim impediret atque extingveret, nullámque earum rationem habendam esse duceret. id quod vel inprimis cernitur in Dei erga genus humanũ, adhuc impium, amore, quo id in Christo fuit prosequutus. Ea enim, quæ in hominibus adhuc impiis dilexit Deus, non eorum meritis constiterunt, sed ipsius Dei fuerunt beneficia; eorumq; vim extingvere peccatorum nostrorum multitudo ac magnitudo facilè poterat. ut non immeritò dicere possis, amorem Dei homines ipsi gratos reddidisse, non reperisse.

Ex dictis autem & natura divinorum affectuum, & discrimen apparet. Satis enim liquet, eos nihil esse aliud, quàm actus seu

Cap: XXX. De Dei Amore, Gratia, &c. Odio, & Ira.

commotiones quasdam divinæ voluntatis, ex cognitione rei gratæ, vel ingratæ ortos, eam vel amplectentes, vel fugientes, vel partim amplectentes, partim fugientes. Nam in triplici differentia versantur. Alii, ut dictum est, rem gratam atq; jucundam amplectuntur persequunturque, aut in ea veluti acquiescunt; alii rem ingratam atque injucundam aversantur ac fugiunt; alii ex utroque genere quodammodo mixti sunt, qui aliud quidem fugiunt, tanquam injucundum, aliud persequuntur, tanquam jucundum. Primi generis sunt amor, gratia, desiderium, spes, lætitia. circa bonum enim tantùm versantur. Secundi generis sunt odium, metus, dolor, seu tristitia, pœnitentia. Nam & hæc per anthropopathiam Deo in sacris literis tribui infrà videbimus. Tertii generis, quod mixtum esse diximus, sunt misericordia & ira, oppositi cæteroquin inter se affectus. Misericordia enim ita malum alienum aversatur, ut sublatum cupiat, & bonum afflicti quærat: ira autem ita offensionem ab alio profectam aversatur, ut pœnam ejus, qui læsit, ac vindictam expetat.

Potest autem & aliud inter istos affectus discrimen animadverti. Etenim alii, licèt circa res Deo gratas aut ingratas versentur, ad alienum tamen bonum aut malum comparandum maximè *spectant*: alii circa bona aut mala eatenus potissimùm versantur, quatenus ipsimet Deo grata aut ingrata accidũt: alii deniq; veluti medio loco sunt positi, & nunc ad hoc, nũc ad illud genus magis inclinant. Primi generis sunt charitas, gratia, & misericordia, qui affectus sunt benefici, & his contraria, odium ad personas relatum, & ira: qui duo affectus ad mala iis, qui merentur, imponenda impellunt. Secundi generis sunt spes ac metus, lætitia & tristitia. Tertii amor & odium generatim sumtum, ita ut tam ad res, quàm ad personas referatur; itemque desiderium; quin & pœnitentia, cùm pro affectu (neque enim hunc semper denotat) ponitur. Sed nos tertii ordinis affectus cum priorum duorum generum tractatione conjungemus; & primùm de amore, gratia, & misericordia, eorúmque contrariis, odio & ira; deinde de desiderio, spe, lætitia, eorúmque contrariis, metu, tristitia, pœnitentia dicemus.

Cap: XXX.

De Amore, Gratia, & Misericordia Dei; eorúmque contrariis, Odio & Ira.

INcipiamus igitur ab Amore. Hic enim affectus inter cæteros aliqua ratione eminet; & alios quidem ambitu suo complectitur, ut grati-

Cap: XXX. De Dei Amore, Gratia, &c. Odio, & Ira.

ut gratiam & misericordiam; alios autem, licèt contrarios, cùm objectum ipsi adversum est, ex se quodammodo parit, ut odium & iram. Ideo enim mala odimus, & eorum auctoribus irascimur, quia bono, quod amamus, adversantur, idque nobis eripiunt. Est autem amare, quippiam vehementiùs velle. Vnde in sacris literis Vet. Fœderis verbum *Chaphetz* pro *amare* ponitur, quod Latinus interpres simpliciter reddidit *Velle*; sed tamen vehementiorem quandam voluntatis inclinationem ac propensionem in rem quandam significat, ita ut & desiderium quoddam, & quandam delectationem, quæ ex ea capiatur, in se comprehendat. Nam & verbum illud Hebræum Desiderandi, nonnunquam Delectationem capiendi significationem habet: & quicquid amamus, id & cupimus, ac cum eo veluti vniri desideramus, (unde a nonnullis amor definitur unionis desiderium:) & in eo aliqua ratione acquiescimus. Quicquid autem ejusmodi est, id extare, &, quatenus ejus natura fert, salvum esse, sive ejus ipsius, sive nostrâ, sive ipsius simul ac nostrâ caussâ cupimus. Quare & amoris ea vis ac natura est,

vid: Psal: 18. 20: 22. 9: 41. 12. vid: & Mat: 27. 43.

Etsi verò Deus seipsum primò ac præcipuè amat: nam & quævis res sensu intellectúve prædita seipsam amat: & Deus, qui seipsum optimum esse novit, non potest non seipsum maximè amare: tamen non hic ille amor est, de quo nobis præcipuè agendum est. quia nec de hoc amore, sed de illo toties loquuntur sacræ literæ, quo res alias, ac nominatim homines, Deus complectitur. Hic est, qui ad fiduciam in ipso collocandam, ad ipsum amandum ac colendum nos vehementissimè impellit. ac porrò hic est, qui de religione tractantibus inprimis est explicandus. Illius quidē amoris, quo seipsum complectitur Deus, effecta quædam in sacris literis commemorantur: quale illud inprimis est, quòd omnia propter seipsum facere, & in omnibus consiliis operibusque suis gloriam suam spectare dicitur; quin & illud, quòd nonnunquam [a] zelum pro nomine suo sancto assumit, quodque hostes suos, ac nominis gloriæque suæ inimicos odit, & severè ulciscitur. sed Deum tamen seipsum amare, expressis verbis alicubi pronunciatum esse, nondum animadvertimus.

vid: Prov: 16. 4. Exod: 9. 16. Ezech: 36. 22, 23.

a ib: c. 39. 25.]

Vt igitur de illo Dei amore loquamur, quo res extra se positas prosequitur; is præter [a] ἀγάπης nomen, etiam [b] εὐδοκίας voce aut verbis cognatis non semel in sacris literis effertur. pertinet huc aliquo modo & zeli nomen, quamquam ad iram potiùs designandam adhibetur, ut jam suprà ex parte diximus, [c] de Severitate divina lo-

Ioh: 17. 26. Rom: 5. 5, 8: 8. 39. 1 Ioh: 3. 16. & alibi.

b Mat: 3. 17: 12: 18: 17. 5. Luc: 2. 14.

c cap: 28.

Cap: XXX. De Dei Amore, Gratia, &c. Odio, & Ira.

vina loquentes, partim inferiùs hoc cap. dicemus. Diximus autem, id cuivis amori, ac proinde etiam illi, quo Deus res alias complectitur, commune esse, ut & rem eam, in quam fertur, extare, ac prout ejus natura fert, salvam esse cupiat; & in ea quodammodo acquiescat. Verùm non æqualiter semper utrumque denotatur, cùm Deus quippiam amare dicitur, sive ipsum amandi aut diligendi verbum usurpetur, sive alia cognatæ significationis. Interdum enim verbis hujusmodi prius ex istis duobus, interdum posterius magis significatur; adeò ut duplex quodāmodo earum vocum sit usus. Nam interdum id potissimùm significatur, quòd Deo res aliqua placeat, ejusque voluntati valdè sit accommodata: interdum, quòd Deus creaturæ alicui benè cupiat; adeò ut posteriori significatione amor Dei nihil revera *sit* aliud, quàm ipsius favor ac benevolentia. Et priorem quidem vocis vim exprimens divinus spiritus, rem aut personam *aliquam* Deo placere, probari, acceptam esse dicit, aut Deum in ea εὐδοκεῖν pronunciat. quanquam verbum εὐδοκεῖν, nomenq; *illi conjugatum* εὐδοκία, etiam ad benevolentiam Dei significandam *adhibetur*. Fertur autem Dei amor priori modo sumtus in quasvis, sive res, sive personas, in quibus aliquid inest veri boni; licèt non rarò, cùm vox amoris, *aut alia* eandem vim habentes, in perfectiori quadam significatione ponuntur, quædam tantùm res ac personæ a Deo amari, sive placere dicantur, cæteris ab amore Dei exclusis; & illis quidem inprimis, in quibus tantæ existunt odii caussæ, ut earum vim, quæ amorem Dei elicere aliàs possent, perimant, & ipsam porrò Dei erga ipsas charitatem extingvant. qua de re nonnihil explicatiùs dicemus paulò inferiùs, ubi de amoris divini gradibus, itemque ibi, ubi de odio Dei differemus. At posteriori modo acceptus Dei amor, non in res quasvis, licèt bonas, fertur, sed in eas tantùm, quæ sensu sunt præditæ; & maximè propriè in personas, quæ supra sensum intellectu quoque sunt ornatæ. Hæ enim solæ favoris ac benevolentiæ alienæ sunt capaces, ejusque vim experiri, & fructum percipere queunt. Ex quibus facilè intelligi potest, Deum priori amoris genere, tum res omnes a se creatas, tum earum qualitates effectaque bona ac præclara per se prosequi. Per se, dico: quia interdum ob exsuperantes odii caussas, illas non amat ampliùs. Et de rebus quidem creatis nō modò id testatur, sed & demonstrat Auctor libri Sapientiæ, dum ait: *Diligis* (Domine) *omnia quæ sunt, & nil odisti eorum, quæ fecisti. Nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti. Quomodo autem poßet aliquid permanere, nisi tu voluißes? aut*

vid: Psal: 51.18. Prov: 11.20: 16.7. Ose: 6. 6. Heb: 10. 5, 7. & Psal: 40. 7. & cap: 11. 6.

Cap: 11, 25, 26.

Cap: XXX. De Dei Amore, Gratia, Misericordia, &c.

ißes? aut quod a te vocatum non eßet, conservaretur? Consentiunt his ea, quæ Moses historiæ de creatione rerum primo Genes. capite subjicit: *Vidit* inquit, *Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona.* Omne enim bonum cognitum per se amatur: & quantò melius esse cernitur, tantò magis. Quod ergo Deus valde bonum esse vidit, videtque, quomodo non etiam valde amaret? Similiter autem dubitare nemo potest, qui vel sacras literas, vel ipsam rationem consulit, Deum pietatem hominum factaque suæ voluntati consentanea amare. Verùm iisdem hominum factis Deum favere nemo nisi impropriè dixerit, uti & naturis ac substantiis inanimatis sensuque carentibus. Cernitur quidem etiam in amore rerum inanimatarum, itemque attributorum in creaturis extantium, ac factorum ab illis proficiscentium, aliquid favori ac benevolentiæ simile; quemadmodum & verba Sapientiæ paulò suprà laudata indicant. Nam etiam res illas Deus extare, ac salvas esse cupit, saltem quatenus earum fert natura; nec nisi fortè majoris boni caussâ eas tollit, aut impedit; nonnullas ne impedire quidem vult unquam, tanquam sibi gratissimas. Id autem benevolentiæ cujusdam instar est. Sed tamen vera ac propriè dicta benevolentia non nisi in illud exerceri potest, quod beneficii propriè capax est. Non est autem capax, nisi quod sensu est præditum; maximè propriè autem id demum, quod intellectum habet. Vnde & aliud inter duplex illud amoris genus discrimen nascitur. Nam prior ille amor simpliciter rei ipsius a Deo cognitæ naturam sequi solet, in eoque libertas divinæ voluntatis vix ac ne vix quidem cernitur. at posterior liberæ voluntatis divinæ effectus est, & ad benignitatem ejus revera pertinet. Et de hoc quidem posteriori amore potissimùm nobis est agendum. Hunc enim nobis sacræ literæ creberrimè inculcant, prædicant, commendant. De hoc loquitur Iohannes, cùm ait, *Deum charitatem eße.* quod quidem nihil aliud est, quàm Deum charitate, ut ita dicam, plenissimum esse, hunc in illo affectum veluti dominari, & luculentissimis ab eo effectis ac documentis demonstrari. Metonymia enim est, in qua attributum abstractum, ut in scholis vocant, de suo subjecto emphaticè enunciatur, vel, quod eódem recidit, abstractum *charitas* pro *charitate plenus* ponitur. Etsi enim nonnunquam absque emphasi, vel saltem exigua cum emphasi, attributum abstractum pro concreto ponitur, & de suo subjecto enunciatur: ut cùm [a] *justitia* fieri in Christo dicimur, hoc est, justi, seu justificati; aut cùm [b] *circumcisio* pro circumcisis, [c] *præputium* pro præputiatis ponitur: nihilominus tamen sæ-

§ ult.

1 Ioh: 4. 8.

a 2 Cor: 5. ult.
b Rom: 3. 30: 4. 9: 15. 8.
c Rom: 2. 26, 27, 3 30: 4. 9.

Cap: XXX. De Dei Amore, Gratia, Misericordia, &c.

men sæpè emphasin non exiguam hoc loquendi genus habet, & significat, eum, de quo certa quædam qualitas in abstracto effertur, in ea valde excellere. quo pacto de eodem Deo Iohannes ait, eum *eße lucem*, h. e. lucidissimum seu sanctissimum, ita ut ipsa lux, seu sanctitas, dici meritò debeat. Sic & Christus *Amen* h. e. veritas dicitur, quia sit veracissimus, in promissionibus præstandis fidelissimus, atque ab omni mendacii, doli, ac infidelitatis labe prorsus immunis.

1 Ioh: 1. 5.

Apoc: 3. 14.

Hæc autem Dei charitas in eo consistit, quòd is bona, atque adeò optima, aliis & velit, & præstet. Ea enim amoris, quo personas complectimur, vis est atque natura, ut præter ipsam rationem Philosophus docuit. Habet autem hic Dei amor gradus varios. Alios enim magis amat Deus, alios minùs. Amat, verbi gratiâ, omnes homines, etiam impios, quatenus eos resipiscere, ac porrò vivere cupit. qua de re sacræ literæ clarissimè testantur, ac inprimis Novi fœderis scripta. Amare autem eos solet Deus tam diu, donec contumaciâ suâ ejus iram odiumque ita provocent, ut eos perditos cupiat, & id, quod in illis solum amat, id nempe, quod creavit, iis ereptum eat, quo pacto dicitur Deus odisse omnes operantes iniquitatem; animam Dei odisse impium, & diligentem iniquitatem; odisse similiter impium & impietatem ejus. Cum verò impietas suâ naturâ Deo sit odio, & eum ad iram adversùs eos, qui illam exercent, exstimulet; etiamsi is iram cohibere pro benignissima sua voluntate ac clementia & possit, & diu soleat: liquet tamen, Deum magis amare eum, qui reipsa jam pius est, quàm eum, qui adhuc impius, licèt eum Deus ferat, & resipiscentiam ejus adhuc expectet. Vnde etiam sacræ literæ de piis nominatim, atque adeò peculiari ratione affirmant, eos a Deo diligi, quasi cæteri ab eo non diligantur; nempe quia minùs ab eo diliguntur, & quidem ita, ut quamdiu in hoc statu versantur, ipsi displiceant, &, ni se emendarint, certissimo interitui destinentur. Hinc Psaltes: *Dominus diligit justos*. & Christus: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui me diligit. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo*. & iterum: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum*. & rursus: *Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quòd ego a Deo exivi*. Vnde etiam monemur, ut in Dei dilectione nos ipsos conservemus, h. e. curemus, ne Dei amore, quo nos complexus est, excidamus. Iam quod ad homines etiam pios attinet; non dubium est, alium alio magis a Deo amari, prout vel ipse magis Deum amat, vel Deo in ipsum placet esse beni-

Lib: 2. Rhet: c: 4.

Psal: 5. 7: 11. 5.

Sap: 14. 9.

Psal. 146. 8.
Ioh: 14. 21.
ib: ℣ 23.
cap: 16. 27.
Iud: ℣ 21.

esse benigniori. Nil dicimus nunc de discrimine amoris Dei in homines & angelos. in quo quidem ex parte angeli nos antecellunt; sed ex parte vicissim a nobis superantur. Vnde Deo nominatim φιλανθρωπία h. e. amor erga homines tribuitur. In eo quidem illi nos superant, quòd priùs ac certiùs sua felicitate ex divino favore perfruuntur, longeque præ nobis præstantiorem adepti sunt naturam. At nos illos vicissim hac in parte vincimus, vel potiùs Dei amor erga nos amorem ipsius erga angelos vincit, quòd, cùm tot haberet, & adhuc habeat caussas, quæ meritò efficere possent, ut nos amore dignaretur nullo, sed odio potiùs implacabili prosequeretur; amaverit tamen, atque adhuc constanter amet; ita quidem, ut vilissimos homunciones, pulverem ac cinerem, atque aliquando inimicos suos, pares olim angelis, naturæ habita ratione, facere velit, & in solio Christi collocare. Quis verò dubitare potest, supra omnes & angelos, & homines pios, diligi a Deo Christum, quem ipsemet Filium suum dilectum, in quo benè ipsi complaceat, seu quo insigniter delectetur, voce de cœlo bis repetita pronunciavit. Hac enim ratione illum non vulgaribus tantùm hominibus, sed ipsis etiam Prophetis, licèt excellentissimis, cæterisque filiis suis prætulit, & quodammodo opposuit. quod & Paulus fecit, dum eum *Filium dilectionis* Dei appellat, aut etiam *Dilecti* nomine simpliciter designat, ut quidem Græca ipsius verba, in ea, quam ad Ephesios scripsit, Epistola testantur. Hinc & apud Esaiam ita eum ipsemet describit ac commendat Deus, in illis, quæ apud Matthæum repetuntur, verbis: *Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ.* Et quid multis opus? pleni sunt sacri libri testimoniis atque argumentis summi atque ardentissimi, quo Deus Christum complexus est, atque æternùm complectitur, amoris. ex quo & illud profectum est, ut omnia, quæ ad humani generis salutem pertinent, in ipsius manu, cum summa ipsius gloria collocarit, ut ipsemet de se Christus testatur. Et si verum amamus, hæc præcipua est causa, cur unigenitus Dei Filius appelletur; qua de re alibi in hoc opere disseretur.

Tit: 2. 4.
Luc: 20. 36.
Apoc: 3. 21.
Mat: 3. 17. 17: 5.
Col: 1. 13.
Ephes: 1. 6.
Esa: 42. 1.
Mat: 12. 18.
vide Ioh: 3. 35. 5. 20, & al.
lib: 5. cap: 21.

Diversitas autem hæc amoris divini, partim ex ipso Deo liberrimaque ipsius voluntate ac decreto proficiscitur, partim ex ratione objecti, in quod amor ille fertur. Nam quòd Deus angelos ita amavit, ut immortales crearet, homines autem ita, ut ante conditum mundum cœlestem illis felicitatem destinaret, & postmodum in gravissima innumeraq; scelera prolapsos ad eandē vocaret, scelerum illis omnium veniam offerret, pro illis unigenitum suum fi-

lium mor-

lium morti atrocissimæ subjiceret; quid præter benignissimam ejus voluntatem effecit? Quid item, ut Christum aliquando nasciturum, jam ante conditum mundum diligeret, & supremam ei gloriam ac majestatem decerneret? Sic, ut de aliis etiam specialioris divini amoris generibus loquamur; quid erat caussæ, cur Deus olim, Esavo ac Iacobo nondum natis, ac porrò nondum re ulla, sive bona, sive mala, ab illis designata, decerneret, ut major, nempe Esavus, ipsiúsve posteri Edomitæ, serviret minori, nempe Iacobo, ejúsve posteris? quo quidem facto Deus ita dilexit Iacobum, ut præ ipso Esavum odisse videatur. Nulla certè alia ejus rei caussa, præter liberrimam Dei voluntatem extitit. Verùm quòd Deus pios præ impiis, quòd eos, qui cæteros virtute superant, præ aliis amet, quodque angelos, qui in pristina integritate perstiterunt, constanti charitate prosequatur, illis, qui adversùs ipsum impiè rebelles extiterunt, e cœlo in tartara detrusis; ejus rei caussa impulsiva etiam extra Deum est, & in hominum angelorumque pietate consistit. Quin & ipse Christus, quòd Dei præcepta servârit, in ipsius amore, quo cæteroqui fuerat præventus, permansit. Vnde ita discipulos alloquitur: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea: sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione.* & alibi apud eundem scriptorem dixerat: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam,* nempe pro ovibus meis. hoc enim mandatum, ut paulò pòst subjicit, acceperat a Patre suo. Eódem pertinent & illa: *Qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum* (Græcè additur *Pater*, particulâ *&* omissâ) *quia ego quæ placita sunt ei facio semper.*

Ioh: 17. conf: ℣ 5, & 24.

Gen: 25. 23. Rom: 9. 10.

Ioh: 15. 9, 10.

cap: 10. 17.

cap: 8. 29.

Possemus jam ab Amoris explicatione ad tractationem de Gratia rectâ pergere, nisi paucula adhuc de Zelo Dei essent adjicienda, quo nonnunquam Amor Dei erga gloriam populumq; suũ significatur, & amor quidem ejusmodi, qui nec rivalẽ, nec rei amatæ inimicum ferre possit. Itaq; Deus ob zelum suum, nec populum suũ falso alicui Deo adhærere, & amorem ac cultum sibi debitum ad alium deferre patitur; nec eundem populum, si præsertim constanter Deum amaverit, eiq; uni adhæserit, ab hostibus lædi ac violari permittit, aut, si aliquatenus permiserit, id finit inultum. Significat ergo hæc vox ad hunc modum usurpata, & amoris quandam vehementiam, & porrò etiam ejus effecta quædam, nempe odium aut iram in rivalem, vel rei amatæ hostem, ut non injuriâ ad mixtos affectus referri queat. Et sanè quia ea voce crebriùs ira at

vid: Esa: 9. 7: 37. 32: Ioël: 2. 18. Zach: 2, 14: 8, 2.

que indignatio Dei exprimitur, quàm Amor; ideò ejus explicatio ad tractationem de Ira Dei magis pertinet.

His ad eum modum de Amore Dei explicatis, non multa nobis supersunt de Gratia Dei dicenda. Siquidem ille Dei amor, quo ad benefaciendum impellitur, seu mavis, seipsum inclinat, nihil aliud est, quàm ipsius Gratia, seu favor ac benevolentia erga alios. Vnde simplex amoris vox in sacris literis de Deo usurpata, creberrimè eundem reipsa affectum significat, qui Gratiæ voce exprimi alibi solet. Est tamen aliqua in voce Gratiæ emphasis, quæ in Amoris voce per se non cernitur. Nam ne illud nunc repetam, quòd Amoris vox per se latiùs patet, & ad res omnes, etiam inanimatas, tanquam ad objectum suum extenditur; Gratiæ nomen gratuitum affectum ac propensionem in alios magis denotat, quàm vox Amoris. Itaque Gratiæ nomen evidentiùs excludit merita ejus, cui ea exhibetur, quàm vox Amoris. Quicquid enim ex gratia revera provenit, id gratis alteri præstatur. Amor autem meritis etiam provocari ac conciliari potest. At gratia desineret esse gratia, si meritis exprimeretur. Vnde quod ex amore provenit, non semper beneficium propriè dictum est: quod ex gratia, beneficium semper est. Neque enim de ea loquimur gratia, quæ gratitudinis est, sed quæ beneficentiæ. Nam Dei non est beneficiis obligari, sed obligare: cum nullius rei indigus, omnibus suppeditet omnia. Ejus ergo gratia, ut diximus, merita creaturarum excludit. Hinc illa Apostoli: *Ei qui operatur* (intellige perfectè) *merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* & illa: *Si gratiâ, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* & ista: *Gratiâ estis salvati per fidem, (& hoc non ex vobis: Dei [enim] donum est) non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Quare gratia omnis amor quidam est: at non omnis amor gratia. Veruntamen quia amorem Dei, & summa, quæ inde in nos profluunt, bona, factis nostris non meremur; amor Dei erga nos gratia est, ut gratia amor. Concurrit, inquam, hac in parte Amor ac Gratia, & reipsa idem sunt; licèt interim vocum vis sit diversa, & altera per se laxior sit alterâ. Etsi autem a gratia divina omnia in homines bona proficiscuntur, etiam ea, quæ naturaliter nobis insunt: sacræ tamen literæ ea potissimùm bona, quæ supra naturam nobis Deus concedit, & inprimis spiritualia ac cœlestia, Gratiæ ipsi adscribunt. Vnde & vulgò apud Theologos bona naturæ & gratiæ distingvi, & sibi invicem quodammodo opponi solent. Quanta autem Dei sit gratia, quàm perfecta, quàm constans, quàm dives, quàm latè patens, maximè sub Evangelio, sub

Rom: 4. 5.
cap: 11. 6.
Eph: 2. 8. 9.

gelio, sub quo qui vivunt, sub Gratia esse dicuntur, & iis, qui sub Lege vixerunt, hac in parte opponuntur; ex Benignitatis explicatione, itemque ex iis, quæ de Amore divino paulò superiùs diximus, intelligitur. vide inter alia insignem charitatis, gratiæ, ac misericordiæ divinæ, sub N. Fœdere hominibus exhibitæ commendationem Eph. 2. v. 4. & d. Ibi enim & divitiæ misericordiæ, & nimia, ut vetus habet interpres, seu ingens charitas, & abundantes divitiæ gratiæ Deo tribuuntur, & insignia ejus effecta commemorantur. Quia verò Deus eâ tam libenter utitur, semperque est usus, & ad eam adeò est pronus; ideo Hebraicè *Channun* appellatur, quam vocem latinè *Gratiosum* cum nonnullis possis reddere. quanquam latina vox eum, qui gratiâ apud alios valet, seu cui alii favent, significat; Hebræa verò eum, qui gratiam aliis exhibet. Vnde alii novâ voce *Gratificum* reddiderunt; alii rursus beneficum, alii aliter, eâdem tamen ferè sententiâ. Et sanè licèt Benefici vox Hebrææ non exactè respondeat: vim tamen ejus satis exprimit. Ob ejus, ut ita dicam, abundantiam, ac beneficiorum ab

1 Pet: 5. 10.

ea mantium ubertatem, Deus a Petro appellatur *Deus omnis gratiæ* q. d. nullâ non gratiâ abundantem; vel, ut plærique verba illa accipiunt, omnis gratiæ seu beneficii auctorem. Solet enim *gratiæ* nomen, etiam cùm ad Deum refertur, in sacris non semel pro dono ex gratia manante per metonymiam usurpari; χάρις nempe pro χαρίσματι. & apud Theologos vulgò Gratia nominatim sumi consuevit pro eo Dei beneficio, quo Deus in nobis fidem ac pietatem excitat, excitatamque conservat. Sed de hac gratia hîc non est agendi locus; verùm de illius fonte.

Rom: 1. 5: 12. 3: 15. 15.
2 Cor: 8. 1: 9. 8.
Ephes: 4. 7.

Exod: 34. 6, 7.
Neh: 9. 17.
Psal: 86. 15: 103. 8, & d. 145. 8.
Ioël 2. 13: Ion: 4. 2.
a 2 Cor: 1. 3.
b Iac: 5. 11.
c Ephes: 2. 4.
d Luc: 1. 78.
e Ier: 31. 20.

A Gratia veniendum est ad Misericordiam, quæ Deo innumeris propè locis tribuitur; &, quia ea toties, tamque libenter, tum erga omnes homines, tum inprimis erga pios utitur, ideo [a] Pater misericordiarum appellatur, & [b] πολύσπλαγχνος seu multæ miserationis, ac [c] dives misericordiâ esse perhibetur; quin & [d] viscera misericordiæ, & [e] conturbatio seu commotio viscerum, per ἀνθρωποπάθειαν, seu metonymiam cum metaphora concurrentem, ei tribuitur. Quia enim homines, cùm aliorum miserentur, corde, quod viscerum præcipuum est, commoventur, atque ad miseriam aliorum sublevandam impelluntur; ideò Deo quoque, cùm ad miserias nostras sublevandas tollendasque commovetur, viscera tribuuntur miserationis, seu misericordiæ affectu commota. Non multùm autem is affectus in Deo a Gratia distat; imò misericordia divi-

dia divina Gratia ipsius revera est; licèt non omnis gratia vicissim sit misericordia. Latiùs enim aliquantò Gratia patet, quàm Misericordia, nempe magis propriè sic dicta. Quod propterea addimus, quia superiùs docuimus, Misericordiam pro benignitate non semel in sacris literis sumi. Eo autem pacto accepta, gratiam quoque ita in se complectitur, ut non latiùs hæc, quàm illa pateat. Cæteroqui si misericordia magis propriè sumatur, ea non nisi erga miseros ac calamitosos, aut calamitati quodammodo vicinos, exerceri potest, uti eodem loco monuimus. At Gratia non minùs, quàm benignitas, in eos etiam exerceri potest, qui, utut miseri non sint, nec in miseriam velut inclinati, beneficii tamen adhuc alicujus sunt capaces. quales sunt etiam felices, modò eorum felicitas vel incrementum adhuc aliquod admittat, vel ad constantiam ac conservationem sui, alienam opem requirat. Ex quo discrimine alia quoque inter utrumque affectum, in hominibus præsertim, differentia oritur: quòd is, qui propriè loquendo miseretur, alienâ miseriâ ita afficiatur, ut ex alterius dolore, sive oculis subjecto, sive prævisо, dolorem quendam capiat, quo porrò ad eum juvandum commovetur. At gratia potest etiam ab omni doloris sensu esse sejuncta, imò cũ summa voluptate esse conjuncta. Verùm hoc utriusque affectus discrimen in Deo propriè non cernitur: cùm in Deum dolor propriè non cadat. Est tamen, ut capite sequenti intelligetur, etiam huic aliquid in Deo analogum. siquidem res aliæ Deo gratæ, aliæ ingratæ sunt. Itaque nihil prohibet dicere, Deum etiam calamitatibus hominum, eorum præsertim, qui se coram ipso demittunt, maximè autem eorum, qui vitę pietatem ex animo colunt, tanquam sibi injucundis aliquo modo affici, eaque ratione ad illos juvandos commoveri. Vnde major quædam emphasis in misericordiæ, quàm in Gratiæ voce esse videtur, & vehementiorem illa, quàm hæc, affectum ac commotionem denotare. Vnde Apostoli in votis suis, quæ Epistolis suis præmittunt, cæteroqui brevissimis, nonnunquam gratiæ nomine non contenti, misericordiam apponunt. Quòd enim eam sæpius omittunt, id eam ob caussam faciunt, quòd sub gratia contineatur: quòd interdum apponunt, emphaseos caussâ faciunt. 1 Tim: 1. 2. 2 Tim: 2. 2. Tit: 1. 4. 2. Ioh: ℣ 3.

Illi autem, erga quos misericordiâ commovetur Deus, homines inprimis sunt; quibus quidem non tantùm aliunde calamitas impendere potest, sed etiam, si jure suo uti velit, ab ipsomet Deo, cùm nimirum peccatis ac sceleribus suis commeriti sunt, ut ipsos puniat ac perdat. Itaque quòd Deus peccatores non punit, sed sup-

plicium differt, &, si resipiscant, penitus aufert, ac de jure suo hac in parte prorsus cedit, id misericordiæ ipsius est effectus. Unde [a] per viscera misericordiæ Dei remissionem peccatorum nos obtinuisse sacræ literæ testantur. Verùm quia statim nobis pereundum esset, si Deus nos deserere vellet, etiamsi tandem ad nos perdendos vires suas non converteret; ideo misericordiæ Dei imputandum est, quicquid is nobis præstat boni, quod ad nos sustentandos, tuendos, & ab interitu vindicandos pertineat; & denique universa nostra felicitas, quam per Christum sumus adepti. quia non modò eâ digni non sumus, sed ejus contrarium planè sumus commeriti, perniciem nempe sempiternam. Itaque summo jure a tantæ beatitatis aditu arceri possemus, nisi Deus indignitatem nostram suâ misericordiâ sublevaret.

a Luc: 1. 77, 78.

Moneri hoc loco a nonnullis solet, quod ad distinctionem misericordiæ pertinet, aliam esse ordinariam, quâ nimirum Deus perpetuò utatur; aliam extraordinariam, quâ non semper. Et illa quidem ea revera tantùm est, quæ generali Dei decreto aut promisso est alligata; hæc, quæ ex tali decreto aut promisso non fluit. Illâ, verbi gratiâ, Deus resipiscentibus peccata condonat, & vitam æternam in Christum credentibus donat: hac homines peccatis adhuc immersos ad resipiscentiam singulari aliqua ratione vocat atque impellit, qualis misericordia Paulo inprimis fuit exhibita. Ad hoc misericordiæ genus per se respiciunt & illa Dei verba: *Miserebor, cujus miserebor: & misericordiam præstabo, cujus miserebor*, seu, ut in Exodo vetus interpres hæc eadem Dei verba, sententiâ clarè expressâ, reddidit: *Miserebor cujus voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit.* Quanquam etiam ad ordinariam Dei misericordiam hæc verba referri possunt, sed ejus temporis respectu, quo nullo adhuc Dei decreto fuit fixa atque alligata. Similiter & illud hîc moneri potest, in misericordia divina non minùs, quàm in amore, gradus quosdam cerni, qui ex effectuum diversitate inprimis animadverti possunt. Aliis enim majora, aliis minora beneficia ex Dei misericordia conceduntur, adeò quidem, ut ii, qui minoribus perfruuntur, illis nonnunquam opponantur, quibus misericordia exhibeatur. Sic Rom. 9. opponuntur vasa iræ vasis misericordiæ; licèt illa quoque Deus in multa longanimitate, quæ sanè a misericordia non potest penitus sejungi, tulisse aut ferre dicatur. Sic & populus Iudaicus ad Christum nondum conversus, dicitur misericordiam non consecutus, & sibi ad Christum converso, tanquam tum demum misericordiam consecuto, apud Petrum opponitur; licèt nec

Rom: 9. 15.
Exo: 33. 19.
℣ 22, 23.
1 Pet: 2. 10.

licèt nec antè misericordiâ divinâ penitus fuerit destitutus. Sed plenior harum rerum explicatio ad tractationem de operibus Dei pertinet. Illud, antequam hinc discedamus, memoriâ repetendum est, quod suprà monuimus, tum Gratiam, tum Misericordiam Dei, non semper pro affectibus singularibusque voluntatis ipsius actionibus sumi, sed non rarò etiam pro ipsa benignitate, h. e. pro consvetudine quadam aliis benefaciendi, eorumque miserias sublevandi, vel pro voluntaria quidem, sed tamen constanti, ad alios, præsertim miseros, juvandos pronitate ac promtitudine.

Transeundum nunc est ad affectus his adversos. Amori autem directè opponitur odium; gratiæ & misericordiæ ira atque indignatio, quæ furoris nomine solet a vetere interprete Latino, & ab aliis ipsum secutis, exprimi. Facilè autem horum affectuum ingenium ex natura atque indole contrariorum, quos hucusque consideravimus, perspici potest. Et ad odium quidem quod attinet; quemadmodum amor rem sibi object am, tanquam gratam amplectitur, eamque extare cupit: ita contrà odium rem objectam, ut ingratam aversatur atque abominatur, ac porrò sublatam cupit. Nihil autem est, quod Deus per se abominetur, præter peccatum; propter peccatum autem abominatur etiam ipsos peccati auctores, illos præsertim, qui in eo contumaciter perseverant. Vnde sacræ literæ pronunciant, Deum [a] odisse omnes operantes iniquitatem; [b] animam ejus odisse impium, & diligentem iniquitatem; eum [c] odisse similiter impium & impietatem ejus; [d] impios ipsi abominabiles esse, aut fore. Et de peccatis quidem nominatim, quæ Deus oderit, vide quæ leguntur Deut. 16.22: Prov. 6.16: Ierem. 44.4. Zach. 8.17. quibus adde & [e] ea loca, quæ sanè non pauca sunt, ubi de iis peccatis sermo est, quæ Deus *abominetur*. De hominibus autem, quos oderit Deus, itidem non pauca loquuntur scripturæ loca. Adeo autem peccatum atque impietatem odit Deus, ut non tantùm eorum auctores oderit, sed odium hoc quodammodo derivetur in [f] alia eorum facta, cæteroqui Deo non modò non adversa, sed ab eo etiam præcepta: nempe quia factis impiorum cæteris, utut per se non malis, imò ad honorem ipsius spectantibus, non ampliùs delectatur Deus; præsertim quia illis hypocrisis admixta est: & illa omitti mavult, quàm ab impiis sibi præstari. Nam aliàs res naturâ suâ non malas, & ob præceptum ipsius ad pietatem spectantes, odisse Deus non potest, sed eas potiùs amat. Verùm amor ille cedit peccati, quod illis labem aliquam aspergit, odio, ita ut propter peccatum etiam illa quodammodo

Exod: 22. 24: 32. 10, 11. Num: 11. 10, 33: 25. 4, & alibi sæpissimè.

a Psal: 5. 6.
b Psal: 11. 5.
c Sap: 14. 9.
d Levit: 26. 30. 3 Reg: 21. 26. Psal: 14. 1: 53. 2; & alibi.
e inter alia plurima, vid: Lev: 18. 22, 26, 29. Devt: 12. 31: 13. 14: 17. 4: 18. 9, 12: 23. 18: 25. 16: 27. 15: 29. 17.
f Prov: 15. 8: 21. 27: 28. 29. Esa: 1. 13. 14.

ſublata Deus velit, id quod eſt illa odiſſe. Et ſi rem penitiùs conſideres, eo modo & impiorum perſonas odit Deus. Nam impios & quà impii ſunt, odit Deus; quod odium ab ipſius impietatis odio reipſa nihil differt: & quia impii ſunt, ideò etiam ipſas eorum perſonas odit eatenus, quatenus eas perditas cupit. Etſi enim impii, quà Dei creaturæ ſunt, boni ſint, ac porrò Deo non modò non displiceant, ſed & placeant: tamen amor erga impios, quà Dei creaturæ ſunt, odio eorum, quà impii ſunt, adeo cedit, ut eorum etiam perſonas propterea ſublatas ac perditas velit: qua in re odium adverſus ipſos conſiſtit.

Ab odio veniendum eſt ad iram, affectum illi adeò vicinum, ut interdum ab eo vix discernas. Id tamen primò inter utrumque intereſt, quòd odium etiam in facta fertur; imò Dei odium, uti vidimus, a factis incipit, & in illa primùm fertur; hinc ad perſonas, unde facta proficiſcuntur, progreditur. at ira in perſonas primò fertur, licet ex factorum odio proficiſcatur. Itaque odium factorum, iræ eſt cauſſa: ira rurſus, præſertim aliquo modo inveteraſcẽs in odium illud abit, quod in perſonas concipitur. quæ cauſſa eſt, cur hujusmodi odium ab ira discernere vix poſſis. Illud tamen intereſt, quòd iræ vox majorem ardentioremque videtur impetum ad pœnam de altero ſumendam ſignificare, quàm odium perſe ſumtum. Quemadmodum autem ab ira quodammodo incipit odium illud, quod perſonas ipſas petit: ita in iram redire exireque ſolet, ac non niſi ſupplicio eorum expiari, qui id provocaverint; niſi eorum mutatione ac reſipiſcentiâ placetur.

Ex dictis autem facilè intelligitur, quid ira ſit, nempe puniendi affectus; qui in Deo eſt propenſio, &, ut ita loquar, impetus voluntatis ad ſupplicium de nocente ſumendum. Vnde porrò multis ſcripturæ locis pro ipſa pœna per metonymiã efficientis accipitur. Semper n. pœnam ac vindictam ſpectat ira, etiamſi non ſemper reipſa exigat. Poteſt enim tũ per ſeipſum Deus iræ ſuæ impetũ ſiſtere, ac vim illius cohibere; tum reſipiſcentiâ eorũ, qui ipſum irritaverant, & precibus ſive eorundem, ſive aliorum, placari ac mitigari. cujus rei exempla non pauca nobis ſac. lit. ſuppeditant, quorum nõnulla ſunt a nobis alibi annotata. Dicimus autem, iram divinam propenſionem eſſe ad ſupplicium, non de quovis, ſed de nocente ſumẽdum. Etſi enim hominum ira ſæpè etiam innocentes ad ſupplicium poſtulat; ſive quòd videantur læſiſſe; ſive quòd iis, qui *læſerint*, quacunque ratione conjuncti ſint: in Dei tamen iram *id* minimè cadit. Hæc enim injuſta eſſe nunquam poteſt. Ira autem, quæ

Ioh: 3. 36. Rom: 1. 18: 2. 5, 8: 3. 5: 4. 15: 5. 9: 13. 5. Ephes: 5 6. 1 Theſ: 1. 10: 2. 16.

vid: ſup: cap: 23.

innocentis supplicium postulat, naturâ suâ injusta est. quemadmodum ex iis intelligi potest, quæ suprà de justitia Dei, quatenus in pœnis infligendis cernitur, disseruimus. quibus adde ea, quæ de potestate divina, quam ad pœnas infligendas habet, diximus; ubi & illud explicuimus, quo pacto in iis, qui innocentes sunt, nocentes puniri queant, atq; adeò puniri a Deo soleant. quibus animadversis, haud magno negotio ea dilues, ex quibus quispiam fortasse concluserit, iram divinam etiam in innocentes nonnunquam ferri, & eos ad pœnam ac supplicium rapere.

cap: 25.

cap: 28.

Iræ autem vehementiam ac intensionem quandam designare solent, excandescentiæ, furoris, indignationis, & si quæ sunt alia his similia nomina, Deo etiam in sacris literis attributa. in quibus, uti & in cæterorum affectuum nominibus Deo accommodandis, id observandum est, ut quicquid illa, si propriè sumantur, vitii aut imperfectionis involvunt, id a Deo removeas, & non nisi id, quod, ut ita loquar, defæcatum ac purum est, Deo tribuas.

Ad iram autem divinam referendus est etiam zelus seu zelotypia, hoc est, æmulatio divina. Etsi enim zeli vox, ut suprà diximus, nonnunquam significat ardentiorem quendam Dei erga gloriam, itemque erga populum suum amorem, rivalis etiam impatientem: sæpiùs tamen iræ atque indignationis significationem habet. Vnde voces iræ, furoris, indignationis, non semel [a] in eodem verborum contextu, cum nomine zeli veluti commutantur, atque ad eandem rem explicandam adhibentur. & cùm Deus [b] zelotes seu æmulator dicitur, non semel ejusmodi adjiciuntur verba, quæ severitatem divinam exprimant, ut suprà ex parte vidimus, de Severitate agentes; & [c] alicubi pro eodem sumuntur, Deum esse zelotem, & esse ignem consumentem; & eodem sensu [d] ignis zelo divino tribuitur, aut ipse ille [e] zelus ut ignis ardere aut [f] fumare dicitur; aut denique [g] ignis iræ divinæ, & zelus Dei pro eodem ponuntur. Etsi autem zelus divinus quamvis Dei iram atque indignationem vehementiorem significare deprehenditur; eam tamen inprimis denotat, quæ ex illo Dei amore quodammodo nascitur, quem eodem zeli nomine designari diximus. Ea verò est, quâ Deus accenditur adversùs idololatras, eos præsertim, qui arcto cæteroqui fœdere Deo juncti, & illius unius cultui adstricti fuerant, aut adversus populi sui hostes. Nam idololatræ, ii præsertim, qui arctiori fœderis vinculo Deo juncti, & illius unius cultui adstricti fuerant, dum falsos Deos aut simulachra colunt, æmulos ac rivales Deo constituunt, iisque præter jus fas sese adjun-

a Num: 25. 11. Devt: 6. 11: 29. 20: 32. 21. Ps: 79. 5: Ezech: 5. 33, & alibi. Soph: 3. 8.
b Exo: 20. 5. Devt: 5. 9: Ios: 24. 19: Nah: 1. 1. 2.
c Devt: 4. 24.
d Ezech: 36. 5. Soph: 1. 18: 3. 8.
e Psal: 79. 1.
f Devt: 29. 20.
g Ezech: 38. 19.

adjungunt, & amorem ac cultum soli Deo debitum, quem unum ab illis postulat, ad alios transferunt, aut cum iis communicant. Qua in parte ipsi quoque perduelles ac gloriæ divinæ hostes evadunt. Amor autem ille divinus, qui zeli nomine designatur, nec rivalem, nec hostem rei adamatæ patitur. Itaque in iram erumpit eorum, qui rivalem Deo aliquem constituunt, aut hostes sunt rei, ipsi inter cætera charissimæ, gloriæ nimirum, aut populi ipsius. Similis nimirum est hic amor illi, quo maritus uxorem prosequitur: unde & sac. literæ non semel hac similitudine, cùm de Deo ejusq; populo sermo est, utuntur: & cùm hic in idololatriam prolabitur, Deum simili quodam adversus illum zelo seu irâ flagrare ostendunt, quo maritus adversus uxorem in adulterio deprehensam. Itaque zelus hic iræ tantò est ardentior, quantò & amoris zelus flagrantior fuerat. Atque hæc est caussa, cur in illis potissimùm locis, ubi populus divinus ab idololatria avocatur, Deus zelotes seu æmulator appelletur; ut ea ratione populus a tãto scelere absterreatur, severam Dei iram ac vindictam veritus. Patet id vel ex Decalogo, ubi postquam Deus prohibuisset, ne populus ipsius Deum alium coram ipso haberet, & quasi ante ipsius oculos rivalem adduceret, néve imaginem ullam vel facere vel colere auderet, addit: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis* (vel *Deus*) *zelotes*, & quæ sequuntur. Sic & [a] alibi ait Moses: *Noli adorare Deum alienum* (seu *alium*.) *Dominus, zelotes nomen ejus, Deus est æmulator.* quibus & [b] alia tum apud eundem, tum apud alios scriptores sacros reperies similia: atque inter cætera vide, quæ leguntur apud [c] Ezechielem de *Idolo zeli*, h. e. de simulachro Deum ad zelum seu indignationem provocante.

(vid: inter alia Ezech: c. 16. totum, & nominatim ℣ 38, 43. & cap: 23.)

(Exo: 20. 5.)

a ib: 34. 14.

b Devt: 4. 23, 24. 6. 14, 15: 32. 21. Iof: 24. 19, conf: anteced: & feqq. Psal: 78. 59.

c cap: 8. 3, 5.

Dici hîc non pauca possent de iræ divinæ magnitudine ac gravitate. sed hac de re, quatenus ea ad explicationem attributorum divinorum pertinet, in tractatione de severitate divina dictum est. Si quis tamen aliquid adhuc desideret, videat inter alia propè innumera testimonia de ira divina loquentia, Deut. 32. 22, & d. & præter verba, quæ ex initio ferè cap. 1. Nahumi superiùs de Severitate divina loquentes citavimus, ea quæ sequuntur usque ad finem v. 6. Adde his illa, ubi æternitas quædam iræ Dei adversùs quosdam adscribitur, ut [d] adversùs Edomitas: licèt aliàs, ut est [e] in Psalmo, *Momentum* (sic est in Hebræo) *in indignatione ejus, & vita in voluntate* (seu *benevolentia*) *ejus. Ad vesperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia.* h. e. ut viri docti explicant, Momentanea est illius ira, h. e. brevissimo tempore affligit: amor verò, quo nos

d Malach: 1. 4.

e Psal: 30. 6.

prosequi-

Cap: XXX. De Amore, &c. Odio, & Ira Dei.

prosequitur, per omnem vitam durat. si fortè sub vesperum accidat flebile quiddam, illud manè in gaudium commutabitur. Sed hæc & similia respectu populi divini, hominúmve Dei metuentium dicta sunt. Aliàs respectu eorum, qui in peccatis ad extremum usq; perseverant, æterna est Dei ira, præsertim habita ratione effectûs, nempe supplicii illius, quod impiis aliquando infliget Deus. Interea tamen tardior est Deus ad iram, quàm ad misericordiam, ut ex sac. literis suprà docuimus, & omnibus notum est. & generatim loquendo, longè majores atque uberiores sunt hujus, quàm illius effectus. simul & latiùs hæc, quàm illa patet. Etenim misericordiam Dei super omnia ipsius opera, beneficii nimirum alicujus capacia, esse seu exuberare vidimus. quod licet de beneficentia ejus dictum, ad hunc tamen affectum, unde nomen traxit, rectè accommodatur. At ira Dei non adversùs omnia ipsius opera reipsa concitatur, licèt fortè naturâ ita sint comparata, ut peccare, & porrò iram Dei incurrere possint, vel etiam reipsa aliquando peccaverint.

vid: Psal: 103 9.

cap. 28.

Psal: 145. 9.

Ex his etiam facilè intelligi potest, quid de amore & odio divino, quatenus in ipsas personas feruntur, sentiendum sit: siquidem misericordia divina amor quidam est, & ira odium quoddam. Vt ut enim divinus recti atque honesti amor, odio pravi par sit; non par tamen est odium malorum hominum amori piorum, sed ab amore superatur. Et odio quidem creaturarum peccantium aliquo modo obsistit amor erga eosdem, quà creaturæ Dei sunt, & sic boni rationem habent, odiique vim minuit: at amori piorum nullum ejusmodi obstat odium. Neque enim quicquam in nobis est naturale, quod oderit Deus. Vilitas quidem naturæ nostræ efficere posset, ut contemtui essemus, at non ut odio. Sed præterea amor erga pios ac misericordia benefici sunt affectus; odium atque ira adversùs creaturas, aliis sunt noxii. Benignitas autem, quàm severitas, bonitati Dei naturali aliqua ratione vicinior est ac magis consentanea. Quare non mirum, odium ab amore, iram a misericordia divina vinci.

Atque hîc animadverti obiter potest, odium istud & iram divinam, nec ipsam Dei essentiam, nec naturalem in Deo qualitatem, quæ nimirum in illo planè necessariò ac perpetuò resideat, esse. Siquidem nec ipsa Dei essentia, nec naturalis Dei qualitas ab altera superari potest. Nec quicquam vel essentiæ divinæ, vel naturalibus Dei attributis potest esse in ipso contrarium, quod illa perimat, ac secum consistere vetet. At misericordiæ ira contraria in

Deo existit, eamque circa idem objectum eodem tempore tollit, quæ ratio evincit, nec odium Dei erga peccatores quosvis naturalem esse Dei qualitatem. siquidem huic quoque contrarius amor in Deo existit. Aliter de amore ipsius recti, & pravi odio sentiendum est. Id enim ad sanctitatis ipsius naturam constituendam omnino pertinet, & alterum ab altero non modò non extingvitur, sed ex amore recti, pravi odium necessariò proficiscitur.

Subjiciendum nunc aliquid esset de hujus doctrinæ usu. Verùm hic propè idem est cum eo, quem ex doctrina de Dei benignitate, ac opposita ei severitate capimus. siquidem amor Dei erga creaturas, ejusdemque gratia & misericordia, ad benignitatem; odium contrà, & ira adversùs eos, qui peccant, ad severitatem ejus pertinent. Itaque quæ illic dicta sunt, huc quoque transferantur. Illud addi potest de amore Dei erga pietatem ipsam, & odio adversus impietatem; ut nos quoque Deum hac in parte imitemur, & pietatis amore ardentissimo flagremus, peccata autem omnia magno prosequamur odio, & ea quidem maximo, quæ ipse quoque Deus maximè omnium abominatur. præsertim quia pietatis amor, Dei erga nos ipsos amorem provocat atque alit; impietas contrà perimit, & odium Dei atque iram adversùm nos concitat. Infelicissimum autem esse necesse est, quem Deus odit. Deinde, ut quia Deus omnes quidem homines amat, sed maximè pios; nos quoque omnes quidem amemus, sed singulari studio pios complectamur: impiorum autem consortium vitemus; eos tamen interea, etiamsi hostes nostri sint, Dei exemplo diligamus, iisque benefaciamus. Quin etiam cùm iram Dei adversùs alios accensam videmus, eos inprimis, qui ad ipsius populum cæteroqui pertinent, eam precibus placare studeamus.

Addi & illud potest, cùm videamus, Deum eos magis amare, qui pietatem impensiùs colunt, contrà magis odisse eos, iisque irasci, qui impietati magis sunt dediti; subinde nobis in pietatis studio proficiendum esse, quò Dei etiam erga nos amor intendatur. Crescente enim ipsius erga nos amore, crescunt & beneficia, nostraque felicitas.

Cap. XXXI.

De Desiderio, Spe, ac Lætitia, eorúmque contrariis, Deo in sacra scriptura tributis.

VEniendum nunc est ad alterius generis affectus in Deo existentes, eos nempe, qui circa bona aut mala eatenus potissimùm ver-

Cap: XXXI. De Dei Desiderio, Spe, Lætitia, & horum contrariis.

num versantur, quatenus ea ipsimet Deo grata aut ingrata accidunt; itemque de iis, qui licèt etiam ad aliena bona aut mala comparanda interdum spectent, ad hoc tamen genus sæpiùs propiúsve accedunt.

Sunt autem affectus hujusmodi, desiderium, spes, lætitia, & his opposita, metus nimirum, dolor, & sub eo comprehensa pœnitentia. Pertinet quidem ad hoc genus etiam Amor & Odium, quatenus ad res magis, quàm ad personas referuntur, & a Gratia & Ira distingvuntur: sed de his superiori capite jam egimus. Facilè autem quivis perspicit, illorum affectuum alios circa jucunda versari, alios circa injucunda. Et eorum quidem, qui circa jucunda occupantur, istud est discrimen, quòd desiderium ac spes circa bona absentia, h. e. ea, quibus nondum potimur, si modò potituri unquam sumus, occupantur; lætitia circa ea, quibus aliqua saltem ratione jam potimur, quæque vel reipsa adsunt, vel tanquam præsentia quodammodo a nobis considerantur. Desiderium ac spes ad parandum bonum excitant: lætitia parto fruitur. Desiderium rursus ac spes inter se differunt, ut laxius & angustius, atque adeò ut genus & species. Spes enim omnis, si modò affectus, & non persvasionis potiùs de bono futuro significationem habeat, est desiderium quoddam; sed non omne desiderium spes est. Nam spes omnis futurorum bonorum est: desiderium autem non tantùm in futurum, sed aliquando etiam in præteritum respicit: ut cùm optamus, ut id factum fuisset, quod factum non fuit. cujusmodi votum ac desiderium etiam Deo tribuitur. Ita enim Psalmo 81 in ipso Hebræo textu legimus: *Vtinam populus meus obtemperâßet mihi, Israel in viis meis ambulaßet!* & apud Esaiam: *Vtinam attendißes ad mandata mea, facta fuißet sicut flumen pax tua, & justitia tua sicut gurgites maris.* Deinde desiderium etiam rei incertæ est, imò illius, quam nunquam futuram novimus. id quod vel ex eo apparet, quod jam diximus, nempe eam etiam ad præterita respicere, quæ cùm facta sunt, infecta fieri nequeunt; ut nec contrà, quæ infecta, facta. At spes illius tantùm boni est, quod vel certò exstiturum esse scimus, vel saltem probabiliter exstiturum esse conjicimus. Imò interdum vix quicquam aliud spei nomen significat, quàm persvasionem de bono aliquo futuro. quod cùm fit, desiderium spei adjunctum est, non genus. Ac de simplici quidem desiderio, in futurum tamen respiciente, loquuntur illa Dei apud Mosen de populo Israelitico verba: *Quis det talem eos habere mentem, (seu, Vtinam talem habeant mentem,) ut timeant me, & custodiant*

Ψ 14. (margin, beside Psalmo 81)
Esai: 48. 18.
Deut: 5. 29.

custodiant

De: Desiderio, Spe, Lætitia, & horum contrariis.

stodiant universa mandata mea in omni tempore, ut benè sit eis, & filiis eorum in sempiternum! & iterum: *Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent!* quanquam nonnulli paulò aliter hæc verba vertunt. De hujusmodi autem desiderio etiam illa Dei verba sunt accipienda, quibus apud Ezechielem asserit, *se nolle mortem impii, sed ut convertatur, & vivat:* præsertim cum in Hebræo verbum extet, quod *desiderare* propriè significat, & ita ab interpretibus aliis redditur. Similiter & illa Novi Testamenti loca, istis Dei verbis apud Prophetam extantibus gemina, in quibus affirmatur, *Deum velle omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Deum nolle aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Neque enim *volendi* vox, aut contraria *nolendi,* semper voluntatis decretum, præsertim absolutum significat: sed non rarò solum desiderium rei alicujus. quo pacto & Græci interpretes Vet. Testamenti, in illo Ezechielis loco, verba, quæ simplicem *volendi* significationem habent, pro *desiderandi* verbo usurparunt. & Christus, cùm Hierosolymitanam urbem ita alloquitur: *quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* itemque dum Patrem ita in precibus suis affatur: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum.* Neque enim, ut quidam perperàm sentiunt, *volendi* verbo decretum a se sancitum exprimit, ut perinde sit, ac si dixisset *statuo*, aut *decerno.* Nam hoc non orantis fuisset: sed potiùs jubentis ac præcipientis. sed idem est, quod *cupio* ac *desidero.* Hoc enim oranti convenit. Sed nihil opus est pluribus, cùm hæc verbi hujus significatio satis sit usitata.

Deut: 5. 29. cap: 32. 29. Ezech: 18. 23, 32. & 33. 11. 1 Tim: 2. 4. 2 Pet: 3. 9. Mat: 23. 37. Ioh: 17. 24.

Tributur autem Deo desiderium ac votum rerum hujusmodi, quæ ipsi sunt gratæ: quia eas, quod ad factum ipsum attinet, (juris enim alia est ratio) in arbitrio hominum positas esse, & porrò liberè, non necessariò ab illis præstari voluit. Quare ut eæ præstentur, non absolutè decernit, sed optat: ac porrò nec vim hominibus, ut ea faciant, adhibet; sed eos variis modis ad illa invitat ac ducit, & in agendo adjuvat. quamquam interdum extra ordinem aliquid ampliùs eum hac in parte facere non negamus. Atque hoc idem de spe, quam sub desiderio contineri diximus, intelligendum est. Nam & illa in rebus, quas Deus ex libera hominum voluntate proficisci voluit, ipsi tribuitur. Tribuitur autem ea Deo sub *expectandi* verbo apud Esaiam, ubi dicitur, Deum *expectasse*, ut vinea ab ipso culta, h. e. populus Israeliticus variis beneficiis ab ipso auctus, & ad pietatem multis modis veluti excultus ac præparatus, faceret

Mat: 7. 12: 15. 28: 19. 30, 17: 20. 21, 26, 32: 26. 39. Ioh: 5. 6: 12. 21. Rom: 1. 13: 13. 3. 1 Cor: 7. 7, 32: 14. 5, 35, & alibi. Esai: 5. 2, 4, 7.

faceret uvas; quarum loco illa protulerit labruscas: hoc est, ut ipse Propheta rem postea explicat, *expectasse* Deum, *ut faceret judicium, & ecce iniquitas: & justitiam, & ecce clamor*. Probabile enim nihilominus fuit, eventum divino consilio, & fructum operæ responsurum. qua de re suprà quoque dictum est, cùm de sapientia divina ageremus. Eódem referri potest & ille Petri locus, ubi ait, *Dei longanimitatem* (ita enim habent Græca) *semel expectaße in diebus Noë*. Intelligitur enim, Deum pro sua longanimitate expectasse hominum resipiscentiam. nisi quis velit verba illa de simplici potiùs desiderio resipiscentiæ hominum, moram ac spacium illorum emendationi concedente, accipere. Non enim tam sperasse videtur Deus hominum illorum resipiscentiam, tanquam probabilem, quàm simpliciter desiderâsse, ut rem sibi gratam, & sat diuturnum temporis spacium ei indulsisse. 1 Pet: 3. 20.

Iam quod ad lætitiam ac gaudium attinet; id quoque non semel Deo in sacris literis tribuitur: & gaudium quidem ejusmodi, quod ex actionibus suis circa creaturas occupatis, aliísve rebus extra se positis percipiat. Nam quod ad gaudium illud attinet, quod ex seipso perpetuò capit Deus, quodque illi prorsus est naturale, de eo in explicatione beatitudinis divinæ diximus. Id autem, de quo nunc loquimur, externum & adventitium dicere possis, quo Deus sine beatitatis suæ jactura aut imminutione carere posset, uti ante omnem creaturam caruit: imò cujus contrarium etiam quodammodo, ut paulò pòst videbimus, in ipsum cadere potest. De hoc gaudio loquitur Moses: *Sicut antè lætatus est Dominus super vos bene vobis faciens, vosque multiplicans: sic lætabitur disperdens vos atque subvertens*. Etsi enim Deus perditione atque interitu viventium nec per se delectetur, nec eam desiderare soleat, præsertim cùm adhuc resipiscentiæ spes est reliqua: tamen cùm homines in impierate contumaciter perseverant, &, moniti licèt ac castigati, redire ad frugem nolunt, eorum pœnam & desiderat Deus, & eâ aliquo saltem modo delectatur, ac tantò quidem magis, quantò magis ipsi displicuerant scelera, quibus ipsum irritaverant, quantoque diutiùs ea tulerat. Vnde & apud Esaiam ita loquitur: *Heu consolationem* (seu voluptatem) *capiam super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis*. & apud Ezechielem: *Complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam* (h. e. exsatiabo iram meam gravissimis eorum suppliciis) *& consolationem accipiam*. q. d. & ex hac vindicta voluptatem capiam. Veruntamen longè magis delectatur Deus hominum felicitate, & suis, quæ in eos confert, be- Devt: 28. 63. Esa: 1. 24. Ezech: 5. 13. Vide Bibl Mag: Robert: Steph.

fert, be-

fert, beneficiis, ad quæ multò est pronior, quàm ad supplicia. Ac de hujusmodi gaudio loquitur Moses, cùm ait: *Revertetur Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis* (Hebr. *ad bonum,*) *sicut gavisus*

Deut: 30. 9.

est in patribus tuis: h. e. ut tibi cum gaudio benefaciat, seu tibi benefaciendo delectetur: quemadmodum cum lætitia quadam benefecit tuis majoribus, suis ipsius donis, ubertim in eos effusis, delectatus. De eodem & Esaias loquitur, cùm Hierosolymam ita af-

Esa: 62. 5.

fatur: *Gaudebit super te Deus tuus*, nempe tibi benefaciendo, seu fe-

& 65. 19.

licitate tua delectabitur. & Deus ipse: *Exultabo in Ierusalem, & gau-*

Ier: 32. 41.

debo in populo meo. & apud Ieremiam: *Lætabor super eos, cùm eis benefecero*, vel, ut est in ipsis fontibus, *ad benefaciendum eis*. Insignis est etiam ille Davidis locus, qui extat Psalmo 104. ubi sermo est de gaudio, quod Deus ex operibus suis capiat, sive per opera ipsius intelligas res ab ipso creatas, ut alibi sæpe, sive actiones ac facta i-

Psal: 104. 31.

psius, circa creaturas occupata. Ita enim ait Psaltes: *Lætabitur Dominus in operibus suis*, vel (ut alii reddunt locum) *Lætetur Dominus in operibus suis*, ut sit votum quoddam Prophetæ; præsertim cum præcesserit, ut quidem habet vulgata interpretatio Latina, quam non pauci ex recentioribus interpretibus hac in parte sequuntur, *Sit gloria Domini in seculum*. Etiamsi autem non eodem prorsus modo votum hoc aut gratulatio Davidis accipiatur; eorum tamen sententia vero videtur simillima, qui censent, id voluisse Psalten dicere: Habet Dominus caussam, cur de operibus suis, utpote tam pulchris, tam affabrè factis, tam sapienter institutis gaudeat. Hoc ergo gaudio jure suo fruatur. Alludi enim hoc loco ad artifices, qui cùm opera sua affabrè facta intuentur, & ea suæ intentioni respondere cernunt, gaudent. Simul etiam respici ad illa Mosis verba, in quibus omnino ad illum opificum morem alluditur, opera

Gen: 1. ult.

sua jam confecta contemplantium: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona*. Est ergo hoc votum Davidis prædicatio ac celebratio quædam operum divinorum, ipsiusque adeò Dei opificis; ut ex gaudio, tanquam effectu, intelligatur caussa, nempe operum præstantia. Verùm non tantùm ex suis operibus voluptatem percipit Deus, sed etiam ex creaturarum factis voluntati ipsius consentaneis, & quantò ea sunt præstantiora ac cum pietate conjunctiora, tantò majorem. Hinc dicuntur facta quædam esse [a] sacrificia illi accepta, quibus ille delectetur, esseque in odorem suaveolentiæ. quod etiam [b] de sacrificiis externis olim pronunciatum fuit: sed majori jure alibi ad sacrificia spiritualia accommodatur, utpote quæ & præstantiora sunt, & [c] Deo longè gratiora. Quòd verò Deus hostes

a Psal: 50. 14, 15: 51. 19: Rom: 12. 1. Eph: 5. 2: Phil: 4. 18: Heb: 13. 15, 16. 1 Pet: 2. 5
b Gen: 8. 21. Levit: 1. 9, 13, 17, & alibi sæpissimè:
c 1 Sam: 15. 22, 23. Esa: 1. 16, 17. conf: cum præced. Ierem: 7. 22, 23. Os: 6. 6.

is hostes suos d irridere alicubi dicitur, id quidē, si vocem spectes huc pertinere videtur, sed si rem ipsam inspicias, huc non pertinet. Irrisio enim illa judicii revera est, non affectûs, & intellectûs, non voluntatis. Significat enim, Deum vanos ac stultos hostium suorum conatus ac molitiones videre aut judicare. Metonymia igitur est effecti, cum metaphora conjuncta. quia nimirum in hominibus ex hujusmodi cognitione aut judicio risus consequi solet. Et hæc quidem de affectibus circa res Deo gratas versantibus dicta sufficiant.

Cap: XXXI. De Dei Desiderio, Spe, Lætitia, & horum contrariis.

d Psal: 2, 4.

Sequitur, ut de contrariis affectibus agamus, qui, si vocum proprietatem spectes, quoniam a natura Dei magis abhorrent, ideò ferè apertis verbis rariùs ei in sacris literis tribuuntur, & in iis Deo accommodandis, ob summam ipsius potentiam, sapientiam, beatitudinem, longiùs aliquantò a proprietate vocum recedere necesse est, quàm in aliis plærisque affectuum nominibus, quæ ei in sacris literis tribuuntur. Illos autem diximus esse, metum, & dolorem seu tristitiam, sub qua & pœnitentiæ affectus comprehenditur. Et quia de lætitia proximè diximus, cui dolor opponitur, ab hoc incipere placet. Etsi enim tristitia propriè opponatur lætitiæ, dolor autem voluptati; in his tamen loquendi modis de Deo usurpatis, non videntur sacræ literæ vel voluptatem a lætitia, vel dolorem a tristitia discernere. Illud certum est, lætitiam cum voluptate, tristitiam cum dolore conjunctam esse. Quod igitur ad dolorem attinet; is uno tantùm, quantum hucusque animadvertere potui, loco, in vulgata interpretatione, Deo expressè tribuitur; quo quidem & pœnitentia ei adscribitur, & doloris adjecta mentione declaratur. Is autem locus extat Gen. 6. ubi dicit Moses: *Videns autem Deus, quòd multa malitia eßet hominum in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eßet ad malum omni tempore; pœnituit eum, quòd hominem fecißet in terra. & tactus dolore cordis intrinsecùs, Delebo, inquit, hominem, quem creavi* &c. *pœnitet enim me fecißе eos.* Apud recentiores quosdam Interpretes & alibi homines dicuntur dolore affecisse Deum. Præterea aliis etiam verbis, dolor quidam ejus generis, quem Moses expressit, alibi Deo tribui videtur. Nam ne de pœnitentiæ voce ipsi accommodata nunc quicquam dicam, de qua mox agendum erit; illa quoq; Dei verba huc referri possunt, quæ extant apud Esaiam: *Calendas vestras & solennitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* Illa enim demum molesta fuit, & in illis sustinendis laboramus, quæ dolorem aliquem nobis afferunt: imò ipsa molestia dolor qui-

ṽ 5, 6.

vid: Interpretati Iunii & Tremellii. Psal: 78. 40.

Esa: 1. 14.

Cap: XXXI. De Dei Desiderio, Spe, Lætitia, & horum contrariis.

dolor quidam eſt. Referri huc poſſunt & illa apud eundem Prophetam, ubi Deus gravibus ejusdem populi ſceleribus commemoratis, ita, ſi Hebræa verba inſpicias, loquitur: *numquid ſuper his conſolationem accipiam?* q. d. num ego his delectari poſſum, & non potiùs ea mihi valde ſunt odioſa ac moleſta? Ex contrarii enim remotione, contrarium intelligendum eſt. quam ob cauſſam vetus interpres ita reddidit ea verba: *numquid ſuper his non indignabor?* conſequens nempe poſuit loco antecedentis. Indignatio enim moleſtiæ ac doloris, quo ab aliis afficimur, effectus eſſe ſolet. Quid quòd jure dici poteſt, omnibus illis in locis ſcripturam id Deo tribuere, quod doloris ac moleſtiæ nomine alibi effert, quibus aſſerit, homines Deum exacerbâſſe, aut ea feciſſe, quæ diſplicerent aut mala apparerent in ipſius oculis. Nam iſtiusmodi diſplicentia, præſertim major ac vehementior, quæ mala jam facta cognitaque ſequitur, vel ipſamet dolor ac moleſtia quædam eſt, vel moleſtiam, ſive propriè, ſive impropriè dictam ſecum trahit. Aliquantò aliter ſe res habet, quando factum aliquod mente tantùm conceptum, nondum verò perpetratum diſplicet. Ea enim diſplicentia vel judicii tantùm eſt, vel ſi voluntatis etiam atque affectus, ad odium potiùs, quàm ad dolorem pertinet. Illud autem vix monere ampliùs eſt opus, iſtum ſacris literis ita dictum dolorem, tantùm ex rebus extra ipſum Deum exiſtentibus, & ipſum, propriè loquendo, minimè attingẽtibus, oriri. Sublimior enim eſt Dei natura, quàm ut in ſeſe lædi ab ulla creatura poſſit. Itaq; quicquid tandem per dolorẽ illum intelligatur, id tantùm ex rebus extra Deum evenientibus, quas in creaturarum arbitrio poſuit, deſiderio tamen ac intentioni ipſius ſunt adverſæ, naſcitur. Diximus autem jam ſuprà, improprietatem majorẽ in doloris, aliisq; ſimibus vocibus Deo tributis agnoſcendam eſſe, & ita ſobriè hac de re tum ſentiendum, tum loquendum, ne quid ipſo indignum, & ſummæ ipſius beatitudini adverſum vel cogitetur, vel dicatur. Veruntamen & illud apparet, aliquid in Deo agnoſcendum eſſe analogum ei moleſtiæ, quam nos percipimus, non quidem ex rebus, quæ nos, aut corpus noſtrum reipſa attingunt ac lædunt, (nam ab hujusmodi malis, ac porrò ab eorundem ſenſu Deum diximus eſſe remotiſſimum) ſed quæ extra nos eveniunt, & judicio, voluntati ac deſiderio noſtro adverſantur, & adverſantur quidem vehementer. Satis enim liquet, verbis illis ſcripturæ metaphoram ſubeſſe. Metaphora autem omnis ex rerum ſimilitudine oritur. Itaque cum dolor, moleſtia, exacerbatio, & ſimilia Deo tribuantur, neceſſe

cap: 57: 6.

a Pſal: 78. 40, 56: 106. 33. vid: & Eſa: 3 8: Hebr: 2 Sam: 11 27. 1 Paral: 21. 7. Eſa: 59. 15.

Cap. XXXI. De Dei Desiderio, Spe, Lætitia, & horum contrariis.

necesse est aliquid illis rebus simile in Deo existere. Tantò autem magis id statuendum est, quia aliàs nec odii adversùs impietatem, nec iræ adversùs ejus auctores, analoga in Deo essent. Vnde porrò sequeretur, nec amoris erga pietatem & ejus cultores, nec misericordiæ analogum in eodem esse. Eadem enim horum affectuum ratio est. Itaque tale numen fingeremus, quod eodem modo, vel potiùs nullo modo, erga pios & impios, erga rectè & pravè facta sit affectum; & similiter, sive ores, sive non ores, sive id colas, sive blasphemes, animatum sit. Quis verò ista, nisi qui ad Epicuræorum, aut Stoicorum saltem de Deo sententiam accedere velit, credat? Quis credat, eodem planè modo Deum affectum fuisse, cùm unigenitus ac charissimus ipsius filius crudelissimè ab hominibus impiis tractaretur, conspueretur, blasphemaretur, ac cruci affixus insultationes hostium acerbissimas audire cogeretur; & cùm postea a multis hominum millibus fuit religiosè adoratus, ac omni pietatis genere cultus? Certè ista credere, esset religionem omnem penitus tollere. tantum abest, ut religio hîc prætexi debeat, quominùs illa sobriè de Deo cogitemus, & dicamus. Iam verò si amoris & odii, misericordiæ & iræ analoga in Deo reperiuntur: quidni & illius affectûs, de quo nunc agimus? Nam nec odisse quisquam potest, quod cùm evenit, nullam prorsus doloris ac molestiæ imaginem aut umbram ei affert; nec propterea irasci, aut indignari, nec contrà amare aut desiderare id, cujus contrarium ingratum sui sensum ei præbet nullum: nec misereri illius, cujus conditio nullo pacto injucunda est ei, qui misereri debeat. Quare mediâ hîc viâ incedendum est, & nec proprietas verborum contra Dei beatitudinem urgenda: nec beatitudo Dei ita urgenda, ut ne per metaphoram quidem, ex analogia ac similitudine ortam, injucundum quendam rerum malarum extra ipsum extantium sensum, ei tribuere liceat, quem sacræ literæ partim claris verbis, partim aliquantò tectiùs ipsi adscribunt. Ostendimus autem jam suprà breviter, cùm de beatitudine divina ageremus, quomodo ea, quæ in rebus creatis eveniunt, voluntati divinæ adversa, beatitudinem illius non evertant, aut lædant. Quod ut tantò rectiùs intelligatur, illud adhuc addendum est, sacras literas, cùm dolorem aut molestiam Deo tribuunt, vim atque effectum earum rerum, quæ Deo ingratæ eveniunt, per se considerare, non habita ratione rerum ipsi gratarum, quæ vel in ipsomet existunt, vel extra eum eveniunt, & vim rerum ingratarum, & molestiam, quam parere possunt, aut tollunt, aut ita imminunt, ut perennem

illam internamque Dei voluptatem impedire ac turbare meritò dici nequeant. Nam inter res illas, quæ extra Deum eveniunt, ipsi ingratas, & inter eas, quæ in ipso existunt, ac perpetuam ipsi voluptatem pariunt, nulla est revera comparatio. Extra ipsum autem partim ea eveniunt, quæ ipsi sunt gratissima, ut quæ a sanctis angelis, & piis hominibus, & maximè, quæ a Christo horum omnium capite fiunt; partim ipse ea facit, ex quibus voluptatem quandam, ut suprà vidimus, percipit: ita quidem, ut etiam res cæteroqui sibi ingratissimas ad nominis sui gloriam, ac porrò, ut ipse de se loquitur, ad gaudium quoddam suum convertat.

His ita constitutis, ad pœnitentiæ Deo in sacris literis attributæ explicationem veniendum est, quatenus quidem illa pro affectu quodam sumitur. Id autem propterea addimus, quia non semel pœnitentiæ nomen simplicem consilii aut voluntatis, circa res aut personas certas, mutationem quandam significat, dilutiore metaphora, quàm cùm affectum designat. In eo enim tantùm similitudo consistit inter pœnitentiam propriè sic dictam, & simplicem illam voluntatis mutationem, quòd quemadmodum is, quem consilii aut facti prioris pœnitet, consilium mutat, ita & Deus consilium mutet. Quod quomodo salvâ constantiâ in ipsum cadere queat, superiùs in sanctitatis divinæ explicatione dictum est. Hoc autem modo accipitur Pœnitentiæ vox ad Deum relata, apud Ieremiam aliquoties, cùm vel pœnituisse Deum alicujus rei, aut fore ut pœniteat, vel contrà quarundam rerum ipsum non pœnituisse, aut fore, ut non pœniteat, dicitur. Vbique enim de mutatione consilii ac sententiæ divinæ, ratione habitâ effectûs, loquitur; & sæpiùs quidem de mutatione in meliorem seu mitiorem partem, in quam Deus cæteroqui longè est pronior. Citatus fuit a nobis suprà, cùm de Constantia divina ageremus, locus ille nobilis e cap. 18, qui de pœnitentia Dei, ut ita dicam, ordinaria loquitur. quæ in eo consistit, quòd is mala, quæ impiæ alicui genti comminatus fuerat, non immittat, si ea resipuerit: contrà etiam, si quid ei boni promiserit, non præstet, si impiè se postea gesserit. quæ sententia, aliis licèt verbis elata, ad singulos etiam pios impiosque accommodata, extat apud Ezechielem cap. 33. Verùm & alia extant sacrarum literarum loca, in quibus eadem vocis significatio vel omnino admittenda est, vel saltem admitti jurè potest. De ipso autem pœnitentiæ affectu loquuntur duo inprimis loci, quorum alterum jam vidimus, illum nimirum ex 6. Genes. capite superiùs adductum, in quo bis asseritur, Deum, visâ olim hominum malitiâ, pœnituisse, quòd se-

Ier: 4. 28: 18. 8, 10: 20. 16: 26. 3, 13, 19.

¶ 7, & d.

vid: Ezech: 24. 14. in Hebr: 1 Sam: 15. 29. Psal: 110. 4: 106. 45. Rom: 11: 29.

Gen: 6. 6, 8.

Cap: XXXI. De Dei Desiderio, Spe, Lætitia, & horum contrariis.

quòd fecisset hominem. Vbi quidem ad pœnitentiæ affectum meliùs exprimendum addi vidimus, Deum dolore cordis interiùs tactum fuisse. quod manifestè demonstrat, de pœnitentiæ affectu sermonem esse. Quamquam & res ipsa idem docet. Non enim consilii alicujus in futurum spectantis, sed facti illius, quod mutari jam ampliùs non poterat, Deum pœnituisse dicitur, nempe quòd hominem creasset. non quidem quasi aliquid mali in eo Deus commisisset, aut imprudenter egisset: (absit enim ut de Deo optimo ac sapientissimo talia cogitemus:) sed quòd factum hoc ipsius, licèt optimum ac sapientissimum, hominum culpâ atque improbitate tam malè cessisset: quemadmodum explicatum est suprà, cùm de Sapientia Dei ageremus. Quo loco adduximus & aliud testimonium, de Dei pœnitentia loquens, ex libro priori Samuelis, in quo bis asseritur, Deum pœnituisse, quòd Saulum regem constituisset Israëlitarum; propterea quòd Saulus mandata ipsius opere non implevisset; ac porrò eventus consilio Dei, Saulum ad regium fastigium evehentis, non respondisset. Neque enim per se facti hujus Deum pœnituit, (siquidem id per se bonum fuit;) sed habita ratione eventûs sequuti. Nam in suis factis, ut pote optimis, nihil reperit Deus per se pœnitendum; sed ratione eventûs, quem ex arbitrio hominum pendere voluit, potest aliquid pœnitendum reperiri. Itaque pœnitentia illa, quatenus aliquid injucundum in se complectitur, per se oritur ex solis hominum factis, & eventis inde pendentibus; ex Dei autem ipsius factis non nisi per accidens. Facta enim Dei eatenus pœnitenda ipsi veniunt, quatenus indigna fuerunt eventu sequuto, cui occasionem aliquam, quanquam per accidens tantùm, præbuerunt. Vnde facilè etiam intelligitur, quid sit hic pœnitentiæ affectus Deo in sacris literis tributus. Est enim affectio in Deo ingrata, (quam doloris nomine exprimi vidimus,) orta ex eo, quòd facta sua optima indignissimum, ob alienam nempe culpam, eventum sortiri cernat. Differentiam illius, quam specificam vocant, qua ab aliis ejusdem generis affectionibus distinguatur, faciliùs propriis verbis exprimere licet, quàm genus illius, præsertim proximum. Nam propriè quidem dictæ pœnitentiæ genus est dolor, seu mavis tristitia. sed hanc in Deum propriè non cadere jam diximus; verùm ejus tantùm analogum, cui commodum nomen ægrè reperias. Id si inveniri possit, præfixum differentiæ a nobis expressæ, definitionem pœnitentiæ accuratiorem effecerit.

1 Sam: 15. 11, 35.

Restat ut aliquid de metu dicamus; quæ vox, uti & cæteræ eandem si-

Dei Desiderio, Spe, Lætitia, & horum contrariis.

dem significationem habentes, quia prima fronte non nisi absurdè Deo tribui videntur, (& revera quidem non nisi per analogiam quandam ei accommodantur) ideò non mirum, rariùs de Deo usurpari. Et expressè quidem metus non nisi semel Deo, quantum hucusque animadvertere potui, tribuitur. licèt ex eo loco, & ex rerum similitudine, facilè intelligi possit, illum Dei affectum latiùs patere, & in Deo, sine ullo vel potentiæ, vel beatitudinis, vel incorruptibilitatis, alteriúsve alicujus perfectionis detrimento, sæpissimè existere; imò sapientiæ ipsius, quatenus circa creaturas versatur in peccata pronas, effectum esse propè necessarium. Locus verò ille, in quo hic ei affectus apertè tribuitur, extat in Deuteronomio, ubi ita in Hebræo legimus: *Dixi dispergam eos per angulos,* (vel *exterminabo eos,*) *ceßare faciam ex hominibus memoriam eorum; nisi iram inimici timerem, ne fortè extraneè se gerant* (vel *superbiant*) *hostes eorum, ne fortè dicant, Manus nostra excelsa, & non Iehova operatus est omnia.* Ejus autem rei, quam his verbis exprimit, exempla habes inter alia apud ipsum Mosen Exod.32. & Num. 14. si rationes consideres, quibus Moses Deum, ne populum Israëliticum ad internecionem usque deleret, flexit ac permovit. quæ res ex parte in Deuteronomio repetitur. Ex eo autem loco apparet, affectum illum in Deo locum habere, quoties aliquid facit, aut contrà non facit, ut rem sibi ingratam, ac desiderio consilióve suo adversam, quam alioqui facilè evenire posse cernit, declinet atque avertat. Quia enim Deus hominibus (ne de spiritibus nunc quicquam dicam) arbitrium dedit voluntatemque liberam; fieri sæpè potest, ut vel ipsi id designent, quod Dei voluntati ac desiderio admodum est adversum, vel caussam præbeant Deo, ut id faciat, quod aliàs facere non cuperet: quale est v. g. ipsas, ac inprimis populum suum, perdere ac delere. Quare sæpè ei rei occurrit, & vel id facit, quod aliàs facere nollet; vel contrà non facit, quod aliàs facere vellet; quia videt, id, quod ipsius desiderio adversum est, facilè consequuturum; illic quidem, nisi id faciat, quod aliàs omittere vellet; hic verò, nisi id omittat, quod aliàs facere vellet. Est ergo metus hic affectus futurum malum fugiens, seu ad rem ingratam ac desiderio divino adversam declinandam atque avertendam impellens. Atque huc referri possunt omnia illa loca, in quibus dicitur, Deum ipsum quippiam aut fecisse, aut facere omisisse, ne fortè hoc aut illud contingeret. Hæc enim verba, *ne fortè*, cautionis sunt ab hoc affectu manantis. ipse verò hic affectus a sapientiæ ac futurorum eventuum præscientia proficiscitur; tantum abest,

Devt:32.26,27.

vid: Exod:34.12. quem conf: cum anteced: & seqq. & Num:14.13,& seqq.
Devt: 9.28 conf. cum præced.

Cap: XXXI. De Dei Desiderio, Spe, Lætitia, & horum contrariis.

tum abest, ut quicquam cum perfectione Dei pugnet. vid. Gen. 3. 22: Exod. 13. 17: 33. 3: Esai. 6. 10: 27. 3: 48. 7, 8.

Quod ad usum hujus doctrinæ attinet; primùm monemur, ut, quæ Deum per se desiderare cernimus, eadem & nos desideremus ac velimus; quibus lætatur, iis & nos lætemur; similiter & quæ illi per se sunt ingrata, ea nobis quoque sint ingrata; quæ veluti veretur ac declinat, ea nos quoque fugiamus ac declinemus. Dico autem, quæ *per se* Deus aut desiderat, aut contrà tanquam ingrata declinat. quia interdum ob hominum impietatem, ut vidimus, etiam pœnas eorum desiderat, & ne eam fortè effugiant, cavet, ac elabendi rimas illis obstruit. id quod ipsi, utpote Domino ac Rectori summo, convenit. sed nos, etsi ea tanquam justissima probare debemus, non debemus tamen illis, præsertim per se, lætari, eáve optare. cùm & aliud nos Christi spiritus, ac mandata doceant; & videamus, ipsum Christum, virosque sanctos eorum interitu valde fuisse tristatos, qui impietate sua commeruerant, ut ultimum eorum supplicium Deus desideraret, & in ipsorum perniciem veluti cum voluptate quadam incumberet: quin etiam precibus aliisque modis curasse, ut istiusmodi homines pœnas commeritas effugerent; adeò ut nonnulli unà cum illis, nonnulli pro illis perire, ac salutem suam devovere, parati fuerint. Nos enim, qui & ipsi homines sumus, & graviter in Deum peccavimus, ejusque iram provocavimus, hominum peccatorum salutem desiderare, ac, quantum in nobis est, curare, eorum contrà interitum lugere, cum pro virili avertere, & ab illis deprecari debemus: cùm sciamus, eum a Deo per se non desiderari. Sed inprimis in id, quod a nobis desiderat Deus, omni studio debemus incumbere, eaque ratione efficere, ut tum factis nostris delectetur Deus, tum salutem nostram desideret, & cum quadam lætitia nobis benefaciat. Venire nobis hîc debent in mentem illa, quæ Moses aliquando ad populum Israeliticum est proloquutus: *Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit* (vel *postulat*) *a te, nisi ut timeas Dominum tuum, ut ambules in omnibus* (sic est in Hebræo) *viis ejus, & diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua: custodiasque mandata Domini, &c. ut bene sit tibi.* similiter & illa Michææ: *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te? Utique facere judicium, & diligere misericordiam, & solicitum* (vel *humiliter*) *ambulare cum Deo tuo.* Quin & illa sacræ scripturæ loca, superiùs a nobis annotata, de sacrificiis, quibus Deus delectetur; itemque illa, in quibus

Luc: 19. 41, & d. Exod: 32. 11, & d. 30. & d. Num: 14. 13, & d. c. 16. 45. & d. Deut: 9. 18, 25, & d. 1 Sam: 15. 11, 35: 16: 1. vid Jerem: multis locis, ac inprimis Threnos. Rom: 9. 2. 3: 10. 1: 11, 14.

Deut: 10. 12, 13.

Mich: 6. 8.

De Dei Decretis.

quibus Deo pietas sacrificiis legalibus longè gratior esse affirmatur.

Præterea cum videamus, Deum hominum salutem desiderare, & ne impii quidem morte, quamdiu quidem resipiscentiæ spes aliqua superest, delectari; hinc & summam Dei benignitatem ac clementiam æstimare, & porrò ad nomen ejus celebrandum ac venerandum, ad eum amandum, ad fiduciam in eo collocandam incendi perpetuò debemus. qua de re in explicatione benignitatis divinæ plura diximus. Veruntamen, quia videmus, Deum posse nihilominus hominis interitum, si impietate sua id mereatur, desiderare, & ejus pœnis delectari; severitatem ejus metuere, & porrò eam omnibus modis declinare debemus: nec nobis immunitatem a supplicis, aut salutem, aliaque divina beneficia ex ipsius promissis polliceri, nisi conditiones, quas vel apertè, vel tacitè promissis suis adjunxit, præstemus: cùm possit illum boni, quod nobis decrevit aut promisit, conditione cessante, pœnitere. quemadmodum nec tum, cùm supplicio nostro jam imminet, penitus desperare debemus, sed quàmprimùm ad eum nos convertere, mores emendare, culpam deprecari: cum & mali decreti ipsum pœnitere possit ac soleat.

Cap: XXXII.

De Decretis Dei.

Reliquum nunc est, ut de Dei decretis agamus, quæ operibus ejus proxima sunt, & quidam ad ea veluti gradus. Itaque ultimum inter attributa divina locum, & operum explicationi proximum habent. Attributis enim divinis eatenus accenseri possunt, quatenus ipsi Deo insunt, cùm sint actiones, ut in scholis vocant, immanentes. In iis, &, qui ea antecedunt, intellectus divini actibus, Dei providentia, quatenus ea in ipso residet, revera continetur. Quòd si quis ea omnino cum ipsorum operum explicatione jungendam putet, cum eo non multùm pugnabimus. Specialium sanè decretorum explicatio, ad specialem operum divinorum tractationem pertinet, aut in ea quodammodo continetur. Sæpe enim operis ratio, decreti divini, unde profluxit, rationem satis indicat, ut nihil sit opus de eo separatim dicere. Nos hoc loco generatim de decretis divinis agemus: quamquam exemplis specialibus ad dicta nostra declaranda uti cogemur. & quia de prædestinatione, & electione ad salutem, ac contraria huic reprobatione, a quibusdam non pauca hoc loco disputantur, nos ita generalem hanc decretorum divinorum ex-

rum explicationem moderabimur, ut illi quoque decretorum generi aliquantò plus lucis accedat.

Appellantur autem decreta non uno in ſacris literis nomine. Reperias enim primùm ipſum *decretorum* nomen, aut *decernendi* verbum de Deo uſurpatum. Quanquam Decretorum nomen pro mandatis divinis nominatim ſumitur, voce generis ad ſpeciem translata. Sunt enim & mandata Dei decreta quædam de iis, quæ ab hominibus, quanquam liberè, præſtari vult Deus. Et apud Paulum quidem ea Dei mandata Decretorum nomine intelliguntur, quæ leges poſitivæ appellari ſolent, ac naturalibus opponuntur: nempe leges Moſaicæ ceremoniales, quibus & judiciariæ ſeu forenſes addi poſſunt, quæ non ideò fuerunt a Deo latæ, quia ipſa honeſti ratio illas neceſſariò exigeret; ſed quia certis de cauſſis ita ſummo rectori ac legislatori eas ferre placuit. Eſt enim apud Apoſtolũ vox δογμάτων ſeu placitorum, ut alibi jam monuimus. Reperitur autem non ſemel & *Conſilii* nomen de decretis divinis uſurpatum. Licèt enim conſilium propriè ſit de re quapiam deliberatio, mediorumque ad finem propoſitum pertinentium inquiſitio: ſumitur tamen non ſemel pro eo, quod deliberatione antegreſſa decretum eſt, atque adeo ſimpliciter pro animi propoſito. Huc pertinent illa Davidis: *Conſilium Domini in æternum manet, cogitationes cordis ejus in generationem & generationem.* & illa Dei apud Eſaiam: *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*, ſeu ut eſt in Hebræo, *& omnem voluntatem meam faciam.* Et ſanè loco cap. 14. 27. ſuperiùs ex eodem Propheta annotato, ubi Latinus interpres habet *decernendi* verbum, in Hebræo eſt vox *conſulendi*: quemadmodum & proximè præcedenti verſiculo, ad quem hic reſpicit, *conſilii* vocem pro *decreto* uſurpatam, tum in Hebræo fonte, tum in Latina verſione reperias. Ita enim illic legimus: *Hoc eſt conſilium, quod cogitavi*(Hebr. *quod decretum eſt*) *ſuper omnem terram; & hæc eſt manus extenta ſuper univerſas gentes. Dominus enim exercituum decrevit*, (Hebr. *conſuluit*,) *& quis poterit infirmare?* (Hebr. *quis irritum faciet?*) *& manus ejus extenta, & quis avertet* (*vel retrahet*) *eam?* Sic & in novo Teſtamento *conſilii* vox non ſemel pro decreto uſurpatur. Dicuntur autem eadem Dei decreta cogitationes Dei, vel cogitationes cordis ejus; & nonnunquam eodem in loco conſilium Dei & cogitationes ejus inter ſe commutantur, ut vidimus in verbis Pſal. 33. paulò antè citatis: quod & alibi deprehendere licet. In Novo Teſtamento interdum vox [a] *definiendi*, quæ Græcè eſt ὁρίζειν, uſurpatur, cùm de Dei decretis eſt ſermo. Unde & [b] προορί-

Eſa: 14. 27. Act: 4. 28. 3 Reg: 8. 61. Eph: 2. 15. Col: 2. 14.

cap. 29.

Pſal: 33. 11.

Eſa: 46. 10.

vid: etiam 5. 19. 14. 26. 19. 17. Prov: 19. 21.

Luc: 7. 30: Act: 2. 23: 4. 28: 20. 27. Epheſ: 1. 11. Heb: 6. 17. Ierem: 23. 20.

Mich: 4. 12.

a Luc: 22. 22. Act: 2. 23: 10. 42: 17. 31.

De Dei Decretis.

[b] *προορίζειν* est *antè decernere* ac constituere, vel, ut interdum a Vetere interprete redditur, [c] *prædestinare*. Eodem modo & verbum [d] *προγινώσκειν* h. e. *præcognoscere*, & inde ducta vox *προγνώσεως* seu præcognitionis, nonnunquam usurpatur; quanquam interdum ejusmodi approbationem antea factam significat, quæ a *προορισμῷ* seu prædestinatione distingvatur, ut fit Rom. 8. 29. fortè & cap. 11. 2. Sic & vox [e] *προθέσεως* seu *propositi*, decretum Dei cum temporis antecessu denotare solet. Neque enim *πρόθεσις* de Deo usurpata videtur simpliciter, ut vocis natura aliàs fert, de consilio ac decreto, etiam recens, atque ut ita dicam, in arena capto, sumi, sed de eo, quod haud paulò antè constitutum sit: quemadmodum & *prædestinationis* & *præcognitionis* nomina, cum quibus ea interdum conjungitur. Sed ne alia nunc congeram vocabula, præsertim specialia, & de certis tantùm decretorum generibus usurpata; omnium fortè creberrimè *Voluntatis* vox in hac significatione occurrit. Etsi enim facultatis nomen esse videtur; tamen in sacris literis raro, aut vix uspiam pro ipsa facultate volendi solet accipi, sed pro volendi actu, seu pro eo, quod quispiam vult, ut monuimus tunc, cùm de Dei voluntate disseremus. Licèt autem voluntatis divinæ actus varii sint: siquidem omnes illi affectus, quos proximis capitibus recensuimus, actus sunt voluntatis divinæ: usus tamen obtinuit, ut illa Deus velle dicatur, quæ aliqua ratione approbat, amat, desiderat, aut denique decernit ac constituit. Et sanè in sacris literis Veteris fœderis, cùm aliquid velle dicitur Deus, in Hebræo usurpari consvevit verbum *Chaphetz*, quod desiderare, amare, & re aliqua delectari significat: ita ut licèt decernendi vim habeat, desiderandi tamen significationem non penitus amittat, sed eam potiùs includat: quanquam desiderium illud pro diversitate rei subjectæ varium est. Similiter cùm voluntatis divinæ fit mentio, vel *Chephetz*, vel *Ratzon*, quod beneplacitum significat, poni solet. Sæpiùs autem in hac significatione nomen [a] *Voluntatis*, quàm [b] *Volendi* verbum occurrit. Quanquam eo nomine valdè frequenter, non quicquid unquam decrevit decernitque Deus, intelligitur, sed illa inprimis Dei decreta, quæ ipsius præceptis ac promissis, & quæ his opponuntur, comminationibus continentur; ac omnium creberrimè ea, quæ præceptis. Quis enim nescit, [c] *Dei voluntatem facere*, quod in sacris literis Novi Fœderis non raro occurrit, esse Dei mandata exsequi, seu id facere, quod Deus fieri voluit ac præcepit? [d] Cognitio autem voluntatis divinæ latiùs extenditur, & ea omnia nonnunquam complectitur, quæ Deus sive mandatis, sive promissis su-

b Act: 4. 28.
c Rom: 8. 29, 30. 1 Cor: 2. 7. Eph: 1. 5, 11.
d Act: 2. 23. 1 Pet: 1. 2, 20.
e Rom: 8. 28: 9, 11. Eph: 1. 9, 11: 3. 11. 2 Tim: 1. 9. cap: 21.

a Psal: 103. 21. Esa: 44. 28: 46: 10: 48. 14: 53. 10. Mat: 26. 42: Ioh: 5. 30: 6. 38, 39, 40. Rom: 9. 19: 1 Cor: 1. 1. Ephes: 1. 9. Apoc: 4. 11.
b 1 Sam: 2. 25. Ps: 115. 3: Esa: 55. 11. Rom: 9. 22: Col: 1. 27: 1 Pet: 3. 17.
c Ps: 40. 9: 143. 16. Mat: 7. 21: 12. 50. Ioh: 4. 34: 7. 17: 9. 31: Heb: 10. 36: 13. 21: 1 Ioh: 2. 17.
d Act: 22. 14. Col: 1. 9.

Cap: XXXII. De Dei Decretis.

nissis suis complexus est; imò & ea, quæ ad illa sive credenda, sive exsequenda spectant.

Iam ut ad rem ipsam veniamus, Decretum sententia est a voluntate firmiter conclusa, seu pleno quodam voluntatis assensu comprobata. Habet autem in illis tantùm revera locum, quæ Deo non sunt prorsus naturalia, & omni ex parte necessaria, sed aliqua saltē ratione liberæ ipsius potestati ac voluntati subjecta. quod & vox Consilii de decretis usurpata docet. Consilium enim ne per similitudinē quidem atque analogiam dictum in iis locum habet, quæ prorsus sunt naturalia ac necessaria, sed in iis, quæ in arbitrio nostro sunt aliquo modo posita. Itaque suprà vidimus Decretorum vocem ea nominatim Dei præcepta denotare, quæ positiva sunt, & ex arbitrio divino pendent. His enim magis propriè nomen id convenit. Cæteris, quæ naturalia sunt, vel non propriè, vel non nisi eatenus, quatenus & circa illa quidam liberæ voluntatis actus cernitur. Nam & ut ferri leges naturales possent, liberum voluntatis actum intervenire oportuit, sine quo ne existere quidem creaturæ potuissent; & in modo ea proponendi aut eorum obedientiam exigendi, aliquis est libertati locus. Intelligendum enim est, actum decernendi revera esse προαίρεσιν, quam barbarè, significanter tamen, prælectionem vocant, latiniùs propositum, aut consilium: quanquam Consilii vox metonymicè huc traducitur. Nam consilium propriè dictum est proæreseos antecedens. Siquidem consilium deliberatio est, seu inquisitio mediorum ad finem aptorum. Quod autem deliberatione conclusum est, id proæresis approbat atque appetit; vel eo ipso, quòd hoc approbat atque amplectitur, illud rejicit, conclusionem facit. Nam cùm res quædam inter se veluti certant, ut videndum sit, utra fini sit accommodatior, & alteri præferenda; deliberationis est, comparationem illam instituere; proæreseos id, quod conclusum est, penitus approbare atque amplecti; vel etiam, si intellectus paritatem in utraque deprehendat, conclusionem quodammodo facere, & liberrima in alterutram partem inclinatione controversiam veluti decidere. quod cùm facit, decernit. Vbi autem à natura ita res decisa est, ut omittere eam nulla prorsus ratione possis, aut unquam potueris, nulli nec deliberationi, nec proæresi, atque adeò nec decreto locus est.

Quot autem sint decretorum divinorum genera, partim ex diversitate actuum voluntatis divinæ, partim ex varietate rerum ipsarum, sive de quibus, sive quas decernit Deus, partim ex decernendi modo potissimùm æstimandum est. Quanquam & aliæ adhuc differentiæ addi possunt, ab accidentariis quibusdam circumstantiis, sive adjun-

De Dei Decretis.

ctis petitæ, ut a temporis discrimine, itemque ab eorum, quæ decreta sunt, vel occultatione, vel patefactione. Sed tres illi primi discriminum fontes a nobis constituti, omnium sunt potissimi, & decretorum ipsorum naturam maximè attingunt.

Quod ergo ad primum discrimen attinet, quod ex diversitate actuum voluntatis divinæ pendet; voluntatis cujusvis est partim velle, seu rem objectam tanquam bonam amplecti, & eam quacunq; ratione approbare; partim nolle. Vnde decreta duplicis generis emergunt. Nonnulla enim decernuntur a Deo, ut fiant, ut creatio cœli & terræ; nonnulla ne fiant, v.g. ne ingrediantur in requiem Dei, qui non credunt. Quamquam enim arbitrari quispiam posset, inter hæc duo medios esse illos voluntatis actus, quibus Deus aliquid fieri permittit; revera tamen non sunt, sed ad posterius potissimùm decretorum genus pertinent. Velle enim aliquid permittere, est, nolle impedire, quominus id fiat, seu nolle actionem suscipere eam, quæ impedire queat vim caussarum, effectum aliquem molientium.

Heb: 3, & 4.

Quod deinde ad illam decretorum divinorum differentiam attinet, quæ ex diversitate pendet earum rerum, de quibus aliquid statuit, aut quas decernit Deus; vel de suis actionibus aliquid statuit, vel de alienis: hoc est, vel decernit, sese aliquid facturum, aut contrà *non* facturum, idque sive per seipsum, sive per alios; vel decernit, creaturas, liberè aliquid facere debere, aut non debere. Prioris generis decreta sunt, de creando, & ad certum tempus conservando ac gubernando mundo; de Christo exhibendo; de judicio ultimo administrando; de fidelibus servandis, infidelibus atque impiis sempiterna morte plectendis; atque adeò omnia, quæ Dei promissis ac comminationibus continentur. Ea enim omnia, sive per se, sive per alios exsequi statuit Deus. Posterioris generis sunt illa, quæ divinis mandatis, sive generalibus, sive specialibus, sive affirmantibus, sive negantibus explicantur. Affirmantibus enim explicatur, quid Deus ab hominibus fieri velit; negantibus, quid ab iis fieri nolit. Quanquam enim velle istud possis ad solum desiderium referre, nolle autem ad desiderii contrarium: tamen velle illud ac nolle, quod ad divina mandata pertinet, decretum divinum, quanquam non prorsus absolutum, annexum habet, aut in se includit. Ita enim Deus vult mandata sua observari, ut pœnæ illos esse obnoxios velit ac statuat, qui non observant. Permissionum hîc nullam facimus mentionem; quia, ut antea jam indicavimus, ad illum divinorum decretorum ordinem pertinent, quæ circa ipsius Dei actiones versantur. siquidem permittere aliquid, est non impedire, sive de jure ac facultate, sive de facto loquaris.

De Dei Decretis.

Quòd verò tertio loco attinet ad decernendi modum; duplex hinc decretorum discrimen oritur. primùm enim vel ſimpliciter atque abſolutè aliquid decernit Deus, vel cum conditione. Simpliciter olim decrevit Deus, mundum condere, ac gubernare. At non ſine conditione decrevit Deus homines ſervare; ſed ſi crediderint, & ita quidem crediderint, ut fidem ſuam vitæ pietate veluti animent, & in ea usque ad finem vitæ conſtanter perſeverent. Et talia quidem Dei decreta non ſemel in ſcripturis reperiuntur, quæ, ipſâ verborum formâ inſpectâ, conditionem adjunctam habent. Apud Moſen enim non pauca extant loca, ubi populo Iſraelitico tum promiſſiones divinæ, tum comminationes, præmia ac pœnæ, proponuntur; illa, ſi Dei mandatis paruerit; hæ, ſi non paruerit. vide inter alia Levit. caput [a] 26, & Deuter. [b] 11. & [c] 28, & [d] 30. Ierem. 17. 24, 27: 18. 8: 22. 4, 5. Talia fuerunt Dei decreta ac promiſſa Davidi olim ac Salomoni propoſita, de quibus in [e] libris Regum eſt legere. Sic & in Novo fœdere legimus: [f] *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* [g] *Si confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitavit a mortuis, ſalvus eris.* [h] *Si commortui ſumus*, (nempe cum Chriſto,) *& convivemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus: ſi negaverimus, & ille negabit nos.* quibus alia etiam apud [i] ſacros Novi fœderis ſcriptores ſimilia reperies. Verùm & illud, cùm de conſtantia Dei ageremus, oſtendimus, decreta Dei, ſive promiſſionibus ea contineantur, ſive comminationibus, interdum ſine conditione exprimi, quam tamen neceſſariò ſubintelligendam eſſe, tum ratio ipſa, tum eventus docet. Quandoquidem factis hominum, ad quos decreta illa pertinebant, mutatis, ipſa quoque decreta fuerunt mutata, ſeu mavis decretorum illorum effectus non fuit ſecutus. Atqui is ſequi omnino debuiſſet, ſi decreta illa prorſus fuiſſent abſoluta, nec tacitam conditionem habuiſſent adjunctam. Id enim Dei conſtantia, & in promiſſionibus fides ac juſtitia poſtulaſſet. Addi hoc loco & illud poteſt, in promiſſionibus Dei generalibus, & ſimiliter etiam in comminationibus, quæ abſolutè efferuntur, in quibus nimirum ſubjecti loco ponuntur ii, qui conditionem vel boni alicujus adipiſcendi, vel pœnæ luendæ impleant, conditionem illam ſæpè ita eſſe intelligendam, ut perſeverantiam quoq; in ſe includat Nam cùm v. g. dicitur a Iohanne: *Qui credit in Filium habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt* (vel *non obedit*) *Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum:* aut a Paulo: *qui talia* (nempe opera carnis) *faciunt, regnum Dei non conſequentur:* utrobique perſeveran-

a Lev: 26, 3, 14, 18, 21, 23, 27.
b Deut: 11. 13, 22, 27, 28: c. 28. 1, 2, 9, 13, 15, 58:
d. 30. 1, 10, 17.
vid: etiam 1 Sam: 12. 14, 15, 25.
2 Par: 15. 2: 30. 9.
Eſa: 1. 19.
e 3 Reg: 3. 14; 6. 12. 8. 25.
f Rom: 8. 13.
g Rom: 10. 9.
h 2 Tim, 2. 11, 12.
i Luc: 13. 3, 5, 9. Rom: 8. 17: 11. 12, 23: Gal: 5. 18. Heb: 3. 14. 1 Ioh: 1. 7, 9. 3. 21, 22.

Ioh: 3. 36.

Gal: 5. 21.

De Dei Decretis.

severantia includitur. Scimus enim, eum demum, qui ad finem usque in fide perseveraverit, salvum fore, qui verò fidem deseruerit, periturum: & contrà eum, qui pristina peccata ejuraverit, eorum veniam, regnumq; adeò cœleste consequuturum esse. Id quod observandum est propter ea decreta aut promissa, quæ a nonnullis nimis laxè atque absolutè sumuntur. ut cùm dicitur, oves Christi non perituras in æternum. Intelligitur enim, si ipsius oves esse perseveraverint. quòd si desierint esse Christi oves, id quod in earum arbitrio est situm; cum Deus illis vim non faciat, nec invitas ad obsequium cogat; perire non tantùm possunt, sed & certò perituræ sunt. Habent autem hujusmodi decreta vim conditionatorum, non modò quòd perseverantiæ conditionem tacitè habent inclusam; sed etiam ideò, quia res illa, in qua perseverantia ista cerni debet, conditio revera est. Itaq; decreta hujusmodi, licèt absolutè elata, in conditionata resolvi facilè possunt. Si enim loco subjecti, absolutè posueris illarum personarum genus, quæ certa quadam qualitate aut actione nunc sunt definitæ; descriptio illarum, conditionis loco apponenda erit. ut si in verbis ex Iohannis cap. 3. citatis, loco eorum, qui credunt in Dei filium, aut non credunt, homines posueris; credere aut non credere in Dei filium, conditionis loco apponendum erit, sub qua vel vita eos maneat, vel vitæ sempiternæ jactura, æternaque Dei ira. Perinde enim est, ac si dictum esset: Quivis hominum, si in Filium Dei, & quidem usque ad finem, crediderit, habebit vitam æternam; quivis verò hominum, si non crediderit, in eaque incredulitate perseveraverit, vitam non videbit, sed ira Dei super ipsum manebit.

Mat: 10. 22: 24 13. Heb: 10. 36, & d. Ioh: 10. 28.

Est autem discrimen hoc decretorum divinorum, de quo hucusque disseruimus, nō exigui momenti. Etenim hinc fit, ut quædam Dei decreta necessariò ad exitum perducantur, quædam non necessariò. Absoluta enim Dei decreta semper ac necessariò ad exitum perducuntur, ita constantiâ Dei, ut suprà jam monuimus, postulante. Et de his loquuntur illa sacræ scripturæ loca, in quibus asseritur, Deum, quicquid vult, facere, seu ad exitum perducere. inter quæ sunt illa Psaltæ inprimis: *Deus noster in cœlo: omnia, quæcunque voluit, fecit*, h. e. quæcunque vult, aut voluerit, facit: de quibus verbis alibi jam diximus. Sic & illa Dei, superiùs jam ex Esaia citata: *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*, vel, *& omnem voluntatem meam faciam*. & illa ex eodem Propheta adducta: *Dominus exercituum decrevit* (seu *consuluit*,) *& quis poterit infirmare?* (seu *quis irritum faciet?*) quin & illa Apostoli, licèt per modum objectionis cujusdam ab eo prolata: *Voluntati ejus quis resistet?* At illa Dei decreta, quæ conditionem aliquam habent annexam, & ad quorum exsequutionem Deus liberum volun-

Psal: 115. 3. (Latin: 113. 11.) Esa: 46. 10. cap: 14, 27. Rom: 9, 19.

atis nostræ actum vult intervenire, non semper ad exitum perducuntur; imò interdum in contrarium vertuntur. Hinc legimus apud Lucam cap. 7. *Pharisæos & Legisperitos consilium Dei sprevisse, vel irritum fecisse* (est enim in Græco ἠθέτησαν) *in semetipsos*, quia nimirum baptizari a Iohanne noluerint. Voluit enim Deus eos ad esse per Iohannem convertere, & porrò peccatis ipsorum deletis ad regnum cœleste per Christum perducere. sed quia baptizari a Iohanne, & hoc pacto doctrinæ ipsius initiari noluerunt, irritum hoc Dei consilium, quod ad ipsos attinebat, fecerunt. Sic tum apud eundem scriptorem, tum apud Matthæum, ait Christus, urbem Hierosolymitanam alloquens, & constantem Dei, in incolumitate ac salute ejus quærenda, voluntatem ac studium explicans: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* quibus alia quoque non pauca in sacris literis occurrunt similia. e quibus sunt & illa, quæ suprà jam adduximus de Constantia Dei agentes. Ostensum enim est, Deum, quæ hominibus promittit, aut comminatur, moribus eorum mutatis, revocare; quin precibus interdum solis in mitiorem sententiam flecti. Vnde pœnitentiam ipsi non semel in sacris literis tribui superiori capite vidimus. His addi possunt illa Dei apud Mosen de populo Israelitico: *Non intrabitis in terram, super quam levavi manum meam,* (h. e. juravi) *ut habitare vos facerem* (addit Hebræus codex *in ea,*) *præter Caleb filium Iephonæ, & Iosue filium* Nun. Licèt enim promissio illa juramento confirmata, de Israëlitis in terram Chananęā introducendis, non videatur per se illis ipsis Israëlitarum personis adstricta fuisse, quas Deus terram illam non ingressuras in his verbis asserit; sed Israelitis absolutè seu generatim consideratis: satis tamen, tum ex his verbis, tum ex tota illa populi ex Ægypto educti historia apparet, voluisse Deum in his ipsis Israelitis promissionis ac juraměti sui fidem implere. præsertim quia tempus certum ei rei constitutum a Deo jàm olim fuerat; quod etsi laxiùs accipi posset, tamen jam tum Deo visum est advenisse aut appetere, cùm per Mosen populum ex Ægypto curaret educi. Interea tamen satis apparet, nō ita strictè id fuisse accipiendum, uti nec verba ipsa postulant, quominus posset Deus rem, ob ingratitudinem ac contumaciam populi, aliquò usque differre, & quod populo generatim promiserat, illis præstare, qui eo beneficio minùs essent indigni. Idem de aliis non paucis Dei decretis statuendum est; & inter alia de illo, quo Paulum *ex utero matris segregasse* dicitur, nempe ad Evange-

Luc: 7. 30.
Luc: 13. 34.
Mat: 23. 36.
Num: 14. 30.
Gen: 15. 16.
Gal: 1. 15. conf. ℣ 16.

De Dei Decretis.

Evangelium, & quidem inter Gentes extraneas prædicandum. quibus non absimilia de Ieremia legimus, quem, ut initio Prophetiæ ipsius videre est, Deus ita allocutus scribitur: *Priusquam te formarem in utero, novi te:* (h. e. ad munus propheticum obeundum te destinavi:) *& antequam exires de vulva, sanctificavi te, & Prophetam in Gentibus dedi te.* Nam cum Paulus ipsemet asserat, ideò tantam se misericordiam consequutum esse, ut, licèt antea blasphemus, & persequutor, & contumeliosus fuisset, tamen a Christo fuerit ad ministerium, hoc est, Apostolatus functionem adhibitus, *quia ignorans ista fecerit in incredulitate:* facilè intelligi potest, si ista tam gravia peccata sciens prudens, contraque animi conscientiam admisisset, eum misericordiam istam non fuisse consequuturum. Et profectò indignissimus fuisset, non tantùm tam præstanti tamque eximio munere, sed etiam omni venia; utpote qui Spiritum sanctum blasphemasse dicendus esset. Ex quo porrò consequitur, istud Dei decretum, de eo ad tam sanctum munus adhibendo, quod ab utero matris de ipso factum fuerat, omnino conditionem tacitam habuisse annexam, nempe, nisi se omni venia, ac porrò tam sancto munere planè indignum redderet. quod quidem fecisset, si veritati agnitę contumaciter reluctatus fuisset, & in gravibus peccatis contra animi sui judicium perseverasset, ac nefarium cum Christo, majestatem illi suam patefaciente, bellum gerere perrexisset. Istiusmodi enim conditione nihil est æquius, nihil rectitudini ac sanctitati divinæ magis consentaneum; adeo quidem, ut eâ salvâ prætermitti non potuisse videatur; nisi dicere velis, Deum decreto suo voluntatis arbitrium Paulo hac in parte eripere constituisse, ita, ut ne posset quidem sciens prudens ista facere. quod ipsum, ne alia nunc commemorem, verbis ipsius paulò antè citatis minimè est consentaneum. Non enim ideo misericordiam fuisset consecutus, quia ista ignorans fecerit in incredulitate, sed ideo potiùs ista ignorans tantùm, non verò sciens fecisset, quia tantâ illum Deus misericordiâ immutabiliter decrevisset prosequi. Adde, quòd non obscurè significat Paulus, eatenus sibi eam rem ad misericordiam tantorumque peccatorum veniam profuisse, quatenus id culpæ gravitatem aliquo modo minuerit. Minùs enim gravia censentur, & porrò etiam faciliùs condonantur, quæ ignorantes, quàm quæ scientes perpetramus, etiamsi tandem ne ignorantia quidem omni prorsus culpâ vacet. Talia enim facta non necessariò sunt veræ malitiæ animo conceptæ, nedum extremæ aut deploratæ, effecta atque documenta. Fieri enim

Ierem: 1. 5. vid: Ioh: Maldonatum in hunc locum.

1 Tim: 1. 12, 13.

potest, ut,

De Dei Decretis.

potest, ut, si is, qui ignorans aliquid deliquit, rem probè scivisset, id minimè fuisset facturus, virtutis amore ipsum revocante. id quod in verbis illis tacitè de se significat Paulus, & cætera ipsius facta satis ostendunt. At si ne potuisset quidem sciens prudens ista committere, resque ea necessitatis fuisset, voluntatis autem liberæ nullo modo; nihil id ad culpam minuendam fecisset. Quî enim constat, si potuisset id sciens prudens facere, quid fuisset facturus? quî constat, eum tam improbum futurum non fuisse, ut etiam sciens prudens tantum nefas in se admitteret? Quare statuendum potiùs est, decreto, quod de Paulo ad Apostolatus officium adhibendo, jam multò antè a Deo factum fuerat, illam, quam diximus, conditionem fuisse appositam. Similiter & de illo decreto statuendum est, quod Deus de Prophetico munere Ieremiæ committendo, antequam is nasceretur, se fecisse testatur. Atque hoc ad alia quoque similia Dei decreta transferri potest, etiamsi ea absoluta esse videantur. Memoriâ enim hîc id repetendum est. quod suprà alicubi commemoravimus, solere non rarò absolutè proferri ea, quæ tacitam habent annexam conditionem, quando plus quàm verisimile est, eam conditionem exstituram, etiamsi tandem non sit prorsus necessaria, sed ex libero eorum, ad quos decreta illa quoquo modo respiciunt, arbitrio aliqua ratione pendeant. Quantò autem magis verisimile est eam exstituram, tantò minùs eam exprimere est necesse.

Vt igitur ea, quæ de discrimine illa decretorum absolutorum & conditionatorum dicere cœperamus, persequamur; priora illa ad exitum semper deducuntur, & irrita nullo modo fieri possunt: cum in Deum nec inconstantia cadat, quæ voluntatem mutare, nec virium imbecillitas, quę voluntatis effectum impedire posset. At posteriora non necessariò ad exitum perducuntur; quia cessare potest conditio illis apposita, quam Deus ex creaturarum arbitrio pendere voluit. Quòd ergo cessat decretorum effectus, id non ex Dei parte, sed ex creaturis proficiscitur. Ex Dei enim parte decreta rata sunt ac firma. Nō dicimus autem, decreta conditionata ad exitum non perduci; sed non perduci necessariò, nisi tum, cùm conditio impleta fuerit. Tunc enim in absoluta migrant, aut ex conditionatis absoluta nascuntur. Conditionata enim, impletâ conditione, fiunt absoluta. Quanquam & hîc discrimen aliquod animadverti potest inter decreta Dei promittentia & comminantia, seu mavis inter ipsas promissiones & minas. Nam promissiones quidem, ut alibi jam docuimus, conditione impletâ ad exitum sem-

De Dei Decretis.

tum semper ac necessariò perducuntur, quia jus alteri largiuntur; sed comminationes vel non semper, vel non eodem prorsus modo. migrant quidem & comminationes conditionatæ in absolutas; sed interdum ratione potiùs juris, quod is, qui minatur, ad pœnam alteri infligendam habeat, quàm ratione actûs. Quamvis enim de actu ipso puniendi comminationes videantur loqui: tamen non rarò juris ipsius potissimùm habetur ratio. Cum videamus etiam post impletam conditionem, pœnæ remissioni aut relaxationi locum esse. Hoc modo accipienda est illa Dei comminatio primo homini proposita: *In quocunque die comederis ex eo*, (ligno nimirum scientiæ boni & mali,) *morte morieris*; præsertim si de morte sempiterna mystico eam sensu accipias, ad quem Paulus Rom. 5. respicit. Nam & post impletam hujus decreti conditionem, habuit Deus jus pœnam decretam condonandi, & sic comminationem istam vel remittendi penitus, vel relaxandi. Auctor certè libri Sapientiæ affirmat, Sapientiam Protoplastum *custodivisse & eduxisse a delicto suo*. quod quid est aliud, quàm Adamum sapientiæ beneficio delicti sui pœnam, in illa Dei comminatione propositam, effugisse. Quod idem videntur omnes Christiani agnoscere, qui fidem ac pietatem illi eam tribuunt, qua interveniente homines a Deo justificantur. Comminatio ergo illa Dei, magis de jure, quod ad mortem Adamo infligendam habiturus sit, loquitur, quàm de ipso actu mortem inferendi. Vnde patet, jus potiùs absolutum ex conditione impleta nasci: actum autem non protinus necessariò sequi, sed adhuc ex arbitrio Dei pendere: quanquam ita, ut, nisi ex parte creaturarum aliquid interveniat, quod effectum decretorum istiusmodi veluti inhibeat, ut resipiscentia, deprecatio, vel illius, quem comminatio stringit, vel saltem aliorum, etiam ad exitum comminationes istiusmodi semper perducantur.

Gen: 2. 17.

Cap: 10. 1.

11 Antequam autem ab hac decretorum divinorum distinctione ad cæteras transeamus; aliquid adhuc addendum est de ultima decretorum divinorum perfectione, &, ut ita dicam, ἀκμῇ, quæ tum demùm locum habet, cùm ea jam jam sunt ad exitum perducenda, atque adeò jam perducuntur; quæ proinde locum habet tantùm in decretis absolutis, sive illa nullam unquam conditionem habuerint additam, sive conditio jam sit præstita. Tunc enim, ut diximus, decreta Dei conditionata in absoluta migrant, aut ea ex se pariunt. Cùm ergo iam tempus eorum implendorum adest, tũ ut ea fiant, Deus ita rem apud se decernit, ut vim simul eam adhibeat at-

libeat atque exſerat, quâ ad ea perficienda eſt opus. Hoc non incommodè fortaſſe, peremtorium Dei decretum dicere poſſis, quod moram jam ampliùs nullam patiatur. Atque hic divinæ voluntatis actus, quem effectus protinus ſequitur, non ſemel verbum, aut ſermo Dei, aut etiam mandatum ejus appellatur, ductâ metaphorâ ab hominibus potentibus, qui cùm per miniſtros ſuos decreta ſua ferè exſequantur, jubendo, quæ volunt, obtinent, ut jam ſuprà diximus, de potentia Dei loquentes. Non dicimus autē, Verbum aut Sermonem Dei, aut Mandatum, ſemper hoc modo accipi. Quis enim neſcit, verbum aut ſermonem Dei pro doctrina ab ipſo profecta, & mandata pro præceptis ac legibus ab eo propoſitis, ſumi ſolere? Sed non ſemel his nominibus, aut verbis, dicendi vel jubendi ſignificationem habentibus, ultimum hunc voluntatis divinæ, operi jam imminentis aut incumbentis actum, &, ut ita dicam, impetum ſignificari, ſuprà dicto loco demonſtravimus. Teſtimoniis autem illic citatis poſſunt addi & iſta e Pſalmis: *Miſit* (Deus) *verbum ſuum, & ſanavit eos,* (nempe Iſraelitas) *& eripuit eos de interitionibus* (vel *foveis*) *eorum.* Vbi quidem *mittere verbum ſuum*, nil eſſe aliud viri doctiſſimi animadverterunt, quàm mandare. Mandavit autem illa omnino volendo, ac vim efficaciamque ſimul adhibendo. Eodem modo & illa in iiſdem Pſalmis accipienda ſunt: *Emittit* (vel ſimpliciter *mittit*, nempe Deus) *eloquium ſuum terræ, velociter currit ſermo ejus.* q. d. celerrimè id fit, quod Deus jubet, ac fieri omnino vult. & rurſus: *Emittet verbum ſuū, & liquefaciet ea.* h. e. ſolo juſſu, ſeu efficaci voluntatis decreto, liquefacit nivem, pruinam, glaciem, de quibus paulò antè fuerat loquutus. Interdum autem, non quidem peremtorius hic tantùm atque efficaciſſimus divinæ voluntatis actus, ſermonis divini nomine ſignificari videtur; ſed decretum tamen ejusmodi, cui hic tandem actus, tanquam perfectio quædam accedat. In quam ſententiam videtur accipiendus nobilis ille D. Auctoris Epiſtolæ ad Hebræos locus, cùm ait: *Vivus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior* (ſeu *penetrantior*) *omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad diviſionem* (ſic eſt in Græco) *animæ & ſpiritûs, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis; & non eſt ulla creatura inviſibilis* (ſeu *non manifeſta*) *in conſpectu ejus; omnia autem nuda & aperta oculis ejus, ad quem nobis eſt ſermo,* (ſeu *de quo nobis eſt ſermo.*) Loquutus enim fuerat eò usq; divinus Auctor de illo Dei decreto, quo ſtatuerit, & quidem juramento addito, non ingreſſuros incredulos ac rebelles in requiem

cap:22.

Pſal: 107. 20.

Pſal: 147. 15.

ib: ℣ 18.

Heb: 4. 12, 13.

De Dei Decretis.

ejus; Israelitas quidem olim in terram Palæstinam; nunc verò tum eosdem, tum alios, in terram illam novam ac beatam, in qua justitia habitat. Metuendum ergo hoc Dei decretum juramento confirmatum docet. Dei enim verbum non intermori, atque ab eo revocari, sed vivere: non vi atque effectu suo carere, sed efficax esse, ob adjunctam Dei potentiam; non falli etiam aut errare, sive in exsequendo, sive in judicando, ob adjunctam Dei sapientiam; cum nec tam occultum sit quicquam in homine, ad quod non penetret, sive vim & efficaciam, sive cognitionem respicias; nec ulla prorsus res sit, quæ ejus notitiam effugere queat. Nam per prosopopœiam ex metonymia ortam, tribuuntur quædam Dei decreto, quæ Deo, decreta sua ex sequenti, propriè conveniunt.

Sed jam tempus est, ut alterum quoque discrimen, quod ex decernendi modo ac forma nasci diximus, addamus. Id verò est, quòd alia Dei decreta, licèt de eadem fortè re facta, sint generalia, alia specialia aut singularia. Generale est, Omnis qui credit in Dei filium, habet, seu certò habiturus est vitam æternam. Specialia sunt, de Apostolis v.g. atq; adeò de singulis hominibus, qui jam credunt, ac in fide perseverant, vitâ æternâ donandis. Quanquam hoc discrimen etiam ex diversitate subjectorum aliqua ratione pendet, de quibus Deus aliquid decernit. Generalis enim decreti subjectum generale est, specialis speciale aut singulare. Sunt autem hæc decreta ita inter se connexa, ut ex generalibus necessariò consequantur specialia, sive simpliciter, si illa sint absoluta; sive præstitâ conditione, si eam habuerint annexam. Discrimen autem inter illa est non exiguum. Nam præter subjectorum diversitatem accedit & illa, quòd in iis decretis, ad quorum exsequutionem necesse est conditionem aliquam in creaturarum arbitrio positam accedere, generalia quidem decreta possunt esse absoluta, antequam conditio impleatur; at singularia decreta sub illis quodammodo comprehensa, non item. Nam postquam v. g. Deus decrevit, omnes in Christum credentes vitâ æterna donare; semper atque absolutè id ratum fuit, etiam antequam quisquam esset, qui in Christum crederet. At Petrum aut Paulum nominatim vi hujus decreti salvum fore, simpliciter atque absolutè verum non fuit, antequam illi in Christum crederent: sed sub hac tantùm conditione, si in Christum, & quidem constanter crediderint. Ut autem hoc discrimen inter decreta divina agnoscatur, non parùm refert; præsertim cùm de ratione agitur, quâ Deus homines vel æternæ saluti destinarit, aut destinet, vel contrà interitui sempiterno addi-

De Dei Decretis.

lo addixerit, aut addicat. Etenim generale decretum, quale jam diximus, uti & speciale sub conditione factum, libertatem hominibus relinquit, conditionem propositam vel implendi, vel non implendi. At si decretum absolutum de singulis nominatim sit factum, antequam ii conditionem propositam impleverint, nullus ampliùs ei libertati locus relinquitur, sed necessitas singulis imponitur conditionem propositam, si modò conditio ampliùs nominanda est, implendi. Vnde ii, qui statuunt, Deum jam ab omni æternitate de singulis hominibus nominatim servandis absolutum fecisse decretum, eum similiter decrevisse putāt, ut iidem necessariò crederent. siquidem neminem ad salutem sine fide perducere, immutabili itidem decreto sanxit. Et hoc quidem aliquantò esset tolerabilius, si in æternæ tantùm salutis ratione illa regnare statueretur necessitas. Verùm illius dogmatis auctores etiam in re contraria idem statuerunt, ut nimirum sibi usquequaque consentirent. quandoquidem volunt, Deum certos etiam homines, & longè quidem plures cæteris, æterno exitio nominatim atque absolutè destinasse, antequam quicquam mali fecissent. Vnde porrò consequitur, cùm neminem Deus, nisi peccato atque impietate sua commeritum æterno interitui subjicere decreverit, Deum illis etiam necessitatem peccandi atque impiè vivendi imposuisse. Quæ absurda illi penitùs evitant, qui generale quidem de credentibus servandis, non credentibus autem æternùm puniendis decretum, ante mundum conditum, adeoque ante ipsam fidem & incredulitatem hominum, simpliciter factum esse statuunt: specialia autem de his aut illis, sive servandis, sive damnandis, tum demum absolutè fieri censent, postquam illi vel constanter crediderint, vel in incredulitate perseveraverint.

Postquam illas decretorum divinorum differentias persequuti sumus, quæ naturam eorum propiùs attingunt; aliquid etiam de cæteris addamus, quæ ex circumstantiis externis atque adventitiis pendent, & aliquem in rebus testimoniisve sacris usum habent. Earum autem duas suprà memoravimus, quarum prior ex temporis differentia petitur. Etsi enim vulgò arbitrentur, decreta Dei temporis differentiam non admittere, sed omnia ab æterno facta esse: tamen ne ea nunc repetamus, quæ hinc inde sunt a nobis dicta, ad hanc sententiam refutandam pertinentia; id solum ad eam convellendam sufficeret, quòd sacræ literæ ad ostendendam singularem, vel rerum, vel personarum quarundam præstātiam, aut Dei erga has charitatem, aut deniq; insignem nonnullarum

De Dei Decretis.

a Ephes: 1. 4: & d. 2 Tim: 1. 9. add. 1 Cor: 2. 7. b Ioh: 17. 24. conf: & ℣ 5. 1 Pet: 1: 20.

larum rerum certitudinem, commemorant, de iis Deum jam olim, & quidem ante conditum mundum, decreta fecisse. ut tum [a] de salute nostra sempiterna, tum [b] de Christo salutis nostræ duce, & gloria ipsi destinata legimus. At hujusmodi argumentum nullum esset, si id omnibus prorsus Dei decretis esset commune. Quod enim commune omnibus est, nullam peculiarem unius præ altero præstantiam demonstrat. Sed præterea id quoque ejus sententiæ falsitatem manifestè docet, quòd multa Dei decreta de iisdem subjectis facta, uti & affectus, ex quibus ea manant, sibi invicem adversentur, & unum ab altero tollatur. Aliud enim ab amore manat, aliud ab odio; illud a gratia atque misericordia, hoc ab ira; illud ad felicitatem hominis spectat, hoc ejus pœnam atque interitum postulat. Vnde suprà vidimus, Deum dici pœnitere eorum, quæ de hominibus certis decreverit, ac sententias a se latas, & apertè etiam promulgatas, mutatis hominum moribus, aut aliis quibusdam rebus intervenientibus revocare. Non ergo eodem tempore omnia in Deo existunt, adeóque nec ab omni æternitate simul extitere. Quare possumus ita Dei decreta distingvere, ut alia dicantur a Deo ante conditum mundum esse facta, ut de mundo ipso condendo, conservando, regendo, decretum de salute *nobis* per Christum offerenda, & reipsa præstanda; & si quæ his sunt conjuncta: alia post conditum mundum, diversis iterum temporum articulis, prout rerum ipsarum ratio, aut præstantia postulare visa fuit. Sed his differentiis persequendis non immorabimur. Illud tantùm discrimen ex temporis ratione petitum hîc explicabimus, quamquam paucis, quod in decretis cernitur de eadem re factis, atque ita inter se nexis, ut unum ex altero quodammodo fluat. Illud autem est, quòd aliud Dei decretum dicatur antecedens, aliud consequens: quam distinctionem vulgò Theologi tradunt, cùm de voluntate divina agunt, præsertim ea, quæ ad salutis nostræ rationem spectat. Reverà autem ad Dei decreta pertinet. Nam voluntas illa, ad quam distinctio hæc adhibetur, non ipsa volendi facultas est, sed ejus actus, & actus quidem ille potissimùm, qui decretum propriè appellatur. Quanquam haud negaverimus, hanc distinctionem etiam affectibus illis accommodari posse, qui vel decreta illa pariunt, vel ad eorum exsequutionem requiruntur; nec tantùm posse, verùm etiam debere. Habet autem hæc distinctio in illis tantùm decretis locum, ad quorum effectum necesse est actum aliquem creaturæ accedere. qualia sunt decreta de salute aut exitio hominum sempiterno. Antecedens e-

lens enim Dei voluntas sive decretum illud est, quod actum illum creaturæ liberum, ad exsecutionem decreti pertinentem antecedit; consequens, quod eundem consequitur. Antecedere autem potest decretum vel generale, vel speciale aut singulare. Et singulare quidem semper habet conditionem annexam. Generale autem potest etiam esse absolutū: quanquam conditionati vim habere debet. Generale decretum in salutis nostræ negotio est: Omnis, qui crediderit, servabitur: Omnis, qui non crediderit, condemnabitur. quæ decreta quomodo conditionatorum vim habeant, superiùs est explicatum. Speciale decretum antecedens est, Petrus, aut Paulus, si crediderit, servabitur: contrà, si non crediderit, condemnabitur. At consequens decretum est: Petrus, vel Paulus, quia credidit, servabitur: Pilatus v.g. quia non credidit, condemnabitur. Inter quæ decreta, quantum intersit, & quantus nihilominus sit nexus, quivis facilè cernit. Ex antecedente enim decreto necessariò fluit consequens, postquam conditio fuerit impleta. Itaque ex eo, quòd Deus decrevit, ut omnis credens servetur, necessariò sequitur, Paulum quoque, quia credidit, servatum iri. Eadem ratio est & decreti speciatim de Paulo servando sub eadem conditione facti. Ex quo etiam intelligitur, ex qua caussa pendet antecedens decretum, ex eadem pendere & consequens; quāquam non ex ea sola; sed ex illa quidem, tanquam causâ primâ, ex conditione autem impleta, tanquam caussâ mediâ, sive secundâ. Omnis enim conditio, cùm præstita est, fit causa impulsiva decreti absoluti, & porrò etiam effectûs ex eo manantis. Quanquam interim caussæ illius diversa est ratio in promissis, & in comminationibus; in præmiis, & pœnis, pœnis, inquam, justis, quales sunt divinæ. Nam conditio præstita bonum promissum non semper meretur: imò nostra opera præmia a Deo nobis destinata merentur nunquam: mala pœnam semper merentur. Illud denique repetendum, & aliquantò pluribus explicandum, quòd antecedens decretum vel prorsus sit conditionatum, vel conditionati vim habeat: at consequens decretum, quia præstitam conditionem sequitur, semper sit, aliqua saltem ratione, absolutum. Dico autem, *aliqua saltem ratione*; quia duobus modis dici potest, præstitam esse conditionem in decreto positam. Prior imperfectior est; posterior perfectior. Ille est, si ad certum tantùm tempus conditio sit præstita, nec præstari adhuc desierit, verùm constantia adhuc ac perseverantia in ea præstanda requiratur, qua cessante, cesset & decretum consequens, ejusque effectus. Hic verò est, si conditio

De Dei Decretis.

penitus sit præstita atque absoluta, ita ut nihil ampliùs in posterum relinquatur præstandum. Si priori modo præstita sit conditio nondum penitus absolutum est decretum, prout nec conditio: si posteriori modo; penitus absolutum est. Rationem enim, qua impletur conditio antecedenti decreto annexa, sequitur ratio decreti consequentis: ita ut si illa penitus sit absoluta, & hoc penitus sit absolutum; si nondum, & hoc nondum penitus sit absolutum, sed aliqua ex parte ex futura conditione pendeat. Itaque quamdiu illi v. g. qui in Christum revera credunt, adhuc vivunt, nondum penitus absolutum est speciale Dei de illis servandis decretum. quia perseverantia in fide usque ad mortem requiritur; quâ cessante, cessat Dei de suprema illorum felicitate decretum. qua de re vide, quæ ipse de se Paulus scribat, tum in Epistola priori ad Corinthios [a], tum in ea, quæ ad Philippenses [b] extat. At cùm illi in fide obdormierunt, fide, inquam, bonis operibus animata, jam in tuto est eorum salus, jam extra omnem dubitationis aut mutationis aleam est posita, decreto Dei planè absoluto illorum felicitatem firmante.

[a] Cap: 9. 26.
[b] c. 3. 11, & d. Cap: 2.

Hæc si observentur, & cum duabus proximè præcedentibus decretorum divinorum differentiis conjungantur; intelligetur *discrimen* inter prædestinationem hominum ad salutem, & electionem, illam nimirum, quæ firmior est ac perfectior, & non nisi verè in Christum credentibus ac piè viventibus convenit. Prædestinatio enim, ut & ipsa vox quodammodò indicat, fidem ac pietatem hominũ antecessit, electio eam demum consequitur; atq; adeò illa ante conditum mũdum facta est, hæc variis fit temporibus, prout & ipsi homines non eodem tempore credunt ac piè vivunt. Ad illam nullis hominum non tantùm meritis, sed ne ullis quidem operibus, impulsus fuit Deus; ad hanc non quidem meritis operum, sed operibus tamen ex fide manantibus impellitur. Illa generatim tantùm ab æterno fuit a Deo facta, electionis decretum de unoquoque pio fit nominatim; quanquam ex singularibus his decretis iterum universale quoddam colligitur. Illud decretum conditionati vim habuit: hoc absolutum est, prout conditio vel penitus est præstita, vel nondum. Electio enim hæc incipit, simul atq; quis fidem suam pietate vera perficere atque animare incipit; sed non nisi vitâ universâ cum pietate exactâ, penitus absolvitur. *Itaque* fide aut pietate intra metam illam extremam cessante, aut in ipso fortè portu naufragium faciente, cessat & electio; non cessante interim, nec ulla ratione mutatâ prædestinatione. *Denique* electio

lectio ex prædestinatione, posita conditione, quam illa postulavit, necessariò consequitur: ita ut Electio sit veluti conclusio, ex majore propositione, quam prædestinatio ponit, & minore, quam præbet hominum fides ac pietas, deducta. Prædestinationis enim decretum est: Omnem credentem servatum iri. Quòd autem Paulus v. g. credat, assumtio est. Vnde conclusio sequitur, Paulum servatum iri: quod quamdiu in decreto consistit, electio est, quæ ustificationem in se complectitur; cùm ad effectum perducitur, glorificatio est. Majorem, ut diximus, sola Dei proponit gratia: minorem Dei gratia, & hominum voluntas ac probitas, per illam excitata, illiq; subserviens. Quare & cõclusio. Sed hæc obiter quodammodo, quanquam non absque necessitate a nobis dicta sunt.

Restat altera, quam suprà posuimus, decretorum divinorum distinctio, ex accidentaria quadam eorum qualitate petita. Ea est, quòd decreta Dei vel occulta sint, vel aliis, ac nominatim hominibus, patefacta. quam distinctionem, ut alibi jam monuimus, Scholastici ita efferunt, ut decretum occultum voluntatem beneplaciti appellent; patefactum, voluntatem signi. Vtuntur autem, præsertim nonnulli, hac distinctione illic inprimis, ubi id, quod Deus verbo suo, alióve signo externo declaravit, cum eo pugnare videtur, quod intra se revera vult. qua de re suo loco jam diximus, & paulò inferiùs nonnihil dicemus. Verùm latiùs hæc distinctio extendi potest, & aliis etiam Dei decretis, quorum alia patefacta sunt, alia a Deo celantur, vel nunc occulta, nunc manifesta, accommodari. Sunt autem decreta quædam Dei, ipsis etiam angelis, licèt apud Deum in cœlo degentibus, & faciem ejus videntibus, occulta, aut aliquando fuerunt. Nam & rationem salutis nostræ a Deo ante secula constitutam, vocationemq; Gentium non satis ante Evangelii prædicationem patuisse angelis, liquet ex iis, quæ leguntur Eph. 3. ubi ait Apostolus, sibi *datam hanc esse gratiam, in Gentibus evangelizare investigabiles* (seu *impervestigabiles*) *divitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti* (Gr. *quæ sit communio mysterii*, h. e. quanta ejus mysterii sit amplitudo, tanta nimirum, ut omnibus terræ nationibus sit commune,) *absconditi a seculis in Deo, qui omnia creavit* (additur in Græco *per IesumChristum,*) *ut innotescat (nunc) principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei, secundùm præfinitionem seculorum*, h. e. multis antè seculis factam. Vnde idem Apostolus, de mysterio pietatis, seu religionis Christianæ loquens, ait, *Deum visum esse angelis*, intellige ratione hujus mysterii,

cap: 28. (beside "Scholastici ita efferunt")

ỳ 8, 9, 10. (beside "liquet ex iis")

1 Tim: 3, 16. (beside "anæ loquens")

De Dei Decretis.

mysterii, seu voluntatis antea absconditæ: ad quod mysterium vulgata interpretatio Latina, & Syriaca versio verba hæc manifestè referunt. Sic & in Apocalypsi legimus, librum illum scriptum intùs & foris, signatumque sigillis septem, qui fuerit in dextra sedentis super thronum, *neminem potuiße neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire, neque respicere* (vel *inspicere*) *illum*. Manifestum autem est, per librum illum significari recondita Dei de rebus futuris decreta, quæ postea in eadem Apocalypsi sub certis imaginibus, & signorum verborumque involucris proponuntur, ut cuivis patebit ea legenti, quæ porrò in eodem & sequenti capite de apertione sigillorum ejus libri scribuntur.

Apoc: 5. 3.

Verùm in hac distinctione decretorum Dei, maximè hominum habenda est ratio, quibus vel patefecerit Deus decreta sua, vel non patefecerit. Est autem hæc differentia ita comparata, ut non tantùm in diversis Dei decretis cernatur, verùm etiam in iisdem, sed diverso tempore. Nam eadem Dei decreta, quæ aliquando occulta fuerant, & hominibus haud patefacta, postea illis patefiunt; ut quidem factum videmus in decreto de [a] salute humani generis; tum nominatim in decreto [b] de Gentibus extraneis *ad* communionem sempiternæ felicitatis vocandis. Ut taceam, etiam respectu diversorum hominum, idem Dei decretum, & occultum, & patefactum dici posse: quia his id aperuerit Deus, illis non aperuerit. Sic olim patefecit Deus multa Israelitis, quæ Gentibus non promulgavit. Dicuntur autem decreta Dei, quæ aliquando fuerunt a Deo occultata, & humano ingenio absque revelatione divina investigari ac cognosci non possunt, *mysteria*, seu secreta. Quanquam & res ipsæ a Deo constitutæ, sed hominibus occultæ, & doctrinæ, quibus illæ postmodum a divinis viris explicantur, mysteria appellantur. Sic universa salutis nostræ ratio a Deo constituta, sic vocatio Gentium, sic [c] fidelium in adventu Christi superfuturorum, sine morte interveniente transmutatio a Deo decreta, & sententiæ de istis rebus propositæ, mysteria in sacris literis dicuntur. Solet autem Deus ideo quædam, licèt multo antè decreta occultare, quę tamen aliquando hominibus revelare constituit, ne omnibus protinus patefacta evilescant, & pretium dignitatemque suam quodammodo perdant; tantoque manifestiùs appareat, quantopere Deus illos amet, quibus consilia illa sua patefecerit, quæ per tot secula celarit. Quædam autem sunt, quæ nũquam patefacit Deus, antequam ad exitum perducat, vel obscurioribus

a Rom: 16. 25,26. 1 Cor: 2. 7,& d. Eph: 1. 9. conf: cũ antec. & seqq. 2 Tim: 1. 9,10. Tit: 1. 2.
b Act: 10,& 11. Ephes: 3. 5, & d. add Col: 1. 26,& d.

vid: 1 d. Rom: 16. 1 Cor: 2. Eph: 1. & 3, & Col: 1.
c 1 Cor: 15. 51.

oribus tantùm indiciis significat, quorum vis nonnisi illis pellucet, qui oculos habent ad res divinas, & ad occultiora providentiæ divinæ vestigia legenda ac perscrutanda semper intentos. Et de hoc quidem utroque decretorum genere accipi possunt illa Prov. 25. *Gloria Dei est celare verbum*, si modò ibi *verbum* pro re, quam Deus ipse constituit, sumatur, ut verba præ se ferunt. Tantò enim illustriora postmodum apparent Dei opera, jam antè ab eo decreta, tantoque efficaciùs sapientiæ ac potentiæ divinæ radios, quibus circumfulgent, hominum oculis immittunt, quantò fuerant inopinatiora. Verùm alia multa decreta sua Deus hominibus aperit, & maximè ea, sine quibus obsequium ipsi debitum præstari nequit. Hæc enim partim hominum mentibus insculpsit, partim peculiari ratione diversis temporum articulis, per quosdam veluti gradus ab imis ad summa ascendens, hominibus revelavit: donec tandem per Christum ejusque mysterium, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt reconditi, ad illud fastigium rem perduxit, ad quod mortalibus aditus patet: neq; jam ampliùs nobiscum tanquam cum servis agit, (hi enim nesciunt, quid ipsorum agat dominus) sed tanquam cum filiis atque amicis. siquidem universum de felicitate nostra sempiterna consilium nobis aperuit. Verùm & alia decreta sua non pauca, tum olim per Prophetas, tum postea per Christum ejusque servos hominibus patefecit: quorum etiam præcipua, & scitu magis necessaria in sacris literis descripta habemus: quanquam non omnia æquè clarè; prout nec omnium intelligentia nobis est æquè necessaria. Olim quidem, cùm Prophetiæ donum in populo Israëlitico vigeret, tum alia, de quibus consulebatur Deus, tum generatim omnia solebat per Prophetas patefacere, quæ ad populum universum spectarent, & de quibus eum præmoneri, salutis ipsius non parùm interesset. ut cùm pœnam illi vellet inducere, præsertim graviorem, quam resipiscentia interveniente posset effugere: de quo rerum a Deo decretarum genere loquitur Amos, dum ait: *Non faciet Dominus verbum*, (h. e. quicquam, seu rem ullam) *nisi revelaverit decretum suum ad servos suos Prophetas*. Cæteroquin innumera sunt Dei de his aut illis hominibus aut rebus decreta, (tot enim sunt, quot ipsa Dei facta) quæ Deus nec olim Prophetis, nec cuiquam mortalium hodie aperit. utpote quorum cognitio nec angustiâ mentium nostrarum capi potest; nec si posset, foret necessaria; imò sæpè ne utilis quidem: ne dicam, eam interdum vel nostro in pietate profectui, vel ipsis divinis consiliis obstituram, quæ nisi occulta es-

[Margin notes: ¶ 1. (beside Prov. 25); Col: 2. 3. (beside "avit: donec tandem per Christum"); Ioh: 15. 15. (beside "pliùs nobiscum"); Amos 3. 7. (beside "a Deo decretarum")]

De Dei Decretis.

culta essent, eo ipso irrita fieri possent. quas duas ob caussas Deus ultimi judicii tempus nobis esse vult occultum, ut in id semper intenti, pietatem studio non interrupto colamus, eaque ratione ad decretorium illum diem perpetuò nos comparemus, seu mavis parati simus; cæteros autem, qui impietate delectantur, dies ille securos inveniat, ac nihil tale opinantes opprimat. Satis est nobis de re ipsa constare, etiamsi temporis articulum ignoremus. & sufficere nobis debet, tum promissa Dei, uti & minas, tum mandata nobis esse proposita, ut sciamus, quid in universa vita sequi, quid fugere debeamus, quid item a Deo sperandum nobis sit, quid metuendum. Hoc enim pacto *omnia nobis* (ut Petrus ait) *a divina potentia donata sunt, quæcunque ad vitam & pietatem pertinent, per cognitionem ejus, qui vocavit nos per gloriam & virtutem; per quæ maxima & pretiosa nobis promissa donavit* (vel *donata sunt.*) *ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ, fugientes ejus* (vel *ubi effugerimus eam*) *quæ in mundo est concupiscentiæ* (Gr. *in concupiscentia* seu per concupiscentiam) *corruptionem*. Itaque cogitandum nobis est illud Mosis ad Israëlitas: *Abscondita, Domino Deo nostro: quæ manifesta* (Hebr. *& revelata sunt*) *nobis & filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus universa verba Legis hujus.*

Quantopere autem illi fallantur, qui decreta Dei revelata, quæ illi voluntatem signi appellant, interdum pugnare censent cum occultis, quæ voluntatem beneplaciti vocant, jam antè, cùm de sinceritate divina ageremus, docuimus. Contradictionem certè id dogma involvit. Nam vel id, quod voluntatem signi appellant, revera vult Deus; vel non vult. Si vult; contradictoria & se mutuò perimentia simul vult, v. g. Judam, cui unà cum aliis Apostolis gratiam suam obtulerit, æternùm servari, & non servari: quorum illud voluntate signi, hoc voluntate beneplaciti velle censetur. Si non vult; quomodo voluntas appellatur? Voluntas enim erit, & non erit.

Mirari autem hoc loco & illos cogimur, qui cùm tantam decretorum divinorum varietatem, quantam hucusque vidimus, vel cernant, vel cernere haud difficulter possint, statuere tamen non verentur, decreta Dei esse ipsam Dei essentiam, atque adeò, cùm illa eadem numero sit, omnia Dei decreta reipsa idem esse. Qui quidem, si vim hujus dogmatis spectes, rationem decretorum divinorum penitus ignorare, imò ne seipsos quidem intelligere, meritò dici queunt. cùm non uno modo contradictionem hac sententia sua involvant. Nam quid aliud est Dei decretum, quàm

quàm voluntatis, ipsiúsque adeò essentię divinę effectus quidam? Quòd si Dei decreta sunt ipsa Dei essentia; essentia Dei, ipséque adeò Deus, erit effectus sui ipsius; seipso naturâ prior, & posterior. Præterea essentia Dei non necessariò, sed contingenter existet: siquidem decretum omne liberæ voluntatis effectus est. liberæ autem voluntatis effectus non est, qui prorsus necessariò existit, sed qui contingenter. Quòd si quis de omnibus Dei decretis id agnoscere nolit, necesse tamen est, ut de quibusdam agnoscat, quæ ex voluntatis ipsius beneplacito atque arbitrio manasse in sacris literis dicuntur; ut sunt ea, quæ de salute nostra facta sunt. Satis autem ad hanc absurditatem evincendam vel unum decretum esset: cùm illi de omnibus in universum sentiant, ea ipsam Dei essentiam esse; & ratio, quâ ad id ostendendum utuntur, ex simplicitate Dei ducta, in omnibus æquè valeat. Adde, quòd decreta divina in ipsa ratione seu essentia sua includant respectum ad extra, ut loquuntur, seu ad creaturam aliquam. At essentia Dei absoluta est, nullum ad creaturas respectum in sese, seu in ratione sua comprehendens. Aliàs tam necessariò existerent creaturæ, atq; ipse Deus; adeoq; necesse fuisset, illas unà cum Deo ab omni æternitate existere. quod nil esset aliud, quàm creaturas non esse creaturas. Præterea natura Dei una est: decreta Dei infinita. Adhæc, decreta quædam, de eodem subjecto, quanquam diverso tempore facta, inter se pugnant, & unum tollit alterum: cum alterum v.g. pœnam, alterum impunitatem ejusdem, sive hominis, sive populi, alterum felicitatem, alterum infelicitatem atque interitum sanciat, quemadmodum suprà apertissimis sacrarum literarum testimoniis demonstravimus. Taceo, quòd decreta executioni jam penitus mandata, decreta esse desinunt: ut decreta de mundo condendo, de diluvio orbi inducendo; Israelitis ex Ægypto educendis; Christo in mundum mittendo, morti tradendo, exaltando. Dei autem essentia desinere nulla potest ratione. Sed dices: si decreta Dei non sunt ipsa Dei essentia; accidentia erunt. Nefas autem sit, accidens in Deo statuere. Compositus enim fuerit Deus ex essentia & accidente. si compositus, ab alio erit compositus. sic non a seipso, non ab æterno extiterit: sic Deus non fuerit Deus. Præterea si decreta Dei sunt varia, si alia aliis succedunt, & quidem prioribus nonnunquam contraria; Deus erit mutabilis. Absit autem, ut Deum mutabilem statuamus. cùm ipse met testetur, Deum se esse, non hominem, & non mutari. quasi dicat, Deum se non fore, si mutaretur. Hæc quantam vim habeant, bre-

De Dei Decretis.

De Dei Decretis.

ant, breviter videamus. Primùm unde liquet, nefas esse, accidens ullum Deo tribuere? Quid enim? num sacræ literæ id prohibent, & quidem tam apertè, ut religio id sit vel cogitare? Ubi, quæso, ejus rei vel levissimum extat indicium, ubi vestigium? Imò verò qui talia, qualia nos decreta Dei esse volumus, accidentia in Deum cadere posse negat, is, si vim sententiæ spectes, eum esse Deum negat. quandoquidem liberam illi voluntatem, ac porrò imperium quoque, ob quod inprimis Deus dicitur, eripit. Si enim liberâ Deus voluntate præditus est, potest aliquid apud se statuere, quod poterat etiam non statuere. Actus ergo ille decernendi in ipso existens accidens erit. siquidem accidens id omne est, quod ita alicui inest, ut possit etiam abesse citra subjecti corruptionem. Adde, quòd, cùm certa Dei decreta inter se contraria esse videamus, necesse est, ut Dei essentiam secum ipsa pugnantem constituant, & id, quod nos facere falsò existimant, ipsi faciant, h. e. Deum revera mutabilem, imò quovis homine, qui ad certum aliquod tempus naturam suam retinet eandem, mutabiliorem statuant. ne cætera, quæ paulò antè recensuimus, absurda nunc repetamus. Non cadunt quidem in Deum accidentia ejus generis, qualia in creaturas multa cadunt. Novas enim facultates non acquirit, nedum ut eas recipere possit qualitates, quæ ad imminuendam ipsius naturam summamque perfectionem spectare queant, quales creaturis etiam invitis accidunt multæ. Sed actus tamen liberæ voluntatis varios in ipsum ita cadere, ut ab eo possint abesse, & porrò etiam ab ejus natura atque essentia differant, tam ab omni absurditate abest, quàm abest, eum voluntate libera esse præditum. At compositus erit Deus. Qui verò? Compositus, inquiunt, erit ex essentia & accidentibus. Quid? num subjectum accidentis, ex seipso & accidente suo componitur? Homo quidem compositus est; at non ideò, quia præter essentiam suam etiam accidentia habeat: sed quia partibus tum essentialibus, tum integrantibus constat. Ex eo enim tantùm componitur quippiam, ex quo tanquam parte quadam, sive essentiali, sive integrali constat. At nemo ex suo accidente constat. Aliàs enim id non ampliùs foret accidens. Accidens enim est, quod inest non ut pars, & potest ab eo, cui inest, abesse, ut habet Philosophi definitio. Quisque non nisi ex sua constat essentia. Hæc eum absolvit integra integrum. Quòd si quid præter essentiam eum constitueret; jam id ipsum essentiale ipsi foret; ac porrò simul & essentiale, & non essentiale. Dices fortè, etsi Deus simpliciter sumtus non sit hac ratione fu-

ſone futurus compoſitus; compoſitum tamen fore aliquod, ex Deo, & illius, ſive uno, ſive pluribus accidentibus. ut *homo albus* compoſitum quoddam eſt ex homine abſolutè ſumto, ſeu ex natura hominis, & albedine, quod unum per accidens appellare ſolent. Sic ergo, inquies, & Deus hoc vel illud decernens, erit compoſitum quippiam, ex Deo ſimpliciter ſumto, & decernendi actu. At ſi in eo quippiam eſt abſurdi; nega, Deum eſſe creatorem; nega, patrem noſtrum eſſe; nega, pios amare, impios odiſſe; & ſi quæ ſunt ſimilia. Niſi enim dicere velis, idem eſſe, Deum eſſe, & creare, pios amare, impios odiſſe, cogeris hujusmodi ex Deo & actu creandi, itemque ex eodem Deo & paterno erga nos affectu, odioq; impiorum compoſitum agnoſcere. Itaq; qui tam frivola urgent, vel ea, quæ minimè ſunt frivola, ſed in ſacris literis teſtatiſſima, & totius religionis ac pietatis fundamenta, ſubvertunt; vel verborum ſono ſeipſos magis, quàm alios, terrent falluntque. Concidit jam ſponte ſua id, quod tam infirmo fundamento ſuperſtruitur: Omne compoſitum ab alio componi. Deum ergo ab alio compoſitum; ac porrò non a ſeipſo, non ab æterno extitiſſe, concedendum fore. Deum enim compoſitum eſſe, oſtenſum non eſt. Hujusmodi autem, ſi ita appellare libet, compoſitum ex ſubjecto & accidente, non ſemper aliud componens requirit. cùm ſubjectum libera voluntate præditum, & ſive novas qualitates, ut in hominibus accidit, acquirens, ſive varia apud ſe decernens, variisque operibus incumbens, ſibi ipſi accidentia adjungat; & ſic hic inter ſe & accidentia compoſitioni ipſummet ſufficiat. Et quidem præter liberam Dei voluntatem nulla alia ſuperior requiritur efficiens, quæ faciat, ut Deus hæc aut illa apud ſeſe decernat; ipſamet ex ſeſe veluti fœcunda eſt ad parienda hujusmodi decreta.

Ad ſecundam objectionem quod attinet; mutabilitas illa a Deo abeſt, quæ vel imperfectionem aliquam naturæ, vel inconſtantiam levitatemque voluntatis argueret. Et de hac poſteriori quidem vel ſolùm, vel potiſſimùm loquitur ſcriptura, cùm Deum mutari negat. Eam autem a Deo abeſſe, etiamſi quædam nunc decernat, quæ antea non decreverat, imò quorum contraria antè decreverat, ſatis oſtendimus, cùm de conſtantia divina ageremus. Et ſanè, ſi omnes agnoſcimus, Deum fœdus, quod olim per Moſen ſanxerat, novo percuſſo antiquaſſe, ac leges ceremoniales, quas per eundem tulerat, & quarum transgreſſionem ſeverè etiam ultus fuerat, per Chriſtum abrogaſſe, extraneos populos, quos

De Dei Decretis. olim a societate fœderis excluserat, nunc ad eam benignissimè invitasse; agnoscere etiam cogimur, nihil ejusmodi vel decretorum, vel actionum divinarum varietatem ac mutationem constantiæ divinæ detrahere, ac Deo minimè indignam esse. Quin potiùs liberrimæ hæc mutatio & voluntatis, & potestatis est; adde & sapientiæ, quæ rebus mutatis ita consilia mutet, ut ea illarum rationi attemperet. Nisi talis in Deo mutatio admittatur, frustrà aut iratum placas, aut cùm non irascitur, offendere metuis: siquidem nec iratus placari, nec mitis ac placidus irritari possit. Omnis ergo precum vis, omnis religio divinique numinis metus hoc pacto tolletur. Quod verò ad alteram illam mutabilitatem attinet, quæ imperfectionem aliquam naturæ divinæ argueret; eam ne Deo hac ratione tribuamus, minimè verendum est. Siquidem omnis ea, de qua loquimur, varietas ac mutatio in actibus tantùm versatur liberæ voluntatis. Qualitates enim facultatesque, ut jam antea diximus, nec novas acquirit, nec quas naturaliter habuit, unquam perdit, sed quid dico perdit? ne minimam quidem earum mutationem sentit, aut sensurus est unquam. Omnes, non minùs quàm ipse, æternæ sunt atque invariabiles; eædemque ad beatitudinem summam, atque ad omnem actionum perfectionem sufficientissimæ.

His ad eum modum explicatis, pauca de usu doctrinæ hujus addemus, qui quidem in universa religionis ratione latissimè patet. Omnia enim, quæ ad religionis naturam constituendam maximè pertinent, decretis divinis vel penitus nituntur, vel aliquam saltem ab illis vim accipiunt. Ad religionem enim præcepta inprimis & promissa, hisque oppositæ comminationes pertinent. Præcepta autem, si ceremonialia sint, qualia Mosaica fuerunt plurima, non nisi a decreto divino robur, hominesque obligandi vim accipiunt. Si ad morum honestatem pietatemque vitæ suâ naturâ pertineant; per se quidem nos obligant, sed majorem inde vim capiunt, quòd Deus ea ita a nobis decrevit exigere, ut nisi ea observemus, non modò felicitate suprema nos velit excludere, sed & gravissimas nobis pœnas infligere. Promissa verò, præsertim tanta, unde nisi a Dei decretis? Ex his omnis eorum vis, omnis eorum certitudo pendet. Unde Paulus inprimis, cùm felicitatem nostram explicat, ejusque certitudinem nobis ostendit, *divina decreta*, quibus ea nobis sit destinata, diligenter inculcat; *ut præter alia loca præcipuè in Epist. ad Romanos & ad Ephesios videre est.* Similiter & comminationum vis decreto nititur. Quicquid vel ipsi

Rom. 8. 28, & d. Ephes. 1. 4, & d.

Cap: XXXII. De Dei Decretis.

el ipsi Christo, vel nobis per ipsum contigit, id totum decretis ivinis jam olim factis imputandum est. Imò nihil planè a Deo it, aut fieri potest, quin aliquod in ipso decretum ea de re antece-lat, quanquam non semper longè antecedit, sed multa cum ipsis actis ita sunt connexa, ut simul cogitentur ac fiant, & non tam empore, quàm naturæ ordine, ut caussæ effectum, antecedant. Jeque enim omnium ea est vel ratio, vel dignitas, ut longum emporis antecessum vel ferant, vel postulent. Itaque non mi-um est, decretorum divinorum in universa Theologia creberri-nam fieri mentionem. cùm iis sublatis omnia Dei opera, omnem eligionem concidere sit necesse. Ea verò, quæ de variis decre-orum divinorum generibus sunt a nobis dicta, quem in sacra heologia usum habeant, ex ipsis dictis nostris haud difficulter otest intelligi, siquidem exempla, quibus ea illustravimus, ex acris literis petita, satis, quis distinctionum illarum sit usus, u-umquemque monere possunt.

Illud ergo superest, ut, cùm universam Christi religionem im-notis Dei decretis superstructam, iisque tum præcepta sancita, um promissa ac comminationes stabilitas esse videamus; promis-is indubitatam fidem adhibeamus; minas pertimescamus; ac por-ò præceptis pareamus, & ne latum quidem ungvem ab illis un-quam discedere audeamus. Siquidem quod ad promissa attinet, quæ non nisi sub conditione observationis mandatorum facta unt, quàm constanti atque immutabili Dei decreto nitantur, tum aliunde, tum ex Auctore Epist. ad Hebr. suprà docuimus, qui ait, Deum *abundantiùs volentem ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuisse jusjurandum: ut per duas res immobiles, quibus* (Gr. *in quibus*) *impossibile est mentiri Deum, fortissimum* (Gr. *validum*) *solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem* (seu *ingredientem*) *usque ad interiora velaminis*, (h. e. in ipsum cœlum) *ubi præcursor pro nobis introivit Iesus, secundùm ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum.* Heb: 6. 17. & d.
Contrà etiam comminationes divinæ, incredulis atque impiè viventibus per Christum propositæ, de illis a cœlesti hæreditate excludendis, immutabili decreto jam olim sunt sancitæ, & perinde ac promissa, juramento confirmatæ. Nam ut in eadem ad Hebræos Epistola docetur, ex qua verba divini spiritus modò repetivimus, Deus juravit, homines incredulos non ingressuros in requiem suam, olim quidem in terrenam, nunc verò eos, qui per cap: 3. & 4. Psal: 95. 11.

Christum

De Dei Decretis. Christum ad vitam æternam fuerant invitati, in cælestem. Quare, ut divinus spiritus ibidē monet, *festinemus ingredi in illam requiē: ut ne in id ipsum quis incidat incredulitatis exemplum;* (vel ut Græca habent, *ne in eodem quis cadat inobedientiæ exemplo.) Vivus enim est Dei sermo & efficax.* Vtut autem Deus differre videatur ea, quæ decrevit, nos tamen de fide nihil remittamus. Etenim *non mentietur,* ut inquit Propheta: *si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso,* (vel ut cum Græcis interpretibus habet D. Auctor ad Hebræos, *si subtraxerit se, non placebit animæ meæ in eo:) justus autem in fide sua vivet.* [a] *Nos autem non sumus subtractionis* [*filii*] *in perditionem: sed fidei in acquisitionem animæ.* Hac porrò fide nixi, Dei Christique *mandatum servemus sine macula, irreprehensibiles, usque ad adventum Domini nostri Iesu Christi, quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens, Rex regum, & Dominus dominantium; qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest: cui honor & imperium sempiternum. Amen.*

Heb: 4. 11, 12.

Hab: 2. 3, 4.

Heb: 10. 38.

a ib. ℣ 39.

1 Tim: 6. 14, 15, 16.



Liber ſecundus
DE DEI OPERIBUS.

CAPUT I.
De Creatione.

HActenus de Dei attributis, quibus natura ejus continetur, ea fuêre dicta, quibus lectoris animus ad ea rectiùs intelligenda præpararetur, quæ poſtmodum de ſingulis Dei operibus, quantùm quidem ad ipſum religioſè colendum pertinet, explicaturi ſumus: quippe in quibus ſumma Dei & potentia, & ſapientia, & poteſtas,& juſtitia, veritasq; maximè elucet,nec non tota voluntatis ipſius ratio clariſſimè cernitur.

Omnia porrò Dei opera his duobus generalibus quaſi capitibus continentur, nimirum tum rerum omnium creatione; tum divinâ providentiâ. Ac de creatione quidem diſputaturis, utile eſt,de voce nonnihil dicere. Verbum igitur Creare [a] interdum rem,quę non erat antea, formare ſeu efficere, [b] interdum verò jam formatam inſtaurare atque reficere ſignificat. Vtriusque autem ſignificationis exempla paſſim apud divinos ſcriptores reperiuntur: de quibus nos priorem hoc loco amplectimur, ſtatimque ad rei ipſius explicationem aggredientes, creationem in duo genera diſtribuimus: quorum alterum ſuperiores; alterum inferiores naturas complectitur. Ac ſuperiores quidem illæ ſunt, quæ in ſupremo cælo, quod Dei ipſius ſedes in ſacris literis dicitur, habitant: veluti ſunt Angeli. Inferiores autem ſunt, cælum hoc aſpectabile, terráque, & quæcunque horum ambitu continentur.

a Gen: 1. & alibi paſſim.
b Pſal: 51. 12. Eſa: 43. 7. & 65. 17,18. Eph: 2. 10: & 3. 9: & 4. 23. Col: 3. 9. Iacob: 1. 18. Apoc: 3. 4.

Pſal: 11. 5: 10. 3, 19. Eſa: 66. 1. Mat: 6. 34.

CAP: II.
De creatione Angelorum.

IAm ut ad Angelorum creationem propiùs accedamus, primò quæri poteſt, num illi in rebus creatis numerandi ſint. Deinde ſi hoc conſtet, quando, & quales eos Deus, & in quem finem condiderit.

Angelos igitur a Deo creatos eſſe, ex eo primùm oſtendi po-

Cap: II. de creatione Angelorum. teſt, quòd D. Auctor Epiſt: ad Hebr. de iis citat illa Pſalmi verba: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignis flammam;* & ad eadem ſub ipſum capitis finem oculum referens, ait, eos eſſe *miniſtrantes ſpiritus, qui emittantur ad miniſterium.* Nam etſi in ipſo Pſalmo, ſi verborum ſenſum ex contextu cum cæteris æſtimes, de ventis atq; fulminibus, aut igne cæleſti, qualis ille fuit, quo Sodoma & cæteræ urbes finitimæ fuerunt hauſtæ, ſermo eſſe videtur; ut pote quos Deus ad decreta ſua exſequenda veluti emittat, & quibus miniſtrorum inſtar utatur: apertè tamen cernimus, D. Auctorem ad Angelos cæleſtes ea verba referre. Eum enim ſenſum non modò per ſe ſumta verba facilè ferunt, ſed etiam quodammodo poſtulant; præſertim ſi Græcam veteris Teſtamenti verſionem ſequaris, quæ inter Iudæos tum temporis paſſim recepta erat, & quâ in citandis teſtimoniis, tum hic, tum cæteri N. Teſtamenti ſcriptores plerumq; utuntur. eſtq; valde credibile, hanc verborum iſtorum ſententiam, quam Divinus Auctor ſequitur, vulgò quoq; inter Iudæos receptam fuiſſe. Siquidem & vocis Angelorum, frequentior in ſacris literis uſus, & articulus ei in Græco præfixus, & eius collocatio, eam ſubjecti locum obtinere, & de Angelis κατ' ἐξοχὴν ſic dictis accipiendam eſſe, ſuadet. Patet ergo ex hoc loco, ita a D. Auctore citato, Deum Angelos ſpiritus effeciſſe, & flammæ ignis ſimiles; iisq; agilitatem, celeritatem, ſubtilitatem, ac vim quidvis penetrandi dediſſe. Hæc verò dari a Deo non potuiſſent, niſi ipſam eorum naturam condidiſſet.

Pſal: 104. 4. Hebr: 1. 7.

2. ratio. Deinde ſi Angeli a cauſa aliqua efficiente externa fuerunt producti, a Deo productos fuiſſe neceſſe eſt. Etenim ſi hujusmodi cauſæ vi extiterunt, conſequens omnino eſt, eos certo demum tempore ab ea fuiſſe productos. ſiquidem iſtius generis cauſæ, non poſſunt non effectum ſuum tempore antecedere. Cauſam porrò iſtam liberrimo præditam arbitrio fuiſſe ſtatuendum eſt: cum alioqui nulla poſſit reddi ratio, cur hoc tempore, & non alio, ſive antè, ſive pòſt, eos produxerit: niſi fortè in cauſis progreſſum in infinitum, qui ſeipſum evertit, ponere velis. Huiusmodi autem cauſa, quæ liberrimè rem quampiam produxit, dominium abſolutum in opus ſuum habet. Qui verò tantam habet in Angelos poteſtatem, Deus eſt, ut ex iis, quæ de Deo diſputata ſunt, intelligi poteſt. Sed unde mihi conſtabit, inquies, angelos a cauſa efficiente externa productos fuiſſe? Inde, quòd alioquin id, quod abſurdiſſimum eſſe mox docebimus, ſtatuendum tibi fuerit, nempe Angelos, non ſecùs atq; ipſe

Cap: II. de creatione Angelorum.

ipse Deus, a seipsis, & quidem ab omni æternitate extitisse. Nam certo demum tempore exoriri, & ex non entibus entia fieri, sine causa efficiente externa non potuerunt. Illud verò, quod diximus, absurdissimũ esse non una ratione probatur. Primò enim hinc consequeretur, eos naturâ suâ fuisse liberos, & Deo minimè subjectos; ac porrò Deum iis, non nisi precario jure, seu ipsis ita volentibus imperare; si modò ullius imperio subjici possunt, qui a nemine prorsus dependent. quin etiam sequeretur, antequam ii sese Deo subjicerent, infinito tempore (nam ante quodlibet tempus finitum effluxit infinitum) eos nemini paruisse, fuisseq; inter entia seu substantias divinissimas maximam ἀναρχίαν. Præterea si angeli, non secùs ac Deus, per semetipsos extitissent, ac porrò vitam, intelligentiam, viresq; naturales ex semetipsis habuissent, nulla posset reddi ratio, cur Deo non sint per omnia æquales. Causa enim hujus diversitatis atq; inæqualitatis ne cogitari quidem potest, secùs quàm si ii a Deo censeantur producti. Deniq; sequeretur, eos immortalitatem ex seipsis habere. Vnde enim vim habuerunt infinito tempore vivendi, inde immortalitatem? Atqui immortalitatem ex semetipsis non habent. alioqui dici non posset, Deum solum habere immortalitatem, quemadmodum Apostolus affirmat. Id enim eatenus de Deo dicitur, quatenus solus a semetipso immortalitatem habet, cæteri omnes ab ipso. Et hæc ratio vel sola ad rem totam decidendam sufficeret. 1. Tim. 6. 16

Angelos verò, ut ex veteribus Ecclesiæ doctoribus non pauci censuerunt, ante mundi hujus fabricationem fuisse a Deo conditos, inde primùm colligitur, quòd Moses, qui mundi fabricationem diligentissimè descripsit, non videatur creationem angelorum prætermissurus fuisse. Nam quòd aliqui ajunt, creationem angelorum creatione lucis contineri, id vix refutari meretur. Nam præterquam quòd Angeli Lucis nomine nuspiam intelliguntur; apertè ait Moses, lucem illam a Deo vocatam esse diem, & tenebras ei oppositas, noctem. Deinde cum videamus, statim post mundi creationem, diaboli instinctu seductum in paradiso hominem; non est credibile, illum intra tam breve tempus, & a Deo productum, & cum tanto angelorum exercitu prolapsum fuisse, seq; adversus Deum adeò contumaciter gessisse, & tantas tamq; impias adversus ipsum inimicitias suscepisse.

Iam ut, quales angelos ipsorum naturæ ratione Deus condiderit, videamus; ex divinis literis constat, eos naturâ suâ spiritus

esse, divinus ille auctor epistolæ ad Hebr. uti vidimus, testificatur. Huc accedit, quòd eosdem tum immortalitate, tum ob id ipsum Dei filiorum nomine tituloq; decorari comperimus. Quia enim quispiam propter similitudinem, quæ illi cum Deo sit, Dei filius appellari solet, nullaq; re, si ad naturam respectum habeas, Deo quispiam similior esse potest, quàm immortalitate; consequens est, angelos, qui tales a Deo conditi sunt, ejusdem filios meritò appellari. Quanquam interim ejusmodi est eorum immortalitas, ut, si Deus vellet, eosdem perdere posset. Quidquid enim Deus condidit, idem quoq; destruere, si velit, potest. Istud etiam ad naturam eorum, quam in creatione acceperunt, pertinet, quòd liberam iis voluntatem seu arbitrium indiderit Deus; quemadmodum sequenti capite docebitur.

Luc: 20. 36. Iob: 1. 6: 2: 1. Psal: 89. 7.

Postremò in quem finem angeli creati sint, ipsum Angelorum nomen satis superq; declarare videtur, quippe quod nuncii, sive ad rem quampiam expediendam missi, significationem habet. Mittuntur autem divinitùs, vel ad illos, quos Deus charos habet, custodiendos beneficiisq; cumulandos; aut quippiam illis Dei nomine annunciandum; vel ad eos, qui Deo propter scelerum impuritatem odio sunt, affligendos, debitoq; supplicio afficiendos. Utriusq; autem hujus rei exempla passim apud sacros autores reperire promptissimum est.

Cap. III.

De statu Angelorum.

Sequitur ut de angelorum statu dicamus, eumq; tum ad illorum creationem, tum ad ordinis dignitatem respectu habito, consideremus. Ac primùm quidem satis patet, eos & bonos, seu malitiæ omnis expertes, & felices fuisse conditos: verùm ita, ut tam in integritate sua persistere, atq; hoc pacto felicitatem suam tueri, quàm ab illa desciscere, & hac porrò excidere possent; cum, ut suprà jam monuimus, libero voluntatis arbitrio essent præditi. Hujusmodi autem voluntatis libertate eos fuisse præditos, inde perspicitur, quòd non solùm plurimi de illis peccati pœnas jam dederunt graves; sed graviores etiam aliquando daturi sunt. Quæ quidem res nullum locum haberet, cum Deus justissimus sit, si angeli libero voluntatis arbitrio destituerentur. Quid enim iniquius, Deoq; sanctissimo indignius esse posset, quàm ideo quempiam supplicio afficere,

cere,quòd vel eo sese obstrinxerit facinore,cujus vitãdi nullam potestatem habuit;vel ea non præstiterit,quæ præstare in ipsius manu nequaquam fuit? Credibile autem est, Deum cælestibus istis creaturis certas præscripsisse leges, ex quibus statum actionesq; suas componerent; ut nimirum sese in omnes absolutissimum habere imperium ostenderet. Factum autem est detestandâ quorundam angelorum superbiâ atq; contumaciâ, ut cum sese robore potentiaq; plurimũm valere sentirent, Dei imperium per summum contemptum detrectaverint, obliti quantam illius beneficio adepti essent felicitatem; & ideo justissimo Dei judicio ex amplissimo illo atque florentissimo statu dejecti,ad æternam perditionem designati fuerint. Hinc Iudas, suum principium eos non retinuisse, sed suum domicilium reliquisse, ideoq; ad magni diei judicium, æternis vinculis sub tenebris asservari asserit. Qua de re infrà loco commodiore plura nobis dicenda erunt. Nunc enim ad illum angelorum statum veniendum est, qui ordinis eorum dignitate continetur. Intelligendum igitur est,certos esse tam bonorum, quàm malorum angelorum gradus. Ad illos enim quod attinet, videmus tum apud Iudam, tum apud Danielem vatem, Michaëlem Archangelum, & unum de angelorum principibus nuncupari. Quid, quòd alibi eorum & throni, & dominatus, & principatus, & potestates enumerando percensentur. Hos etiam, nimirum malos angelos, gradibus quibusdam distinctos esse inde constat, quòd in divinis literis & dæmoniorum principem, & imperia, & potestates, & principatus, commemorari, & cæteros omnes Diaboli angelos appellari videmus.

Iud: ℣ 6.
Lib: 3. c. 16.
Iud: ℣ 9.
Dan: 10. 13.
Eph: 1. 21.
Col: 1. 16.
Matth: 9. 34. & 12. 24.
Col: 2. 15.
Ephes: 6. 12.
Matth: 25. 14.
Apocal: 12. 7, 9.

Cap. IV.

De Creaturis inferioribus, & primùm de mundi creati materia.

IAm ut ad inferiores naturas accedamus, quarum nomine, ut suprà diximus, cælum aspectabile, terramq; & omnia horum ambitu comprehensa intelligimus; unde, & quo pacto eæ conditæ a Deo fuerint, hoc loco considerandum existimamus. Primò igitur de materia dicendum est, de qua contrariæ in speciem sententiæ, sed revera eædem, in duobus apocryphis, ut vocant, libris extant. Nam lib. 2. Machab. cap. 7. 28. legimus, Deum cælum & terram, & omnia, quæ in eis sunt, hominumq; genus, *ex nihilo* fecisse. Auctor tamen

tamen libri Sapientiæ cap. 11. 18. asserit, Deum *ex informi materia* omnia creasse. Posterior locus prioris est explicatio. Ideo enim Deus *ex nihilo* omnia fecisse dicitur, quia ea creârit ex materia informi, hoc est, ejusmodi, quæ nec actu, nec naturali aliqua potentia seu inclinatione id fuerit, quod postea ex ea fuit formatum; ita ut, nisi vis quædam infinita accessisset, nunquam quicquam ex ea fuisset exiturum. Quam ad rem pertinet illa Scholasticorum distinctio, qui *nihilum* aliud faciunt privativum, aliud negativum. Privativum appellant materiam formâ eâ carentem, quæ in eam est introducenda. Negativum illud dicunt, quod nihil prorsus est. Priori ergo modo mundus, in illo l. 2. Mach. loco, factus ex nihilo dicitur, quod vel ex eo apparet, quòd tum de cæteris omnibus rebus, tum nominatim de homine istic asseritur, eum ex nihilo esse factum: cum tamen tum de aliis nonnullis rebus, tum inprimis de homine constet, eum ex terra formatum esse. Longè autem rectiùs illa materia, ex qua Deus omnia creavit, nihilum dicitur, quàm pleraq; eorum, quę Scholastici, cùm de nihilo privativo loquuntur, intelligunt. Ea enim non modò formam aliquam, & nonnunquam quidem præstantem habent; sed etiam inclinationem quandam ad formam illam recipiendam, ob cujus absentiam nihili nomen sortiuntur: sed illa materia, ex qua Deus omnia condidit, & rudissima fuit, & inclinationem naturalem ad ea, quæ ex ipsa postmodum sunt formata, habuit nullam. Consentiunt cum hac sententia illa D. Auctoris ad Hebr. verba, quæ extant cap: 11. 3. ubi ait: apparata esse secula verbo Dei, *ita ut non ex apparentibus*, (seu *ex non apparentibus*) *ea, quæ cernuntur, fierent*. In quibus verbis satis apertè indicat, ex rebus quibusdam, licèt non apparentibus, res aspectabiles fuisse conditas. Quænam autem illa fuerint, quæ non apparuerunt, non aliunde meliùs, quàm ex historia creationis a Mose descripta, discere possumus. Is enim, cùm in ipso Geneseos initio totam creationis, quam descripturus erat, rationem summatim proposuisset illis verbis: *In principio creavit Deus cælum & terram*; eandem postea distinctiùs explicaturus, a capite rem arcessit, &, quis antea rerum status, quæ facies fuerit, indicat, quæq; operum deinceps enumerandorum, saltem plurimorum, materies, dum ita porrò subjicit: *Terra autem erat desolata* (seu *informis*,) *& inanis*, *& tenebræ erant super faciem abyssi*, hoc est, aquarum profundarum, quibus terra tegebatur. Quòd si aquæ, quibus terra tegebatur, tenebris fuerunt obrutæ; certè terram & aquam res non apparentes fuisse constat. Ex terra autem & aqua sublunaria omnia extitére. Quare du-

Gen: 1. 1, 2.

re du-

Cap. IV. de mũdi materia.

se dubium nullum videtur esse, quin D. Auctor terram informem, & aquam, profundissimis tenebris immersas, rerum non apparentium nomine potissimùm complexus fuerit. præsertim cum in Græca veteris Testamenti versione, quam, ut suprà jam monuimus, novi Testamenti scriptores in citandis ex illo testimoniis sequi solent, loco ejus, quòd in Hebræo terra dicitur *desolata*, extat vox ἀόρατος, hoc est, *invisibilis*. invisibilis autem terra non alia ratione fuit, quàm quia in tenebris illis non apparuit, nec ante lucem vasto illi rerum chao illatam, apparere potuit. A luce autem, ut sequentia apud Mosen verba docent, creatio rerum cœpta est. Nam si quis dicat, ipsam terram unà cum cælo priùs a Deo productam, quia apud Mosen primùm legamus, *In principio creavit Deus cælum & terram:* & postea statim subjiciatur: *Terra autem erat desolata;* responsio ex iis, quæ diximus, facilè intelligi potest. Neq; enim a Mose dicitur, Deum priùs, quàm cætera crearentur, quæ in toto reliquo capite facta leguntur, cælum & terram creasse: siquidem de creatione cæli & terræ nominatim legimus in opere secundi & tertii diei, vers. 6. & seqq. sed, ut viri doctissimi ante nos observarunt, cæli & terræ creatione summatim comprehenduntur omnia, quæ postea sigillatim sex dierum spatio facta scribuntur, & per Cælum quidem omnia cælestia corpora, per Terram terrestria intelliguntur: quo pacto non semel in sacris literis creatione cæli & terræ, omnium rerum aspectabilium formatio designatur. Initio ergo, ut diximus, res tota breviter a Mose proponitur: postea distinctè ac per partes explicatur. Cùm verò additur, *Terram fuiße desolatam*, animadverterunt iidem viri doctissimi, Terram hìc vocari per occupationem seu anticipationem. Nondum enim ita fuisse vocatam, sed postea nudatam aquis ita vocari cæpisse. q. d. Id quod Deus postea vocavit Terram, cum scilicet nudata fuit aquis, fuit desolata & inanis, nondum ulla re exculta atque ornata. De hujus autem ipsius terræ & aquæ, uti & spiritûs Dei, qui super aquis ferebatur, iisvé incubabat, creatione nihil dicit Moses, nec quicquam alibi sacræ literæ pronunciant: ut non malè ii facere censendi sint, qui sententiam hac de re suam vel suspendunt, non audentes definire id, quod sacræ literæ non definierunt: vel id, quod rationi maximè consentaneum videatur, ita sequuntur, ut aliis vel ambigendi, vel dissentiendi, rudioribus etiam rem planè ignorandi relinquant libertatem, quam suo iis silentio sacræ literæ dederunt; nec ea dissentientibus impingunt absurda, quæ ex ipsorum sententia consequi videantur, si ea ipsi non agnoscant.

Vid. Fr. Vatabl.

Cap: V.

De Creationis modo.

SEquitur ut quomodo, quaq; ratione Deus omnia condiderit, perpendamus. Quæ quidem quæstio tribus partibus continetur. Vel enim hîc de creationis instrumento, seu mavis medio, quæritur; vel de rerum creatarum cohærentia; vel de ordine, quem in creando Deus servavit. Primò igitur solo verbo sive jussu suo Deum omnia constituisse accepimus. *Dixit enim & facta sunt*, inquit ille; *mandavit, & extiterunt*. Et Moses singula Deum dicendo fabricasse ait. In quo quidem inexplicabilem Dei potentiam elucere nemo non intelligit; utpote qui nec laborem ac molestiam in opere isto perficiendo subierit; nec ullius operâ ad tantæ rei molitionem usus fuerit: sed solo mandato suo omnia confecerit.

Psal: 33. 9. Gen: 1.

Iam ad cohærentiam rerum creatarum quod attinet, ea quidem tanta tamq; admirabilis est, ut sigillatim eam in omnibus notare, notatamq; pro dignitate explicare, & infiniti laboris sit, & porrò vires ingenii nostri longè superet. Quamobrem generatim dico, cælum, terram, omniaq; quæ horum ambitu continentur, admiranda quadam ratione procreata certis diebus, certisq; sedibus distributa, summo consensionis vinculo constricta, & alia ex aliis ita nexa esse, ut ex diversis naturis convenientissimo quodam numero colligatis, unum, idq; aspectu pulcherrimum corpus appareat, quod eam ob caussam à sapientissimis hominibus κόσμος, sive ornatus, ac latinè Mundus appellatum est. ex quo quidem singularissimam Dei sapientiam eminere quis non animadvertat?

Sed ut tandem de ordine, quem Deus in ædificando mundo aliisq; naturis procreandis secutus est, dicamus; videmus illum à rudimentis exordio ducto, paulatim ad ea, quæ summa erant, pervenisse. Non enim hominem, qui omnes terrestres naturas nobilitate superat, statim condidit: sed priùs elementa suis locis distribuit, cælum fabricavit, luminibus distinxit, terram floribus, herbis, arboribus, frugibusq; vestivit, multitudinem & varietatem bestiarum procreavit, quàm ad hominem formandum sese conferret. Hæc autem nonnisi eam ob causam tanto ordine facta videntur, ut Dei hac in re perspiceremus admirabilem non modò sapientiam, sed etiam bonitatem, qui quanti hominem faceret, quamq; diligentem illius procurationem haberet, ostendere voluerit; quippe cum & domicilium omnibus opibus omnibusq; rebus necessariis instructum ei, priusquam in vitam ingrederetur, paraverit, & illum omnibus naturis tanquam dominum ac principem præfecerit.

Cap: VI. de Hominis creatione.

Cap: VI.

De Hominis creatione.

AD hominis creationem quod attinet, tametsi eum non minùs, quàm alia animantia, ex terra Deus constituit; tamen eum omnium terrestrium naturarum præstantissimam esse, tum ex eo constat, quòd Deus illo in lucem edito ab omnibus operibus suis conquievit, nequaquam conquieturus, si excellentior adhuc creatura fabricanda fuisset; tum quòd in eo suam imaginem impressisse, unà cum Mose alii etiam divini scriptores testificantur. Quæ quidem in eo consistit, quòd eum Deus non solùm ratione atq; intelligentiâ præditum esse: sed dominatu etiam suo omnes naturas inferiores, sive in terris, sive in aquis, sive deniq; in aëre degentes complecti, & ita divini imperii similitudinem gerere voluerit: id quod ex ratione, tanquam caussa efficiente, profluit, eaq; nititur. Quæ quidem res quò pateat illustriùs, hominis tum mentem ratione præditam, tum dignitatem atque imperium, quâ Dei imago potissimùm continetur, attentiùs paulò considerabimus. Est igitur animadvertendum, mentis istam rationem nihil aliud esse, quàm eam hominis vim, quâ res quasvis cognobiles percipit atq; dijudicat. Quæ quidem quàm variè a Philosophis dividatur, hoc loco nil attinet commemorare. Cum enim Theologiam religionisq; negotium tractare nostrum sit institutum; satis ritè officio nostro perfungemur, si rationis humanæ vim in superiorem & inferiorem distribuerimus. Ac superior quidem ratio est, quæ honestum à turpi, rectum à pravo discernit, honestumq; ac rectum tantâ tuendum constantiâ suadet, ut nullo nec labore, nec periculo, nec libidinis aut nefariæ cupiditatis incendio, ab illius studio deterreamur. Inferior autem ratio est ea hominis potentia, quâ utile ab inutili aliquo modo distinguitur, utileq; inutili præponitur, similiter etiam jucundum molesto, honorificum ignominioso. Hujus ductum homines ut plurimùm sequuntur. Quod verò ad imperium attinet, quo homo creaturas sublunares complectitur, & in quo imaginem Dei, quam is homini impressit, potissimùm consistere diximus; ejus vis universa cernitur in facultate seu potestate eas creaturas sibi subjiciendi; id quod absq; ratione ac consilio fieri non potest. Intelligendum autem est, nequaquam homini prorsus directum atq; adeò tantum in memoratas naturas imperium concessum esse, quantum in eas ipse Deus habet. Neq; enim ad Dei imaginem homini imprimendam opus fuit, hunc in gubernando illi parem effici; cum

Genes: 1. 26, 27. 5, 1. & 9, 6. 1 Cor: 11. 7. Iac: 3 9.

ſatis fuerit, hominem eadem in re Deo ſimilem exiſtere. Conceſſit autem ei imperium utile, id eſt, ea ex parte eum omnibus naturis præfecit, quatenus eas ad vitæ ſuæ uſum neceſſitatesq; convertere poteſt. Quanquam uſus ille non peræquè ſemper liber fuit, ſed primò paulò anguſtioribus terminis circumſcriptus, poſtea laxior ex Dei voluntate evaſit.

Gen: 1. 29. conf: cum c. 9. 3.

Cap: VII.

De Providentia Dei.

HActenus de creatione egimus: veniendum jam eſt ad divinam providentiam. Hæc autem rerum creatarum, quam Deus habet, procuratio eſt, conſiſtitq; in earum tum conſervatione, tum gubernatione. Conſervatio eſt, quâ fit, ut res creatæ ſtatum ſuum naturalem retineant. Gubernatio autem eſt, quâ Deus mundum omniaq; eo comprehenſa moderatur, atq; in fines certos dirigit. Quorum utrumq; quo pacto Deus tam in cæleſtibus, quàm in terreſtribus naturis efficiat, admirari ſtupereq;, verbis autem, pro eo ac par eſt, explicare nequaquam poſſumus. Quantum tamen in eo genere perfici potuit, doctiſſimi homines jam antea præſtiterunt. Qua de cauſa ne actum agamus, nolumus hoc in loco ea prolixè repetere: ſed pauca quædam de utroq; diſſeremus, quatenus inſtituti noſtri ratio poſtulat, id eſt, quatenus ea ad hominem ſpectant. Conſervatio igitur hominis, de qua primùm dicendum nobis eſt, vel generalis eſt, vel ſpecialis. Ac generalis quidem ea eſt, quâ Deus univerſis hominibus conſultum cupit, illos curando, fovendo, ac tuendo. Hoc enim illud eſt, quod divinus ſpiritus, Deum, cum ex unius ſangvine univerſum genus hominum creaſſet, omnibus vitam, flatum, omnia deniq; conferre, & ab unoquoq; noſtrûm non procul remotum eſſe ait, cum in eo vivamus, & moveamur, & ſimus. Et illud: *Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus.* Quid, quòd omnium ſervator luculentiſſimè in divinis literis Deus nominatur, omnesq; compluere, & ſole ſuo tam malos, quàm bonos illuminare dicitur. Quæ quidem rerum humanarum procuratio adeò latè patet, ut nihil hominibus vel boni vel mali accidere poſſit, niſi Deo aut decernente, aut permittente. Intelligendum tamen eſt, Deum non exiguam curæ iſtius partem in hominum prudentia operaq; poſuiſſe: ſæpeq; adeò per ipſummet tanquam inſtrumentum quoddam ei conſulere atq; proſpicere. Vnde efficitur, ut ſi homo ſibi ipſi deſit, prudentiâq; divinitùs ſibi conceſſâ ad ſeſe conſervandum minimè utatur, ſed vel in mala ſeſe ipſe temerè præcipitet,

Act: 17. 25, 26, 27, 28.

Sap: 6. 8.

1 Tim: 4. 10.

Mat: 5. 45.

Cap: VII. de Providentia Dei.

:ipitet, vel bonis in humana facultate positis non fruatur, dummo-lo eorum usus pietati ne officiat, Deum tentare meritò dicatur. Hanc ob rem nemo prudens de montis cacumine sese pręcipitabit, ut Dei agnoscat in sese tuendo potentiam; nec laboribus quisquam parcet, agrivé culturam negliget, quia Deum victum atq; cultum procurare persvasum habeat; nec deniq; tam amens fuerit quisquam, ut minimè sibi in domo ædificanda laborandum existimet, quia divinis literis proditum sit, nisi Dominus ędificet domum, inaniem laborem sumere, qui eam ædificare instituant. Quamquam enim minimè dubium est, quin ad Deum ista omnia referenda sint, tanquam ad fontem omnium bonorum; utpote qui & deligendi contrariaq; rejiciendi prudentiam hominibus dedit, & acquirendi viam rationemq; monstravit, & perficiendi facultatem concessit, & opem suam nemini rectè imploranti unquam denegat: intelligendum tamen est, tunc demum revera nos ista consequi, cum Dei auxilio freti omnia facimus, quibus ad ea paranda opus est. Psal: 127. 1, &c.

Iam ut de speciali hominum conservatione sermonem instituamus; animadvertendum est, eam ad fidelium nationem potissimùm spectare. Fideles porrò eos omnes nominamus, qui jam inde a mundi primordiis ad hæc usq; tempora, Dei studio incensi, virtutem, fidem, justitiamq; coluerunt, & etiamnum in vera pietate sese exercent. Deus quippe omnium servator cum sit: maximè tamen fideles illi curæ esse, divinæ literæ testificantur. Hos enim nequaquam vulgari eum, sed singularissima gratiâ suâ complexum semper fuisse, atq; nunc etiam complecti, nemo vel mediocriter in sacris voluminibus versatus ignorare potest: cum non solùm omnia ad vitæ cultum necessaria illis suppeditet: verùm Angelorum etiam fidissimâ custodiâ eos circumsepiat. id quod hominibus impiis contingere, (nisi fortè in eorum vita salus multorum, præsertim bonorum, agatur, quales solent esse Principes ac magistratus,) nemo rerum divinarum peritus unquam dixerit. Non desunt quidem homines rerum cælestium haud sapientes æstimatores, qui quòd sæpe cum bonis virtutisq; studiosis pessimè agi; hominibus contrà omnium scelerum turpitudine inquinatis omnia optata contingere cernunt, in eum delabantur mentis errorem, ut vel Deum nullum esse, vel certè nullam rerum humanarum curam habere: sed omnia temerè ac casu, sine consilio, sine ordine, sine lege fieri asserunt. Istis autem primò hoc damus responsum, sæpenumero fieri, ut quos pios esse arbitramur, haud quaquam ii sint, qui esse creduntur. Deus autem, qui intimos etiam hominum sensus introspicit, omnia cernit atq; 1 Tim: 4. 10.

nit atq; animadvertit, quæ non solùm palàm, sed etiam occultis in locis ab hominibus geruntur; & porrò non parùm frequenter justissimè in illos vindicat, qui nobis justi, & ideo nequaquam puniendi, sed omnibus bonis egregiè cumulandi esse videntur. Deinde si maximè constaret, istos, quos malè accipi videmus, in sinceræ pietatis studio versari: nequaquam tamen consequens esset, Deum nullam rerum humanarum providentiam habere: cum is sæpe numero ea de causa suos variis calamitatum angustiis vexari patiatur, ut illos ad vigilantiam precesq; ardentes magis magisq; excitet, ac virtutis studium vehementiùs inflammet, ad fortiter pugnandum instruat, ut fidei ipsorum, ut fortitudinis, ut victoriæ præstantiam in aspectum lucemq; proferat, & sic nominis sui amplitudinem mirum in modum illustret. Adde, quòd non rarò fit, ut qui nobis florere, ab omniq; calamitate atq; cura vacare videntur, ii omnium infelicissimi sint; quippe qui clandestinis conscientiæ tormentis, justo Dei judicio miserandum in modum affligantur. Neq; enim Deus, quæ ipsius sapientia est, judicia sua semper omnibusq; aperta esse voluit; nempe ut fidei nostræ exercitatio locum haberet, quam perire atq; evanescere necesse foret, si singula scelera statim atq; apertè suppliciis vindicaret. Adde etiam, quòd homines non tam virtutis amore, summivé, quod virtuti propositum est, præmii cupiditate incensi, sed malorum metu coacti divinis monitis obedirent. Quid, quòd Deus improborum mentes ita implicare solet, ut, dum alios impios scelerum suorum pœnas minimè vident persolvere, nequaquam hoc sibi exitio fore arbitrentur, si vel in omni flagitiorum turpitudine assiduè volutentur, eoq; pacto securiores fiant, & divinorum judiciorum laqueos haudquaquam effugiant. Postremò fieri potest, ut Deus, qui justissimus est, aliqua certorum hominum delicta, quantumvis non sempiternâ, temporariâ tamen impunitate donet; quia nimirum cæteroquin eæ in illis sint virtutes, quæ veniam istam quodammodo mereri videantur: vel etiam, quia pietatis parentum ac majorum, unde illi ortum ducunt, & suorum, quæ illis fecit, promissorum Deus rationem habet, quemadmodum de familia Davidica legimus. Hîc verò, quo pacto igitur Dei justitia elucebit, inquies, & quomodo totus terrarum orbis intelliget, Deum sceleribus minimè delectari, sed unicuiq; pro eo ac meritus est reponere? Respondemus, in hoc omnes divinos authores conspirare, præstitutum esse diem magnum quendam atq; horribilem, quo Deus de omnibus hominum tum cogitatis, tum sermonibus, tum actionibus tam evidens facturus est judicium, ut omnes

1 Reg: 11, 12. 13. 52. c. 15. 3. 4.

mnes nihil ipsius judicio omnibusq; factis justius esse sint agnituri.

Cap: VIII. de Gubernatione hominis.

Cap: VIII.

De Gubernatione hominis, & primùm de religione primi mundi.

Gvbernatio hominis ea divinæ providentiæ pars est, quâ illius vita regitur atq; gubernatur. Estq; vel ordinaria, vel extraordinaria. Ordinaria est, quâ Deus perpetuò hominis statum moderatur. Extraordinaria, quâ Deus inusitato modo singularibus de caussis hominem gubernat. Neque enim ita ad ordinariam ejus regendi rationem alligatus est, quin ab ea pro summa sua sapientia ac voluntate recedere interdum possit. Quanquam verò ad ordinariam hominis gubernationem illud quoq; pertinet, quòd Deus legibus quibusdam naturaliter homini præscriptis,&animo ejus insculptis, vitam ipsius regat, & tacito quodam instinctu ad bonum felicitatemq; ipsius ducat: tamen quia id ex sola hominis creatione pendet, nec aliam præterea Dei actionem postulat, nihil de eo hîc dicemus ampliùs: sed de ea gubernatione, quæ providentiæ divinæ propria est, & alia quapiam manifestiori ratione, quàm sit ista naturalis,vitam hominum regit ac moderatur. Hæc autem potissimùm in religionis præscriptione constituta est. cui cum promissio præmiorum rectè factis propositorum conjunctissima sit,commodum fuerit simul ista ponderare. Intelligendum autem est, Deum pro temporum diversitate, diversas sui colendi vias hominum generi ostendisse. Sunt quippe alia tempora,quæ priora; alia quæ posteriora nominare licet.Ac priora quidem tempora illa sunt,quæ Christi ætatem antecesserunt: posteriora verò ea dicimus,quibus Christus terrarum orbi exhibitus est. Rursus autem priora tempora dividenda sunt in ea, quæ ab Adamo facto initio usque ad Abrahamum durarunt: & in illa, quæ ab Abrahamo ducto exordio ad Mosen, & ab hoc usque ad Christum permanarunt. In singulis autem istorum temporum religionibus spectanda sunt duo, primùm præceptiones,seu pietatis officia:deinde promissiones & minæ,vel saltem spes præmiorum ac pœnarum metus.

Vt igitur de prima illa religione, quæ Abrahami memoriam antegressa est, priori loco agamus, animadvertendum est, eam, si ad sequentia tempora respectus habeatur,magna obscuritate involutam valdeq; imperfectam fuisse. Etenim quantum conjicere licet, eorum temporum homines religiosi, non tam ex fixis statisq; legibus, seu generalibus præceptis, apertè a Deo propositis, quàm

ex rectæ

Cap: VIII. de Religione primi mundi.

ex rectæ rationis judicio, quod singularibus Dei mandatis, ad certas personas certáve negotia pertinentibus, non rarò instruebatur firmabaturq;, vitam ac mores suos composuerunt. Itaq; in eorum temporum, quæ diluvium antecesserunt, historia a Mose descripta, nullum reperies generale Dei præceptum hominibus propositum: licet ex quibusdam Dei dictis, quæ inibi leguntur, generalia præcepta constituere non sit difficile: ut ex illo Dei sermone, quem ad Cainum, ante interfectum ab ipso fratrem habuit, quo illum ab ira dehortatur, & ad rectè agendum appetitumq; coërcendum hortatur. Et hujusmodi quidem admonitionibus eorum temporum homines crebrò instructos, ipsisq; apparitionibus, ut Deum existere agnoscerent crederentq;, & eum colendum ac metuendum statuerent, edoctos fuisse, tum per se credibile est, tum ex sac:lit:non obscurè colligi potest. Post diluvium verò generalia Noacho & posteris ejus tradidit præcepta, ceremoniale alterum, de quo paulò agemus inferiùs; alterum morale, de sanguine humano non fundendo. *Qui enim*, inquit, *sanguinem humanum profuderit, profundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei homo factus est.* Reliqua verò omnia singularia existimanda sunt: veluti illud fuit, quo primi parentes nostri ab arboris illius fructu prohibebantur; & quæ Deus Noacho, tum de arca ædificanda, tum de aliis ad eam rem spectantibus parandis præceperat: & quæ sunt generis ejusdem.

Genesi 4. 6, 7.

Gen:9. 4, 5, 6.

Gen: 2. 17. & 6. & 7.

Etiamsi autem, ut diximus, de aliis generalibus Dei mandatis ad mores pertinentibus, nihil in istorum temporum historia legamus: nihilominus tamen ex iis, quæ ibi narrantur, colligi possunt nonnulla pietatis officia, de quibus hominibus generatim omnibus vel constitit, vel constare facilè potuit. Nam ut taceam, jam tum patuisse, Deum esse colendum ac metuendum, a malefactis esse abstinendum, rectè factis studendum, appetitum esse coërcendum, a cæde, tum aliorum omnium, tum inprimis sanguine junctorum, esse abstinendum; constabat etiam, parentibus nequaquam illudendum, sed precipuum quendam honorem habendum esse. Aliter enim nec Noachus filio suo Chamo, irreverēter sese erga ipsum gerenti, maledicere jurè potuisset: nec reliqui duo illius filii, Sem nimirum & Iaphet, nuditatem paternam contegere officii sui esse intellexissent: nec deniq; idem Noachus his præ illo bene precatus fuisset. Illud quoq; sine dubio ex divina disciplina jam tunc constabat, nequaquam fas esse, ut qui Dei studium profitebantur, prophanorum hominum filias in matrimonium ducerent: quippe cum hæc res tanti sceleris loco habita fuerit, ut diluvii illius causa extiterit.

Gen:9.2. & seqq.

Gen:6.1,2, & seqq.

terit. Quid autem de Sodomiticis illis sceleribus dicam? quæ nequaquam locis illis tantum incendium importassent, nisi pro vetitis & prorsus illicitis habita fuissent. Nec dubium est, quin alienam uxorem etiam habere, grave tunc scelus habitum fuerit. Nam & Pharaonem & Abimelechum, qui hoc facerent, gravi sese flagitio obstringere, probè intellexisse, tum inde perspicuum est, quòd cum Abrahami uxorem tangere cogitarent, Deoq; illorum consiliis occurrente, conjugem illius esse intelligerent, quam is sororem dixerat, acriter cum eo expostularunt, ut qui dissimulatione ista, peccati illis causam attulisset. Quamvis autem hæc jam Abrahami ætate gesta fuerint: tamen ex religione antea hominibus illis tradita ea manasse, & satis per se clarum esse videtur, & inde apertiùs etiam constat, quòd divinus cultus, qui unà cum Abrahamo incepit, nequaquam communiter, ut prior ille, ad omnes alios, sed ad solam Abrahami familiam revera spectabat. Et hæc quidem de iis pietatis officiis, ad religionem primorum seculorum pertinentibus, quæ ad mores spectant, dixisse satis sit.

Cap: IX. de Religione primi mundi.

Gen: 19.

Gen: 12, 15, & seqq.

Gen: 20. 8, 9. &

Ceremonialia quod attinet, duo potissimùm sunt: quorum alterum sacrificiorum religione continetur, in qua non postremam divini cultus partem tum constitutam fuisse, eaq; si quis ritè perfunctus fuit, gratissimùm Deo fecisse, inde perspicitur, quòd Deus Caini muneribus contẽtis, Abelis sacra gratissima voluntate prosecutus est. Alterum sanguine vesci homines illos vetabat, omniumq; primò Noacho ejusq; posteris generali præcepto traditum fuit. Cujus quidem hanc caussam fuisse docemur, quòd omnis carnis anima in sanguine sit; cui rationi illa quoq; sub lege Mosaica, in qua idem mandatum fuit repetitum, accessit, quòd eum Deus hominibus religione ista devinctis in aram dederit, ad illorum animas expiandas. Et hæc quidem de religionis illius præceptionibus dicta sunto.

Gen: 4. 4, 5.

Gen: 9. 4, 5.

Levit: 17. 11.

Restat ut de promissis idem ferè, quod & de mandatis primæ illius religionis, brevi dicamus: nempe vix aut ne vix quidem generale aliquod illius seculi hominibus promissum factum: sed minas potiùs tunc illis metusq; propositos fuisse. Neque enim videmus, Deum Adamo, si ab arboris illius fructu sibi temperet, aliquod obedientiæ præmium polliceri; sed nisi dicto audientem sese præbeat, interitum denunciare. Nisi fortè illud unum, quod Caino Deus fecerat, generatim ad omnes respicere volumus. Videtur enim eam rem continere, quæ nequaquam unius sit propria, nimirum si rectè ageret, futurum fuisse, ut in gratiam reciperetur, & non mi-

Gen: 2. 17.

cap: 4. 7.

non minùs quàm Abel, divinam benignitatem experiretur. Quò si fortè quispiam Enochi in cœlum elationem ejusmodi promissionis loco ducendam existimet, quâ omnibus cum pietate viventibus eadem felicitas pacta fuerit; is nimirum vehementer errat cum simplex hoc factum, nulla adjecta ejusdem beneficii oblatione, promissum appellari nequaquam possit. Adde, quòd res ipsa nequaquam hominibus illis ex eo quod Enocho singulari de causa contigerat, promissum generale elicere permittebat: cum multi quos Deus propter singularem pietatem admodum charos habuit, in cœlum rapti nequaquam fuerint. Adde etiam, quòd immortalitatis promissio non illius ætatis erat propria: sed, ut suo loco demonstrabitur, ad ultima, nempe Messiæ tempora spectabat. Lib: 3. c. 11.

Iam si illud promissi loco habendum quisquam arbitretur quòd Deus Noacho ipsiusq; posteritati nunquam sese diluviū terris immissurum esse pollicitus fuerat: respondeo, non de eo promissorum genere à nobis sermonem haberi, quo certo supplicio homines ampliùs punitum non iri confirmatur, (cum hoc vix aut ne vix quidem promissi nomine dignum videatur) sed illud nos oratione complecti, quo non solùm in homines minimè vindicandum sed insuper bono aliquo insigni eos ornandos esse pronuncietur. Causa porrò, cur Deus illa seculorum ætate sibi obediri voluerit, Gen: 9. 11, 5. nullo ferè generali præmio proposito, hæc esse videtur, quòd in in ipso statim mundi primordio, nihil sese cuiquam debere, sed omnium rerum absolutissimum Dominum esse, omnibus ostendere voluit.

Cap: IX.

De Religione Abrahamo tradita.

His ita constitutis, gradus faciendus ad Abrahami eumq; subsecuta tempora, ut quali tunc religione homines obstricti fuerint, inquiramus. Quam quidem cum Moses, quem solum in rei istius disquisitione sequi debemus, maximo compendio complexus sit, nos, quibus plus divino spiritu sapere concessum nequaquam est, similiter breves esse oportet. Principio igitur intelligendum est, religionem, quam tunc Deus tradidit, ad Abrahamum tantùm ejusdemq; familiam, ut suprà diximus, astrictam fuisse. Hunc enim Deus ex omnibus hominibus delegerat, cum quo arctissimam jungeret amicitiam, cuiq; præ aliis omnibus seipsum patefaceret. Religio igitur illi tunc divinitùs præscripta, priori illa & clarior fuit & perfectior, sive præcepta spectes, sive promissa. Ad præcepta

cepta

cepta enim quod attinet, animadvertendum est,non solùm omnia illa, quæ suprà ex certis circumstantiis collegimus, hîc retinenda: sed alias insuper leges constitutas fuisse, easq; tum morales, tum ceremoniales, ut ex illis ipsius Dei verbis colligi potest, quibus asserit, Abrahamum obedivisse voci suæ, & custodivisse præcepta & mandata, & ceremonias legesq; servasse. Fecerat enim Deus cum Abrahamo fœdus, cuius summa in hoc consistebat, ut Abrahamus coram Deo ambularet perfectusq; esset, id est, tum ipse ex Dei præceptis vitam componeret, tum ad eandem pietatem liberos suos institueret:Deus verò illius posteritati faveret,omnibusq;,pro ro ac promiserat,bonis illam cumularet. Pollicitus quippe fuerat Abrahamo posteritatem innumerabilem, ipsumq; patrem multarum gentium futurum esse. Qua de causa cum *Abram*, id est, pater excelsus, antea nominatus fuisset, postea *Abrahami* nomine, quod patrem multarum gentium significat, appellatus fuit. Promiserat præterea se fore illius Deum, omnisq; ejus seminis post ipsum: item sese semini illius daturum terram Chanaan. Quorum promissorum ratione habita, dicit se Abrahamo, Isaaco & Iacobo apparuisse in nomine Schaddai, hoc est, se illis omnem sufficientiam bonorumq; affluentiam promisisse. Quod quidem fœdus suum Deus, tum confirmavit, tum perpetuum quoddam illius monumentum in Abrahamo ejusq; vniversa posteritate extare voluit. Confirmatio tum crebris apparitionibus, tum rerum quarundam promissarum completione, tum juramenti religione continetur. Etenim insigne admodum divinæ in Abrahamum benignitatis indicium fuit, quòd is,quem mundi conditorem esse jam persuasum habebat,sua ipsum consuetudine colloquiisq; dignum existimaret. Insigne etiam illud Dei in promissis prҿstandis fidei documentum, quòd cum sobolem ipsi iam seni uxoriq; vietæ præter naturæ cursum promisisset, certissimo eventu fidem suam comprobavit. Iureiurando autem, quo Deus Abrahamo fidem suam adstrinxerat, quid validius esse potuit? cum etiam illis, qui mentiri suâ naturâ possunt, si alioqui fidei perspectæ fuerint, nullo interveniente juramento credi soleat. Quantum igitur in Dei, cuius natura omne mendacium prorsus respuit, non affirmantis solùm, sed jurantis etiam fide, Abrahamo ponendum fuisse existimabimus?

Monumentum porrò fœderis illius perpetuum fuit circumcisio. Deus enim, ut Abrahamum ejusq; progeniem a cæteris gentibus, a fœdere hoc alienis,signo impresso secerneret, præcepit Abrahamo, ut se & omnes domesticos circumcideret, idemq; fieret

Cap:IX. de Religione Abrahamo tradita.

Gen: 26. 5.
Gen: 15. 18. 17. 1, & seqq:
Gen:18. 17, 18, 19.
Gen: 15. 5, 6, 7. 17. 4, & seqq.
ibid: ℣ 7, 8.
Gen: 13. 15. 15. 18: & de.
Exod: 6. 3.
Gen: 22. 16.
Luc: 1. 73.
Hebr: 6. 13, 17, 18.
Gen: 17. 10, & d.

in omni infante masculo, ex ipsius stirpe deinceps orituro, octavo postquam natus esset die. propterea quòd hoc esset pactum inter ipsum, & Abrahamum posterosq; ipsius: id est, signum sive symbolum pacti inter ipsos initi. Vnde divinus spiritus Abrahamum signum circumcisionis, sigillum justitiæ fidei accepisse asserit: non quòd Abrahamus ex circumcisione fidei suæ firmamentum petierit, utpote jam aliunde satis, ut diximus, corroboratæ: sed quòd Deus hoc monumento justitiam illius seu justificationem, quam per fidem adeptus esset, ad posteritatis memoriam consecrare voluerit, hocq; ipso ostendere, quantam fidei studium Abrahamo felicitatem attulerit. Cum quo enim fœdus percutit Deus, quemq; adeo pro amico suo, ut de Abrahamo scriptura loquitur, habet, eum à Deo justificatum esse oportet, & eo apud ipsum esse loco, quo ii esse debeant, qui planè sint innocentes.

Rom: 4. 11.

2 Paral: 20. 7. Esa: 41. 8. Iac: 2. 23.

Et hæc est religio, quâ Deus Abrahamum ejusq; familiam devinxit, priorum seculorum religione haud paulò perfectior. Veruntamen, si hæc religio cum illa, cujus explicationem mox ingressuri sumus, conferatur, multum ei ad perfectionem deesse unusquisq; facilè animadvertet. Nam nec tot, quot illa, præceptiones, nec certo volumine comprehensas habuit. Eodem modo, & de promissionibus judicandum est, ut ex illis, quæ de utrisq; Moses luculentissimè scripsit, perspicuum est.

Cap. X.

De Religione Mosaica.

AD hanc igitur ut veniamus, intelligendum est, eam fœdere illo contineri, quod Deus per Mosem cum populo Israëlitico tunc fecit, cum illum manu prehensum ex Ægypto educeret. Cujus fœderis summa in hoc constituta erat, quòd Moses, qui internuncii fungebatur officio, mediusq; inter Deum & populum stabat, quid Deus à populo illo fieri vellet, quidq; idem populus, si illius imperium sequeretur, præmii reportaturus esset, illius nomine ei exposuit. De quorum utroq; nunc explicare aggrediemur. Mandata igitur, quæ Deus per Mosen Israëlitis dederat, in tria genera distribui solent. Nam & Moralia, & Ceremonialia, & deniq; Iudicialia erant. Ac moralium quidem præceptorum explicatio hîc intermittenda, inq; eum locum rejicienda est, in quo Christi religionis tractationem suscipiemus: propterea quòd non solùm æquè ad illam atq; ad hanc Mosaicam spectant, sed multò etiam commodior ea discutiendæ occasio sese tunc oblatura est, propter Christi quasdam

Gal: 3 19. Deut: 5. 5.

Inf: lib: 4. cap: 5. & deinc.

additione

Cap: XI. de Sacerdotum electione.

additiones, quas ad ea amplificanda aut validius adstringenda adhibuit. Consequens igitur est, ut ad ceremoniarum disciplinam nos conferamus.

CAP: XI.

De Lege Ceremoniali, & primùm de sacerdotum electione.

IN cujus quidem explicatione nequaquam ita versabimur, ut singularum rationes rimemur; cùm Deus eas suo potissimùm decreto niti voluerit. Qua de causa & leges in placitis positæ a divinis viris nominantur; & eam ipsam ob causam nequaquam sempiternæ futuræ erant, ut illæ, quæ in rationis innituntur principiis fixis atq; immutabilibus, quales morales illas esse constat. Sunt autem ceremoniæ istæ nihil aliud, quàm certi quidam ritus, quibus Deus ab Israëlitico populo coli voluit. Eæ partim singulares certarumq; personarum propriæ erant; partim communiter ad omnes spectabant. Quæ quidem distributio, quò magis intelligatur, animadvertendum est, universum Israëlitarum genus in sacerdotes, quibus cæteri quoq; Levitæ, qui in rebus sacris ministerio illorum addicti erant, aliquo modo sunt annumerandi, & reliquam plebem seu multitudinem divisum fuisse. Intelligendum igitur est, quibusdam ceremoniis solos sacerdotes, aut unà etiam cæteros Levitas obstrictos; quibusdam verò universum populum devinctum fuisse. Ac illæ rursus vel ad sacerdotum pertinebant constitutionem: vel ad eorundem vitę rationem. Eæ, quæ ad sacerdotem constituendum spectabant, vel in certis consistebant qualitatibus, quas illos, quibus hæc persona imponenda erat, possidere oportebat; vel ipsum eorum officium complectebantur. Qualitates porrò istæ tres potissimùm erant: primò enim requirebatur, ut futurus sacerdos ex tribu quidem Levitica, familia verò Aaronica ortum haberet, utpote quæ sola huic muneri destinata esset. Et de tribu quidem extant illa Dei verba ad Mosen: *Tribum Levi non numerabis, neq; summam eorum capies in medio filiorum Israël: sed tu præfice Levitas tabernaculo testimonii, & omnibus vasis eius, & omnibus quæ ad illud pertinent: ipsi portabunt tabernaculum, & omnia vasa eius, & ipsi ministrabunt illi,* & quæ sequuntur. quin etiam ista: *Ecce ego elegi Levitas è medio filiorum Israël, pro omni primogenito, quod primùm nascitur in filiis Israël, & Levitæ erunt mei.* De familia verò Aaronica, cui soli sacerdotium a Deo fuit commissum, & cæteri Levitæ in rebus sacris ministrare jussi, ita inter alia legimus: *Locutus est Dominus ad Mosem, dicens:*

Ephes: 2. 15. Col: 2. 14.

Num: 1. 49. & d.

Num: 3. 12.

ibid: ℣ 5, 6.

Cap: XI. de sacerdotum electione. — dicens: *appropinquare fac tribum Levi, & stare fac eam in conspectu*
Aaronis sacerdotis, ut ministrent ei. & post pauca: *Aaron autem & fili-*
℣ 10. — *os eius præficies, custodientq; sacerdotium suum: & externus qui accesse-*
Num: 18. 3. — *rit, morietur.* Vnde alibi monetur, ne cæteri Levitæ ad vasa sanctitatis, aut ad altare accedant, ne & ipsi moriantur, & sacerdotes, filii Aaron, qui id permiserint. Alterum, quod ad sacerdotis electionem requirebatur, erat, ut is ab omni corporis vitio purus integerq; esset. *Nam vitiosus*, inquit Deus, *nemo accedere debet ad offerendum: ut cæcus, ut claudus, ut mutilus, ut redundans, pedemq; aut manum fractam habens, aut gibbosus, aut lusciosus, aut argemã habens, aut scabiosus, aut impetiginosus, aut herniosus: deniq; quisquis erit ex Aaronis Pontificis semine vitiosus, is ad offerendum oblationes ignitas Domino, aut panes Dei sui ne accedito.* Tertium quod tum in sacerdote, tum in alio quovis Levita, ad sacra ministeria eligendo spectabatur, erat, ut ætatis annum ageret vigesimum quintum, aut etiam amplius: ab anno autem quinquagesimo Levitis labores quidam remittebantur.

(Levit: 21. 18, & d.; Num: 8. 24, 25.)

Iam ut ea discutiamus, quæ ad ipsum sacerdotis officium spectabant; duo hoc in loco occurrunt, quorum alterum sacerdotum consecratione: alterum ipsa muneris istius functione continetur. Quæ pertinent ad consecrationem, ea multiplicia sunt. Nam & ablutionibus & unctionibus, quæ caput oleo perfundendo perficiebantur, & vestiendi ratione varia, & aliis id genus ritibus sacerdotes initiabantur: quorum nonnulla cæteris etiam Levitis erant communia: de quibus apud Mosem copiosè differitur. Eam porrò ob causam sine dubio tanto cum apparatu sacerdotum instituebatur consecratio, ut primò ipsi non profanam, non levem, sed sanctam, sed gravem personam sibi imponi animadvertentes, non vulgarem, sed singularem, tantoq; muneri convenientem vitæ rationem inirent. Deinde, ut nec ipsi, nec eorum officium in rebus profanis aut vulgaribus poneretur, sed magnam apud universum populum authoritatem haberet.

(Exod: 28 & 29.; Num: 8. 6, & d.)

Sed jam ad ipsam sacerdotii administrationem veniendum est, quæ quidem in quinq; potissimùm muneribus constituta fuit. Primum enim erat populo benè precari. alterum erat eundem populum ad divinæ legis conservationem instituere. tertium erat de causis, de mundicie, deq; huic contraria impuritate judicium facere. quartum erat tabernaculi ac vasorum sacrorum procurationem habere, ac tubis clangere. quintum & maximè proprium sacerdotum munus erat, rem sacram facere. Quo in loco tum ea ponderanda

(Num: 6. 23. & d.; Levit: 10. 11.; Devt: 17. 8. & d.; Levit: 10. 10. & cap: 13.; Ezech: 44. 23.; Num: 3. & 4.)

randa sunt, sine quibus hoc officium ritè administrari non poterat: tum ipsa sacrorum confectio perpendenda. Ac illa quidem in convenienti quadam ad tantam rem suscipiendam præparatione consistebat. Quę præparatio in quodam corporis cultu posita erat. nam & manus pedesq; abluere, & certo vestium genere huicq; rei destinato indutum esse, & a vino temetoq; abstinere sacerdotem oportebat.

Cap: XII. de Sacrificiis.

Exod: 40. 31, 32. & ℣ 13. Levit: 10. 9. Ezech: 44. 21.

Cap. XII.

De sacrificiorum ritu.

SEd jam tandem ad ipsam sacrificiorum immolationem accedendum nobis est, ut quo pacto a sacerdotibus confecta fuerit intelligamus. Hoc autem minimè percipi poterit, nisi simul cum ipsa muneris functione & sacrarium ea ex parte contemplemur, quatenus illud ad sacra facienda spectat, & quatenus ejus consideratio ad sacram istam actionem mente comprehendendam aliquid ponderis afferre videtur.

Intelligendum igitur est, tabernaculum illud in tres partes divisum fuisse, quarum prima eademq; intima, sanctum sanctorum; altera sanctum; tertia atq; extrema, atrium nominabatur. Ac sanctum quidem sanctorum, veli interventu dirimebatur à sancto: hocq; rursus ab atrio alio velo dividebatur. In sancto sanctorum arca fœderis posita erat, in cujus operculi utroq; extremo duo Cherubini collocati expansis alis illud obtegebant. Quod operculum Propitiatorium ea de causa nominabatur, quòd ex illo Deus respõsa dabat, seq; propitium populo præbebat. In sancto tabernaculi mensa aurea ex una parte collocata erat, eiq; panis appostititius impositus, ea de causa sic appellatus, quod perpetuò ante Deum apponebatur, ita ut eo propter vetustatem singulis sabbatis sublato, continuò alius supponeretur: ex altera verò parte candelabrum aureum, & in medio altare auratum, ante arcam statuebatur, in quo incensa adoleri solebant. In atrio deniq; tabernaculi tum ara, tum labrum erat, in quod aqua infundebatur, unde sacerdotes muneris sui officium aggressuri manus pedesq; lavarent. Vberiorem tabernaculi istius explicationem omitto sciens volensq;, utpote cum illius structura a Mose, & copiosè & luculenter descripta sit: hæc tamen pauca ea de causa commemorare volui, quòd absq; eorum consideratione sacrificiorum ratio haud satis intelligi posse videatur. Ad quam tandem ut accedamus, animadvertendum est, duo potissimùm esse sacrificiorum genera: quorum altero Expiatoria,

Exod: 25, & 26.

Exod: 25. 22. & 30. 6.

Exod: 25. 23 & d. Levit: 24 5. & d. Exod: 25. 31. & d. 40. 26.

Exod: 27. & 38.

Exod: 36. 37. 38. 39. 40.

altero Pacifica in sac. lit. dicta continentur, sub quibus comprehenduntur Eucharistica. Expiatoria sacrificia sunt, quæ ad labes impuritatesq; expiandas suscipiebantur. Vt autem aliæ sunt animorum, aliæ corporis maculæ: ita & sacrificiorum alia ad illas, alia ad has abstergendas instituta fuerunt. Ac animorum quidem impuritates peccata erant: verùm non omnia prorsus peccata sacrificiis tunc expiabantur, sed ea tantummodo, quæ nec enormiter, nec per superbiam, seu, ut divinus spiritus loquitur, excelso brachio suscipiebantur. Peccatis enim enormibus, aut excelso brachio admissis, nulla concedebatur expiatio: sed quicunq; sese eis obstringebant, citra ullam misericordiam morte mulctabantur. Quòd si tamen aliquis tunc repertus fuit, cui ejusmodi facinus condonaretur, nequaquam sacrificiorum vi, sed singulari Dei misericordia id factum fuisse existimandum est: quemadmodum quidem de Davide accepimus, cui Deum non victimis, sed singulari benignitate sua impulsum, duplex illud scelus, quo sese obligaverat, homicidium nempe & adulterium, remisisse ipse testificatur. Intelligendum igitur est, non nisi ea peccata sacris illis expiata fuisse, quæ vel ex errore quodam seu ignorantia, vel ex imbecillitate quadam profluebant. Sacrificia porrò, quibus peccata expiabantur, vel universalia erant, vel particularia. Vniversalia, quæ pro universo populo offerebantur: particularia, quæ pro uno aut pluribus ex populo. *Et* illa rursus vel statis temporibus peragebantur, vel pro re nata, hoc est, tũ cum totus populus simul certum aliquod delictũ admisisset. Inter ea, quæ statis temporibus fiebant, eminet anniversariũ, in quo solo Summus Pontifex cum pecudum sanguine in sancta sanctorum ingrediebatur, eumq; pro omnibus totius populi peccatis, toto eo anno commissis, quæ quidem vi antiqui fœderis expiari poterant, Deo offerebat. quod copiosissimè est a Mose descriptum. Hoc igitur semel tantùm in anno peragebatur. Cætera sacrificia stata sæpius in anno repetebãtur; idq; vel singulis Calendis seu Noviluniis, vel in festis anni solennioribus. Et in statis quidem sacris hircus offerebatur pro totius populi peccatis: in iis verò quæ stata non erant, tauro bovillo peccatum ejus expiabatur. Particularia autem sacra erant, quæ quocunq; anni tempore pro singulis singularum personarum peccatis peragebantur. Personæ porrò vel publicæ, vel privatæ erant. Publicæ vel sacerdotes, vel ii qui magistratum gerebant. Ac sacerdotis quidem peccatum tauro bovillo; *magistratum* verò gerentis hirco seu capro eluebatur. Privatorum autem hominum lapsus caprâ, vel ove expiabatur; cujus *loco*, in certo delicti

Marginal notes: Num: 15. 30, 31. — Psal: 51. 18. — Num: 15. 25, 26. — Hebr: 9. 6. — Lev: 16. — Num: 28 & 29. — Levit: 4. 13. — Levit: 4 3. — Levit: 4. 22. — Levit: 4. 24.

Cap: XII. de Sacrificiis.

to delicti genere, pauperioribus licebat substituere vel duos turtures, vel duos pullos columbarum, aut pro his sacrificium cibarium. Quædam etiam peccata quorumvis, ariete erant expianda. quibus de rebus uberrimè apud Mosen explicatur. Cùm porrò, ut suprà monuimus, ea tantùm peccata sacrificiis istis expiata fuerint, quæ ex ignorantia aut imbecillitate ortum habuerunt, intelligendum est, istam tum infirmitatem, tum imprudētiam, vel puram, vel mixtam fuisse. Ac pura quidem erat, cui nihil ultroneum admiscebatur. mixta verò, quę aliquid sibi spontaneum admistum habebat. Quæ quidem ea de causa in iis peccatis, quibus expiatio concedebatur, numerata fuerunt, quòd non ex Dei præceptorum contemptione, aut contumacis animi protervitate; sed ex usu quodam inveterato proficiscebantur: quale v. g. illud crimen fuit, quo, non restituendo depositum, aut per fraudem aliquid cuipiam eripiendo, aut rem alterius repertam negando, idq; juramento adhibito, sese homines obstringebant; quod quidem, tum ereptum, fraudatum, aut repertum, addita insuper quinta sortis parte reddendo, tum arietem immolando eluebatur. Et hæc quidem de animi maculis expiandis dixisse satis sit.

Levit. 7. & d. Ib: 15 & d. &c. 6. 5. Levit: 6. 1. & d.

Iam quod ad corporis maculas attinet, intelligendum est, eas vel ex seminis fluxione, vel ex menstruis, vel ex puerperio, vel ex lepra, vel ex immundorum contrectatione olim contractas fuisse. Quæ quibus sacris, quaq; ratione abstersæ fuerint, percensere & longum & supervacaneum foret, præsertim cum a Mose satis luculenter ea de re explicatum sit.

Lev: 12. 13. 14. 15.

His ita constitutis illud restare videtur, ut quo pacto sacrificiis illis hominum peccata sive delicta expiata fuerint, brevi doceamus. Constat igitur, ita id confectum fuisse, ut Deus, si sacrificii cuiuscunq; ab illo præscripti religio ritè administraretur, omnes vel peccato obstrictos, vel aliqua impuritate pollutos, impunitate donare, proq; mundis habere decreverit. Qua de causa singulis ferè sacrificiis, quæ pro peccato offerebantur, hanc clausulam apposuit, *Et remittentur eis peccata ipsorum.* Vnde patet, vehementer eos errare, qui putant, sacrificia illa Deo pro peccatis satisfecisse. Nam nec remissio peccatorum cum vera satisfactione consistere, nec Deo quippiam revera dari ac solvi pro peccatis potest: cùm omnia sint ipsius jure dominii absoluti. vide Psal. 50. 8. & seqq. sed hac de re alibi agetur a nobis fusiùs.

lib: 5. c. 22.

Cap: XIII.

De Sacrificio Pacifico.

PAcifica sacrificia erant, quæ non ad expiationem certæ alicujus labis, sed vel ad aliud aliquod beneficium a Deo accipiendum, vel ob beneficium jam acceptum, in ipsius honorem offerebantur. Et ea quidem, quæ ob acceptum jam beneficium offerebantur, Eucharistica dicuntur: quæ quia in hoc genere crebriora videntur fuisse, ideo hæc vox a quibusdam ad totum sacrificiorum pacificorum genus transfertur. Erant autem ea vel spontanea, vel votiva. Spontanea, quæ nulla præcedente obligatione offerebantur. Votiva, quæ ex pacto seu promisso, quo se quispiam obstrinxisset, præstabantur. Tale pactum illud erat, quo quispiam, si voti sui compos fieret, Deo sese obstrinxerat, ad certum aliquod munus offerendum. De votis porrò, & de Nazaræis, qui pactione sese obstringebant, nec non de ipso votivorum sacrificiorum modo ac ratione, plura a Mose dicuntur, quæ unusquisq; per se & legere & ponderare potest. Est & alia sacrificiorum Pacificorum distinctio. Alia enim simplicia erant, alia mixta. Simplicia vel ex solis constabant animatis, ut victimæ; vel ex solis inanimatis, quod sacrificiorum genus Minhah dicitur, alioq; nomine sacrificium cibarium appellatur. Constabat enim ferè ex rebus ad cibum potumq; comparatis, veluti fuit farina, oleum, sal, mel, grana, panis deniq; & vinum, quibus adde thus; quæ eo, quo Moses docet pacto, inter se commista, istam oblationem constituebant. Cujus una pars à Sacerdote in ara adolebatur, ut Deus fragrantiæ illius odore quodammodo delectaretur, (quamquam nec fermenti, nec mellis quicquam adolebatur) altera verò Aaroni ipsiusq; filiis cedebat. In hoc genere & decimæ, & frugum primitiæ haberi possunt. Mixtum verò sacrum ex animantibus & terræ frugibus erat compositum, ad Deiq; laudem comparatum. Et victima quidem ipsa vel tota igni absumebatur, quod sacrificii genus holocaustum appellabatur: vel in tres partes distribuebatur: quarum prima Deo, suavis odoris caussâ in ara adolebatur; altera ad Aaronem ejusq; filios pertinebat; tertia cedebat victimam præbenti. Quia verò pleraq; pacificorum mixtorum, hujus generis esse solebant: ideo holocaustum interdum a Pacificis distinguitur, licet sub iis revera contineatur. Neq; enim proprio fine ab iis discernitur, sed oblationis tantùm modo ac forma ab eorum plerisq; dispescitur.

Levit: 27. Num: 30. Levit: 1. & 3. Levit: 2. 1. & d. & 6. 14. & d. & 7. 9. & d. Lev: 2. 11.

Cap: XIV. de Sacerdotum vitæ ratione.

Cap: XIV.

De Sacerdotum vitæ ratione.

Adhuc de illis diximus, in quibus sacerdotum munus constitutum erat. Reliquum est, ut de illorum vitæ ratione sermonem instituamus. Hæc autem vitæ tum cultum, tum statum continet. Ac ad cultum quidem tum victus, tum vestitus pertinet. Victus illorum erat, omnia libamina, omnes primitiæ ciborum. His adde partem decimam optimamq; decimarum, & omnia primogenita. Quibus quo pacto unà cum familiis suis vescendum illis fuerit, Moses suis locis plenissimè docet. Vestimenta porrò sacerdotum qualia fuerint, jam suprà commemoratum est. nisi hoc fortè addendum est, eos, quando à sacro ministerio vacabant, habitu communi usos fuisse, ut ex illis Ezechielis Mosisq; verbis colligitur, Ezech: 44. 17, 19. Exod: 28. 43, & 39. 1. utpote cum vestes sacræ sacrarum rerum administrationi destinatæ essent. Huc etiam spectare videtur, quòd sacerdoti caput radere, barbam tondere, vestimenta conscindere non licebat.

Exod: 29. 26: Lev: 2. 3, 10. & 5. 13: & 6. 16, 18. & 7. 6, 32. & 10. 13, 14, & 24. 9. Num: 5. 9, 10. & 18. 8, 11, 20, 21, 28. Devt: 18. 1. & d.

Levit: 10. 6: & 21. 5.

Iam quod ad vitæ illorum statum attinet, duo potissimum occurrunt, quorum alterum rem matrimonialem, alterum eorum possessiones complectitur. Matrimonium igitur illorum sic erat comparatum, ut non nisi virginem è populo suo, eamq; intactam, & nequaquam vel profanam, vel scortum, vel viduam, nisi à sacerdote relictam, vel repudiatam, sacerdoti in uxorem ducere liceret, Ezech: 44. 22. Possessiones verò seu fundos nullos tenebant. Ipse enim Deus fundus possessioq; illorum erat, utpote qui, ut de rebus ipsi consecratis viverent, constituerat. Veruntamen quadriginta octo oppida Levitarum familiis ad habitandum dedit, unà cum suis undiq; pomœriis, ut & oppida ipsorum habitationi, & pomœria eorum jumentis & pecoribus servirent. Et hæc quidem de ceremoniis, quæ solos sacerdotes obstringebant, dixisse satis sit.

Levit: 21. 13, 14.

Num: 18. 20. Num: 35. 2. & d. 7. Ios. 21.

Cap. XV.

De Ritibus communibus.

Sequitur deinceps, ut eos excutiamus ritus, quibus communiter omnes obligabantur. Fuerunt autem ii vel perpetui, & nunquam non observandi, vel non perpetui. Perpetui erant ii, qui cernebantur in abstinentia ab iis rebus, quę tunc impurę censebantur; vel

Levit: 11. & 17. c. 12. 13: 14: 15.

contrà sanctiores, quàm ut ad vulgares usus transferrentur: de quibus sigillatim agere nil est necesse. Posterioris generis ritus iterum vel statorum erant temporum, vel incerti temporis. De statis mox agemus paulò fusiùs. Incerti temporis ceremoniæ, & pro re nata observandæ erant, ablutiones à certis quibusdam impuritatibus, & expiationes delictorum, quatenus eæ ad unumquemq; e populo pertinebant. Posses huc præter alia etiam circumcisionis ritum referre, de quo jam diximus suprà, cum de religione Abrahamo tradita dissereremus; quamvis dies a nativitatis tempore octavus ei destinatus esset. Ii autem ritus, qui statorum erant temporum, in conservatione dierum ac temporum festorum consistebant. Erant enim solennia quædam tempora a Deo consecrata, quæ vel abstinentiâ a laboribus servilibus colenda, vel aliis quibusdam ceremoniis ad cultum divinum spectantibus, vel utraq; re simul celebranda erant. Fuerunt autem vel singularum septimanarum, vel mensium, vel annorum. Ac septimanarum quidem Sabbatum erat, de quo Deus apud Mosem hunc in modum præcipit: *Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, ac facies omnia opera tua, septimo autem die, sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in iis sunt, & requievit in die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei sabbati, & sanctificavit eum.* Et alio in loco hæc verba apponit: *Memento, quòd & ipse servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Idcirco præcepit tibi, ut observares diem sabbati.* Quibus locis, & quid Sabbati vox significet, & qua de causa sabbatum sancitum, docemur. Primò igitur Sabbati vocabulum Hebraicum est, & ab omni servili opere conquiescendi significationem habet. Erat ergo dies Sabbati dies septimus, quo universa Iudæorum natio, unà cum servis, jumentis, & peregrinis, omni labore, victûs & cultûs gratiâ ordinariè propriaq; voluntate suscepto, supersedere jubebatur. Intelligendum enim est, nequaquam genti illi iis operibus interdictum fuisse, quæ vel ad religionis cultum pertinebant, veluti erant sacrificia, in Sabbatis etiam confecta; vel quæ necessitate quadam impulsi efficiebant: cum & Machabæi (lib: 1. Mach: 2. 41. si modò ex illorum historia veritatis divinæ firmamentum peti jure potest) eodem die bellum gesserint, & asinus aut bos in puteum cadens die sabbati impunè extrahi potuerit. Deinde duas sabbati agendi

Exod: 20. 8.

Deut: 5. 15.

Luc: 14. 5, 6.

gendi causas afferri videmus. Prima erat, quòd Deus ab omnibus operibus die septimo conquievisset: altera, quòd Deus populo suo, post diuturnam ac gravem servitutem, quietem præstitisset. Qua de causa etiam Deus sabbati observationem signum esse voluit fœderis, inter se & populum tunc constituti, eamq; decalago, præcipuæ legis parti, quæ cæteroqui ex moralibus præceptis tota constat, inseruit; & ejus violationem gravi pœna vindicari jussit.

Cap: XV. de ritibus communibus.

Exod: 31. 13, 17. Ezech: 20. 20.

Iam quod ad mensium diem festum attinet, is agebatur in singulorum mensium principiis, quæ Neomeniæ, sive Novilunia, aut Calendæ, sunt nuncupata. Qui quidem dies, quo pacto celebrati fuerint, luculentissimè tum a Mose, tum ab aliis Vatibus explicatur. Qua de caussa statim ad annorum festa tempora veniendum putamus, quæ quidem, vel unius anni vertentis erant, ideoq; anniversaria appellantur; vel plurium annorum revolutione continebantur. Ac illa quidem tria numerantur, nimirum Pascha, Pentecoste, & Vmbraculorum. de quibus omnibus Moses sic præcepit: *ter quotannis appareat omnis mas tuus apud Dominum Deum tuum, in loco ab eo electo, festo Azymorum, & Septimanarum, & Vmbraculorum: neq; apud Dominum vacui appareant, pro suæ quisq; facultatis munere, pro ratione copiarum, quas cuiq; largitus Dominus Deus vester fuerit.* His potest addi dies Expiationis, quo sacrificium illud maximè solenne a summo Pontifice conficiebatur: qui alicubi nominatim, ubi de feriis anni celebrioribus agitur, a Deo commemoratur. Quibus porrò ceremoniis singula ista festa acta fuerint, & copiosè & luculenter Mosaicis scriptis explicatum est.

Num: 10. 10. & 28. 11. 1 Sam: 20. 5. Psal: 81. 4.

Devt: 16. 16. 17. Exod: 34. 23.

Levit: 23. 27 & d.

Exod: 23 14: Levit 23 5. usque ad finem cap.

Iam ut videamus festa, quæ pluribus annis vertentibus agitanda erant; animadvertendum est, ea duo fuisse, quorum alterum septimo quoq; anno, qui & annus sabbati nominabatur, incidebat: alterum verò Iubilæum dicebatur, quod quinquagesimo quoq; anno celebrabatur. Ac illo quidem omnibus debitoribus nomina remittebantur, nec fas erat, debitum à creditoribus, qui ejusdem gentis nationisq; erant, exigere. Hoc verò omnes servitute oppressi libertate donabantur, & possessiones venditæ ad pristinos dominos eorumvé hæredes redibant. Edicebatur autem clangore tubæ omnibus terræ illius incolis. Et hactenus quidem de Ceremoniali lege; veniendum est ad Iudiciariam ac forensem.

Levit: 25. 1. & d. Devt: 15. ỳ 1. & d.

vid: d. l. Lev: 25. 8. & d.

CAP: XVI.

Cap: XVI.

De Lege Iudiciaria : & primùm de Iudicibus.

LEx Iudiciaria nihil aliud eſt, quàm certa norma ac regula, ſecundùm quam Iudices cauſas judicabant. Quæ res quò magis intelligatur, tum Iudices ipſos, tum hanc ipſam judiciorum normam perpendemus. Perſonæ judicum duplices fuêre. quidam enim generatim omnem adminiſtrabant Rempubl. & principum inſtar ſummæ rerum ſoli præerant: veluti fuit Moſes, Ioſua, Iudices illi, quorum hiſtoria peculiari libro deſcripta eſt, Samuel, filiiq; ejus, & Reges. Quidam verò his dignitate inferiores fuerunt, qui vel non univerſo populo, vel non ſuprema cum poteſtate, præſertim ſinguli præfuerunt: quales Seniores præfectiq; erant. Qui quidem rurſus in duos ordines diſtrahebantur. Alii quippe minora adminiſtrabant judicia, illi nimirum Tribuni, Centuriones, Semicenturiones, & Decuriones, quos Moſes Iethronis ſoceri ſui ſuaſu populo gubernando præfecerat. Alii verò majora reddebant jura, ut ſeptuaginta illi viri, quos Deus Moſi adjunxerat, quibusq; quod de Moſis ſpiritu detraxerat, pro ſua ſapientia diſtribuit.

Exod: 18. 21. Deut: 1. 13.

Num: 11. 24, 25.

Iam ut de judicum, ſeu illorum, qui magiſtratum geſturi erant, electione dicamus; intelligendum eſt, eam vel mediatè, ut dicitur, vel immediatè e Deo fuiſſe factam. Mediatè illam, quæ hominum fiebat operâ, ita ut penes ipſos perſonarum eſſet delectus; qualis fuit illorum, quos Iethro populo præficiendos cenſuit, & ſeniorum iſtorum, quos paulò antè commemoravimus. Quo in loco ſimul animadvertendum eſt, quales illos eſſe oportuerit, quibus iſta perſona dignè imponeretur. Hoc autem ex illis verbis Moſis apertiſſimum eſt: *Date*, inquit, *nobis viros ſapientes, prudentes, & ſpectatæ probitatis, de tribubus veſtris, & conſtituam eos præſides.* Quod idem & illo Iethronis conſilio continetur, qui ait: *diſpicito ex omni populo viros fortes, religioſos, fideles, & avaritiæ inimicos &c.* Immediatè porrò gubernatorum electio a Deo tunc fiebat, cùm Deus per ſe ipſe certos homines eligebat ac deſignabat, quos populo gubernando præficeret: quales fuerunt Moſes, Ioſua, Iudicesq; illi, quos populi ſervatores fuiſſe ſcriptum legimus: quod idem & de Saule Davideq; ſtatuendum eſt. Huc & conſecratio gubernatorum pertinet: quam quidem non uno modo confectam fuiſſe conſtat. Iam enim ipſe Deus admiranda quadam ratione eos initiabat; veluti

d. l. Deut: 1. 13.

d. l. Exod: 18.

Iudic: 3. 9 Nehem: 9. 27.

veluti cum septuaginta illis senioribus in tabernaculi ostio consti- Cap: XVII. de Judicum officio.
tutis, quasi particulam de spiritu Mosis decerptam singulis dedit: Num: 11. 25.
jam verò impositione manuum res ita perficiebatur, ut cum Moses
solus Dei jussu manus imponeret, eumq; coram Eleazaro Pontifi- Num: 27. 18. & d.
ce, coramq; omni multitudine sisteret, & ei in eorum oculis præci-
peret, deq; sua authoritate impertiret, ut illis obediret omnis Israëliticus populus: jam deniq; reges unguento olei ad regium mu- 1 Sam: 10. 1. & 16. 1, 13.
nus consecrabantur. 3 Reg: 1. 39. 4 Reg: 9. 3.

Cap: XVII.

De Judicum officio.

Postremò illorum officium generatim hoc loco perstringendum existimamus, propterea quòd paulò pòst, cum de ipsis legibus sermonem habebimus, speciatim id excutiendum erit. Moses igitur officii istius munus diversis in locis sic describit: *Quod justum est judicate, sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum: ita parvum audietis, ut magnum: nec accipietis cujusquam personam. quia Dei judicium est.* Devt: 1. 16, 17. Item: *judicato populum justo judicio, ne flectas iudicium, neq; agnoscas personam, neq; accipias munus: quoniam munus excœcat oculos sapientum, & pervertit causas iustas. Iustitiam iustitiâ persequaris; ut vivas & possideas terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.* Devt: 16, 18. & d. Et iterum: *Ne feceris iniquum quid in iudicio, ne suscipias faciem pauperis, nec reverearis faciem potentis, sed iustè judicabis proximo tuo.* Levit: 19. 15. Rursus: *Ne receperis rumorem falsum, ne sequaris multos ad malè faciendum, neq; respondeas in iudicio declinando post multos, ut perversum quid committas. pauperis quoq; non misereberis in iudicio.* Exod: 23. 1, 2, 3. Sed & regibus leges præscriptas esse videmus. Moses enim ea de re hunc in modum loquitur: *Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deutoronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit secum, legetq; illud omnibus diebus vitæ suæ: ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt: nec elevetur cor ei⁹ in superbiam super fratres suos, neq; declinet in partem dextram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse & filii ei⁹ super Israël.* Deut: 17. 18, 19.

Cap: XVIII.

De ipsis legibus judiciariis.

Veniendum tandem est ad ipsas leges judiciarias, quæ quidem duplices esse videntur. quibusdam enim judicabantur atque compo-

componebantur controversiæ: quibusdam verò certa constitu bantur certis maleficiis supplicia. Controversiæ porrò in magn varietate constitutæ erant, & ideo varia de illis judicia fieri opo tebat. Vel enim lis fiebat de bonorum distinctione; vel de hæred tatum distributione, vel de alterius termini motione, vel de con tractibus, pignore nimirum, deposito, emptione, venditione; d ponderibus justis aut injustis; de operariorum mercede; de servo rum tum mancipatione, tum manumissione; de divortiis; de belli cis deniq; expeditionibus, & aliis similibus.

Iam ut de pœnis delictorum agamus, intelligendum est, eas ve castigationes quasdam fuisse, vel capitalia supplicia. Castigatione rursus vel mulctâ constabant, vel verberibus irrogabantur. Ac ill quidem tum in puella libera circumventa atq; vitiata, tum in furto tum in vinea, pratové depasto; sic in cisterna non operta, in bov cornupeta, in spicis igni crematis, & aliis ejus generis locum habu it; quanquam si damnum absq; dolo malo datum esset, simplex eju compensatio sufficiebat. Hæc verò altera, quæ verberibus perficie batur, à Mose hoc pacto præcepta fuit: *si eum, qui peccavit, dignum viderint plàgis, prosternent, & coram se facient verberari. pro mensu ra peccati, erit & plagarum modus: ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant: ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus*. Huc pertinet etiam viri illius pæna, qui ductam a se uxorem exosus, sese in illa virginalia non invenisse per calumniam diceret. Is enim & pecuniâ & verberibus mulctabatur; præterquàm quòd uxorem illam dimittere iam nequaquam posset. Iam quod ad capitalia supplicia attinet, ea vel ita de nocentibus sumebantur, ut igne cremarentur; quo pacto illum, qui & matrem & filiam in matrimonium duxisset; & filiam sacerdotis scortantem puniendam fuisse legimus: vel ita, ut homines scelerati lapidarentur: quod supplicii genus in falsos vates, in spiritu pythonico præditos, in filium immorigerum, paternorumq; bonorum decoctorem, & alios quosdam maleficos constitutum erat: vel ita, ut qui capitali sese scelere astrinxerat, in patibulum ageretur; quam quidem pœnam illi populi principes persolvebant, postquam Israëlitæ cum Moabitarum puellis scortati fuissent, eorumq; idolis honorem exhibuissent: vel deniq; gladio in facinorosos vindicabatur, ut quidem de vituli illius cultoribus, & de paulò antè memoratis, tum idololatris, tum scortatoribus factum fuisse, scriptum legimus. Huc & lex talionis pertinet, qua sancitum erat, *ut vita pro vita, oculus pro oculo, dens pro dente,*

Exod:22.
Devt:25. 2,3.
Devt:22. 13. & d.
Levit:20.14. & 21. 9.
Levit: 20. 23. Devt: 21. 18. 22. 21, 24.
Num: 25 4. Exod: 32. 27.
Num: 25. 5, 9.
Exod: 21. 23, 24.

ro dente, manus pro manu, pes pro pede, sugillatio pro sugillatione, ulnus pro vulnere, vibex pro vibice penderetur. Huc deniq; omnia lia suppliciorum genera, quibus olim ex legis prǽscriptione in sceeratos homines animadversum fuit, necnon omnes illæ Levitaum maledictiones spectant.

Cap: XIX. de promissis religionis Mosaicæ. Levit: 24.20. Devt: 19. 21. Devt: 27. 14, 15.

Cap: XIX.

De promissis religionis Mosaicæ.

PRomissa porrò Mosaicæ religionis, omnia hujus vitæ commoda omnemq; terrenam felicitatem continebant. Quæ quidem romissa Moses diversis in locis luculentissimè proposuit. Primò nim sic loquitur: *Dominum Deum tuum colito; & ego tibi cibum potionemq; exuberabo, & morbos à te depellam. Nulla quæ abortum facit, nulla sterilis erit in tuis finibus: ævi tui numerum complebo, &c.* Exod: 23. 25, 26. Deinde alibi: *Si ex institutis meis vivetis, meaq; præcepta conservabitis & exequemini, eam ego vobis imbrium tempestatem dabo, ut & terra fruges, & terrestres arbores fructus suos edant. Et vobis tritura vindemiam, & vindemia sementem consequatur, & cibum ad satietatem apietis, & vestros fines quietè incoletis: tantamq; pacem in regionem vestram immittã; ut nihil sit, quod vos cubantes exterreat: feras quoq; ex finibus vestris exterminabo, neq; ibi ullum bellum versabitur. Hostes vestros fugabitis, & ferro dejicietis, & ita dejicietis, ut quini centenos, & centeni decies millenos in fugam vertatis, me vos respiciente & augente atq; multiplicante, & quæ pactus sum vobis præstante. Veteribus frugibus vescemini, & veteres præ novarum copia efferetis. Ego meum tabernaculum apud vos collocabo, neq; à vobis animo abalienabor, interq; vos versans, vobis ero Deus, & vos mihi populus:* Levit: 26. 3. & 4. Item alibi: *Quòd si hæc jura audiveritis, eaq; servaveritis, atq; tenueritis, fiet ut vobis Dominus vicissim pacta præstet, & clementiam, quam maioribus vestris juravit, vosq; amet, fortunet, augeat, vestrarum alvorum, & terræ fructus, frumentumq; & vinum, & oleum, & armentorum, & gregum balantum fœtus fœcundet in terra, quam se vobis daturum esse majoribus vestris juravit. Eritis omnium gentium fortunatissimi, neq; ullus aut ulla vel in vobis, vel in vestro pecore sterilis erit. Auferet Dominus à te omnem langvorem, & morbos Ægypti pessimos, quos novisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis.* Devt: 7. 12, 13. In hoc genere & illud est: *Accident & contingent vobis omnes hæ felicitates, modò Domino Deo vestro dicto audientes sitis; benedictus tu in civitate, & benedictus in agro,* Devt: 28. 2. & 4.

Cap: XX. de confirmatione promissorum Mosaicorum.

gro, benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusq; jumentorum tuorum, gregesq; armentorum tuorum, & caulæ ovium tuarum. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris ingrediens & egrediens. Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgent adversum te, corruentes in conspectu tuo. per unam viam venient contra te, & per septem fugient a facie tua. Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarum, benedicetq; tibi in terra quam acceperis. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut juravit tibi, si custodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaveris in viis eius; videbuntq; omnes terrarum populi, quòd nomen Domini invocatum sit super te, & timebunt te. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu uteri tui, & fructu iumentorum tuorum, fructu terræ tuæ, quam juravit Dominus patribus tuis, ut daret tibi. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cælum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo: benedicetq; cunctis operibus manuum tuarum, & fænerabis gentibus multis, & ipse á nullo fænori accipies. Constituet te Dominus in caput, & non in caudam, & eris semper suprà, & non subter: si tamen audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, & custodieris & feceris, ac non declinaveris ab eis nec ad dextram, nec ad sinistram, nec secutus fueris Deos alienos, neq; colueris eos.

Cap: XX.

De confirmatione promissorum Mosaicorum.

NOn solùm autem Deus ita populo illi religionis istius rationem præscripserat, ut & leges illi ferret, & terrena præmia proponeret: sed ut etiam hoc suum pactum firmissimis rationibus corroboraret. Nam & multa portenta Moses in illorum oculis Dei virtute ediderat, & admiranda ratione eos per mare pervium atq; dissectum, divino armatus robore duxerat; & virgâ, quam manibus tenebat, elatâ, maris fluctus in suum locum reduxerat, Ægyptiosq; insequentes aquis refluentibus obruerat; & ipse Deus suam præsentiam tum innumeris aliis modis, tum hoc maximè declarabat, quòd cum Israëlitæ iter facerent per incultam atq; vastam regionem, die nubes, ipso procurante, eis præibat, cujus ductum sequerentur: nocte verò clarissimum lumen illis præferebatur. Quid, quòd cùm hac eos religione obstringere instituerit, ipse eos allocutus est de monte Sina, in quo extiterunt fragores, & fulgura, & densæ nubes, & tubæ sonus vehementissimus, quo cunctus in castris po-

Exod: 14. 21, 22, 27, 28.

Exod: 13. 21, 22.

Exod: 19. 17. & 4.

pulus tremefactus est. Quibus rebus omnibus Deus & Mosen, qui pacti illius mediator erat, a se missum esse ostendere, & populo numinis sui metum injicere voluit, ut nunquam officii memoriam deponeret. Postremò, ut fœdus illud conveniente ceremonia sanciretur, populusq; in illud ascriberetur, Moses vitulorum hircorumq; sanguine eum aspersit, dicens: *hic est sanguis fœderis hujus, de quo mandatum dedit ad vos Dominus.* Levit:26. ult. Devt: 5. 5. Gal: 3. 19. Exod: 24. 8. Hebr: 9. 18. & d.

Cap: XXI.

De Legis difficultate.

HOc autem in loco dicet fortasse quispiam, quia ea conditione populo illi promissa facta sunt, si legem Dei conservaret; idcirco homines illos vana terrenæ felicitatis spe illectos fuisse; cùm fieri non potuerit, ut quis legem servaret, ejusq; sanctissimis præceptis obediret. Nam spiritus divinus, inquiet, legi impossibilitatem assignat, ejusq; jugum Israëlitas illos perferre non potuisse asserit: & negat aliquem esse, qui aut bonum faciat, aut in conspectu Dei justificari possit. Rom: 8. 3. Act: 15. 10. Psal: 14. 3. & 53. 4. & 143. 2. Nos autem primò generatim respondemus, nequaquam absq; insigni divini numinis injuria tantam ipsius legibus maculam aspergi posse, ut prorsus impossibiles esse dicantur: cùm sic Deo justissimo atq; sapientissimo turpissima (horret animus dicere) iniquitatis stulticiæq; nota necessariò inuratur, ut qui non solùm eam legem hominibus imposuerit, quam servare nullo pacto possint; sed etiam, quia eam non exequuntur, pœnam ab illis gravem expetat. Quòd si ea ratione legem præstitu impossibilem dicere velis, quâ v. g. Christus impossibile esse ait, divitem intrare in regnum cælorum, h. e. adeò difficile, ut ægrè id queat fieri, & hominum vires quodammodo superet; Mat: 19. 26. conf. ℣ 24. facilè concedimus, impossibile esse legem opere implere, si perfectior ejus sensus spectetur. Animadvertendum est enim, duplicem esse legis moralis, de qua potissimùm disputatur, sensum: alterum perfectiorem, quem non rarò ipsa legis verba per se sumta postulare videntur, ut patet ex præceptis illis generalibus de Deo & proximo diligendo, itemq; de concupiscentia vitanda: alterum imperfectiorem, accommodatum statui populi Iudaici adhuc rudis & carnalis; Devt: 6. 5. Levit: 19. 18. Exod 20. 17. qui quidem inserviebat partim exercendo illi populo in cultus divini rudimentis, partim civili honestati & tranquillitati publicæ, atq; adeò terrenæ felicitati, quam Deus populo promiserat, conservandæ. Hoc posteriori

modo

modo legem servare & poterat & debebat, quisquis promissis illis terrenis, quæ antea recensuimus, potiri cupiebat; præsertim cum certa esset proposita ratio, leviora quædam delicta expiandi, ita ut ea nequaquam obstarent, quominus quis promissa fœderis adipisceretur, quemadmodum suprà vidimus. Nec sanè dubium esse debet, extitisse olim homines, qui hoc pacto legem divinam conservaverint. Vnde Psaltes regius non pauca disserit de Dei benignitate, quâ utatur erga eos, qui fœdus ipsius conservent. Et Lucas de Iohannis Baptistæ parentibus testatur, quòd fuerint *ambo iusti coram Deo, ambulantes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini irreprehensibiles*. Et Paulus scribit: *se quoad iustitiam, quæ in lege, fuisse irreprehensibilem*. De Davide etiam ipso legimus, quòd *non declinaverit ab omnibus, quæ præcepit ei Deus, cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone* (seu negotio) *Vriæ Hettæi*; in quo ipso profectò non minùs, quàm in reliqua vita, integrum præstare se poterat: cum & olim & hodie reperti fuerint homines, qui nunquam tam gravi se flagitio, quale David in se admisit, obstrinxerint. Idem David, sive quisquis est auctor Psal:119, & sibi & aliis tribuit, quòd custodiant Dei mandata. Quare cum hoc sensu legem Dei servare iis sufficeret, qui terrenam illam felicitatem, quæ in fœdere promissa erat, adipisci vellent; nequaquam censendus est Deus spe vana lactasse Israëlitas, cum hac illis conditione felicitatem istam est pollicitus. Quod ad priorem legis sensum attinet, qui perfectior est, & perpetuam omnibusq; numeris absolutam mandatorum divinorum observationem postulat; ad eum respicit Paulus, cum de operibus legis disserit, & ex iis homines justificari negat. Etsi enim eo quoq; pacto legem Dei servare, non sit prorsus naturâq; suâ impossibile, cum, ut rectè vulgò dicitur, ad impossibilia nemo obligetur: tamen adeò id est difficile, ut nec de quoquam in sacris literis legatur, nec credibile sit, quemquam præter Christum extitisse, qui eo modo legem Dei impleverit. Quin ne illud quidem lex efficere vi sua potuit, ut homines promissis ipsius fidem adhibentes, saltem plærumque mandata Dei universa, perfectiori sensu intellecta, observarent; id quod Deus per Iesum Christum filium suum in iis effecit, qui religionem ejus verè sunt amplexi, dato illis spiritu vitæ, cujus lex, hoc est, vis atq; imperium, eos liberavit a lege peccati. Et hoc est, quod Paulus ait, *legi fuisse impossibile*. Vbi haudquaquam asserit, impossibile esse Legem servare; sed legē ipsam efficere non potuisse, ut homines e servitute peccati ac mortis eximerentur; quia nimirum, ut statim Paulus subjicit, *Infirmabatur per carnem*. Hāc enim Lex com-

Psal: 103. Luc: 1. 6. Phil: 3. 6. 1 Reg: 15. 5. Psal: 119. 1. & d 55, 63, 87, 101, 102, 128, 167, 168. Rom: 3 & 4. & alibi. Rom: 8. 2 ibid: ℣ 3.

primere eam potissimùm ob causam non poterat, quòd non modò vitam immortalem bonaq; cælestia apertè nequaquam promitteret; sed etiam nullius delicti veniam ejusmodi proponeret, quæ ab eterna morte liberationem in se complecteretur; ut taceam, eam gravioribus peccatis nullam expiationem concessisse, sed veniæ potiùs spem præcidisse. Quare cum immortalis vitæ bonorumq; cælestium spem atq; amorem, hominum animis non insereret: contrà autem bona terrena & carni grata toties, tamq; apertis verbis inculcaret: carnem non modò non repressit, sed etiam illius vim ac desideria quodammodo auxit & incendit. Quamdiu autem rerum terrenarum ac carnalium amore tenentur homines, tam diu legi Dei, perfecto illo ac spirituali sensu acceptæ, parere ne utplurimùm quidem possunt. Quanquam interea Deus extraordinariè in hominibus sibi confidentibus efficere poterat id, quod lex vi sua non poterat, & benigniùs cum iis agere, quàm in fœdere promisisset. Rom: 7. 14. & 1. & 8. 5. & 6.

Quòd verò Petrus de se cæterisq; Israëlitis, eorumq; patribus ait, quòd jugum legum ceremonialium (de hoc enim illi sermo est) portare non potuerint: id nihil significat aliud, quàm durum admodum ac valde molestum illis fuisse jugum istud, &, ut vulgo de hujusmodi rebus loqui solemus, intolerabile; non quòd id ferre, si vim sibi facere vellent, nullo modo possent. Act: 15. 10.

Quòd porrò David negat, quemquam esse qui bonum faciat, aut in conspectu Dei justificandus sit; id primùm ad institutam quæstionem non facit; cum hoc loco non quid ab hominibus fiat, aut non fiat, sed quid fieri possit, aut non possit, quæratur. Deinde si literalem, quem vocant, priorum præsertim verborum sensum spectes, hyperbolicam in iis dicendi figuram vulgò etiam usitatam deprehendes, ita ut nemo dicitur facere bonum, ne unus quidem, quia pauci sint admodum, & respectu tantæ impiorum multitudinis propè nulli, qui rectè pieq; vivant. Nam ibidem satis apertè plebs seu populus Dei, & generatio justa, distinguitur ab iis, quorum improbitatem verbis illis, de quibus agimus, David expresserat. Idem de altero loco censeri potest, si de ejusmodi justificatione accipiatur, quæ omnibus contingebat, qui ex vi fœderis antiqui felicitate terrena potiebantur. At si de justificatione perfectiore accipias, quæ ex absolutissima mandatorum divinorum obedientia manat, simpliciter id sumi potest, ac debet. Verùm id Dei justitiam nequaquam convellit: cum id non ex impossibilitate, sed ex difficultate tantùm servandæ legis, hominumq; ipsorum vitio, proficiscatur; Psal: 14. 3. & 53. 4. 143. 2. Psal: 14. 4, 5. 53. 5. Psal: 143. 2.

ſcatur: nec quicquam prohibeat, quominus promiſſorum Moſaicorum homines fieri potuerint compotes. Ex his autem facilè conſtare poteſt, quamvis religio Moſaica ſuperioribus longè perfectior fuerit; rem ipſam tamen quodammodo poſtulaſſe, ut ejus modi colēdi Dei modus ſubſequeretur, qui nobiliori ac diviniori propoſito præmio, majorem vim homines Dei ſtudio inflammandi haberet. Id quod multos Iſraëlitas, qui reliquos ingenio ſuperabant, animadvertiſſe veriſimile eſt; præſertim poſtquam illa Dei pollicitatione fuêre admoniti, quâ ſeſe novum aliquando fœdus cum populo percuſſurum eſſe recepit. Ierem: 31. 31.

De Vera Religione Liber Tertius.

De Religione Christiana.

Quæ fuerint priora tempora, quibusq; devincta religionibus, ſatis, ut arbitror, explicavimus. Agendum igitur tandem eſt de temporibus poſterioribus, quæ a viris divinis ſeculorum fines, & tempora ultima ideò videntur appellata, quòd iis, durante hoc mundo, nullum aliud ſeculum, abſolutiore cultus divini ratione ab iis diſtinctum, ſit ſucceſſurum. Quæ enim præteritis ſeculis adumbrata fuêre, ea nunc viva expreſſaq; imagine omnium oculis ita ſubjecta ſunt, ut ad pleniſſimam divinæ veritatis noticiam, quanta quidem in hujus ſeculi rationem cadit, nihil deſiderari poſſit. 1 Cor: 10. 11. Hebr: 1. 1.

Cap: I.

De Autore religionis Christianæ; & primùm de ejus natura.

Appellatur autem hæc divinę veritatis diſciplina Chriſtiana religio, quòd per Ieſum, qui Chriſtus nuncupatus eſt, quemq; Deus illius ducem & autorē eſſe voluit, tradita eſt atq; promulgata. Eſtq; nihil aliud, quàm cultus divini numinis, quem ipſe Deus, propoſito vitæ ſempiternæ præmio, hominum generi per Chriſtum præſcripſit. Quam rem ut penitus perſpiciamus, duo potiſſimùm at-

tenta

tenta consideratione ponderanda esse videntur. Nam & hujus religionis ducem, & eos, qui illius ductum, vel sequi sese profitentur, vel revera sequuntur, intueri oportet. Ac ducem quidem hujus disciplinæ ideo diligentissimè contemplandum existimamus, quòd in perfecta ipsius cognitione totius religionis notitia continetur. Agnitio quippe illius, tum ejusdem personam, tum officium complectitur; quorum utroq; rectè cognito, tota Christiana religio cognoscitur. Primò igitur de Iesu Christi persona ita agendum est, ut ejus consideremus naturam; idq; pro status ipsius diversitate, tum illorum temporum, quibus in terris versabatur, ratione habita, tum hodiernæ naturæ ipsius conditione diligenter animadversa. Ad priorem igitur naturæ ipsius statum quod attinet; satis apertè ex divinarum literarum monumentis constat, verum eum hominem fuisse. Nam & ex Davidis stirpe illum ortum habiturum jam olim prædictum fuerat; & haud aliter se rem habere eventus comprobavit: cùm & hominem eum natum fuisse, & proprias hominum qualitates habuisse, & eos subiisse casus, qui non nisi homini obvenire possunt, compertissimum sit. Qui enim ex humano corpore animaq; constat, qui fame sitiq; premitur, qui cibo, potu, somnoq; reficitur atq; recreatur, qui miserandos hominum casus lachrymis prosequitur, qui in varias afflictiones, atque adeò in teterrimam ignominiosissimamq; mortem incurrit; is certè quin homo sit, fieri nequaquam potest. Hæc omnia cum in Iesum religionis nostræ ducem ceciderint; quis eum humanâ naturâ ac conditione excludere audebit? Hinc eum & carnem fuisse, & in carne venisse, & carnem sanguinemq; participasse divinis testimoniis edocemur; ut & hominem eum mortalem & fragilem, & dolorum acerbitatibus, & deniq; morti obnoxium fuisse intelligamus. Quid, quòd idem dux noster, homo aut filius hominis passim apud Novæ scripturæ autores appellatur. Voluit quippe summus ille salutis nostræ architectus, hac ratione & gloriæ suæ, & saluti nostræ optimè consulere. Vt enim de ipsius gloria primùm agamus; constat, eam in patefactione bonitatis, potentiæ, & sapientiæ ipsius inprimis constitutam esse. quæ omnia cum ex eo clarissimè eluceant, quòd is, qui naturâ homo est, fidei nostræ dux & perfector factus est; nihil sanè ad divinam laudem præstantius esse potuit, quàm per hunc eundem hominem universam salutis nostræ rationem & inchoari & absolvi. Ac bonitas quidem Dei in hoc maximè cernitur, quòd hominem tantis divinæ suæ gratiæ ornamentis cumulavit, ut ipsius benignitate verissimæ felicitatis (de qua suo loco fusiùs explicandum e-

2. Sam: 7. 12. Psal: 132. 11.

Matth: 4. 2. Ioh: 19. 28. Matth: 8. 24. Luc: 19. 41. Ioh: 11. 35. Heb: 5. 7.

Ioh: 1. 14. 1 Ioh: 4. 2, 3. Heb: 2. 14.

Ioh: 8. 40. Rom: 5. 15. 1 Cor: 15. 21. 1 Tim: 2. 5.

dum erit) non solùm nuncius, sed etiam effector largitorq; existeret. Potentiæ autem divinæ maximum argumentum est, quòd per hominem rem tam arduam,&omnium creaturarum vires superantem conficere potuit. Neq; enim eadem Dei potentia, tam illustris, tamq; gloriosa esset, si ad tantum negotium eo usus fuisset, qui diviniore quadam natura præditus foret. Quid verò de summa Dei sapientia dicam? ea certè in hoc clarissimè perspicitur, quòd nulla commodior ratio, quâ ad illi confidendum perduceremur, excogitari potuit eâ, quam in illo salutis nostræ principe constituendo secutus est; qui ob ejusdem naturæ, quam nobiscum habuit, conjunctionem, insitamq; erga nos charitatem, rebus nostris consultissimum cuperet,eandemq;, quam nos edocturus erat, viam ingrediens, ad ingentem Dei fiduciam animos nostros excitaret, illamq; mirum in modum confirmaret. Atq; hinc simul illud apparet, quod secundo loco proposueramus, Deum nimirum hac via ac ratione saluti nostræ optimè consuluisse. Nam præter id, quod modò diximus, consentaneum etiam erat, ut is nobis dux & autor præficeretur, cujus nos illis in rebus, quæ in hominem cadunt, vestigia persequi posse, exploratissimum haberemus. Quod certè secùs esset, si Iesus Christus excelsiore quadam,& supra humanam conditionem positâ naturâ præditus fuisset.

Hæc autem non eò inculcantur a nobis,quòd Iesum Christum in vulgarium hominum turbam conjicere cogitemus. Vt enim, si ad ejus respicias essentiam atq; naturam, non nisi hominem eum fuisse constanter affirmamus: sic contrà,si in admirabilem nascendi rationem mentis aciem intendas, si divinam, quæ in ipso adhuc mortali eluxit, potentiam, sapientiam, sanctitatem intuearis, longè omnium humanum genus excellentissimâ dignitatis præstantiâ eum jam tum superasse comperies. Nam ut de nascendi ratione nunc dicamus, ex spiritu sancto conceptus, & ex virgine, inusitata planè ratione, & naturæ limites excedente, natus est; & hanc primùm ob causam filius Dei vocari meruit; & filius quidem Dei proprius atq; unigenitus, quemadmodum eum sacræ lit. appellant. Nam ne de aliis, iisq; potioribus hujus appellationis causis nunc quicquam dicamus; jure propterea proprius atq; unigenitus Dei filius dici potest,quòd & solus hac ratione in lucem editus sit, & statim a vitæ suæ primordio Dei filius extiterit, nec præter Deum ullum alium patrem habuerit. qua de caussa & naturalis Dei filius rectè potest appellari. Cujus quidem nativitatis tam admirabilis duplex potissimùm videtur fuisse causa. Primò enim voluit eum Deus, tum

Mat: 1.18,20,23. Luc: 1 35.

Ioh: 1.18: 3. 16,18. Rom: 8,32.

us, tum illis, quos hoc mysterium tunc minimè latebat, tum illis, qui postmodùm ejus rei noticiâ instruẽdi essent, commendatissimũ esse, maximamq; habere apud illos authoritatem. Deinde consentaneum est, in ipso statim ejus ortu, summo illi Patri spiritualium filiorum suorum generationem hoc pacto adumbrare placuisse, ut accedente postea divinæ voluntatis disciplina, clarissimè pateret, qua ratione in filium Dei evadere eum oporteret, qui ad sempiternam hæreditatem contenderet: nempe eum non ex sanguinibus, ut Iohannes loquitur, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex spiritu ipsius nasci oportere. Quo magis illorum sententiam repudiamus, qui eum ex Iosephi semine generatum esse affirmant; utpote quæ & luculentissimis Dei oraculis repugnet; & de singulari Christi gloria atq; dignitate plurimum detrahat; & deniq; divinum hoc mysterium, quod admirabili Christi nativitate contineri modò diximus, prorsus exterminet. Arbitrantur isti quidem, se firmissimum opinionis suæ præsidium inde habere, quòd Christus Davidis filius a Divinis autoribus appellatur; quos a mendacii crimine vindicari nulla ratione posse persuasum habent, nisi eum Iosephi, qui ex Davidis stirpe ortum habuit, filium esse statuatur. Mariam enim non ex Davidis, sed Aaronis familia natam fuisse, inde colligi ajunt, quòd Elisabetham, quæ ex filiabus Aaronis erat, cum illa cognationis necessitudine coniunctã fuisse scriptum legitur. Addunt insuper & hoc, etiamsi concedatur, Mariam ex Davidis familia ortum habuisse; nequaquam tamen id, quod nos volumus, inde confici: propterea quòd non ex feminis, sed ex viris unaquęq; familia nominetur. Verùm ne hilum quidem istis rationibus subducendis proficiunt. Vt enim Christus ex Davide originem ducere rectissimè dicatur, satis est, eum ex illa genitum fuisse, quæ Iosepho jam erat desponsata, ejusq; uxor facta, quamvis tunc nondum congressi fuissent. Vsitatissimum enim ex divino decreto mandatoq; erat, ut is etiam filius alicujus diceretur, qui ex illo cujus filius censebatur, natus minimè erat. Voluit quippe Deus, verbi causâ, ut frater fratri absq; prole demortuo in matrimonio succederet, ejusq; uxore ducta, semen illi excitaret; ut nimirum qui ex ea nasceretur filius, non huic, qui eam sibi matrimonio junxerat, sed illi, qui diem suum obierat, assignaretur. An non igitur multò magis is cujuspiam filius censendus est, qui eo adhuc vivente, absq; ullius viri consortio, sola Dei virtute, ex ipsius uxore natus, illiq; ea, qua Deo visum est, ratione donatus fuit?

Ioh: 1. 13. 3. 5. & seqq.

Luc: 1. 5. ib: ℣ 36.

Matth: 1. 18.

Deut: 25. 5. Gen: 38. 8, 9.

Sed jam tempus est, ut Christi naturam secundùm hodiernum

ipsius statum perpendamus. Videmus igitur, eum non ampliùs ejusmodi corpore prçditum esse, quod imbecillum, quod abjectum, quod doloribus, quod injuriis, afflictionibus, acerbissimæ deniq; morti obnoxium sit: cùm eum summus ille Pater a mortuis excitatum, corpore ornaverit spirituali, cælesti, immortali, & splendore inexplicabili collucente; & quod consequens est, omnibus eum humanæ vitæ ærumnis, omnibus calamitatum perpessionibus liberatum, ad divinæ suæ naturæ similitudinem extulerit. Vnde Paulus
1 Cor: 15. 45. Christum jam a mortuis excitatum, spiritumq; vivificantem effectum, ea ratione Adamo opponit, quòd hic de terra terrenus, & sic terreno & animali corpore præditus fuerit: ille verò de cælo cælestis, cælestiq; ac spirituali corpore cinctus, spiritusq; vivificans effe-
Phil: 3. 21. ctus sit. Huc spectat, quòd idem Apostolus ad Philippenses scribens, Christo gloriosum corpus tribuit, ut illud ab omni fragilitate corruptionisq; periculo remotissimum, & admirabili splendore illustratum, cælesti virtute invictoq; robore firmatum ac munitum es-
1 Cor: 15. 50. se doceat. Fieri quippe non potest, quemadmodum idem alibi testatur, ut caro & sanguis regni divini hæreditatem adeant, aut corruptio incorruptibilitatem possideat, hoc est, ut qui corpore est carneo, ac proinde naturâ suâ caduco, interituiq; obnoxio, is, *dum* quidem hunc statum retinet, in cælo, quod immortalitatis sempiternæq; gloriæ sedes & domicilium est, perpetuò habitet. Adde,
Heb: 10. 5. quòd auctor Epist: ad Hebr. non obscurè testificatur, Deum Christo cælos ingredienti corpus adaptasse, id est, corpus dedisse ad ipsius voluntatem perficiendam aptum atq; accommodatum; quod certè immortale omnisq; corruptionis expers sit necesse est. Aliter
Heb: 10. 10. enim ad Dei voluntatem perficiendam, id est, ut ibidem apparet, perpetui sacerdotii munere in cælis perfungendum, ineptissimum
Hebr: 7. 26. foret. Etenim *talis*, inquit idem autor, *decebat, ut nobis eßet pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus*. Vbi animadvertendum est, scriptorem istum, nõ commendare Christi innocentiam sanctitatemq;, quæ in ipsius moribus totaq; vita semper eluxerit; hoc enim ad rem, quam explicandam susceperat, nihil habebat momenti, nec, sive antecedentem, sive consequentem verborum complexionem spectes, ullum hui⁹ rei vel tenuissimum vestigium apparet. Proponit quippe Divinus iste autor Christum ante oculos nostros, quatenus se-
℣ 25. cundùm ordinem Melchisedeci sempiternus sacerdos existens, æternùm vivit, & hoc ipso legales sacerdotes longè superat, quippe qui mortis importunitate perpetuò vivere prohibebantur. Vnde colligi-

colligitur, eundem authorem, figurata loquendi ratione, nihil nos aliud eo in loco docere, quàm Christum nunc in cælis existentem, omnibus perpessionibus atq; infirmitatibus, quibus homines peccatores subjiciuntur, atq; adeò ipsa mortalitate, omniq; naturali imbecillitate, quâ iidem sunt circumdati, penitus liberatum, sempiternâ vitâ perfrui.

Cap. II.

De officio Christi, & quidem generatim descripto.

SEquitur deinceps, ut de officio Iesu Christi agamus; quod quidem nullum aliud est, quàm generi humano sempiternam afferre felicitatem atq; salutem. Qua de caussa passim [a] in Nova scriptura Salvatoris, seu mavis Servatoris titulo decoratur. Quid, quòd ipse luculentissimis verbis testificatur, [b] se mundi servandi causâ divinitùs missum esse. Hoc autem muneris sui officium ita partim præstitit, partim etiam nunc præstat, ut & salutem hominibus annunciaverit, & confirmaverit; & ad eam curandam, atq; ad exitum perducendam, totum sese pro summa sua potentia, immensaq; erga genus humanum charitate contulerit, atq; adeò eam nobis aliquando reipsa sit daturus. In singulis autem hoc loco commemoratis vis aliqua singularis inest. Cum enim hic religionis nostræ dux & autor, divinam voluntatem nobis annunciat, & quantum in ipso est confirmat, prophetæ partes tuetur; cum ad nos in cælestis hæreditatis possessione collocandos divinam suam potentiam adhibet, regis officium facit; cum deniq; immensa nos charitate complectitur, omniq; cogitatione in salutem nostram, quæ peccatorum nostrorum expiatione continetur, incumbit, sacerdotis munere simul perfungitur. Triplex namq; illius munus est, propheticum, regium, & pontificium. Quæ omnia unico Christi sive Vncti nomine continentur: propterea quòd olim tum sacerdotes, vatesq;, tum reges, per unctionis religionem atq; ceremoniam muneribus suis initiabantur; maximè tamen regibus id habebatur honoris, ut Christi sive uncti appellarentur; ita ut cum Christum dici audis, regem inprimis dici intelligas.

a Luc: 2. 11. Ioh: 4. 42. Act: 5. 31. & 13. 23. Ephes: 5. 23. 1 Ioh: 4. 14.
b Ioh: 3. 17.

Exod: 29. 7. 1 Reg: 19. 16. 1 Sam: 10. 1. 16. 13.

Cap: III.

De Prophetico Christi munere, & primùm de ejusdem initio.

IAm ut Prophetici Christi muneris explicationem aggrediamur; non alienum hoc loco videtur, illud priùs perpendere, quod di-

Cap. III. de initio Prophetici muneris Christi.
Ioh: 1. 1.
Mar: 1. 1. & d.

vina oracula tanquam præcursionem quandam huic Christi officio præmittunt, quodq; a Ioanne Marcoque Evangelii initium seu principium appellatur. Illud autem totum Ioannis Baptistæ ministerio continetur. Tunc enim primùm lætissimus de Messię adventu, deq; insigni & priscis temporibus inaudita felicitate hominibus tribuenda nuncius afferebatur, ac Iudæorum animi ad eam excipiendam præparabantur; ideoq; uterque Evangelista hoc Evangelii principium ad Ioannem Baptistam illiusq; disciplinam refert. Tametsi autem alter, nempe Ioannes, *principii* vocabulo non perinde ut Marcus, Evangelii vocem adjunxit; subintelligendum tamen omnino esse, tum indè perspicitur, quòd subjecta materia, quam hic divinus autor tractandam suscepit, est Evangelii disciplina; tum quòd apertissimè de illo principio eo in loco verba fiunt, quo jam Sermo seu Verbum, id est, Iesus Christus extabat, & ad divinæ voluntatis interpretandæ munus comparabatur: sed erat, ut Evangelista loquitur, *apud Deum*, non apud homines, id est, nondum publicè cælestis disciplinæ mysterium hominibus explicabat; ideoq; illis hujus sui muneris ratione ignotus erat: Deo tamen erat exploratissimè cognitus; utpote qui non solùm ea, qua suprà dixi ratione, ipsius pater esset: sed etiam illum tunc, Ioanne interim munus suum exequente, ad hoc propheticum officium instrueret, divina virtute muniret, & invicto robore armaret, ut disciplinam, quam orbi terrarum traditurus erat, divinam, cęlestem, veram atq; salutiferam esse, firmissimis divinæ virtutis argumentis ostendere posset: quemadmodum etiam postea partim per se, partim per Apostolos, aliosq; servos suos reipsa fecit. Qua de causa & Deus fuisse dicitur, & omnia, nempe quæ in Evangelio continentur, & ad illud quoquo modo pertinent, per ipsum effecta; nihilque quod factum sit, sine ipso factum esse, eodem in loco docemur. Quamvis enim verba ista nullam apertam Evangelii mentionem contineant; subjecta tamen materia, ad quam vox *omnia* a divinis autoribus referri solet, hanc esse verborum istorum sententiam, maximo est argumento. Quam quidem subjectam materiam Evangelii doctrinam esse, paulò antè diximus; & præter inscriptionem ab omnibus receptam, ipsum Ioannis officium, qui Evangelii præco fuit, satis unumquemque monere potest. Erat igitur hic summus propheta noster in illo initio apud Deum: id quod eam ob causam tanto studio ab Evangelista inculcatur, ut liquidissimò appareat, etiamsi Ioannes Baptista tum temporis summa cum laude in suo officio versaretur, magnamque apud omnes haberet autoritatem:

Christus

Christus verò quasi in occulto lateret, nec dum gloriam suam patefaceret; non Ioannem tamen, ut populus Iudaicus suspicabatur, sed Iesum Verbum Sermonémve istum, & lucem veram, id est, Messiam fuisse. Quam quidem rem multò clarioribus verbis idem Evangelista paulò inferiùs explicat, dum Ioannem nequaquam illam lucem fuisse dicit, quæ in mundum veniens omnem hominem illuminaverit: sed tantùm, ut de ea testimonium diceret, missum fuisse.

Cap: IV. de Ioannis officio. Luc: 3. 15. Act: 13. 25. Ioh: 1. ℣ 8. 9.

Cap. IV.

De Joanne Baptista, ejusq; officio.

HOc autem Prophetici Christi muneris initium, quod Ioannis ministerio contineri demonstravimus, ut rectiùs intelligatur, operæ precium est cognoscere, quid illud fuerit, quibusq; in rebus constitutum; ad quod hominum genus pertinuerit; & quàmdiu futurum duraturum. Primò igitur generatim dicimus, Ioannis officium illud fuisse, ut Christi esset præcursor, quem Deus tanqam alterum Eliam, utpote Eliæ spiritu atque virtute præditum, ad sibi per Christum salutis nostræ negotium aggredienti viam muniendam præmiserat. Quam quidem muneris sui functionem tum prædicando, tum baptizando explevit. Prædicationis autem duæ potissimùm erant partes, quarum altera vitæ præcipiebat correctionem, quę pœnitentiæ nomen apud divinos autores obtinuit; altera verò testimonium, quod de Christo dicebat, complectebatur. Ad pœnitentiam porrò ita homines instituebat, ut eis ad impietatem vitæ abjiciendam, ad sceleris impuritatem detestandam, ad justiciæ sanctimoniæq; studium colendum author esset, idq; tum illis, qui morigeros sese præstarent, amplissimo scelerum condonationis præmio proposito, tum qui contrà facerent, gravissimo constituto supplicio. Nam & perditos multorum mores acerrimè reprehendebat; & ut dignos verâ pœnitentiâ fructus in posterum ederent, diligentissimè admonebat; & singulos, ab eis rogatus, qua ratione vita instituenda esset, erudiebat; & sic multos de filiis Israël ad Dominum Deum ipsorum, a quo per summum scelus defecerant, convertebat; & denique quantum in ipso erat, corda patrum convertebat in filios, & rebelles ad prudentiam justorum, ut pararet Domino populum instructum.

Mal: 4. 5. Matth: 11. 14. 17. 12, 13. Luc: 1. 17. Mar: 1. 4. Luc: 3. 3. Mat: 3. 7. & seqq. Luc: 3. 10. & d. Luc: 1. 16, 17.

Animadvertendum autem hoc loco est, quamvis pœnitentię disciplina non minimam Iohannis Baptistę officii partem contineret: nequaquam tamen eam satis ab illo fuisse explicatam, aut tam

perfectè

Cap: V. Testimoniũ Iohannis de Christo.

perfectè traditam, ut omnia, quæ ad Christianam pietatem constituendam sunt necessaria, ex illa hauriri possent. Neq; enim ad præcursorem pertinebat, illud sibi assumere, quod ejus erat proprium munus atque officium, cui præcurrebat, viamq; muniebat. Christus namque is erat, qui absolutam omnibusq; suis numeris expletam pœnitentiæ doctrinam hominum generi traditurus esset. Quę tamen cum sine prævia animi probitate, ut suo loco docebimus, (Lib: 4. c. 1:) nec satis percipi, nec præstari posset; consentaneum Dei bonitati sapientiæq; erat, ut ipsius jussu atque impulsu, divinus iste præcursor fundamenta quædam tam salutaris disciplinæ jaceret, hominumq; mentes ad studium probitatis excitaret, & sic ad Christi instituta, tum rectè intelligenda, tũ alacriter exequenda præpararet.

Cap: V.

De Johannis, quod Christo reddidit, testimonio.

IAM ut de Iohannis testimonio disseramus, attentè considerandum est, tum quid de Christo fuerit testificatus; tum ad quem finem omnem sui testimonii rationem direxerit. Eorum autem omnium, quæ de Christo Iohannis testimonio continentur, summa in hoc consistit, quòd illum, ut ratione prophetici muneris, ita omnium aliorum, quæ in illo clarissimè cernuntur, sibimet ipsi, omnibusq; adeò priscorum temporum prophetis, quibus ipse fuit major, longè anteponit. (Matth: 11. 11. Luc: 7. 18. Joh: 1. 15. 30.) Sibi ipsi tunc eum præfert, cum illum virum nominat, qui sese secutus, prior, seu, ut reliqui confirmant Evangelistæ, fortior ipso evaserit; quia prior eo fuerit. (Matth: 3. 11. Mar: 1. 7.) Quod quidem perinde est, ac si hunc in modum locutus fuisset: hic est, qui licet tempore me posterior fuerit, dignitatis tamen & admirandæ sublimitatis ratione factus est præstantior, meq; divinissimis quibusdam & planè cælestibus qualitatibus mirum in modum superat: nempe quia etiam ipsius muneris ratione me longè antecellit; cum is ipse muneris, quod ego gero, finis ac terminus sit, ad quem quicquid dico, quicquid ago, est referendum. (Joh: 1. 27.) Quò fit, ut jure me ita abjiciam atque prosternam, ut me indignum putem, qui calcei ipsius corrigiam solvam. (Joh: 1. 8, 20. 3. 28.) Qua de causa, ut Evangelista illum lucem veram minimè fuisse asserit: ita & ipse Baptista, se Christum nequaquam esse ingenuè fatetur. Verùm audiamus, quo pacto adhuc Ioannes Christi præ se excellentiam extollat. Dicit igitur, se in aqua baptizare: (Matth: 3. 11.) Christum verò in spiritu & igne baptizaturum. Cujus rei explicationem, cum ad alium locum pertineat, nunc omittemus, ut Iohannis de Christo testimonium persequi possimus. Appellat enim præterea

Cap: V. Iohannis de Christo testimonium. Ioh: 1. 31, 36.

terea eum agnum Dei; idq; propter incredibilem animi mansuetudinem, singularem vitæ morumq; puritatem atq; innocentiam, summam deniq; divini muneris excellentiam. Quia enim non solùm totus a Deo ortus est, sed etiam divinissima ratione peccata expiat; quis non videt, meritò eum Dei, seu planè divinum agnum appellari? Alludit quippe Ioannes ad universa illa sacrificia, quæ pro expiandis hominum peccatis olim offerebantur. Deniq; illis quoque verbis Christum sibi ipsi longè præfert Iohannes, dum illum sponsam habere, & ideo sponsum esse, se verò amicum tantùm sponsi esse significat: nempe quia Christus verus ac proprius populi divini dux ac servator, atq; adeo dominus futurus esset, ipse verò ejus gloriæ ac dignitati tantùm subserviret. — Ioh: 3. 29.

Etsi verò Ioannes omnibus iis locis, quibus Christum sibi antepo-suit, etiam cæteris prophetis anteposuisse censendus est: tamen aliquanto apertiùs id facit illis verbis, quibus eum e cælo venisse confirmat, & super omnes esse, (reliquis interim, utpote terrenis, terrena loquentibus,) & quicquid vidit audivitq; testari, quamvis ipsius testimonium pauci admodum admittāt: qui tamen admittit, eum, veracem esse Deum, consignare. Quem enim Deus misit, inquit, is Dei verba eloquitur: cum Deus non ex mensura spiritum donet. Amat pater filium, & ei omnia tradidit in manum. Ex his Baptistæ verbis apertissimum est, Christum duabus potissimùm de causis prophetici muneris dignitate omnibus, qui ante ipsum vixerunt, vatibus superiorem fuisse. Primò, quòd nullus prophetarum in cælo unquam fuit, nec Deum propriè loquendo vidit, nec ab ipso immediatè, quod dicitur, didicit, quæ hominibus proponeret: Christus verò in cælo fuit, & vitam illam beatam, quam hominibus obtulit, vidit, Deumq; præsentem intuitus est, & nullâ interjectâ causâ mediâ, ab ipso saluberrimam accepit disciplinam, quam hominum generi traderet; quæ eam ipsam ob causam, & divina & cælestis appellari meretur, & cum qua prophetarum, adeoq; ipsius Ioannis doctrinæ collatæ, quamvis alioquin divinæ, terrestrium tamen & humanorum dogmatum instar obtinent. Fuisse porrò Christum in cælo, Patremq; suum vidisse, ipse luculentissimè testatur. Quod quidem plurimum ipsius officio dignitatis adjungere, insuper patet inde, quòd naturaliter fieri non potest, ut homo quisquam Deum intueatur; & ideo singularissimæ illius benevolentiæ assignandum est, si tanta cuipiam felicitas contingat. Si enim etiam posteriora ejus naturaliter a Mose videri non poterant, sed summâ illius misericordiâ factum est, ut ea aspiceret: quantam tandem Dei in

Ioh: 3. 31, & 32.

Ioh: 8. 28. 3. 11. & d. & 32.

Ioh: 3. 13: 6. 62: ib. 46. conf: 1. 18.

Exod: 33. 23.

Dei in

Cap: V. Johannis de Christo testimonium.

Dei in Christum charitatem tunc extitisse, & ideo quantam ad hujus prophetæ dignitatem accessionem factam fuisse putabimus, cum illum in cælum assumeret, & seipsum ei videndum præberet, omniaq; ad tantum munus exequendum necessaria coràm ostenderet? Neq; quicquam rei istius veritati derogat, quòd quo tempore hæc evenerint, affirmare non possumus. Satis quippe est, veracem Dei spiritum, ipsumq; adeo Christum asserere, sese & de cælo descendisse, & Patrem vidisse, & ab eo didicisse, quæ diceret, & faceret. Nam Paulum ad tertium usque cælum raptum fuisse eandem ob causam planè credimus, quantumvis quo omnino tempore factum illud fuerit, ignoretur, nec exactè sciri posse videatur. Quod idem de illo statuimus, quod Christus Nathanaëli ab illo tempore, quo eum alloquebatur, futurum dixerat, ut ipsius discipuli apertum cælum viderent, & Dei angelos ascendentes & descendentes super filium hominis. Hoc enim quin exitu comprobatum fuerit, minimè dubitamus, quamvis de tempore compertum non habeamus.

Joh: 6. 38. 46. c. 12. 49. 2 Cor: 12. 2. Joh: 1. 51.

Deinde ex eodem Iohannis testimonio intelligimus, Christi doctrinam perfectam omnibusq; numeris absolutam esse. Cum enim dicit, Deum omnia illi dedisse in manus, hoc asserit, Deum illi omnia, quę ad perfectam voluntatis suę notitiam, sempiternamq; hominum salutem pertinent, largè effuseq; donasse. Ex quo fit, ut idem planè Ioannes dicere censendus sit, quod ipse Christus de se hunc in modum prædicat: *omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, quæ scilicet ad exactissimam rerum divinarum scientiam, & quod consequens est, ad æternæ felicitatis adeptionem sunt necessaria. Hanc enim esse Christi mentem, ipse contextus indicat, cum mox subjungat: *& nemo novit Filium, nisi Pater; nec Patrem quis novit, nisi Filius, & cui Filius voluerit patefacere.* Quibus verbis sine dubio nobis persuasum esse vult, neminem hominum per seipsum mente comprehendere, nedum aliis perspicuè enunciare posse, quis & qua ratione filius Dei sit, quantaq; & quàm multa, quoq; pacto, salutis humanæ causâ illi patranda atq; subeunda sint, & in quantum divinissimæ tum sapientiæ, tum potentiæ gradum sit extollendus: solum autem Patrem, ad quem tota tam admirandæ salutis ratio, tanquam ad fontem atque originem bonorum omnium referenda est, plenam istorum omnium perfectamque scientiam tenere: nec quemquam esse, qui, qua ratione summus ille rerum omnium dominus tum pater sit, tum quanto & ipsum Christum, & cæteros omnes filios filiasq; suas amore prosequatur, quamq; amplum illis hæredi-

Joh: 3. 35. Matth: 11. 27.

Cap: VI. de fine testimonii Iohannis.

hæreditatis patrimonium decreverit, & quâ viâ, cujusq; operâ eos ad tantum honoris atq; felicitatis gradum perducere velit, intelligat, nisi Dei filius ad tantæ nos rei cognitionem instituat. Hoc quia abundè præstitit, meritò in divinis oraculis, & character divinæ substantiæ, & splendor divinæ gloriæ, & Dei imago & sermo, & lux appellatur: quòd nimirum Dei alioquin inaspectabilis voluntatem nobis expresserit, & ante oculos constituerit. Qua de causa divinis monitis incitamur, ut omnibus aliis disciplinis posthabitis, uni Christo adhæreamus, in quo, id est, in cujus doctrina, omnis divinitatis plenitudo continetur; id quod nihil aliud est, quàm Christi disciplinæ eam vim esse, ut non partem aliquam salutiferæ veritatis, non umbram, non nutu significatam, sed clarissimam plenissimamq; divinæ voluntatis rationem complectatur. Hæc omnia ut Ioannes maximo animo testificaretur, Deus Iesum jam & natum ad testandam veritatem, & eo, quo diximus, modo comparatum, in illius conspectu, prophetico muneri tunc consecravit, cum ad ejus baptismum sese conferret: idq; tum hac voce de cælo emissa, *hic est filius meus charissimus, qui mihi acceptus est;* tum admirando illo spiritus sancti descensu.

Hebr: 1, 3. 2 Cor: 4. 4. Col: 1. 15. Ioh: 1. 1, 9. Col: 2. 3, 9. Ioh: 18. 37. Matth: 3. 16. Ioh: 1. 32, 33, 34.

Cap: VI.

De fine testimonii Ioannis.

SEquitur ut quis finis Ioanni, in tam præclaro testificandi munere propositus fuerit, videamus. Is autem his verbis ab Evangelista exponitur, *ut*, inquit, *omnes crederent per ipsum*, id est, ut testimonii ipsius gravitate atq; pondere ad Christo fidem adjungendam, omnemq; in illo spem atq; fiduciam collocandam commoverentur. Hîc verò vix fieri potuisse dices, ut Iohannes propositum sibi terminum ac finem assequeretur; cum nullum, quo fidem autoritatemq; suis dictis conciliaret, miraculum ediderit. At non sola miracula, quæ per aliquem edantur, autoritatem ei conciliant: cum summus ille Dominus aliis quoq; rationibus fidem illis conciliare possit, quos ad præclara in terris munera obeunda adhibet. Id quod, ne longiùs abeamus, in hoc Ioanne nostro clarissimè cernimus. Quantam enim illud vim habuisse putabimus, ad eum divinissimum esse hominem planè demonstrandum, quòd Patri ipsius Zachariæ angelus admirabili quadam ratione apparens, illius tum nativitatem, tum muneris administrationem prædixit: quòd paren-

Ioh: 1. 7. Ioh: 10. 41. Luc: 1. 10, 20. 58. 63.

parentibus senectute confectis, &, quod maximum hic pondus habet, matre sterili prognatus est: quòd ejusdem Zachariæ, qui Angelo hanc rem prænuncianti fidem habere nolebat, lingua repentè obmutuit, nec, usq; dum exitu divinum pronunciatum compleretur, ullam vocem emittere potuit: quæ plurimorum sermonibus celebrata, facilè ad totius Iudaici populi aures pervenire potuerũt. (Luc: 1. 65, 66.) Adde, quòd eum Deus in deserto degere, vestiumq; ac ciborum singularitate, a vulgari usitataq; hominum vivendi ratione separatum esse voluit: quòd deniq; tanta animi magnitudine, tantaq; dicendi libertate eum armavit, ut nec plebis metueret odium; nec Pharisæorum, qui tunc rerum potiebantur, vereretur autoritatem; nec regiam extimesceret majestatem: quin omnes scelere inquinatos in os reprehenderet, officiiq; sui munus palàm, inq; omnium oculis exequeretur. Atq; hæc tanti apud universum populum erant, ut maxima illius pars, his solis contenta, nullum requireret miraculum, illumq; & prophetam, & tantùm non Christum esse persuasum haberet. (Matth: 21. 26, 32. Luc: 3. 15: 7. 29: Act: 13. 25.)

Cap: VII.

De Baptismo Joannis.

IAM postquam quo pacto Ioannes prædicando viam Domino muniverit, satis, ut videmur, explicavimus, consequens est, ut quomodo id fecerit baptizando, videamus. Ex divinis igitur testimoniis intelligimus, illum per externam aquæ ablutionem eos, (Matth: 3. 6, 11.) quos impuritatis scelerumq; pœnitebat, quiq; melioris vitæ rationem sese inituros palàm profitebantur, in suorum discipulorum numerum adscripsisse, & sic pœnitentiæ disciplinæ ritus istius religione initiasse. Cur autem hac potiùs, quàm quavis aliâ ceremoniâ uti maluerit, hanc plerique causam fuisse existimant, quòd Deus, cujus jussu atque imperio id faciebat, illi hominum generi, quod crebris ablutionibus assvefactum erat, sese quodammodo accommodare voluerit. Adde, quòd ad veram pœnitentiam, quæ animi quędam ablutio est, repræsentandam, publiceq; profitendam, vix aliquid hoc ritu accommodatius esse videbatur. Qua porrò ratione, & quo pacto ceremonia ista a Ioanne peracta fuerit, Matthæus luculentissimis verbis declarat, cum Christum, postquam a Ioanne baptizatus fuerat, ex aqua egressum esse asserit; ut facilè appa- (Matth: 3. 16.) reat, ritus istius religionem non aspergendo, ut hactenus a plurimis creditum fuit, sed in aquam immergendo, eáve se abluendo, confectam fuisse. Quid enim aliàs est causæ, cur ad eam perficiendam in

aquam

aquam descendendum fuisse credamus? Deinde ideo Iohannes Æ-none prope Salem baptizasse dicitur, quia aquæ ibi fuerint multæ. At quid aquarum opus est copiâ, ubi aliquot guttarum aspersione res conficitur? Huc accedit, quòd verbum βαπτίζω, a quo baptismi vocabulum deducitur, immergendi, nec non lavandi significationem habet; & sic baptismus nequaquam aspersionem, sed immersionem atque ablutionem designat.

Cap: VIII. Ad quam Gentem Johannis officium spectârit. Ioh: 3. 23.

Cap. VIII.

In quo docetur, ad quam gentem Johannis officium spectaverit.

SEquitur, ut ad quod hominum genus Iohannis officium spectaverit, animadvertamus. Constat igitur, Iohannem cum sua disciplina non nisi ad gentem Iudaicam, nominatim autem ad peccatores missum fuisse. Neque enim in ulla exterarum gentium ora, vel prædicandi, vel baptizandi eum munus executum fuisse comperimus. Adde, quòd ne Christus quidem Ioannem subsequens aliò, præterquam ad perditas domus Israëliticæ oves sese missum fuisse confirmat. Neque enim fas tunc erat, liberorum panem sumere, catellisq; objicere. Quid, quòd idem Christus legatos suos tunc temporis ad exteras nationes iter habere prohibuit. Nōdum quippe dies ille mortalibus illuxerat, quo reliquæ gentes in divini populi societatem adscilcerentur; eratq; hoc mirandum Dei beneficium, quod in illas aliquando conferre decreverat, tanto involutum mysterio, ut tunc etiam, cùm maturum hujus rei tempus advenisset, Apostoli dubitaverint, atque adeò planè nesciverint, an in Ethnicorum domos ingredi, ibiq; cælestem Christi doctrinam proponere liceret. Nam & Petrus tunc demum hoc sese mysterium didicisse ostendit, cùm divinis monitis impulsus Cornelii ædes intraret: & hujus rei nomine acriter ab iis, qui erant ex circumcisione, reprehensus fuit; qui tum demum, cùm illis facti sui rationem reddidisset, totam rem, ut erat, exponendo, vocem mutârunt, & veluti rem novam, ac post homines natos inauditam admirantes, Deo gratias egerunt, qui etiam externas nationes pœnitentiç dono ad sempiternæ vitæ adeptionem affecisset. Hæc autem omnis oratio nostra horsum spectat, ut appareat, quanto in errore illi versentur, qui Iohannis baptismum, de quo potissimùm hîc agendum est, ad exteras gentes pertinere statuunt. Nam si Iohannes ad solos Iudæos missus est; facilè est intelligere, quicquid est in doctrina Iohannis, quod suâ naturâ homines non obliget, quales sunt omnes ex-

Matth: 15. 24, 26.
Matth: 10. 5.
Actor: 10. 34.
Act: 11. 5. & d.
Ibid: ℣ 18.

Ad quam Gentem Iohannis officium spectarit.

terni ritus ac ceremoniæ, id reliquas gentes haudquaquam absolutè aut per se obstringere. Illius verò, quem diximus, erroris causam, istud vel solùm, vel potissimùm attulit, quòd cùm baptismo aquæ omnes omnium ætatum homines perpetuò obstringi summa contentione pugnarent, mirum in modum exemplo Christi a Iohanne baptizati, causam suam constitui existimarunt, par esse rati, ut qui ad Christi ductum se applicarunt, ii omnes ipsius actiones imitando persequantur; idq; eò magis, quòd ipse Christus asserat: *sic decet nos omnem justiciam implere.* Atqui primò animadvertendum erat, Christum ex Israëlitis, ad quos solos, ut demonstravimus, Iohanes cum suo baptismo missus erat, oriundum fuisse; ideoq; istam consecutionem tum firmam stabilemq; futuram, si & perpetuò Ioannis officium duraturum fuisse, & nos ex eodem cum Christo populo ortum habere demonstratum fuerit. Sed quia longè aliter se res habet, consequentia argumenti nulla est. Nec est, quod dicant, multò minùs Christum ritu illo, quàm nos, obligatum fuisse; & cum nihilominus eum amplexus fuerit, a nobis multò magis eundem Ioannis baptismum, suscipiendum esse. Nam prçterquam quòd, ut diximus, Christus ex Iudaica stirpe ortus erat; etiam non generali, ut reliqui, sed singulari vel mandato, vel causâ, ad eum baptismum impulsus fuit, ut mox apparebit. Atqui neutrum horum in Christianos generatim omnes cadere apertissimum est. Ex quo fit, ut verba illa Christi: *sic decet* &c. non quidem ad nos, sed ad ipsum Christum, & fortasse ad Iohannem etiam, referenda sint. Quod ut rectiùs intelligatur, animadvertendum est, non omnes Christi actiones ejus generis esse, ut eas omnino imitari nostri sit officii. Vt enim in re aliqua Christi vestigiis omnino insistere nostrarum sit partium, necesse est, rem illam communiter nobis cum Christo injunctam, nequaquam autem Christi muneris propriam esse; & porrò planè ad Christianæ religionis naturam essentiamq; spectare; nisi fortè ædificationis ratio postulet, ut id, quod per se observatu necessarium non est, præstemus; quo pacto hoc Christi exemplum, de quo agimus, ad nos pertinere haud negamus, ut paulò pòst intelligetur. Verùm ut unde digressa erat, eò revertatur oratio nostra; tantum abesse dico, ut Ioannis baptismo omnes in perpetuum gentes devinciantur, ut ne omnes quidem Iudæi illo prorsus adstricti fuerint. Erat enim Ioannis baptismus iis, gentis illius hominibus injunctus, qui a vita impura & flagitiosa ad sanctitatis studium tota mente converterentur, cujus rei ratio uno pœnitentiæ nomine continetur. Itaq; si qui tunc in Israëlitica natione

Matth. 3. 15.

cum justitia vixerunt, eos pœnitentiâ non eguisse,& res ipsa loquitur, & D. Iesus luculentissimè testatur; & ideo talibus Ioannis baptismum imperatum non fuisse, adeò in promptu est, ut res disputatione non indigeat. Extitisse autem hujusmodi genus hominum, aut extare saltem potuisse,inde colligitur, quòd eodem seculo,atq; adeò post natum jam Ioannem, singulari virtutis atq; justiciæ laude floruerant,præter parentes ipsius,Simeon,Anna Phanuelis filia, Maria,quam Ioanne munus suum obeunte superstitem fuisse satis constat,ejusdemq; maritus Iosephus. Hujus generis hominum vel nullus Iohannis baptismum accessit, vel certè non publico, & generatim omnes obstringente mandato, sed singulari quadam ratione impulsus, hoc fecisse censendus est. Iam verò, ut ad rem propiùs accedamus, nullum dubium est, quin, si unquam aliquis repertus fuit, qui vitam cum sanctimonia traduceret, non solùm Christus is fuerit,sed omnes etiam, qui aliqua justiciæ laude floruerunt, longè superaverit; utpote qui nihil unquam adversus Dei legem voluntatemq; commisit. Hic igitur,ut suprà innuimus,nequaquam illo præcepto, quod omnibus generatim erat traditum; sed vel singularissimo Dei mandato, vel peculiari quadam ratione commotus, ad hunc baptismum sese contulit. Duæ autem potissimùm rei istius causæ dari possunt. Primò voluit Dominus hujus sui facti exemplum aliquod relinquere,tum viris primariis, tum generatim universo populo. Ac illis quidem ita, ut clarissimum eis demissionis atq; humilitatis lumen præferret, ne videlicet ob sanctitatis, quâ alios superarent, existimationem, a reliquo se populo sejungerent: quippe cum ita se gerere non sanctitatis, sed superbiæ cujusdam argumentum sit. Nam præterquam quòd, qui ita agunt, alios præ se contemnunt; etiam tempus illud antevertunt, quo ipse Deus illorum, qui verè sancti sunt, gloriam illustraturus est. Et quidem hanc ipsam ob causam Christus, nulla in re gloriam suam quæsivit, quippe persuasum habens, eum esse qui quæreret, suoq; tempore mirum in modum ipsum exaltaturus esset. Iam ad universum populum quod attinet, ideo Iohannis baptismum minimè neglexisse videtur, ut suo exemplo omnes incitaret ad viris divinis alacriter obtemperandum.

Cap: VIII. ad quam Gentem Johannis officiũ spectârit. Luc: 15. 7.

Luc: 1. 6. 2. 25, 37. Matth: 1. 19.

Ioh: 8. 50.

Sequitur, ut alteram hujus rei causam ponderemus, quæ est, quòd incommodis quibusdam Christus hoc suo facto occurrere voluerit. Animadvertendum enim primò est, facilè fieri potuisse, ut nisi ad Iohannis baptismum accessisset, populus de aliqua ipsius à Iohanne dissensione suspicaretur. Vt igitur summæ utriusq; con-

Cap: IX. De duratione officii Johannis.

sensionis, summæq; voluntatum conjunctionis argumentum extaret, omnino a Iohanne baptizari voluit. Aliter ægrè homines illi adduci potuissent, ut Ioanne, cujus summa erat apud ipsos autoritas, derelicto, Christo sese dicarent. Deinde voluit Christus, quamvis nullius sceleris affinis esset, ut aliis rebus, ita & hoc pœnitentiæ baptismo, reliquis mox sibi adhæsuris, ratione sanctitatis se longè inferioribus, sese veluti conjungere, & ad eos se demittere, ut non exiguam illis de salute, quam ipse adeptus est, consequenda dubitationis, quæ ex ista dissimilitudine oriri potuisset, materiam subtraheret.

Cap: IX.

In quo ostenditur, quàm diu Johannis officium duraturum fuerit.

IAm ut, quàm diu Iohannes personam istam gesturus fuerit, intelligamus; constat, eum non nisi ad illud tempus functionis suæ rationem producturum fuisse, quo Christus jam plenè officii sui munus exequeretur. Cum enim illum Christi præcursorem, totumque adeò ipsius officium præparationem quandam fuisse constet earum rerum, quæ a Christo mox subsequuturo suscipiendæ ac perficiendæ erant; parumné liquet, Christo jam officium suum ingrediente, præcursoris munus paulatim cessasse? Ideo autem Iohannis ministerium tunc cessasse dicimus, cum Christus plenè munus suum exequeretur; quòd Ioanne adhuc libero, & quasi reliquias sui muneris persequente, Christus jam publicè suam disciplinam tradere cœpit: plenissimo autem ore, plurimisque & admirandis operibus eam tunc demum & promulgavit, & confirmavit, cùm Iohannes in carcerem conjectus esset. Is enim in carcere demum, illius miraculis auditis, duos discipulos misit, qui ipsius nomine eum illum esse, qui venturus erat, testificarentur, frustraq; alium expectari. Christus autem respondens, miraculaq; sua enumerans, haud obscurè indicat, se Ioannis testimonio non ampliùs indigere. Clarissimè enim apud Ioannem Evangelistam opera sua Ioannis testimonio præponit, cum ait: *Ego habeo testimonium majus Ioanne. Opera, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ea ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Quòd verò Ioannem reliquias officii sui tunc peregisse dicimus, cùm Christus Evangelium prædicare inciperet, id verissimum esse inde patet, quòd cùm omnes sese ad Christum conferrent, Ioanne quodammodo neglecto, ipse Ioannes discipulis suis tanto Christi splendore offensis, & æmulatione qua-

Ioh:3. 22. & d.

Matth:11.

Ioh:5 .36.

Cap: IX. De duratione officii Johannis.

one quadam pro præceptoris sui dignitate æstuantibus respondit, illum crescere, se autem decrescere oportere, id est, sibi suæq; doctrinæ, ut inchoatæ atque imperfectæ, loco cedendum: Christi verò disciplinam ac religionem quotidie magis magisq; amplificandam esse. Nec mirum, cùm Iohannes nec solidam pœnitentiæ disciplinam, ut suprà diximus, populo explicuerit ac præscripserit; nec, quæ vera esset peccatorum condonatio, satis aperuerit; nec suam doctrinam ullo corroboraverit miraculo; nec denique eo baptismo homines initiaverit, cujus virtute in pietatis studio continerentur; sed omnes ad Christum rejecerit, qui quibus in rebus vera pœnitentia peccatorumq; remissio constituta esset, luculentissimè nos edocuit; qui portentis miraculisq; post hominum memoriam inauditis, salutarem suam disciplinam confirmavit; qui deniq; non in aqua, sed in spiritu & igne baptizando, tantum suis addidit virium, ut statum suum cum firmissima fide ad extremum tueri possent. Quod cum ita sit, palàm est, Iohannis officio nullum ampliùs locum esse. Qua de caussa & Paulus Iohannem tunc, cum omnes ad Christum rejiceret, cursum suum absolvisse testatur. Ex quibus simul colligitur, Iohannis muneri neminem successisse, ita nimirum, ut tanquam illius vicarius, pari autoritate, eodemq; pœnitentiæ baptismo, homines in ipsius disciplinam reciperet. Quòd enim Apostoli ante Christi mortem vel resurrectionem baptizando, Iohannis vicem obiisse a quibusdam dicuntur, falsum est: cum Iohanne adhuc vivente, munerisq; sui officium administrante, Iesu Christi discipulos jam baptizasse, & Iohannem propterea decrescere, Christum contrà crescere cœpisse videamus: quod unum ad errorem istum refellendum satis est; nisi & hoc insuper considerandum putamus, quòd ad Iohannis successorem constituendum, omnibusq; declarandum, expressum requirebatur Dei mandatum: Apostolos autem vi mandati divini ad baptizandum impulsos, nihil planè constat. Probabilius est, eos Iohannis imitandi studio incitatos baptizasse, Christo pro sua sapientia consentiente, in re præsertim indifferente, & illi hominum generi adeò jam familiari, ut tam subitò abrogari sine gravi offensione vix aut ne vix quidem posset. Verumtamen tum Iohannis baptismum abrogatum, tum baptismum hunc Apostolorum immutatum fuisse, postquam Christus in cęlum sublatus est, hinc perspicuum est, quòd tunc non nisi in Christi nomen baptizari cœpit, id quod antea nec a Iohanne, nec a Christi discipulis factitatum erat: cùm necdum in Christi nomen vitæ correctio peccatorumq; venia prædicaretur. Et quidem

Ioh: 3. 26, 27, 30.
Matth: 3. 11.
Act: 13. 25.
Ioh: 3. 22, 26.
Luc: 24. 47.

 dem

Cap: IX. De duratione officii Johannis.

dem ut clariùs pateat, nequaquam Iohannem in Christi nomen baptizasse, illud attentè considerandum est, quod de duodecim illis discipulis, in quos Paulus Ephesi inciderat, memoriæ proditum est. Hi enim cùm sese Iohannis baptismo initiatos dicerent, Paulo id procurante, in Christi demum nomen baptizabantur; ut facilè intelligi possit, Iohannis baptismum, non solùm in Christi nomen administratum minimè fuisse: sed etiam altero hoc invalescente, illum prorsus corruisse. Quid verò de illis tribus hominum millibus dicam, quos omnes Petri Apostoli jussu in Christi nomen baptizatos fuisse palàm est? cum jam antè saltem aliquos ex illis a Ioanne baptizatos fuisse, ideo perquam sit verisimile, quòd ad illius baptismum omnem Hierosolymam, omnemq; regionem Iudaicam confluxisse, scriptum legamus. Nisi igitur istos bis unum eundemq; baptismum temerè subiisse volumus; fatendum est, Iohannis baptismum, nec in nomen Christi ab illis susceptum antea fuisse, nec posteriore isto vigente necessarium ampliùs fuisse. Illud etiam magnum huic veritati præsidium affert, quòd cùm Iohannes baptizandi partes exequeretur, dubitatio quædam populo injecta erat, num ipse Christus esset, nec ne. Cui dubitationi nullus locus fuisset, si in Christi nomen baptizasset. Quis enim ita omni humano sensu orbatus fuisset, quin ex hoc ipso intelligeret, eum Christum minimè esse? Quid, quòd Christum in suum ipsius nomen baptizatum a Iohanne fuisse, consequens esset. quod quidem absurdissimum esse, quis non animadvertat? Adde etiam illud, quòd Iohannes eos baptizabat, qui Christo nondum fidem adhibuerant, & ideo illos, ut in Christum crederent, admonebat. Atqui ad hunc Apostolorum baptismum nemo admittebatur, quin palàm & apertè se in Christum, non quidem futurum, sed præsentem credere profiteretur. Cujus rei maximum argumentum illo sermone continetur, quem hac de re Philippus cum Eunucho habuit. *Quid*, inquit Eunuchus, *prohibet me baptizari? Philippus, si toto animo credis, inquit, licet. Credo, inquit ille, Iesum esse Christum filium Dei.* Sunt autem, qui ex hoc ipso effici putant, Iohannem in Christi nomen baptizasse: quòd auditores suos admonuit, ut in eum, qui venturus erat, Christum crederent. Verùm eos vehementer falli, istud manifestò indicat, quòd non requisierit Ioannes a suis auditoribus, ut jam tum in Christum crederent, etiam antequàm is sese patefecisset, & munere suo publicè fungi cœpisset: sed ut tum, postquam ille venisset, & officium suum obire cœpisset, id facerent. Ad id verò, ut quispiam in Christi nomen baptizetur, illud requiritur, ut baptismum suscipi-

Act: 19. 3, 5.
Act: 2. 41.
Matth: 3. 5.
Luc: 3. 15.
Act: 19. 4.
Act: 8. 36, 37.
Act: 19. 4.

suscipiendo profiteatur, se in Christum jam credere, & sacrosanctam ejus disciplinam amplecti.

Cap: X. de Prophetico Christi munere.

Cap: X.

De ipso Christi Prophetico munere.

Consequens nunc est, ut quoniam satis de Iohannis officio explicavimus, tandem ad prophetici Christi muneris considerationem nos applicemus. Primò igitur illud animo recolendum est, quod suprà diximus, hoc Christi officium in divinę voluntatis consistere, tum annunciatione, tum confirmatione, ab ipso, dum in terris fuit, peracta. Sunt quippe & aliæ ejusdem rei confirmandæ rationes, divinis literis consignatæ, de quibus suo loco agendum nobis erit. Ac divina quidem voluntas, quam oratione complectimur, novo illo fœdere continetur, quod Christus Dei nomine nobiscum fecit; & ideo ejusdem fœderis sequester, seu mediator appellatus est. Cum autem mediator, ut inquit Apostolus, non sit unius, omnisq; fœderis ratio duas requirat partes, quarum altera sibi alteram amoris conjunctione devinciat; idcircò & in hoc fœdere una ex parte Deus fuit, qui pro immensa sua benignitate hominibus hoc sanctissimum pactum deferret; ex altera parte homines constiterunt, qui tantam tamq; admirabilem Dei bonitatem gratissima mente complecterentur: Christus verò, haud aliter ac Moses vetus illud fœdus cum Israëlitis a Deo feriens, medius inter Deum hominesq; stetit, & tanquam internuncius, quid Deus ante mundi fabricationem de nobis decrevisset, ipsius jussu atq; imperio exposuit. Quæ quidem res quò rectiùs cognoscatur, intelligendum est, fœderis hujus pactionem ex parte Dei insigne cõtinere promissũ, quo is sese nostrum Deum fore spopondit; quod tamen ut ratum firmumq; sit, ex nostra etiam parte requiri, ut illius præceptis morem geramus. Iam ut, quæ ad Dei partem spectant, ea meliùs intelligamus, duo hoc loco examinanda sunt: quorum alterum est divina illa promissio; alterum ejusdem confirmatio. Quod enim ad promissionem attinet; non satis intelligi videtur, qua ratione summus ille Dominus sese Deum nostrum præstare velit, nisi pluribus sacrorum voluminum adhibitis testimoniis, hoc quale sit plenissimè aperiamus. Quibus quidem pro majore ejus rei explicatione, hanc quasi promissi istius summam præmittendam existimamus, ut nimirum sic statuamus, Deum polliceri, omnia sese scelera atq; flagitia, voluntaria oblivione contriturum, tutoremq; ac benefactorem omnium illorum futurum, qui vitâ impurâ relictâ, omne

Hebr: 8. 6. 9. 15. & 12. 24.
Gal: 3. 20.
vid: sup: lib: 2. c. 10.
Hebr: 8. 10.
Hebr: 8. 12.
obtecturum

studium ad sanctissimi istius fœderis conservationem contulerint. Hāc promissionem Christus, locupletissimus divinæ voluntatis interpres, ita nobis explicat, ut & præsentis & futuri seculi bona complectatur. Quam rem Paulus Apostolus miro verborum compendio hunc in modum exprimit: *pietas*, inquit, *ad omnia utilis est, ut quæ promissiones habeat vitæ præsentis, & futuræ.* 1 Tim: 4. 8.

Cap: XI.

De promisso vitæ æternæ.

VT igitur a futuræ vitæ promissis, propter summam eorum magnificentiam, initium ducamus; duo hoc loco considerandа sunt, quorum alterum Novi fœderis præ Veteri illo continet præstantiam; alterum futuræ illius vitæ descriptionem habet. Ac prius quidem illis authoris divinissimi verbis explicatur: *nunc*, inquit, *tantò melius sortitus est* (Christus) *ministerium, quantò & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus promissis est sancitum.* Meliorum quippe promissorum nomine vitæ sempiternæ, cum perfecta peccatorum remissione conjunctæ, pollicitatio designatur; hincq; apparet, promissionem istam in prisco illo fœdere factam minimè fuisse. Aliter enim nec novum Testamentum melius, nec in melioribus promissis constitutum esse, jurè dici potuisset. Rem autem planè, ut dicimus, ita se habere, inde perspicuum est, quòd Moses de industria dataq; operâ antiqui illius fœderis promissa enumerans, nullam vitæ sempiternæ mentionem facit. Quinimò in tantæ Dei gratiæ loco maximum, ipsaq; legis promissa propemodum superantem minarum numerum reposuit. Et hanc ipsam ob caussam legis vis in animis hominum sese exserens, servitutis spiritus est appellatus: vis verò Evangelii, divina virtute patefacti ac confirmati, spiritus adoptionis filiorum nominatur. quia hoc tempore non perinde minarum suppliciorumque severitate homines in officio continentur, ut antea; sed magnificentissima beatæ immortalitatis, quæ Dei filiorum est hæreditas, promissione in Dei studium incitantur. Atq; hæc quidem promissio ideo melior dicitur, quòd vita sempiterna, cui æterna felicitas unà cum solidissima gloria est inclusa, omnia bona olim Israëlitis promissa, utpote terrena, fluxa, mometaneaq;, infinitis partibus superat. Hujus autem beneficii magnitudinem novo demum fœdere Deum nobis pactum esse, multis aliis divinis testimoniis confirmatur. Clarissimum illud Pauli testimonium est, quo confirmat, *gratiam nobis in Christo Iesu ante tempora secularia datam*, id est, designatam; *nunc verò adventu salvatoris*

Hebr: 8. 6.

Rom: 8. 15.

2 Tim: 1. 9.

toris nostri Iesu Christi manifestatam eße; qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per Evangelium. In eandem sententiam, & divinus ille author Epistolæ ad Hebræos multa dicit. Illud enim quàm luculentum hujus rei testimonium est, quo *salutem nostram prædicationis initium à Domino sumpsisse* confirmat? Hebr: 2. 3. Et illud: *hoc declaravit spiritus sanctus, priore tabernaculo statum habente, nondum patefactam fuiße viam in sacrarium*, id est, in cæleste illud tabernaculum, quod Christus primus ingressus est, quodque, dum legis ille cultus durabat, nequaquam apertum erat. Heb: 9. 8. Huc & illa ejusdem authoris verba pertinent: *nihil ad perfectum perduxit lex, sed introductio melioris spei, per quam appropinquamus Deo*. Hebr: 7. 19. His adde illa Iohannis verba: *annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & manifestata est nobis*. 1 Ioh: 1. 2. ex quibus constat, vitam æternam ante Christi prædicationem, de quo tempore ibi loquitur, in abdito Dei consilio ac decreto latuisse, nec hominibus fuisse patefactam. Opponit enim inter se illa: *erat apud Patrem*, &, *manifestata est nobis*. Hinc idem Apostolus de Dei sermone, h. e. de Christo, primo perfectæ Dei voluntatis interprete, alibi ait: *in ipso vita erat, & vita erat lux hominum*, Ioh: 1. 4. hoc est, ipsi commissa erat vitæ æternæ, & viæ ad eam ducentis annunciatio, quâ hominum animos mirificè collustravit, & ignorantiæ tenebras, quantùm in ipso fuit, ab iis depulit. quod idem alio iterum loco edisserit, dum ait: *Hoc est testimonium*, (nempe *quod Deus testatus est de filio suo*) *quòd vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio ejus est*. 1 Ioh: 5. 10, 11. Quibus in locis de eo, quid Christo primò ac propriè conveniat, sermo est. His omnibus divinis testimoniis duas evidentes rationes apponendas duximus. Primò enim constat, vitæ immortalis spem nobis ostensam, ex Dei cognitione ea ratione pendere, quatenus pater est, id est, quatenus verissimam illam solidissimamque filiis suis hæreditatem donare constituit. Atqui hoc pacto Deus a priscis illis suis cultoribus agnitus non fuit. Tametsi enim Patris quoque nomine illum appellatum tunc fuisse non diffitemur; eam tamen vocabuli istius vim, quam nunc patefaciente Christo tenemus, illis seculis apertam fuisse pernegamus: cùm Christus planissimè dicat, neminem cognoscere Patrem, nisi Filium, & cui Filius voluerit revelare. Matth: 11. 27. Omnibus igitur ad se veniendum esse, ibidem asserit, hoc est, ipsius disciplinæ diligentissimas aures præbendas, fidemque firmissimam adhibendam, si animis suis requiem invenire, id est, ad verissimam sempiternæ felicitatis spem erigi atque excitari velint. Alterum hujus rei argumentum ex Christi præceptorum perfectione ducitur,

quâ,ut ſuo loco docebimus, omnia antiquę illius legis præcepta ſuperant. Conſentaneum enim planè eſt, ut perfectiori obedientiæ perfectioribus mandatis debitæ,pręſtantius proponatur pręmium.

Huic tamen veritati aliquot ſæculi: opponuntur teſtimonia, quibus confirmari putatur, non minùs Iſraëlitis olim, quàm nunc Chriſtianorum nationi, vitæ æternæ beneficium promiſſum fuiſſe. Interim tamen nulla profertur ex ipſo fœdere antiquo a Moſe deſcripto ejus rei promiſſio, præſertim aperta: ſed teſtimonia petuntur vel ex Prophetis,qui aliquot poſt latam legem ſeculis vixerunt, & quorum vox non ad omnium, ad quos antiquum fœdus ſpectavit, aures pervénit; vel ex peculiaribus quibusdam exemplis; aut ex novi Fœderis ſcriptis, myſteria olim abdita evolventibus atque in lucem proferentibus. Atqui ſi vita æterna non minùs Iſraëlitis, quàm Chriſtianis, fuiſſet promiſſa; in ipſo Fœdere ad omnes ſpectante,aperta ejus rei debuiſſet fieri mentio. Id quod initio ſemel monere placuit, ne in ſingulorum teſtimoniorum examinatione, ad quam nunc accedimus, repetendum eſſet. Primò autem illa E-

Ezech: 37. 12, 13. zechielis verba proferuntur: *hæc dicit Dominus:ecce ego aperiam tumulos veſtros, & reducam vos de ſepulchris veſtris.* Verùm hoc loco, non quidem de vera propriaque mortuorum excitatione: ſed de populo Iſraëlitico e Babylonicis, ut ita dicam,clauſtris emittendo, & in priſtinum ſtatum reſtituendo, inq; terram Iudaicam reducendo ſermonem eſſe, ipſa contextûs ratio convincit. Ita enim ibi ait

℣ 11, 12. Deus: *Fili hominis, oßa hæc univerſa domus Iſraël eſt. Ipſi dicunt: Aruerunt oßa noſtra,& periit ſpes noſtra,& abſcißi ſumus. Propterea vaticinare, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus:Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris, popule mi, & inducam vos in terram Iſraël.* Et inferiùs iterum: *Ecce ego aſſumo filios Iſraëlis de medio gentium, ad quas abierunt, & colligam eos circumquáque, introducamq; eos in terram ſuam.* Id quod paulò ſuperiùs illis hunc in modum pollicitus fuerat: *requieſcere vos faciam in terra veſtra.* Intelligendum quippe eſt, Iſraëliticum populum, quamdiu Babylonica ſervitute premebatur, omnibus ſuis ornamentis, quæ tum in divino cultu, tum in ſplendido quodam vitæ ſtatu ſita erāt, ita ſpoliatum fuiſſe, ut non immeritò cum oſſibus aridis, carneque denudatis, nec non in ſepulchro quodam conditis, comparari potuerit. Qua de cauſſa ipſimet Iſraëlitæ de ſe uſurpabant iſtiusmodi verba: *Aruerunt oſſa noſtra,& periit ſpes noſtra,& abſcißi ſumus.* Putabant enim, de ſe jam actum eſſe; nullam ſupereſſe ſpem recuperandæ priſtinæ libertatis; nunquam ſe ex captivitate, quâ tunc detinebantur,

nebantur, in patriam, atq; ad pristinam fortunam redituros. Quem metum, vel desperationem potiùs, ut illis eximeret Deus, Prophetæ speciem exhibuit ossium aridorum, iterum inter se coëuntium, quæ carne vestita, recepto spiritu revixerint. Ex quo fit, ut hoc in loco divinus vates prædicat fore, ut Israëlitæ in patriam suam e variis locis revocati, in pristinam dignitatis conditionem restituantur, omniaq; libertatis gloriæq; ornamenta ita recuperent, ut quasi ex sepulchris excitati, & spiritu ac vitâ donati meritò dici possint. Etsi enim cæteroqui nulla spes sit, in Deo tamen spem esse, qui virtute id sua queat efficere: quemadmodum nec ossa a se invicem divulsa atque arida, cum quibus ipsi se comparaverant, naturaliter inter se denuo coagmentari, carnibus obduci, spiritum ac vitam recipere queant: sed nihilominus tamen virtute divina posint.

Deinde illud quoq; Iobi pronunciatum in medium afferri solet: *Ego novi redemptorem meum eße viventem, & novißimum qui super terram surget: ac post pellem meam contriverunt istud, & ex carne mea videbo Deum.* Sic enim ex Hebraico idiomate legitur in magnis Bibliis Roberti Stephani. Vulgata verò Bibliorum editio sic habet: *scio quòd redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum.* Hîc facilè quemlibet animadvertere planè mihi persuadeo, quantum inter hanc illamq; istorum verborum interpretationem intersit. Qua quidem lectionum diversitate factum est, ut de ipsorum verborum sententia interpretes plurimùm dissentirent. Quod cum cuilibet ex annotationibus, quæ in Roberti Stephani Bibliis appositæ sunt, constare possit; sententiis illis recensendis supersedebimus. Istud sufficit ostendisse, nihil istic de mortuorum resurrectione contineri: cum in ipsis fontibus Iobus non de se, sed de redẽptore suo dicat, eum novissimum super terram, seu pulverem surrecturum constiturumq; esse. ne de eorum, quæ consequuntur, verborum discrepantia, quæ inter Hebræum textum, & vulgatam Bibliorum interpretationem cernitur, quicquam nunc dicamus. Quare cum vulgaris sententia verbis Hebraicis nequaquam conveniat, multò tutius, & ad veritatem firmius futurum est, si ipsam subjectam materiam secuti, Iobum hoc dicere statuamus: Sese divina ope ex summis afflictionibus, quibus tunc miserandum in modũ cruciabatur, tandem emersurum, & in corpore suo, ad pristinam sanitatem revocato, singularem Dei tum potentiam, tum benignitatem atque clementiam agniturum: quemadmodum sanè agnovit, ut ex ultimo libri illius capite perspicuum est. Quòd si quis arbitretur,

Iob:19. 25

trctur,

tretur, visionem Dei, quam sibi Iobus polliceatur, in hanc vitam nequaquam cadere; ac proinde Iobum de alia quadam vita omnino loquutum esse concludat; is nimirum vehementer fallitur. Iobus enim, ut in ultimo illius libri cap: legimus, Deum alloquens, ita inter alia ait: *Auditu auris audivi te: nunc autem oculus meus videt te.* id quod de clariore potentiæ, sapientiæ, ac providentiæ divinæ cognitione videtur accipiendum. Quare nil est necesse statuere, Iobum de futura vita loquutum esse, quia se Deum visurum esse dixerit.

Dan: 12. 2, 3. Quid verò, inquies, illud est, quòd Daniel divinissimus vates, *Multos de his, qui dormiunt in terræ pulvere, resurrecturos esse* testificatur; *alios quidem in vitam æternam, alios in opprobria, & ad contemptum sempiternum. Qui autem docti fuerint,* inquit, *quasi splendor firmamenti fulgebunt; & qui ad justitiam erudierint multos, quasi stellæ in sæculum & in æternum.* Hîc animadvertendum est, Danielem non de generali, adeoq; non de propriè sic dicta mortuorum resurrectione orationem habere: præsertim si literalem, quem vocant, verborum sensum spectes. id quod & veteres nonnulli, & recentiores interpretes animadverterunt. Primùm enim ex præcedentibus verbis apparet, istam resurrectionem ad tempora, quæ jam olim præterierunt, spectare. quandoquidem ea, quæ hîc recensentur, dicuntur extitura *in illo tempore,* nempe de quo hucusque sermo fuerat. Sermo autem fuit de tempore Antiochi, qui Iudaicum populum, ut ex Machabæorum libris constat, gravissimè afflixit: a qua tamen tyrannide ac calamitate populus ille postmodum fuit liberatus. Quod cum interpretes alii animadverterent, ut nihilominus hunc locum de universali resurrectione possent accipere, dixerunt, Prophetam ab Antiocho subitò ad Antichristum delabi: quia Antiochus Antichristi fuerit typus, & afflictio populi Iudaici ab illo vexati, imago quædam populi Christiani ab hoc oppressi, & similiter liberatio liberationis. Verùm si Propheta, ut illi fatentur, propriè de Antiocho locutus fuit, de Antichristo autem non nisi mysticè; non possunt non verba *in illo tempore*, ad Antiochi, seu eum proximè insequuta tempora referri: nec ita mysticum sensum sequi licet, ut a literali prorsus discedas: præsertim cum mysticus, nisi ipsum divinum spiritum, vel saltem rei eventum, habeas interpretem, incertus sit, nec quicquam certi ex eo concludi possit. Deinde illud quoque docet, de ultima hîc ac propriè sic dicta resurrectione sermonem non esse, quòd hæc futura sit universalis. At in Prophetæ verbis non dicitur *omnes*, sed *multos ex iis, qui in pulvere terræ dormi-*

ræ dormiunt, resurrecturos; quod omnino significat, aliquos tunc non resurrecturos. Nam quòd quidam dicunt, *multos* interdum *omnes* significare, aut in se comprehendere: id hîc locum habet nullum. Non enim simpliciter dicitur, *multos in pulvere terræ dormientes resurrecturos*, sed *multos de his*, seu *ex iis*, qui in pulvere terræ dormiunt. quæ loquendi ratio semper distributionem aliquam significat ejus generis, de quo verba fiunt, & non omnes ejus generis res aut personas, sed aliquas tantùm intelligendas esse docet. Vt taceam, non obscurè ex verborum contextu apparere, non nisi de iis agi, qui ex gente Iudaica fuerint. Confer cum his verbis ea, quæ leguntur cap. præced. v. 32. & seqq. Sermo ergo est in illis Prophetæ verbis de liberatione populi Iudaici ex ingenti calamitate, quâ fuerit oppressus. Homines enim calamitosos, & omni dignitate, omnibus fortunis spoliatos, mortuis comparari, paulo antè in illo Ezechielis loco cap. 37. vidimus: ac porrò qui ex hujusmodi calamitate eripiuntur, veluti e pulvere terræ excitari ac resurgere, dici meritò queunt. Ista verò ab afflictione atq; oppressione liberatio, aliis quidem cessura erat in æternam gloriam, iis nimirum, qui Legi divinæ constanter adhæsissent, nec ulla vi, ullis minis, aut tormentis, se a pietate in Deum ad impia sacra passi essent avelli: & iis quidē maximè, qui aliis quoq; ejusdem constantię duces atq; auctores fuissent, & tum verbis, tum exemplo ad omnem virtutem præivissent: cæteris autem, qui ut calamitatem effugerent, a Lege, a pietate ac virtute descivissent, eadem illa liberatio cessura erat in perpetuum dedecus & ignominiam. Durante enim tyrannide non malè sibi consuluisse videbantur: at ea cessante apparuit nefandæ apostasiæ ac impietatis turpitudo, & perpetuam illorum nomini infamiæ notam inussit, præsertim Deo illorum impietatem suppliciis suis persequente.

Cap: XI. De promisso vitæ æternæ.

Hîc verò antequam ad alios sac. literarum locos, qui divinæ huic veritati objici solent, accedamus, hoc admonendum duximus, tria ista superiora divini spiritus testimonia, quamvis, si propriam illorum spectes sententiam, istarum, quas diximus, rerum significationem habeant: mysticè tamen ad veram propriamq; mortuorum resurrectionem accommodari posse, ita nimirum, ut illius quandam contineant adumbrationem.

Iam ut reliqua consideremus testimonia; illud firmissimum a quibusdam existimatur, quòd Christus Iudęis scripturarum scrutationem attribuens asserit, eos putare, se in illis vitam æternam habere. Verùm id contrariam potiùs sententiam confirmat; cùm Iohi 5. 39.

Christus

Christus nequaquam scripturis illis vitam æternam contineri, sed eos ita arbitrari, affirmet.

Præterea afferri solent illa Christi verba, quibus, adversus Sadducæos disputans, ex vet. Testamenti scriptura ostendit, resurrectionem futuram. Ita enim ait: *de resurrectione autem mortuorum non legistis, quod vobis a Deo dictum est dicente: Ego sum Deus Abrahami, Isaaci, & Iacobi. Non est Deus mortuorum Deus, sed viventium.* Atqui animadvertendum est, nos in hac disputatione nostra, non ea rei istius testimonia requirere, quæ tanta sint obscuritate involuta, ut nihil minùs, quàm sempiternæ vitæ promissum continere videantur, nec de ea intelligi queant, nisi eorum sensus divinitùs nobis aperiatur: sed quæ apertis luculentissimisq; verbis, ut in nova scriptura fieri videmus, hoc Dei beneficium nobis polliceantur. Ex quorum numero hoc, quo de agimus, nequaquam esse hinc patet, quòd antequam Christus illud explicaret, nemo unquam extitit, qui vel suspicari auderet, tale quid illo comprehendi. Neq; enim credibile est, Pharisæos Legis divinæ peritissimos, sæpenumero, ut videtur, cum Sadducæis de mortuorum resurrectione, acerrimeq; concertantes, hunc locum silentio prætermissuros fuisse, si rei istius testimonium eo contineri animadvertissent. Quid, quòd Matthæus Christum hoc suo responso Sadducæorum os obturasse apertissimè testificatur? ut facilè appareat, hanc loci illius explicationem novam planè & inauditam fuisse; & sic verissimè a nobis dici, Christum primum extitisse, qui vitæ æternæ mysterium nobis explicaverit. Adde, quòd in his verbis nulla sit generalis futuræ vitæ promissio; sed specialis tantùm, ad Abrahamum, Isaacum, & Iacobum nominatim spectans.

Matth: 22. 31.

Instabunt tamen, dicentq;, Abrahamum, Isaacum, & Iacobum expectasse civitatem habentem fundamenta; item appetiisse, & quæsivisse patriam meliorem, nempe vitam æternam, idque divinis testimoniis confirmari. Quin imò & Pharisæos mortuorum resurrectionem sperasse, tum Paulum testificari, tum vel ex hac ipsa illorum a Sadducæis dissensione clarissimè patere; hincque necessariò concludi asserent, sempiternam illis vitam promissam fuisse. Nos igitur ut totam hanc argumentationem planè diluamus, primò ex eo, quòd divinis literis proditum sit, Abrahamum, Isaacum, & Iacobum expectare, appetere, & inquirere patriam meliorem, civitatemq; habentem fundamenta, negamus consequi, patriam, civitatemq; eam illis apertè ac nominatim promissam fuisse. Fieri enim potest, ut hoc illis a divino isto autore, non propriè, sed per quan-

Hebr: 11. 10, 14.

Actor: 24, 15. 26. 7.

Cap: XI. De promisso vitæ æternæ.

per quandam dicendi figuram, in vulgari etiam sermone usitatam, attributum fuerit. Dicimus enim quempiam id velle, desiderare, quærere, quod vel desiderio ejus admodum est accommodatum, utut in specie, ut loquuntur, quale id sit, ignoret; vel ejus factis est valde consentaneum, & iis planè dignum. Sic cum aliquid reperimus, quod votis nostris egregiè respondeat, dicimus, hoc esse, quod jam pridem voluerimus, cupierimus, quæsierimus; etiamsi idipsum antea nobis fuerit incognitum. Nonnunquam id quispiam quærere dicitur, quod non desiderio, sed factis tantùm ipsius est consentaneum, cupiditati autem ac consilio etiam adversum. sic qui in pericula se temerè præcipitant, perniciem; qui aliis molesti sunt, & ad vindictam eos provocant, plagas quærere dicuntur. Multò ergo magis id quispiam appetere, quærere, expectare dici potest, quod simul & desiderio ejus, & factis admodum est consentaneum, quodq; eum certò manet, etiamsi in specie sit incognitum. Iam verò & desiderio Patriarcharum istorum, & factis, habita præsertim ratione divini de illis remunerandis decreti, patria illa cœlestis erat maximè consentanea atque accommodata. Desiderio quidem, quia patriam, in qua sedem stabilem figerent, votis suis quæsierunt: factis autem, quia & Deo constanter paruerunt, & ita se gesserunt, ut non patriam aliquam, quę jam tum extaret, sed futuram, cujus auctor Deus esset, expectare viderentur; quam etiam Deus immutabili decreto illis destinavit. Quare etiamsi eam distinctè non haberent cognitam, nec scirent, eam cœlestem esse, atque adeò ad hanc definitè ac nominatim vota sua non dirigerent, in eáve spes suas defigerent; nihilominus tamẽ rectè eam expectasse, appetiisse ac quęsiisse dicũtur. Sed esto, expectarint illi nominatim atq; omninò propriè vitam ęternam: num protinus eam illis nominatim atq; expressè promissam fuisse consequetur? nequaquam verò. Nihil enim prohibet, quominùs etiam illa a quopiam sperentur, quorum nulla ei sit facta promissio: cùm externas quoque gentes quandam immortalitatis spem animis suis concepisse compertissimum sit, quas tamen omni rei istius promissione destitutas fuisse nemo ignorat. Tanta enim est humani ingenii capacitas atque solertia, ut cùm homines naturâ immortalitatis sint appetentissimi, ideoq; futurum statum indagando, non nisi in eo acquiescere possint, quod sempiternum est; ut, inquam, promissis destituti, ipsi sibi undecunque spem tanti boni faciant. Quid igitur mirum, vel primos illos gentis Iudaicæ patres, vel ipsos Iudęos (ut de his quoque simul respondeamus) tanti boni spem, absq; expressa Dei pollicitatione

conce-

Cap: X I. De promisso vitæ æternæ.

concepisse? In hanc enim spem illud eos excitare poterat, quòd & vitam sempiternam existere, & eam valde desiderabilem esse, & fieri posse, ut eam divina benignitate assequerentur, viderent. Nam & Deum angelosq; ipsius vitam illam vivere, & nihil ea cogitari beatius posse, & eam Dei potentiam bonitatemq; esse intelligebant, ut non solùm illam largiri posse, sed velle etiam videretur. Cùm enim pietati præmium apud Deum repositum esse cernerent, facilè illis in mentem venire poterat cogitare, nequaquam decorum Deóve dignum esse, suos cultores terrenis fluxisvé tantùm opibus remunerare: sed ut ipse immortalis est, ita illum omnes sibi constanter parentes, ad eundem aliquando statum perducturum esse. Adde, quòd Enochum etiam & Eliam propter ardentissimum justiciæ studium in cælum, ut quidem de Elia expressè legitur, translatos, aliâq; vitâ donatos fuisse, qui eos fuêre consequuti, viros pios, ac porrò etiam Israëlitarum vulgus, minimè latebat; & quamvis tanti boni nullum illis factum fuerit promissum, Deum tamen, uti illis viris, ita etiam sibi, plus quàm promiserat præstare posse, nequaquam ignorabant. Nec non illud hanc spem illis faciebat, quòd plurimos cum justicia viventes, Dei permissu, variis angustiis, ærumnis atq; calamitatibus vexatos fuisse accipiebant, vel etiam ipsimet videbant, nonnulli in seipsis etiam experiebantur. Vnde cum Deus justissimus veracissimusq; sit, concludere poterant, omninò fore, ut aliquando illos, qui verbo ipsius audientes fuerint, alterius vitæ præmiis afficeret, cum hujus vitæ bona, licet promissa, illis negasset.

Gen: 5. 24. 4 Reg: 2. 8.

Objicitur porrò, veteres illos, & Messiam expectasse, & unâ cum illo summam quandam felicitatem, idq; ut testis est Petrus, divino spiritu patefaciente. Hîc primò respondemus, nequaquam probari posse, omnes illos priscos homines Messiam expectasse; cum nec universo illi populo, nec omni tempore promissus fuerit. Ea enim tantummodo ad universum populum, semperq; spectabant, quæ fœdere illo per Mosen cum illis facto continebantur. Atqui in horum numero futuri Messiæ promissum nequaquam fuit; cum id nusquam in legis Mosaicæ disciplina expressum reperiatur. Quanquam enim Moses Prophetam excitandum esse de medio illius populi prænunciabat: tamen cum de Iosua, deq; aliis, qui illum subsecuti fuerunt, vatibus verba illa sensu literali intelligi potuerint; quid, quæso, roboris tunc habuerunt, ad faciendam hominibus illis spem futuri Messiæ? Eodem propè modo & de illa Iacobi Patriarchæ vaticinatione judicandum est, quâ sceptrum de Iuda auferendum

1 Pet: 1. 11.

Devt: 18. 15. & 18.

Gen: 49. 10.

Cap: XI. De promisso vitæ æternæ.

rendum esse negat, donec veniat Silo: cum nec olim verba illa intellecta a Iudæis fuerint, nec hodie ab eodem hominum genere satis percipiantur; tantum abest, ut illis tunc Messiæ expectationem movere potuerint. Reliquos tamen vates Messiæ adventum prædixisse haud sanè diffiteor: verùm cum illi nec semper extiterint, nec porrò illorum dicta fœdere illo, generaliter cum omnibus percusso, comprehensa fuerint; & ideo non ab universis ac singulis audiri potuerint; quam, quæso, Christi aliquando mittendi spem atque expectationem Iudæis generatim omnibus attulisse putabimus? Verùm esto, expectaverint sanè universi ac singuli Messię adventum; expectaverint quoq; præstantissimum quoddam bonum, quo per eundem Messiam universa Iudæorum natio mirum in modum locupletanda fuerit: num protinus inde consequitur, expressam illis vitæ sempiternæ promissionem factam fuisse? nullo pacto. Nam quale illud bonum futurum esset, & quibus in rebus constitutum, nemo ante Christi tempora clarè explicuit. Quid, quòd apertissimè Petrus Apostolus testificatur, vates illos ista prædicando, non sibi, sed nobis ministrasse; utpote cùm ea, quæ tunc de conferenda in nos gratia prænunciabant, nequaquam ad illorum, sed ad nostra tempora spectarent. 1 Pet: 1. 12.

Hæc tamen non perinde a nobis disputantur, quasi illos, qui olim cum fide justitiaq; vixerunt, vitæ æternæ possessione exclusum iri putemus: quin imò ex iis, quæ paulò antè a nobis dicta sunt, cuilibet constare potest, nos planè statuere, Abrahamum, Isaacum, & Iacobum, & his similes, ex mortuis aliquando excitandos, immortalitatisque beneficio ornandos esse. Quia enim patriam quandam, & stabilem, in quo tandem quiescerent, locum ex Dei promisso expectarunt, patriam autem terrestrem assecuti minimè fuerunt; cum tamen Deus, qui æterna veritas est, fallere non possit; consequens omnino est, ut in terrestris patriæ locum, cælestis patrimonii hæreditatem adeant. Quod quidem planè ita futurum esse, divinissimus ille autor his verbis testificatur: *Hi omnes fide explorati non obtinuerunt promißum, Deo de nobis quiddam melius providente, ne illi sine nobis perfecti redderentur.* Hìc apertissimè docemur, fore ut, qui olim Deo confisi sanctimoniâ vitæ gratiam ipsius ambierunt, ii in ejusdem nobiscum felicitatis possessione collocentur, & sic eo, quod nobis promissum est, præmio augeantur. Ea enim fuit divinæ liberalitatis magnificentia, ut & quosdam justitiæ cultores, tum terrenis bonis ex pacto, tum cælestibus ex voluntatis suæ arbitrio cumulare decreverit; &, ne de fide sua parùm labo- Heb: 11. 39, 40.

Cap: XI. De promisso vitæ æternæ. rare videretur, illos, qui ob pietatis divinævé gloriæ studium, loco felicitatis tunc promissæ, multis ærumnis atque calamitatibus vexati fuêre, in iisdem nobiscum beatis sedibus collocare, & sic plus, quàm pollicitus erat, illis dare constituerit. Nequaquam igitur, ut dixi, in ea sumus sententia, ut veteres illos Dei cultores vitâ sempiternâ privatum iri statuamus: sed divinum spiritum secuti, eo consilio hunc sermonem instituimus, ut appareat, novum fœdus longè multumq; veteri illi præstare, verissimeq; a divino autore melius fœdus appellari, meritoque affirmari, legem nihil ad perfectionem adduxisse, sed introductionem melioris spei, per quam accedimus ad Deum. Item, legem tantùm umbram futurorum bonorum habuisse, non ipsam rerum imaginem, quæ scilicet in Christi tandem disciplina expressa est.

Heb: 7. 19, 22.

cap: 10. 1.

Existit autem non aliena hoc loco quæstio, quid causæ fuerit, cur Deus tanti boni promissionem in hanc mundi senectam distulerit? Intelligendum igitur est, duas potissimùm rei istius causas reddi posse. Primò enim Deus pro summa sua sapientia, hominum captui se accommodare voluit. Neque enim eâ statim genus humanum prudentiâ, eoq; judicio fuit, ut divinissima quæq; mente comprehenderet. Itaque Deus, quemdmodum reliquis in rebus, ab aliquo rudimento initium facere, paulatimq; ad summum pervenire consvevit: ita nec in voluntatis suæ patefactione, statim ad altissimum fastigium progressus est, aut eò homines perduxit. Deinde eidem divinæ sapientiæ consentaneum erat, omnibus modis providere, ne homines sese in hęreditatis cælestis jus nasci, & immortalitatem tanquam rem debitam sibi tribui existimarent; ideoque non tanti illam facerent, quanti summum istud bonum, atq; inexplicabilis Dei beneficentia, quæ in eo tribuendo cernitur, æstimari debet. Eam ob rem Deus per multas seculorum ætates, homines tanti boni promisso destitutos esse voluit; ut & miseram fortunam suam agnoscerent, & meliorem statum sitienter appeterent, & tandem eum assecuti, divinæ gratiæ magnitudinem suis momentis ponderarent, hæcq; ultima tempora longè illis vetustis feliciora esse intelligerent, secundùm illud Christi: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi prophetæ & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ vos auditis, & non audiverunt.*

Luc: 10, 24.

Ex iis, quę hactenus a nobis disputata sunt, apertè colligitur, non solùm in magno errore illos versari, sed in Christum etiam injurios esse, qui primos parentes nostros immortales creatos fuisse contendunt.

Cap: XI. De promisso vitæ æternæ.

contendunt. Hunc enim primum, ut satis jam demonstratum est, immortalitatis & præconem & datorem Deus esse voluit. Quæ quidem laus ei detrahitur, ipsumq; immortalitatis bonum valde extenuatur, si antequam Christus & nasceretur, & muneris sui officium susciperet, hominem jam in ipso mundi primordio, naturâ immortalem extitisse affirmatur. Quid, quòd hoc dogma, ut aliis divinis testimoniis hactenus in medium prolatis, ita & luculentissimo illi Pauli pronunciato repugnat, quo Christi præ primo illo Adamo excellentiam ob oculos nobis ponere instituens, hunc quidem corpus animale ac terrenum habuisse, illum verò spirituale ac cæleste nunc habere docet. Corpus autem animale & terrenum, corruptibile simul est; quemadmodum contrà spirituale ac cæleste, incorruptibile; ut ex collatione verborum Pauli, quæ paulò antè eo loco habentur, cum his, quæ inferiùs scripta sunt, patet. quam ob causam videtur Apostolus superiùs eodem cap. scripsisse: *per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. sicut enim in Adamo omnes morimur; ita & in Christo omnes vivificabuntur* Et quidem, ut Christo sua laus honorq; salvus atq; incolumis permaneat, immortalitatemq; singularissimum Dei beneficium esse, & sic nequaquam hominibus aliquando innatam fuisse constet; operæ pretium esse arbitror, ut hominis materiam paulò diligentiùs inspiciamus. Ea verò duplex est, remota, ut vocant, & proxima. Remota est terra, a qua Adami nomen deductum est. Sic enim dicit Moses: *Formavit Dominus Deus hominem pulverem de humo*. Proxima materia est ipsum corpus humanum, unà cum omnibus suis tum exterioribus, tum interioribus membris, ad cujus contemperationem quatuor illæ elementorum qualitates inter se pugnantes concurrunt. Sive igitur remotam, sive proximam hominis materiam spectes, facilè comperies, hominem suâ naturâ mortalem corruptibilemq; esse. Primò enim terram corruptibilitatem, ut ita loquar, naturaliter in se continere, nemo est qui nesciat; cum quicquid terrenum ex terravé conflatum est, id interire cernamus. Nec sine causa, ut suprà diximus, Paulus Apostolus Adamum, quia ex terra formatus sit, Christo, qui cæleste jam & incorruptibile corpus habeat, opponit. Deinde ad hominis corpus quod attinet, quis non videt, concursum qualitatum elementarium mutuò sese destruentium, non solùm arguere, sed etiam naturâ suâ efficere corruptionem? Quin imò & ipse membrorum usus evidentissimum mortalitatis argumentum continet; utpote qui in illis rebus acquirendis perfruendisq; constitutus sit, quæ ad corpus fulciendum sunt necessariæ,

1 Cor. 15. 45. & d.

vide ℣ 42. & d.

℣ 21, 22.

Gen. 2. 7.

1 Cor. 15. 47.

Cap: XI. De promiſſo vitæ æternæ.

ceſſariæ, veluti ſunt cibi potionesq́;, quæ capiuntur & digeruntur a ventre, ab inteſtinis, a jecore. *Eſcæ enim*, inquit Paulus, *ventri, & venter eſcis: Deus autem & hunc & illas abolebit*. Huc & arbor vitæ ſpectat, illiusq́; fruendæ poteſtas homini primo in hunc finem data, ut vitam ad illud temporis ſpacium produceret, ad quod naturâ ſuâ pertingere poterat. At quis ejus rei uſus, ſi homo naturâ fuiſſet immortalis? Neq; eſt quod quis objiciat, hominem, niſi e paradiſo fuiſſet ejectus, ejus arboris uſu vitam in æternum producturum fuiſſe, uti ex ipſius Dei verbis, quæ in Geneſi leguntur, conſtet. Primùm enim longè aliud eſt in æternum vivere, & naturâ immortalem eſſe. Nam & is, qui naturâ mortalis eſt, ſi Deus ita velit, poteſt in æternum vivere. Mortalem enim eſſe nihil eſt aliud, quàm poſſe mori. At qui mori poteſt, poteſt etiam, ſi Deus velit, non mori, & ſic in æternum vivere. Mortalis autem & immortalis naturâ ſimul eſſe nemo poteſt. Deinde animadvertendum eſt, vocem *æternitatis* ſeu mavis *ſeculi*, quæ Hebraicè eſt *olam*, ſæpe non abſolutam, ſed naturæ rei illius, qua de agitur, accommodatam perennitatem durationemq́; longiſſimam declarare, ut alibi docebimus. Materia autem ſubjecta hoc loco eſt homo, cujus vitam ut longiſſimam futuram, & eò usq; protrahendam fuiſſe, Spiritus Dei oſtenderet, quousq; humanæ naturæ ferret conditio; uſus eſt voce *leolam*, ſeu *in æternum*, cujus ea vis eſt, quam diximus. Similiter & de ſomno, de quiete, a liisq́; ad humani corporis refectionem ac ſuſtentationem ſpectantibus, judicandum eſt; utpote quibus opus minimè fuiſſet, ſi homo naturâ immortalis extitiſſet. Immortalia quippe corpora, nec vigiliis frangi, nec labore defatigari, nec ullo dolore cruciari poſſunt. hæc enim ſunt quædam ad interitum viæ, & ſi vel nimis diuturna ſint, vel nimis vehementia, interitum tandem corpori adferunt. Quid verò de reſpiratione dicemus, quâ interclusâ hominem ſuffocari neceſſe eſt? Adde, quòd hominem ita à natura comparatum Deus eſſe voluit, ut ſobolem procreare poſſet, atq; adeò procrearet. Cum porrò ſobolis procreatio conſervandi generis cauſâ divinitùs inſtituta ſit; quid, quæſo, primus homo, qui jam rei iſti deſtinatus erat, cum immortalitate coniunctum habere potuit? Vbi enim per procreationem ſobolis perpetuitati generis conſulitur, ſingularia ipſa interitura eſſe apparet. Hinc luculentiſſimè Chriſtus aſſerit, fore, ut qui immortalitate aliquando donabuntur, ii nec uxores ducant, nec nubant; propterea quòd mori ampliùs non poterunt, ſed Angelorum ſimiles futuri ſunt.

Quid verò illud eſt, inquiet quiſpiam, quòd Paulus primum homi-

1 Cor: 6 13,14. Gen: 2,9,& 3. 2.

Gen: 3: 22

vide inf c. 36.

Luc: 20. 35,36.

hominem in animam viventem factum fuisse dicit? aut etiam quòd Moses, ex quo ista deprompta sunt, asserit, Deum in hominis faciem vel nares inspirasse spiraculum vitæ? Hoc enim cum mortalitate congruere minimè posse videtur. Respondemus autem, vel his ipsis scripturæ testimoniis nostram de hominis statu, in quo ante lapsum fuit, sententiam mirum in modum confirmari. Tantum enim abest, ut factum esse in animam viventem, vel spiraculum vitæ sibi inspiratum habere, immortalitatis contineat argumentum; ut potiùs ei a Paulo luculentissimè opponatur, & porrò tantam arguat hominis fragilitatem atq; imbecillitatem, ut, si suæ relinquatur naturæ, moriatur tandem necesse sit. Postquam enim Apostolus primum hominem in animam viventem factum fuisse asseruerat; statim ex altera parte hæc opposuit verba: *novissimus autem Adamus in spiritum vivificantem (factus est.)* Quod certè nihil aliud significat, quàm hunc posteriorem Adamum spirituale corpus, quod vitam perpetuò produceret, adeptum esse. Quid, quòd si animum attenderis, facilè comperies, Apostolum in eodem verborum contextu, ex hoc ipso, quòd primus homo in animam viventem factus est, concludere, eum corpore animali & corruptibili circumdatum fuisse. Postquam enim hæc verba fecisset: *seminatur corpus animale, resurgit corpus spirituale: est corpus animale, est etiam corpus spirituale;* statim subjungit: *Sicut scriptum est: factus est primus homo Adam in animam viventem; novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Adde, quòd Esaias, cùm hominis vitam fluxam momentaneamq; describere alicubi instituit, eum spiritum suum in naribus habere dicit; adeò ut ex eo, quòd Deus in hominis nares (ita enim est in Hebræo) spiraculum vitæ inspiraverit, non tantùm colligi non possit, eum immortalem naturâ esse, sed contrarium etiam inde concludi debeat.

Cap: XI. De promisso vitæ æternæ.
1 Cor: 15. 45.
Gen: 2. 7.
℣ 45.
℣ 44.
Esa: 2. 22.

Hîc verò illud ex Sapientiæ libro adducunt testimonium, quo hominem ἐπ' ἀφθαρσίᾳ h. e. *ad incorruptibilitatem*, vel *in incorruptibilitate* conditum esse docetur. Non respondebimus nunc illud, librum hunc inter Apocryphos numerari, ex quibus indubitatum veritatis argumentum peti nequit. Illud inprimis animadverti volumus, si particula ἐπὶ sumatur pro *ad*, ut a viris doctissimis factum esse videmus; non tantùm ex hoc loco concludi non posse, hominem tunc, cum conderetur, fuisse incorruptibilem, sed etiam contrarium inde rectiùs colligi. qui enim ad incorruptibilitatem conditus est, eum tunc, cum conderetur, consentaneum est, non fuisse

Sap: 2. 23.

incorruptibilem. Sed largiamur etiam, ita debere verti verba, ut dicat Auctor, hominem conditum eſſe *in incorruptibilitate*. nihil eſt, quod doceat, de ea incorruptibilitate iſtic ſermonem eſſe, de qua nos hîc diſputamus. De ea enim nos agimus, quę omnem prorſus mortem ac corruptionem, etiam naturalem ac temporariam, excludat. At illa, de qua Auctor iſte loquitur, non omnem mortem excludit, ſed eam tantùm, quæ impiorum eſt propria. Iuſticiam enim immortalem eſſe ait, & pios, utut per tormenta hac vita excedant, mori tamen negat. unde omnes monet, ut mortem atq; interitum, huic ἀφθαρσία oppoſitum vitent.

c. 1. 15, 16. c. 3. 2. c. 1. 13.

Inſtabunt tamen, & Pauli teſtimonio, hominis mortalitatem non inde fluere dicent, quòd hac conditione creatus ſit: ſed quòd, ut Apoſtolus ait, *peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, atq; ita ad omnes homines mors pervaſit*. Atqui conſecutio iſta peſſimè conſtituta eſt; cum inter mortalitatem, ipſamq; mortem plurimùm interſit. Mortalitas quippe naturalem ad moriendum aptitudinem ſeu habilitatem ſignificat; mors verò ipſum moriendi actum declarat. Hanc igitur per peccatum intraſſe Paulus ait, ita nimirum, ut id moriendi neceſſitatem omnibus attulerit: illam verò minimè. Fieri namque potuiſſet, ut Deus hominem, quantumvis mortalem, admirabili ſua potentia ab ipſa morte integrum conſervaret. Deinde Pauli verba non poſtulant, ut ſtatuatur, nullo alio modo, quàm per peccatum, mortem potuiſſe in mundum ingredi, vel ingreſſuram fuiſſe, atq; adeò naturaliter id fieri non potuiſſe: ſed ſatis eſt, eam hoc, & non alio modo ingreſſam fuiſſe. Simili ratione idem ait Apoſtolus, per lapſum Iudæorum Gentibus ſalutem contigiſſe, quamvis alioqui planè conſtitutum fuerit, ut gentes aliquando ſalutari Chriſti diſciplina illuminarentur. Quare etiamſi Iudæi lapſi non fuiſſent, nihilominus tamen ſalus contigiſſet Gentibus, quanquam non ita citò: quod idem de morte per peccatum in mundum ingreſſa dici poteſt. Denique Paulus eo loco non de morte temporaria, ſed de æterna diſſerit.

Rom: 5. 12. Rom: 11. 11.

Vrgebunt nihilominus, & hominem ad Dei imaginem factum eſſe, idq; niſi Deo immortalitate ſimilis fuerit, cum vero conjunctū minimè eſſe pugnabunt. Nos autem hoc poſterius falſiſſimum eſſe dicimus. cùm nihil impediat, quominus homo non ſolùm mortalis, ſed morti etiam planè obnoxius, Dei imago eſſe diciq; poſſit. Nam & apud Moſen, & apud Iacobum, hominem poſt illam Adami ruinam titulo iſto decoratum fuiſſe, ſcriptum legimus. Potuit quippe homo alia ex parte ad Dei imaginem creari, quàm quatenus perinde

Gen: 1. 6. Gen: 9. 6. Iacob: 3. 9.

nus perinde, ut Deus, immortalis fuerit; atque adeò longè aliam rei istius rationem in divinis literis expressam videmus, nimirùm quia haud aliter atque deus quispiam, omnes res creatas cœlo subjectas imperio suo complectatur. Id quod ex illis Dei verbis perspicuum est: *faciamus hominem ad imaginem nostram, secundùm similitudinem nostram: & dominetur piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* Quod idem & David homini tribuit, dum illi imperium in universa Dei opera datum esse affirmat. Gen: 1. 26. Psal: 8. 7, 8, 9.

Nondum tamen quiescent illi, qui contrà sentiunt. Confugient enim tandem ad immortalitatem animæ, satisq; inde constare asserent, hominem mortalem creatum minimè fuisse: cum præcipua ejus pars, anima nimirum, corruptionis sit expers. Ad hanc objectionem antequam respondeamus, discutienda nobis est vocabuli Animæ ambiguitas. Aut enim anima pro hominis spiritu usurpatur, aut ejusdem spiritus significat effectum. Ac spiritum quidem tunc declarat, cum ejus nomine divinæ particula auræ, seu substantia illa significatur, quæ corpori juncta illud vivificat, & has, quas vocant, animæ vires ac facultates ei largitur. Effectum verò ejusdem spiritus significat, cum ipsam vitam, quam spiritus ille corpori junctus efficit, designat; id quod apud sacros scriptores fit frequentissimè. Hoc posteriori modo accepta anima, spiritu a corpore sejuncto, consistere non potest. Spiritus verò ipse, qui est anima priori modo accepta, nequaquam interit: sed, ut Salomon testificatur, ad illum redit, qui eum dederat; restituendus tamen suo tempore cum immortali gloria iis, qui cum fide justiciaq; vixerint. Vnde, quemadmodum ipse Christus jam jam moriturus, spiritum suum in manus Patris sui deposuit: ita Stephanus spiritum suum in manus Christi. & Petrus monet, ut ii, qui patiuntur secundùm voluntatem Dei, tanquam fideli creatori commendent animas suas benefaciendo. Etiamsi autem hic spiritus naturâ suâ sit incorruptibilis; propriè tamen loquendo, ut non moritur, ita nec vivit: sed vitam tantùm, quàmdiu corpori junctus est, efficit. Quare propriè loquendo nec immortalis dici potest. Immortalitas enim eorum demum est, quæ ipsamet actu vivunt. Vnde apparet, naturalem hominis immortalitatem hinc concludi minimè posse: idq; tantò minùs, quòd de toto hominis concreto, ex spiritu & corpore composito, deq; ejus immortalitate nobis hoc loco sit sermo. Quis autem non videt, corpore intereunte, etiamsi spiritus maneat superstes, &, ut hoc etiam nunc largiamur, immortalis existat, concreti istius dissolutionem fieri? Eccle: 12. 7. Luc: 23. 46. Act: 7. 59. 1 Pet: 4. 19.

Cap: XII. Descriptiones vitæ æternæ explicantur.

nem fieri? ad quam cum homo, si naturalem illius constitutionem spectes, fuerit aptissimus; facilè est intelligere, eum immortalem haudquaquam fuisse conditum.

Cap. XII.

In quo descriptiones vitæ æternæ variæ considerantur.

IAm ut ad futuræ illius vitæ descriptionem veniamus; illud primùm ingenuè fatendum est, nullum mortalium ad tantum divinæ sapientiæ gradum pervenisse, ut illius rationem mente satis complecti, nedum oratione persequi possit. Versamur enim adhuc in ætate puerili, & ideo puerorum more, de tanta futuræ felicitatis amplitudine balbutire fortasse possumus, utpote per speculum, perq; quasdam ambages eam intuentes: absolutissima autem cognitione eam comprehendere, proq; ejus dignitate explicare, neque in hujus seculi rationem, nec in naturæ nostræ imbecillitatem cadit. Quanquam enim non perinde ut Israëlitæ, umbram tantùm hujus boni cernimus, sed imaginem ejus quandam cōtuemur: nondum tamen rem ipsam effigie notatā oculis cernere nobis concessum est. Restat igitur, ut imaginē istam, quâ Deus, dum quidem hujus lucis usurâ fruimur, nos contentos esse vult, omni mentis acie contemplemur, & cum S. monumentis expressa sit, virorum divinorū testimonia summâ diligentiâ colligamus, utpote quæ certis quibusdam elogiis vitæ sempiternę statum atq; conditionem, cum qua liberatio a miseria isti felicitati contraria conjungenda est, describāt. Omnia autem ista elogia in quatuor, ut videtur, genera distribui possunt. Aut enim gratuita Dei liberalitas illis indicatur; aut boni istius pondus ac pretium ob oculos ponitur; aut status illius sive dignitas ac gloria, sive jucunditas depingitur; aut tantę felicitatis desideriū declaratur. In primo genere hæc sunt futuræ beatitatis nomina: peccatorum condonatio, passim in N.T. scriptis commemorata, justitia vel justificatio, redemptio, regeneratio, donum Dei. Ac peccatorum quidem condonationem, ipsa vocis vi inspecta, vitam immortalem significare haud asserimus: cum peccata condonare propriè loquendo non nisi a peccatorum reatu absolvere, & supplicium sceleribus debitum auferre significet; id quod vitæ sempiternæ ac cælestis beneficium per se minimè complectitur, nec necessariò ac suâ naturâ secum trahit. Fieri namque potuisset, ut peccati pœnas non subiremus, nec tamen continuò cælestem adiremus hæreditatem. Satis quippe Deo ad sceleris ultionem nobis condonandam fuisset, terrestrem illam vitam, quam Adamus ante mise-

1 Cor:13. 11.

Heb:10.1.

rabilem

rabilem casum suum vivebat, nobis restituere. Voluit tamen clementissimus Pater, pro incredibili sua erga nos charitate atque misericordia, hanc peccatorum condonationem ita amplificare, ut non solùm supplicii liberationem, sed etiam cælestis patrimonii possessionem contineret, eamvé secum adferret. Postquam enim sempiternum interitum veram ac propriam peccatorum pœnam esse voluit, immortalis autem vitæ præmium innocentiæ ac justiciæ proposuit: sequitur ut, cui peccata condonantur, quique adeo pro innocente ac justo reputatur, hoc est, eo est loco ac conditione, quâ innocentem ac justum esse conveniret, is a morte sempiterna liberatus, immortali vita donetur. Vnde in sac: lit: N. Fœderis remissionis peccatorum nomine vita ęterna tacitè comprehendi non rarò solet. Luc: 24. 47. Act: 5. 31. Rom: 4. 6. & d. Heb: 8. 12.

Iustitiæ autem, vel justificationis nomine, licèt non rarò liberatio tantùm a peccatorum reatu ac pœna significetur: nonnunquam tamen etiam ipsa immortalitas vel exprimitur, vel tacitè includitur. Id verò ideò, quia justitia metonymicè pro justitiæ effectu seu præmio, divina benignitate constituto, accipi solet; & apud divinos autores, hominem justificare, significat eum justum pronunciare, & ut justiciâ perfectâ excultum tractare; quod sanè hîc nihil aliud est, quàm a reatu ac pœnis peccatorum liberatum, beata immortalitate donare. Gal: 5. 5. 2 Tim: 4. 8. 2 Pet: 3. 13. Rom: 5. 18, 19.

Redemptionis quoque nomen idcirco huic divino statui imponitur, quòd cùm eum consequemur, revera e corruptionis servitute in gloriosam filiorum Dei libertatem vindicabimur: cum videlicet isto fragili caducoq; corpore exuti, corpore induemur glorioso, firmo, & ab omni corruptionis contagione, & sic ab omni periculorum mortisq; ipsius metu soluto ac libero. Quam ob causam dies ille, quo Christus ad ista libertate nos donandos venturus est, dies redemptionis dicitur; tuncq; redemptionem nostram, id est, nobis destinatam, appropinquare, & tandem reipsa nobis dandam esse affirmatur. Rom: 8. 23. 1 Cor: 1. 30. Ephes: 1. 14. Rom: 8. 21. Ephes: 4 3. Luc: 21. 28.

Regenerationis præterea nomine, quo animorum & actionum nostrarum mutatio ac reformatio significari frequentiùs solet, sempiterni illius boni adeptio eam ob causam a Christo apud Matthæum appellatur, quòd quibus ad illud aspirare concessum fuerit, ii quasi de integro fient. quandoquidem alia vitæ ratione, alio corpore, aliis qualitatibus, nullam cum priore corporis natura cognationem habentibus, præditi erunt. Qua de causa tunc eos revera filios Dei extituros Christus affirmat, cùm resurrectione potientur: ut & ipse Matth: 19. 28. Luc: 20. 36.

scriptiones vitæ æternæ explicantur.

ut & ipse omnium excellentissima ratione ex Deo genitus, ejusq; filius evasisse dicitur, cum e mortis faucibus ereptus, immortalitate donatus, sempiternâq; gloriâ illustratus fuit.

Psal: 2. 7. Act: 13. 33. Rom: 1 4. Heb: 1. 5. & 5. 5. Rom: 6. ult.

Denique donum Dei propterea hęc summa felicitas nominatur, quòd nunquam ea nec fuerunt, nec futura sunt hominum merita, ut tanquam res debita illis sit tribuenda.

Alterum genus, ut diximus, ea nomina continet, quibus quanti sit momenti atque ponderis hoc cæleste beneficium, explicatur.

Mat: 5. 12. Heb: 10. 35.

Primò igitur merces copiosa ac magna dicitur; idq; ideo, quòd nullum tam amplum, tamq; magnificum præmium excogitari potest, quod ab hoc infinitis partibus non superetur. Nec est, quòd quis divinum spiritum parùm sibi constare putet, qui quod hîc præmii, id alibi doni nomine appellet; cum nihil impediat, quominus diversa ratione hæc eadem res, jam donum, jam merces appelletur. Ac illud quidem ob causam superiùs explicatam: hoc verò ideo, quòd Deus nonnisi illos tanta benignitate complecti instituit, qui omni contentione in virtutis justitiæq; studium incumbunt.

Matth: 6, 20. 19. 21. 13. 45, 46.

Appellatur præterea felicitas nobis proposita thesaurus, isque in cælo repositus, qui nec eripi nobis, nec corrumpi possit. Comparatur etiam margaritæ, seu gemmæ pretiosæ. Nempe quia cælestis vitæ conditio pro ingentibus habenda est divitiis, proq; re eximia prorsus ac singulari: imò omnibus divitiis ac thesauris longè anteponenda; cum hi omnes perire possint, atque adeò omnino perituri sint: illa verò in omnem æternitatem sit duratura, &, si illam semel fueris consequutus, nemo tibi eam intercipere, ac nolenti eripere queat.

Tertium genus eorum esse diximus, quæ excellentissimam divini status dignitatem ac gloriam, vel jucunditatem ante oculos nostros constituunt: veluti sunt, Regnum Dei & Christi, regnum cæleste, sessio in Christi solio, corona gloriæ, corona vitæ, corona justiciæ, divinæ naturæ participatio, communitas cum Deo filioq; ejus, filiorum Dei adoptio, Dei contemplatio, filiorum Dei hæreditas, Dei gloria, fons aquæ vitalis, vita, vita æterna, vitæ arbor, & alia, quæ his explicatis oratione prosequemur.

Primò igitur Regni titulo maxima dignitatis ac felicitatis amplitudo declaratur, quâ piorum natio illustranda ac beanda est. Dei autem Christiq; regnum ea re dicitur, quòd ille hujus honoris ac beatitatis primus autor est; hic verò non solùm proximo post Deum jure illius possessionem tenet, sed etiam alios in ea constituendi potestatem ab eo acceptam habet. *Qui vicerit*, inquit ipse, *ei dabo*

Ephes: 5: 5.

Apoc: 3 21.

mecum

Cap: XII. Descriptiones vitæ æternæ explicantur.

mecum in meo solio sedere, id est, efficiam, ut eodem mecum regno perfruatur. Quod quidem nequaquam propriè dici existimandum est: sed per quandam dicendi figuram, & verè regiis voluptatibus nos complendos esse significatur; & hostibus nostris immensâ Christi potentiâ fusis atque deletis, solos nos superstites fore, & sic quasi in omnes dominatum habituros, innuitur. quam ob causam idem Christus pollicetur, se victori daturum potestatem in gentes, ita ut eas pascat virgâ ferreâ, illæq; instar vasorum figulinorum confringantur. Apoc: 2. 26, 27.

Corona verò gloriæ, vitæ, justitiæ (hoc est, quæ corona est gloria, vita, justicia, seu justiciæ præmium) ideo appellatur futura piorum felicitas, quia summo illis erit decori, & ornamento. Quòd si enim coronæ olympionicis v. g. olim datæ, honorem illis ac gloriam conciliarunt, licet corruptibiles essent, ac citò marcescerent; quid de immarcescibili ac incorruptibili hac corona, quæ fortibus Christi athletis, ac hostium spiritualium victoribus, omnibusq; pietatis stadium strenuè decurrentibus dabitur, censendum erit? 1 Pet: 5. 4: Iac: 1. 12: Apoc: 2. 16: 2 Tim: 4. 8.

Naturæ autem divinæ participatio, in immortalitatis ac gloriæ sempiternæ, quam nobiscum Deus communicabit, consortio potissimùm consistit. Eandem vel in se complectitur, vel saltem secum trahit communio, quæ nobis, si in luce ambulaverimus, cum Deo filioq; ipsius intercedit. Ea enim arctissimam inter nos & Deum filiumq; ejus conjunctionem, &, ut ita dicam, amicitiam significat; & porrò etiam æternæ beatitudinis consortium vel in se continet, vel ex se parit. 2 Pet: 1. 4. 1 Ioh: 1. 3, 7.

Huc spectat etiam illa filiorum adoptio, quam Paulus a Christianorum natione expectari asserit. Quamvis enim, ut pro hujus seculi ratione jurè quis filius Dei dicatur, satis sit, eum ex verbi divini semine ita renatum esse, ut vitâ moribusq; Deo similis existat: secundùm tamen futuri seculi statum nullus filius Dei esse potest, quin immortalitatis communione cum Deo conjungatur. Hoc enim illud est, quod Iohannes asserit, Christum nomini suo cōfidentibus, & sic ex Deo natis, in filios Dei evadendi potestatem dedisse. Et hac potissimùm de causa Deus in novo Fœdere præstantissima quadam ratione Pater appellatus est, quòd per immortalitatis beneficium, homines in virtutis studium toto pectore incumbentes, sibi quàm simillimos effecturus est. Quòd autem Paulus istam in filios Dei evadendi rationem adoptionis nomine expressit, non omninò propriè id ab illo factum esse hinc apparet, quòd ista vox partim cum re, qua de agitur, convenit, partim ab eadem dissentit. Rom: 8. 23. 1 Pet: 1. 23. Ioh: 1. 12.

Ideò por-

Cap: XII. Descriptiones vitæ æternæ explicantur.

Ideò porrò congruere dico, quòd ejusmodi tunc futuri sumus Dei filii, quales nunquam antea nec fuimus, nec per naturæ nostræ conditionem esse potuimus. Dissentire autem idcirco assero, quòd nequaquam, ut in propria adoptione evenit, filii Dei tantummodò censendi, sed revera extituri sumus. Hæc porrò naturæ similitudo, quæ nobis cum Deo est intercessura, efficiet, ut Deum, quemadmodum est, contemplari possimus, quod cæteroqui fieri non posset. Vnde Iohannes asserit, nos aliquando Deo fore similes, quia eum, ut est, visuri simus. Cujus quidem rei vim admirabilemq; altitudinem, nemo nec humanâ intelligentiâ comprehendere, nec ulla orationis ubertate explicare potest. Quid enim ad incredibilem animorum voluptatem dulcius cogitari potest, illius summi omnium rerum conditoris aspectu, quo satiari nunquam poterimus? Hoc jucundissimo spectaculo spiritus illi cælestes oculos pascunt, hoc gratissimo pabulo mirum in modum capiuntur atque hic videtur esse cibus ille ac potus inaspectabilis, quo sese uti apud Tobiam testatur angelus, qui paulò antè dixerat: *Ego sum Raphaël Angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Hac autem in re singularem etiam honoris præstantiam constitutam esse, illis Christi verbis edocemur, quibus ne minimum quidem illorum, qui ipsum fide complectuntur, contemnendum esse ideo præmonet, quòd *illorum Angeli semper aspiciant faciem Patris sui, qui in cœlis est.* Si igitur ad Christi fideles inde redundat honor, quòd illorum Angeli Dei conspectu pascuntur; quantò ad summam gloriæ ipsorum præstantiam splendidius fore putabimus, cum ipsi in eodem dignitatis gradu collocabuntur? Deum igitur videre, inexplicabilis felicitatis, altissimi honoris, solidissimæq; voluptatis summam complectitur; præsertim cùm, ut diximus, id nobis, nisi Deo immortalitate evaserimus similes, contingere nequaquam possit.

Mat: 5. 8.
1 Ioh: 3. 2.
Tob: 12. 15.
Matth: 18. 10.

His autem in rebus, quas hactenus explicuimus, consistit illa filiorum Dei hæreditas, quam unà cum Christo possessuri sumus, quæq; a Petro hæreditas incorruptibilis, impolluta, & invieta, inq; cœlis reposita nominatur. Intelligendum quippe est, bonum illud, quo de agimus, nostrum fore proprium, alioqui hæreditatis nomine indignum futurum; nec cum eo comparari ullo modo posse eas opes, quibus propter fortunæ inconstantiam, vitæq; brevitatem, ad exiguum temporis spatium fruimur, quæq; rursum, si vel maximè stabiles diuturnæq; essent, nequaquam molestiâ carent. Nihil enim in vita tam jucundum, tam stabile firmumq; est, cujus nos non aliquando capiat satietas. Nequaquam igitur, inquam, ista omnia cum fu-

Rom: 8. 17.
1 Pet: 1. 4.

Cap: XII. Descriptiones vitæ æternæ explicantur.

cum futura hęreditate nostra comparari ac contendi possunt;quippe cum hæc nec ullo fortunæ impetu everti eripivé nobis possit, nec fieri queat,ut unquam incredibili ejus dulcedine exsaturemur. Quæ quidem hæreditas, quò nobis commendatior esset, ab Apostolo insuper locuples gloriosaq; hæreditas appellata est; ut cæleste hoc patrimonium, non solùm firmissimum, & nobis planè proprium, sed etiam amplissimum atq; inexhaustum, & cum summo honore nostro conjunctum esse, persuasum haberemus. Et hæc est Dei illa gloria, ad quam Deum nos vocare atq; perducere, & in cujus spe nos gloriari, divini scriptores testificantur. Divinæ autem gloriæ quantus sit splendor, quis vel animo concipere,nedum verbis explicare potest? & porrò quis est, qui aut satis commendare laudibusq; extollere, aut etiam admirari possit felicitatem nobis designatam? Ephes: 1. 18. 1 Thess: 2. 12. Rom: 5. 3.

Aqua verò vitalis, vel fons aquæ vitalis ideo dicitur futura piorum conditio, quia Christus ejusmodi illis vim est indуturus, unde vita cum summa voluptate conjuncta, in omnem ævorum perennitatem promanet. Apoc: 22. 1.

Iam quòd vitæ simplici vocabulo hæc eadem res in divinis literis exprimitur, κατ᾽ ἐξοχὴν fieri intelligendum est; ut nimirum eam veram, nulliq; mutationi, mortisq; importunitati obnoxiam vitam esse demonstretur. quod magis etiam vitæ æternæ expressa mentio declarat. Futurum quippe est, ut mors atque infernus,vitæ nostræ hostes infensissimi, in igneum stagnum conjiciantur. Hanc eandem rem Christus nobis explicare voluit, cum sese victoribus, ut arbore vitæ vescantur, daturum pollicetur, quæ est in medio divini paradisi. Vt enim arbor illa vitæ in paradiso terrestri condita, vitæ animalis in seculum producendæ, & ab interitu eò usq; conservandæ,quò usq; terreni corporis natura pateretur,vim habebat: ita Christus in eum vitę statum nos sese deducturum promittit,qui æternum duret, & ab interitu prorsus sit immunis. Quòd autem arborem illam in medio paradisi esse asserit, per quandam dicendi figuram beatas sedes innuit; ut quemadmodum hortus ille a Deo ab initio conditus, cui Paradisi nomen insignitè tribuitur, locus fuit amœnitate jucundissimus, omnique terrenarum voluptatum genere refertus, cujus pars media eam continuit arborem, cujus fructu homines vitam in seculum prorogarent: ita sese nos in cælestium æternarumq; deliciarum, quarum illæ typum quendam gerebant, amœnissimo domicilio collocaturum promittat. Hoc idem illi latroni persuasum voluit, confirmans, cum in paradiso secum fu- Apoc: 20. 14. Apoc: 2. 7. Gen: 2. 9. Luc: 23. 43. 2 Cor: 12. 4.

Cap: XII. Descriptiones vitæ æternæ explicantur.

cum futurum; in quam & Paulus sese admirabili quadam ratione raptum esse haud obscurè indicat, quam tertium cœlum appellat, quod sine dubio ipsam Dei sedem complectitur. Huc etiam manna illud absconditum spectat, quod Christus victoribus comedendum sese daturum pollicetur. Manna enim, quem panem cæli, & panem angelorum Psaltes vocet, cibus fuit vitæ hominum conservandæ aptissimus, ac suavissimus, quo Deus inusitato more Israelitas in deserto aluit. Ei, vel illius potiùs effectui, respondet beata immortalitas; quæ ideo manna *absconditum* dici potest, quòd ejus absolutam perfectamq; rationem non solùm homines animales percipere nequaquam possunt, sed nec spirituales, quamvis pro hujus vitæ statu mysterium illud animo comprehendant, ut suprà Pauli testimonio demonstravimus. Huc referri potest illud, vesci pane in regno cælorum, quod ex sanctæ linguæ consuetudine cælestibus dapibus pasci aliquem significat, quibus sempiterna lætitia continetur. qua de causa etiam cœnæ magnæ, & nuptiarum, quas rex filio suo fecerit, nec non nuptiarum Agni nomine, piorum felicitas describitur, ad inexplicabiles vitæ sempiternæ delicias, sub imagine quadam significandas. quamquam loca illa, in quibus cœnæ illius magnæ, & nuptiarum, quas rex filio suo fecerit, fit mentio, potiùs de ea felicitate, quâ in hoc seculo Christiani homines perfruuntur, loqui videntur; vel si mavis, de felicitate quidem futura, sed quatenus ea in hoc seculo spe certa præcipitur.

Apoc: 2. 16. Psal: 78. 24. 1 Cor: 13. 9. & d. c. 2. 9, 10, 11, 12. Luc: 14. 15. Luc: 14. 16. Matth: 22. 2. Apoc: 19. 7, 9.

Ex istis vitæ sempiternæ descriptionibus hæ sequentes fluere videntur, veluti est famis sitisq; liberatio, laborum requies, lachrymarum extinctio, & cæli novi terræq; novæ possessio. Famis enim sitisq; molestiā in gloriosa omnisq; corruptionis experta corpora, quibus aliquando induemur, nequaquam cadere manifestum est: cùm hæc in terrena tantùm corpora conveniant, quæ nisi subinde cibo potuq; reficiantur, consistere non possunt. *Escæ enim*, inquit Apostolus, *ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & illas abolebit*. In eandem considerationem & quies laborum cadit. Cùm enim laborum nomine varias molestias intelligere necesse sit, eæque corporibus glorificatis nequaquam conveniant; parumné liquet, istis in altera vita locum nullum fore? Verissimè igitur ab autore Epistolæ ad Hebræos dictum est, *eum qui Dei requiem ingreditur, a suis operibus requiescere, quemadmodum Deus a suis*, id est, quemadmodum Deus olim mundo, & omnibus, quæ ambitu ejus continentur, perfectis, ab opere hoc, quanquam sibi revera haud molesto, nostris tamen laboribus, qui molesti nobis esse solent,

Apoc: 7. 16, 17. 1 Cor: 6. 13. Heb: 3. & 4. c. Apoc: 14. 13. 21. 4. d. cap: 4. 10.

lent, aliqua ratione respondente, cessavit: haud aliter eum, qui divinæ hujus quietis fit particeps, a suis laboribus, hoc est, ab omnibus curis, ærumnis, ac molestiis, quibus humana vita implicata est, liberum tutumq; fore, ita ut ejus felicitatem gaudiumq;, nullum infortunium, nulla molestia, nulla ægritudo contaminare queat: ut rectissimè illos in beatis habendos Iohannes affirmet, qui in Domino moriuntur; utpote qui a laboribus suis sunt quieturi, id est, summas curas, summas variarum afflictionum importunitates, & ipsius denique mortis immanitatem, cum summa sempiternæ beatitudinis jucunditate atque læticia commutaturi. Neque enim existimandum est, Iohannem hîc de ea quiete verba facere, quâ fideles in sepulchro perfruantur: cùm neque nunc illos quiescere, sed aliquando quieturos affirmet: neque is, qui aut non est, aut omni sensu destitutus jacet, quiescere propriè dici possit; nec, si quis figuratum quendam loquendi modum Iohanni hîc affingere velit, ulla vel ratione, vel divinorum scriptorum testimonio, eum fulcire queat. Multò igitur tutius, & ad veritatem firmius fuerit, statuere, Iohannem ab autore ad Hebr: nihil quicquam dissentire, sed idem prorsus, quod ille, asseverando apertissimè docere, eos qui ad extremum divinis Christi institutis adhærent, eandem consecuturos quietem, quâ ipse Deus fruitur. Quis autem tam vesanus fuit, aut futurus est unquam, ut Deum instar mortui quiescere dicat?

Cap: XII. Descriptiones vitæ æternæ explicantur.

Apoc: 14.

Lachrymarum porrò extinctio, ita in status divini dignitatem quadrat, ut Deus justiciæ cultoribus omnem doloris atque tristitiæ materiam subtracturus sit, omnemq; curarum, quibus perpetuò exagitabantur, memoriam ex illorum animis æterna oblivione deleturus. Quo pacto etiam, ut Iosephus ille omnium laborum, id est, dolorum suorum oblivisceretur, effecisse dicitur, nimirum summis illum e miseriis eripiendo, & in altissimo post Pharaonem opum dignitatisq; gradu collocando.

Gen: 41.

Postremò eadem hæc felicitas sempiterna ita describitur, ut Novi cœli novæq; terræ incolas nos fore, divinus spiritus polliceatur. Cœlum autem istud & terra non nisi ad nos (quatenus, ut Petrus ait, ea expectamus, nec dum possidemus) respectu habito nova nominantur. Iam enim ea existere, & ex eo apparet, quòd idem Apostolus, in eodem novo cælo novaque terra justitiam habitare asserit; & res ipsa idem evincit; quandoquidem Deum Christumq; sedes illas beatas jam incolere manifestum est. Intelligendum autem est, in hac futuri seculi descriptione, Terræ nomen impropriè sumi, imò etiam Cæli, quatenus id tanquam altera futuri illius

2 Pet: 3. 13.
Apoc: 21. 1.

Cap: XII. Descriptiones vitæ æternæ explicantur.

domicilii pars consideratur. Etenim ex sac: lit: novi Fœderis apertissimum est, in cœlo, ubi Christus nunc degit, nos victuros, illic pietatis præmium nobis esse repositum. At in cœlo terra propriè dicta nulla est; nec alteram id futuri domicilii partem, sed totum illud domicilium constituit. Terra terrestris vitæ sedes est, cælum cœlestis. Quare cũ terrestris vita sit cessatura, ac cœlestis in ejus locum successura; quid, quæso, terrâ propriè dictâ opus fuerit ampliùs? Vnde apparet, per similitudinem quandam, & allusionem ad præsens hoc seculum terrenæq; vitæ domicilium, cœli ac terræ, vel solius etiam terræ nomine, futuræ vitæ ac felicitatis sedem descri-bi: quia nimirum præsentis vitæ domicilium aspectabili hoc cœlo & terrâ constat, & in terra quidem sola revera sedem fiximus. In cœlis autem, ut diximus, nos aliquando victuros, non pauca sac: lit: loca omnibus obvia docent. Hinc enim rempub: nostram in ~~cœlis~~ cælis esse scriptum extat. Item, hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam, & immarcescibilem in cœlis nobis conservari. Item, spem nobis in cœlis repositam esse. Item, Deum nos consedere fecisse in cœlestibus cum Christo Iesu. Quibus omnibus similibusq; scripturæ testimoniis, non cœli hujus aspectabilis, quod igne comburendum esse Petrus testificatur, sed illius, in quo Deus habitat, quodq; a Paulo tertium cœlum appellatur, mentionem fieri nemo non videt. Appellatur autem cæli nomine, quòd quemadmodum cælum hoc oculis nostris patens, supra terram, ita illud supra omnia elatum est; & ideo cœlum cœlorum meritò dicitur. Terram autem, quatenus eam Christiani possessuri esse dicuntur, novam illam, seu futuræ beatitatis sedem designare, inter alia ex illis Christi verbis intelligitur, ubi, *Beati mites*, inquit, *quia terram possidebunt*. Quo in loco nequaquam de ipsa terra propria, sed de illa futura, quam impropriè hoc modo dici suprà docuimus, verba fieri, argumento est beatitudo, quam Christus mitibus promittit, quæ nonnisi in vita æterna haberi potest. Et hic est orbis, seu ut Græcum verbum sonat, habitata, vel habitabilis illa, nempe terra, quam jam Christo subjectam esse divinus auctor luculentissimè testificatur. ut facilè appareat, Christo eam nequaquam futuram esse; quippe cum illam ita jam possideat, ut in eam omnes sibi dicto audientes recipiendi summam potestatem habeat. Ad nos tamen quod attinet, propter suprà dictam causam, meritò futura nominatur. Eidem mundi quoque appellatio in sac. lit. tribuitur. Caussa hujusmodi appellationum ex iis peti potest, quæ paulò antè dicta sunt de eo, cur futuræ

felicitatis

Phil: 3. 20. — 1 Pet: 1. 4. Col: 1. 5. — Ephes: 2. 6. — 2 Petr: 3. 10, 21. — 2 Cor: 12. 2. — Psal: 115. 16. — Matth: 5. 5. — Heb: 2. 5. — Rom: 4. 13. Heb: 10. 5.

felicitatis ſedes, cæli & terræ, quæ ſimul juncta totum conſtituunt mundum, aut ſolius terræ nomine deſcribatur.

Cap: XIII. De promiſſo ſpiritus ſancti.

Quartum genus, ut diximus, ea vitæ beatæ nomina complectitur, quæ ejusdem deſiderium expectationemq; declarant. Nam & ſpes beata, & ſpes in cælis repoſita nominatur; quòd tanta felicitas nondũ reipſa nobis obvénit, ſed certiſſima tantùm illius ſpes nobis facta eſt, nosq; ſummo eius deſiderio & expectatione tenemur. Tit: 2. 13. Col: 1. 5.

Hoc in loco non alienum fuerit diligenter inquirere, quid cauſę fuerit, quòd Deus futuræ felicitatis ſpe nos ſuſtentare, quàm ſtatim in eius poſſeſſione conſtituere maluerit? Duæ autem potiſſimùm hujus rei cauſæ fuerunt. Nam & fidei exercendæ ampliſſimam nobis materiam præbere, & ſuam gloriam mirum in modum illuſtrare voluit. Quorum neutrum omni ex parte conſtare potuiſſet, ſi nullâ interpoſitâ morâ in beatis ſedibus nos collocaſſet. Fidei enim exercendæ tantò major eſt locus, quantò diutiùs res promiſſa differtur. Gloria verò divina tantò illuſtratur magis, quantò clariùs ſumma atque inſuperabilis Dei potentia eluceſcit. Hæc autem tunc omnium clariſſimè conſpicietur, cùm infinitas eorum myriades, qui multis antè ſeculis morte extincti, in nihilumq; redacti fuerant, quorumq; memoria vetuſtate nimia prorſus evanuerat, in ſempiternam vitam ſimul revocabit; non ita clarè apparitura, ſi ſingulos, qui cum fide ac pietate vivunt, in beatas illas ſedes, non expectatis cæteris, transferret, & immortali vita donaret.

Cap. XIII.

De promiſſis vitæ præſentis: & primò de ſpiritu ſancto

HActenus de futuræ vitæ promiſſo explicavimus; ſequitur, ut præſentis quoque vitæ promiſſa juſtis ponderibus examinemus. Quæ quidem vel ad animum, vel ad corpus ſpectant. Ad animum porrò hoc unum potiſſimùm pertinet, quo Chriſtus Spiritus ſancti munus ſuis ſe largiturum oſtendit, qui eam ipſam ob cauſam Spiritus promiſſionis appellatur. Eſtq; illa Dei virtus, per quam admirabili ratione efficitur, ut nos aliquando in cæleſtis hæreditatis poſſeſſione conſtituendos eſſe exploratiſſimum habeamus, hoc eſt, ut non ſolùm nos illam adepturos eſſe utcunque ſperemus; cùm ejusmodi perſuaſionem, vel ex ſola Evangelii diſciplina, & externis ejus confirmationibus haurire poſſimus; ſed ut firmiſſimam omnisq; dubitationis expertem ſpem in ea re ponamus, eâque adjuti, neque ullo periculorum metu, neque ulla vi cupiditatis atque libidinis, neque ullo humanæ conſuetudinis exemplo, neque o- Epheſ: 1. 13.

pum terrestrium, inaniumq; honorum illecebris, ab officio deducamur. Hic enim divinus Christi spiritus spem illam, quæ per Evangelii prædicationem, ac confirmationem externis sensibus subjectam, nobis facta erat, animis hominum cælitùs illapsus, interna quadam ratione confirmat atque corroborat. Qua de causa & arrha hæreditatis nostræ, per dicendi figuram nominatur. Vt enim, si cum altero contrahas, obsidemq; promissi alicuius accipias, spem certam concipis fore, ut rem promissam tandem consequaris: ita qui Dei spiritu donantur, nequaquam de æternæ hæreditatis possessione, si modò Deo constanter paruerint, ambigere possunt. Comparatur enim præterea idem spiritus sigillo, quo obsignemur, ob eandem caussam, ob quam & hæreditatis nostræ arrha dicitur. quamquam similitudo ista duplici ratione potest explicari. Primùm hoc pacto, quòd quemadmodum, verbi caussâ, testamenta tabulæq; obsignatæ plus fidei autoritatisq; habent, quàm si nullum illis signum impressum esset: ita fides spesq; nostra, ad quam Christi disciplinâ sumus excitati, divini spiritus accessione, multò plus firmitatis ac roboris assumit, quàm si isto *divinæ gratiæ* signo mentibus nostris impresso destitueremur. Deinde hac ratione, quòd, quemadmodum res nobis charissimas, quas salvas nobis atque illibatas esse volumus, sigillo impresso notamus, ac veluti communimus, (ad quem morem alluditur inter alia in Apocalypsi, ubi de obsignandis Dei servis agitur:) ita Deus eos, quos habet charissimos, quosq; haudquaquam vult perire, sed ad sempiternam vitam conservari, hoc veluti signo notat, quod spem illis faciat certam, ipsum haudquaquam permissurum, ut, nisi ipsimet in exitium sponte sese præcipitare velint, æternùm pereant. Atque hæc nota in illis durare debet usque ad illud tempns, quo redimentur, atque ab omnibus malis exemti, promisso pietatis præmio donabuntur. Hac autem summa admirabiliq; animorum nostrorum confirmatione fit inter alia, ut quidam vitæ sempiternæ gustus mentibus nostris ingeneretur, ejusq; dulcedine ita teneamur, ut nulla omnino re a pietatis studio dimoveri possimus. quæ divina vis tunc maximè elucet, cum ea humeris nostris imponuntur onera, quibus, si naturæ tantùm nitamur præsidio, impares omnino simus. veluti cùm, exempli caussâ, præsenti mortis periculo proposito, omnis metus deponendus, animoq; forti ac constanti divina veritas in hominum truculentissimorum conspectu confitenda est. Hîc certè, humanis tantummodo viribus subnixi, consistere nequaquam poterimus: sed præstò futurus est sanctissimus iste spiritus, viribusq; divinis

Ephes: 1. 14.

Ephes: 4. 30.

Apoc: 7. 3. & d.

vinis

Cap: XIII. De promisso spiritus sancti.

vinis ita nos armaturus, ut neque inimicorum sævitiam, neque minas, neque dolores, neque supplicia, neque mortis immanitatem extimescamus; quin imò præ divinæ gloriæ cælestisq; veritatis amplificandæ studio, & sempiternæ vitæ dulcedine, ista omnia levissima ducamus. Ex quo fit, ut nulla sit caussa, cur interea temporis anxiè cogitemus, qua fronte hominum istorum vultus subeamus, vel quibus verbis pro divina veritate pugnemus; cùm potiùs nostri officii sit, dum pace tranquillitateq; perfruimur, omnem curam & industriam, omnemq; adeò vitæ cursum in ardentissimo pietatis studio conficere, persuasum habentes, Christum tunc, cum ad ista deventum fuerit, promisso suo non defuturum. Illud enim quàm præclarum est, quod Apostolis ab eo dictum, ad cæteros etiam ipsius discipulos, quatenus eis simili opus est auxilio, non immeritò extendi potest: *Cum tradent vos,* inquit, *nolite esse soliciti, quomodo aut quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et illud: *Quod datum fuerit vobis in illa hora, id loquemini.* Nec non illud: *Spiritus sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere.* Item illud: *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri.* His adde illa Pauli verba, quibus asserit, turbulentissima afflictionum tempestate ingruente, spiritum divinum nobis gravissimè laborantibus subvenire, illudq; singulare perfugium porrigere, quo omnium maximè tunc opus est, & sine quo statum nostrum tueri nequaquam possumus. Illud autem ardentissimo precum studio continetur, quod quidem a nobis abesset, si spiritus sancti præsidio destitueremur. Tanta enim est humanarum virium imbecillitas, ut imminentibus maximarum calamitatum periculis, nequaquam præ terrore, quales Deo preces, quaq; ratione adhibendæ sint, cogitationem suscipere possemus, nisi divinus spiritus tantos gemitus in nobis excitaret, tantoq; precum ardore animos nostros incenderet, ut meritò ipse pro nobis supplicare ab Apostolo dicatur, nosq;, quo pacto id fiat, nec mente comprehendere, nec verbis exprimere possimus. Quod quidem tanti apud Deum est, ut ad hunc modum ipsius auxilium implorantibus minimè desit. Quia enim animorum indagator est, quæ Spiritus sit affectio probè novit, planissimeque perspicit, nos secundùm ipsius voluntatis rationem spiritu impellente preces fundere. Atqui, ut Iohannes ait, hæc est fiducia, quam ad eum habemus, quòd si quid ex ejus voluntate postulamus, audit nos. Quid igitur est, cur ullo vel terrore, vel futuræ calamitatis metu frangamur? Quin omnibus officii nostri partibus dili-

Mar: 10. 19.
Matth: 13. 11.
Luc: 12. 12.
Luc: 21. 15.
Rom: 8. 25, 26.
1 Ioh: 5. 14.

bus diligenter expletis, Petro Apostolo aures præbemus, qui nos sine cura esse jubet, sollicitudinemque omnem, quæ ex futurorum malorum cogitatione proficisci possit, Deo, qui rationibus nostris providet, permittere? Contrà verò animadvertendum est, qui in veritate penitùs cognoscenda studium non ponunt, qui lentè atq; negligenter officia pietatis exercent, qui sese integros ab impuritatis scelerumque contagione non conservant, eos, quamvis divinam Christi doctrinam auribus percipiant, præstantissimum tamen illud spiritus sancti donum non consequuturos, nec divinum in rebus adversis auxilium impetraturos esse. Quia enim Christi dicta auribus quidem usurpant, non tamen exequuntur, meritò cum stulto ædificatore comparantur, qui domum suam in arena construit; quæ domus, delapsâ pluviâ, venientibus fluviis, spirantibus ventis, & in eam impingentibus, corruit, ingentemq; dat ruinam; quod de suppliciorum divinorum temporibus dictum, ad tempora periculorum ac persequutionum accommodari rectè potest.

1 Pet: 5. 7.

Matth: 7. 26.

Cap: XIV.

De spiritu patefactionis.

Atque hæc quidem, quamvis breviter admodum disputata, ad rei, qua de agitur, cognitionem satis essent, nisi ipsum Spiritus vocabulum ambiguitate sua longiùs orationem nostram proveheret. Intelligendum enim est, non semper de obsignationis spiritu verba fieri, cùm aliqua spiritus divini fit mentio apud divinos scriptores. Est quippe & patefactionis spiritus, qui ab Evangelii disciplina nihil differt, seu idem planè cum illa est. Quæ quidem quatuor potissimùm de causis spiritus nomine appellata est. Prima est, quòd cum nostro spiritu, seu cum mente nostra, quæ & superior ratio a viris doctissimis appellatur, arctissimo summæ conspirationis vinculo conjuncta est. Primò enim mens nostra ita cōparata est, ut quod honestum rectumq; est, tuendum sequendumq; existimet, idq; nulla vel cōmodi vel incommodi ratione habita. Deinde ea est mentis humanæ sagacitas, & ad indagandū curiositas, ut cum sese ad futurū hominis statum considerandum applicat, nonnisi in eo cogitationis suæ exitū reperire possit, quod firmum, quod fixum, quodq; sempiternum est. Horum utrumq; Christi Evangelio continetur, luculentissimeq; explicatur; indeq; fit, ut quoties Christi disciplina in eum cadit hominem, qui mente rectaq; ratione vitam instituit, is eam celeriter avideq; arripiat, & incredibili gaudio triumphet, se, quò antea solâ naturâ, nullo illectus præmio ferebatur, nunc amplis-

amplissima mercede proposita multò pleniùs firmiusq; perduci. Quæ quidem Evangelii cum recta ratione convenientia etiam a Paulo indicatur, qui cultum divinum illo præscriptum rationalem appellat; & a Petro, qui ipsam Evangelii doctrinam lac rationale vocat. Vnde colligitur, religionem Christianam Mosaicæ non parùm antecellere. Etenim ut taceamus, promissa fuisse tantùm terrena & caduca, in quibus ratio humana conquiescere non potest; multas ea religio continebat leges, quas ratio per se observandas minimè judicabat, sed tantùm propter auctoritatem ac voluntatem supremi legislatoris, quæ sola revera Iudæos ad illarum observationem obligabat. Vnde eas placita ab Apostolo appellari suo loco vidimus. Et quoniam eæ tantùm leges, quæ cum notionibus animis nostris penitùs impressis conveniunt, & ex iis quodammodo efflorescunt, fixæ perpetuæq; sunt; necesse fuit, ut lege Morali, quæ in his meritò numeratur, permanente, Ceremoniarum disciplina prorsus corrueret, ut suo loco docebitur.

Cap: XIV. De spiritu patefactionis.

Rom: 12. 1.
1 Pet: 2. 2.
lib: 2. c. 11.
inf: c. 29.

Altera eaq; potior causa, cur Evangelii doctrina Spiritus dicatur, est, quòd licet nihil in ea contineatur intelligentiæ humanæ contrarium, imò hæc cum illa egregiè conspiret: tamen mentis nostræ acies nequaquam tantam vim habuisset, ut ex se, sine divini spiritus ope illam penitus concipere potuisset. Nam ut ait Paulus, *animalis homo* (quales sunt ii, qui divino spiritu prorsus destituuntur) *non intelligit ea quæ sunt spiritus Dei.* Item, *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec animus cogitavit, quæ præparavit Deus sui amantibus: nobis autem Deus suo spiritu patefecit.* Atque hîc rursus amplissima nobis offertur occasio, summam Christianæ disciplinæ præ lege Mosaica excellentiam considerandi, idq; potissimùm sempiternæ felicitatis in illa promissæ ratione habita. Neque enim ea illo antiquo fœdere Deus Israëlitis pactus erat, quæ oculis, quæ auribus, quę denique animi sensu percipi minimè possent: cùm omnia tunc populo illi promissa ejusmodi fuisse constet, ut non solùm sensibus humanis usurpari, sed etiam humanâ industriâ aliqua ex parte parari possent.

1 Cor: 2. 14.
ibid: ℣ 9.

Tertia causa est, quòd Christi doctrina, ut ex spiritualibus tum præceptis, tum promissis constat: ita illos, qui ad eam sua studia conferunt, homines spirituales efficit; id quod Lex minimè præstare poterat. Vnde Evangelium Spiritus vivificans, lex litera interimens dicitur. Quia enim præcipere tantummodo, nullas autem imperata perficiendi vires dare poterat; interim verò transgressoribus mortem comminabatur, & eos ad supplicium hoc ferendum

2 Cor: 3. 6.

 obstrin-

obstringebat: an non litera interimens, seu occidens meritò dici potuit? Illa autem Legis imbecillitas, quæ in eo cernebatur, quòd homines, ut sibi parerent, adducere non posset, non aliunde fluxit, quàm quòd beatæ immortalitatis spem cultoribus suis non faceret. Hæc enim una est, quæ animos afflictos erigit, pietatis studio incendit, diviniq; imperii perpetuò exequendi facultate corroborat.

Quarta hujus nominis Evangelio impositi causa est, quòd divina illa virtus, quam spiritum obsignationis suprà diximus, ingenti illius summi Patris beneficentiâ ac liberalitate illis, qui eidem Evangelio fidem adjungerent, & animum suum ad pietatis in eo præscriptæ studium applicarent, fuerit promissa, atque in Christianæ religionis primordiis largiter concessa, & nunc quoque, prout cuique opus est, concedatur. quod in antiquo illo fœdere nequaquam fiebat, ubi nec tanta divini spiritus vis, nec generatim omnibus, vel promissa fuit, vel data; sed certis tantùm hominibus, ex singulari Dei gratia ac beneficio concessa.

Ex his omnibus, quæ hactenus de divina virtute disseruimus, facilè intelligitur, inter hunc patefactionis, illumq; confirmationis spiritum hoc interesse, quòd ille præcedit, hic subsequitur: ille in omnibus protinus existit, qui Evangelio assentiuntur: hic post assensum Evangelio præstitum, singulari Dei operatione interveniente conceditur, & priori superadditur. Quod quidem ita se habere Paulus luculentissimis verbis testificatur, cum ad Ephesios scribens, illos priùs divinas Evangelii voces auribus usurpasse, iisq; fidem adhibuisse, id est, patefactionis spiritum accepisse, deinde spiritu illo sancto promissionis obsignatos fuisse asserit. Ephes: 1. 13.

Cap. XV.

De illis Christi promissis, quæ ad corpus pertinent.

Veniamus jam tandem ad illas Christi promissiones, quæ corporis respiciunt curam; quæ vel in eo alendo vestiendoq;, vel defendendo atque protegendo consistit. De priore vitæ humanæ subsidio Christus hunc in modum loquitur: *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjcientur vobis.* Quibus verbis planissimè pollicetur fore, ut, si maximam præcipuamq; curarum nostrarum partem in paranda illa cælesti felicitate consumpserimus, omnemq; mentem ac cogitationem in justitiæ a Deo præscriptæ studio defixerimus, fore, inquam, ut absque animi anxietate, omnia ad vitę cultum necessaria nobis suppetant. quod quidem potissimùm fit rationibus ordinariis, divinitusque hominum generi concessis; Matth: 6. 33.

concessis;

Cap: XV. De promissis Christi ad corpus spectantibus.

concessis; sed accedente tamen singulari Dei optimi maximi providentiâ ac curâ, laboribus nostris successum largiente. Ex quo fit, ut præclarè admodum autor Epistolæ Hebræis inscriptæ, illa sacr: lit: verba, quamvis alia de re facta, ad promissi hujus amplitudinem accommodasse censendus sit: *Ipse dixit, Non te deseram neque derelinquam: ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor est, non metuam, quid faciat mihi homo.* Vbi tamen animadvertendum est, ea ratione ista in Christi disciplina nobis promitti, quatenus sine illis nec vitam valetudinemq; nostram tueri, nec religionis studio vacare, nec charitatis officia præstare possumus. Vnde colligitur, ea quæ nobis superant, & sine quibus illa, quæ diximus, haberi possunt, nequaquam in iis numeranda esse, quæ hominibus Christianis promittuntur. In quo genere illa sunt, quæ vel ad carnis, vel ad oculorum, vel ad inanis gloriæ cupiditatem referuntur. Hæc enim tantum abest ut in promissis, quæ *Christianis* facta sunt, habeantur, ut prohibita potiùs planissimè esse in divinis monumentis videamus. Ex quo iterum perspicitur, quantum inter vetus novumq; Fœdus intersit. Illo namque Deus, non solùm Israëliticum populum omnibus copiis bonisq; circumfluere, atq; in omnium rerum abundantia vivere minimè vetuit; sed id ipsum ei pactus est. Hoc verò fœdere gravissimè sanxit, ut Christiana natio nequaquam in terrenis opibus, in vanis honoribus, in fluxis momentaneisq; voluptatibus, aliquam felicitatis partem constitueret: sed ut his omnibus spretis atque pro nihilo habitis, & iis, quæ vitæ alendæ sufficiunt, contenta, ad spem illius cælestis sempiternæq; felicitatis animum subinde excitaret.

Heb: 13. 5. Ios: 1. 5. Psal: 118. 6.

1 Ioh: 2. 16.

Sequitur deinceps, ut de corporum vitæq; defensione dicamus; quam quidem eodem promisso, quo summus ille rerum omnium moderator, sese Deum nostrum fore confirmat, contineri planè fatendum est. Quid enim magis in illum convenire potest, quàm qui se illius fidei crediderunt, & quorum se Deum fore pollicitus est, eos divina ope sublevare, periculis liberare, omnia illorum capitibus impendentia mala, invicto præsidio suo propulsare, aut saltem non permittere, ut eorum saluti quicquam officiant. Quam quidem singularem Dei clementiam atque benignitatem Christus egregiè nobis depingit, dum ait: *Nonne duo passerculi asse veneunt, & unus ex illis non cadit in terram sine Patre vestro? At vestri etiam capilli capitis omnes numerati sunt. Ne formidetis igitur, longè passeribus antecellitis vos.* Cujus promissi summa in hoc consistit, ut non solùm a temporariis malis, si ita ferat divina gloria, nos tutos

Mat: 10. 29.

Cap: XVI. De sanctitate Christi.

fore Christus polliceatur; verùm etiam, si pro divina veritate vitam profundamus, tantam de nobis curam suscepturum esse Deum, ut nihil capiamus detrimenti, perindeq; sit, ac si ne ullus quidem capitis nostri capillus periisset. Vnde apud Lucam asserit: *ne pilus quidem ex capite vestro peribit*. ita ut hæc promissio, non tantùm ad corpus, sed etiam ad animam spectare censenda sit.

Luc: 21. 18.

Cap: XVI.

De promissorum Christi confirmatione, ac primò de ipsius sanctitate.

SAtis jam, ut videmur, de promissionibus per Christum factis explicavimus: sequitur deinceps, ut quo pacto sint confirmatæ, diligenter animadvertamus. Id autem duplici ratione factum est: quarum prior Christo, quatenus Prophetico munere functus est; altera ipsi Deo meritò tribuitur. Ac ad Christum quidem quod attinet; tria potissimùm hujus rei gratiâ ab illo effecta esse constat. Primùm inaudita post homines natos integritate vitæq; sanctimoniâ continetur, in qua Christus incredibilem in modum excelluit. Integritatem enim sive innocentiam illius, Petrus Apostolus his verbis exprimit: *Qui*, inquit, *peccatum non fecit, nec dolus est inventus in ore ejus*. Et Iohannes, *peccatum*, ait, *in eo non est*. Vbi animadvertendum est, sanctissimum Dei spiritum nobis persuasum velle, hunc fidei nostræ ducem, non solùm a scelerum consvetudine seu habitu, sed ab omni etiam vel minimi delicti actu remotissimum semper fuisse. Id quod planiùs atque luculentiùs Paulus & Autor Epistolæ ad Hebræos explicans, asserit, eum & peccatum non novisse, & absque peccato in omnibus ad similitudinem nostri tentatum fuisse; ut eum, quamvis nullius culpæ affinem, iisdem tamen cruciatibus, quibus perpetuò vita nostra exposita est, vexatum fuisse ostenderet. Non solùm autem nullam in culpam eum unquam incidisse, sed contrà incredibili justiciæ ardore ac studio incensum semper fuisse, ex illo Spiritus sancti testimonio intelligimus, quo illum justitiam adamasse, iniquitatem verò odio prosecutum fuisse confirmatur. Et hæc illa aqua esse videtur, quam Iohannes in divinæ veritatis testibus commemorat; quemadmodum sanguis cruentam ejus mortem; spiritus virtutem divinam, per quam admiranda illa opera, ad veritatem Evangelii demonstrandam fuerunt edita, significat. Ideo autem aquâ vitæ puritas significari potest, quòd aquâ res a sordibus elui ac purgari soleant. Vnde autor ad Hebræos nos hortatur, ut animos geramus a mala conscientia puros, & corpora mundâ

1 Pet: 2. 22.
Ioh: 3. 5,
2 Cor: 5 21.
Hebr: 4. 15.
Psal: 45. 7.
Hebr: 1. 9.
1 Ioh: 5. 8.
Hebr: 10. 22.

Cap: XVII. De miraculis Christi.

mundâ aquâ habeamus abluta, id est, ut tam internæ animi nostri, quàm externæ corporis actiones, nullo flagitio sint contaminatæ, sed omnibus justiciæ ornamentis illustratæ. Eodem modo Paulus asserit, Christum suam Ecclesiam lavacro aquę in verbo, nempe divino, purgare sanctamq; efficere. Hac aqua, id est, vitę innocentiâ & admirabili sanctitate, quia dux religionis nostrę purus sanctusque extitit, parumné liquet, ipsius disciplinam esse verissimam, & ab omni falsitatis suspicione alienam? cum nec sanctitas tanta, nisi in hominem divinum, Deoq; charissimum, ac spiritu ejus plenum; nec consilium alios in religione decipiendi, & in errorem seducendi, in tantam sanctitatem cadere queat. Ephes: 5. 26.

Cap: XVII.

De miraculis Christi.

Explicato hoc primo salutaris Christi disciplinæ argumento, quod ex singularissima Christi innocentia ac sanctitate ductum erat: sequitur, ut alterum consideremus, quod a Iohanne Spiritus nomine appellatur, cujus quidem, quantùm ad divinæ veritatis confirmationem pertinet, duplicem vim esse constat: quarum altera ad hanc Christi Propheticam functionem spectat; altera verò Regio ejusdem munere continetur, cujus explicationem in suum locum rejicimus. Infrà c. 24. Ac prior quidem, & ad præsentem materiam maximè pertinens spiritus divini vis atque potentia, hac ratione in Christo eluxit, quòd miracula edidit post hominum memoriam inaudita. Vnde ipsemet Christus, *Si*, inquit, *non ea apud illos fecißem opera, quæ nemo fecit alius, peccatum non haberent.* Ioh: 15. 24. Cujus rei clarissimum inter alia specimen erat, quòd ille, qui cæcus natus erat, nunquam fando auditum esse ajebat, quemquam cæci nati oculos aperuisse, ut a Domino Iesu tunc factum erat. Ioh: 9. 32. Multò autem admirabilius illud fuit, quòd Lazarum mortuum, & quartum jam diem in sepulchro jacentem, in vitam restituit. Ioh: 11. 39, 44. Quid de dæmoniorum ex hominum corporibus expulsione dicam? quid de imperio, quod in varios morbos, in ventos, in tempestates, in maria exercebat? Quæ quamvis per se sint maxima; majora tamen fient, si ea virtute ab illo facta fuisse considerabimus, quæ non subinde, quoties talia designanda erant, ex divinis fontibus hauriebatur: sed quæ in ipso, singulari Dei beneficio, perpetuò inerat. Vnde patet, quantum intervallum, quod ad hanc rem attinet, inter Prophetas Apostolosq;, & hunc nostræ religionis autorem interjectum fuerit: cùm illorum nullus, nisi subinde Dei Christivé implorato auxilio, stupenda isti-

 usmodi

usmodi opera edere potuerit. Vbi simul animadvertendum, tantam fuisse Christi, cum in terris adhuc degeret, vim ac potestatem, ut non solùm ipse concessa sibi divinitùs virtute, tot tamq; admiranda opera facere; sed etiam aliis ea faciendi potestatem dare posset. Quantò igitur nunc majorem ejusdem beneficii in nos conferendi potestatem illum habere existimabimus, postquam in altissimo divinæ majestatis solio collocatus est? Nam & divini spiritus munera in homines sibi confidentes ab eo tempore contulit, quod antea non fecerat; & in miraculis patrandis majorem potentiam declaravit, quàm cum in terris degeret, quemadmodum ipse prædixerat his verbis: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, etiam ille faciet; & majora his faciet; quia ego ad Patrem proficiscor: & quicquid petieritis in nomine meo, ego faciam; ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam.* Ex quibus verbis satis liquet, Christi virtute ac potentiâ, in quam efferendus erat, ipsius discipulos miracula ista edituros fuisse, & postmodum edidisse; quod etiam aliunde satis est manifestum. Audiamus Petrum, sanato homine, qui claudus fuerat natus, sic populum Israëliticum alloquentem: *Quid hoc admiramini, aut quid in nos intuemini, quasi privatis viribus aut potestate effecerimus, ut hic incederet? Deus Abrahami, Isaaci, & Iacobi, Deus majorum nostrorum, illustravit Filium suum, quem vos tradidistis.* & paulò pòst: *& per fidem nominis ipsius* (nempe Christi) *hunc, quem videtis & nostis, corroboravit nomen ejus, & fides quæ per ipsum, dedit ei integritatem hanc coram vobis omnibus.* & iterùm infrà in Iudæorum senatu: *Hoc vobis & cuncto Israëlitarum populo notum esto: hunc per nomen Iesu Christi, quem Deus excitavit a mortuis, per hoc, inquam, hunc astare in vestro conspectu sanum.* Illud quoque Pauli testimonium quàm præclarum est, quo *se nihil quicquam loqui audere* confirmat, *quod non effecerit per ipsum Christus, in obedientiam gentium, verbo & factis, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute spiritus sancti.*

Act: 2. 38. — Ioh: 14. 12. — Act: 3. 12. — Rom: 15. 18.

Omnia igitur, ut ad rem redeamus, admiranda opera, tam ab ipso Christo immediatè, quod ajunt, quàm ab eodem per Apostolos aliosq; viros pios facta, maximam illius cõfirmandę disciplinæ vim habuisse, satis ex eo perspicitur, quòd multi Iudæorũ principes, hominum genus alioqui superbum, arrogans, obstinatum, semperque propriæ magis, quàm Dei gloriæ studens, infinitis miraculis quotidie animum illorum pulsantibus commoti, Christo fidem habuisse dicuntur, quamvis ob causam modò commemoratam, id publicè non faterentur. Perfectum enim tanto admirandarum Christi a-

Ioh: 12. 42.

ctionum

ctionum splendore fuisse, ut eum divinum hominem esse crederent, præter illum ipsum, ubi hæc narrantur, locũ, ex illis Nicodemi Pharisæi verbis apertum est. *Scimus*, inquit, *te venisse doctorem a Deo. Nam hæc signa, quæ tu facis, nemo facere possit, nisi ei Deus adsit.* Hîc animadvertendum, verba ista, *quæ tu facis*, magnam vim habere, ad Christi miracula ab omnibus aliis, vel diabolica fraude, vel humano artificio, vel qualicunque alia ratione confictis, distingvenda. Neque enim nescii Pharisæi erant, utpote in divina disciplina versatissimi, posse fieri, ut illi etiam portenta faciant, quibus nihil est cum Deo conjunctum. Talia autem tantaque, qualia & quanta Christus edebat, non nisi a divina virtute profluere potuisse, probè intelligebant. Neque enim inanibus præstigiis oculos illorum pascebat, neque ejus generis portenta ostendebat, quæ aut diabolica virtus assequi, aut humana calliditas imitari posset. Quod ut magis doceamus, intelligendum est, non ea Christi miracula fuisse, quæ tantùm admirationem hominibus moverent, nullumque insuper fructum adferrent: sed singula ferè illius miracula, singula beneficia fuisse. Nullum enim ferè de illis afferri in medium potest, quod ad juvandos homines comparatum non fuerit. Qua de causa Petrus Apostolus, omnia Christi prodigia summatim designans, *ultrò citroq; eum commeantem benefecisse, omnesq; a Diabolo oppressos sanasse* testificatur. Vnde rursum apparet, signa ab illo edita, divinissima fuisse. Nam & summam Dei in homines clementiam declarabant, & morbos rei naturâ inspectâ insanabiles depellebant, & non terrenis medicamentis, quibus paulatim, magnâq; sæpe morâ interjectâ, dolores imminui solent: sed solo Christi jussu, seu, ut sacræ literæ loquuntur, verbo aut sermone, idq; subitò, perficiebantur. Quæ omnia naturæ terminos excedere, & porrò humana virtute effici nequaquam posse, quis non videt? Vt enim, verbi caussâ, facilè concesserim, fieri posse ut diabolus hominesq; perditi alicujus oculos eruant, auribus violentiâ quadam audiendi sensum adimant, vitam homini eripiant: at cæcis solo jussu lumen afferre, surdis aures patefacere, mortuis vitam restituere, vel ipsius Dei tantùm est, vel ejus, cui Deus tanta designandi potestatem concesserit. Id quod Pharisæi nec ignorare, nec, cùm divinæ legis studiosissimi essent, illius præmonitionis memoriam abjicere poterant, quæ apud Mosen his verbis exprimitur: *Cum surrexerit in medio tui propheta, vel somnians somnium, & dederit tibi signum, vel portentum, eveneritque signum vel portentum, quod locutus est tibi, & dixerit tibi, Eamus ut sequamur Deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis; non audietis verba pro-*

Cap: XVII. De miraculis Christi.

Ioh: 3. 2.

Act: 10.38.

Matth: 8. 16.

Devt: 13. 1, 2, 3.

ba probetæ illius, aut somniantis. Non poterant, inquam, hujus divini præcepti non meminisse: nihilominus tamen & eorum quidam solis Christi miraculis inducti, ei fidem adjunxerunt, & non nisi divina virtute tam admiranda illius facinora effecta fuisse, persuasum habuerunt. Videbant quippe, Iesum nequaquam ad eum finem miracula sua referre, ut hoc quasi artificio populum à sanctissimi numinis reverentia, ad falsorum Deorum, inaniumq; simulachrorum cultum traduceret: sed potiùs ut ab omni impuritatis contagione abstractum, in ardentissimum Dei studium incitaret. Non solùm enim nihil de divini numinis majestate detrahebat, sibique arroganter assumebat; aut ad quamvis aliam, sive rem, sive personam transferebat: sed quicquid erat, quicquid poterat, quicquid mente animoq; complectebatur, quicquid ore proferebat, aut opere perficiebat, summo illi Patri semper acceptum referebat; illum solum, ut primarium omnium rerum, & sic salutis etiam nostræ autorem, divinissimo honore colendum esse, studiosè iuculcabat.

Ex his omnibus valde perspicuum est, miracula vel ab ipso Christo, vel ab aliis ipsius virtute edita, maximum ad illius doctrinam confirmandam pondus attulisse. Qua de caussa & Baptistæ testimonio non ampliùs sese indigere, haud obscurè indicat, cum ait: Ioh: 5. 36. *Ego majus, quàm Iohannis, testimonium habeo. Opera enim, quæ mihi dedit Pater perficienda, ipsa opera, quæ ego facio, de me testantur, me a Patre esse missum,* Idem ex illis ejusdem verbis perspicuum est, quibus Iohanni per suos discipulos de ipso testanti, hunc in modum respondit: Matth: 11. 4, 5. Luc: 7. 22. *Ite, renunciate Iohanni, quæ videtis & auditis. Cæci cernunt, claudi gradiuntur, leprosi purgantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes Evangelium docentur.* quasi dicat, Cum tot habeam alia testimonia, quibus me Christum illum Dei esse comprobatur; res ipsa clamat, mihi Iohannis testimonio jam opus non esse. Quid, quòd etiam sermonibus suis miracula præfert, cum Iudæos illis verbis urget: Ioh: 10. 38. *si non vultis mihi credere, operibus credite, ut agnoscatis, Patrem in me esse, & me in Patre,* id est, & Patrem mihi, & me Patri esse conjunctissimum; ita ut ipse quidem totius muneris mei rationem gubernet, ego verò nil nisi ex ipsius voluntate faciam.

Miraculosis autem Christi factis illud quoq; addi potest, quod ad divinam ipsius sapientiam propriè spectat, quòd non solùm, quæ gererentur, absens animadvertebat, verùm intimos etiam hominum sensus perspectos habebat. Nam Nathanaëlem v. g. sub ficu Ioh: 1. 48. existentem vidit, eumq; verum & omnis fraudis expertem Israëlitam esse cognovit; & Pharisæorum nec non discipulorum suorum Matth: 9. 4. & 12. 25.

cogitationes

 Cap: XVIII. De morte Christi.

cogitationes introspexit. Vnde ita de eo scriptum reliquit Iohannes: *Christus nôrat omnes, & non erat ei opus, ut quis testaretur de homine. Ipse enim nôrat, quid esset in homine.* Id quod sanè omnia alia illius miracula, & majora facit, & ab omni diabolicæ fraudis suspicione vindicat. Faciat enim Diabolus quantas velit præstigias, nunquam sese hominum animos exploratò callere persuadebit. Non negaverim quidem, eum quasdam hominum cogitationes, pro incredibili sua versutia, conjecturâ assequi posse, utpote quas vel ipse objectis certarum rerum spectris mentibus eorum injiciat, vel ex argumentis quibusdam colligat: verùm hîc non de conjecturis, sed de exploratissima animorum cognitione, nec de cogitationibus artificio quodam injectis, sed de consiliis sponte volũtateq; ipsorum hominum susceptis oratio habetur, quorum exactam cognitionem Deus Christo jam tum concesserat; idq; primò, ut divinum eum hominem esse omnes intelligerent, disciplinam ipsius reciperent, debitoque honore eum afficerent. deinde ut nefaria suorum inimicorum consilia tenere, insidiasque vitare posset; ne videlicet ante tempus illud occideretur, quod Dei consilio morti ejus præfinitum erat; cùm ea non tam ad hominum crudelitatem, quàm ad singularissimum Dei decretum revocanda esset.

Luc: 9. 47. Ioh: 2. 24, 25.

Cap: XVIII. *De morte Christi.*

Tertium veritatis divinę firmamentum Christi sanguine, id est, cruenta morte, omnibusq; eam antegressis cruciatuum perpessionibus continetur. Nam & Christi sanguinem testari, & sanguinem esse fœderis, & ipsum Christum ob sanguinis profusionem fidelem testem esse, proque omnibus in mortem se offerendo testimonium temporibus suis extitisse, scriptum legimus; ut intelligamus, fœdus, quod nobiscum Dei nomine fecit, illius morte stabilitum firmatumque fuisse. Vt enim vetustum illud pactum sanguinis hircorum vitulorumq; conspersione sanciebatur: ita & novum, cujus illud umbra quædam erat, imaginemq; gerebat, Christi sanguinis profusione corroboratum & obsignatum est; idq; hoc pacto, ut quemadmodum Moses illâ conspersionis ceremoniâ populum Israëliticum in antiquum Dei fœdus asscribebat: ita Iesus Christus per sanguinis sui profusionem in Novi Fœderis societatem nos adscisceret, & bonorum, quæ in eo promittuntur, adipiscendorum jus nobis largiretur, ut tum Petrus Apostolus, tum autor Epistolæ ad Hebræos indicat. Ille namque ad sanguinis aspersionem nos electos esse: hic verò ad sangvinem aspersionis nos accessisse

1 Ioh: 5. 8. Hebr: 10. 29. & 13. 20. Apoc: 1. 5. 1 Tim: 2. 6.

Heb: 9. 19.

1 Petr: 1. 2. Hebr: 12. 24.

ceſſiſſe ait: quia nimirum atrociſſima Chriſti morte effectum ſit, ut veritatem novæ pactionis compertiſſimam habentes, ad ejusdem pactionis commercium atq; communionem tota mente nos conferremus, & ſic fœderi illi adſcriberemur, tanquam bonorum in eo promiſſorum hæredes. Duplici autem ratione hoc divinum fœdus per Chriſti ſanguinis profuſionem confirmatum eſt, quarum altera huius loci propria eſt; altera partim huc ſpectat, partim ad illa pertinet, quæ poſterioribus locis explicanda nobis ſunt. Quæ porrò hujus loci propria eſt, ea rurſus vel ad ipſum Chriſtum, vel ad Deum reſpicit. Ac ad Chriſtum quidem ipſum ita refertur, ut planè ſtatuendum ſit, eum, ut pote ſanctiſſimum atque ſapientiſſimum, nequaquam tanto mentis furore exagitatum fuiſſe, ut quod ipſe falſum vanumq; eſſe compertiſſimum haberet, id tanta obſtinatione animi, tantis laboribus atque cruciatibus propoſitis, truculentiſſima denique morte imminente, aſſeverare non dubitaret, iſtaq; omnia ſubire, quàm ſententiam mutare, & ſe Chriſtum Dei filium, ſuamq; adeò doctrinam divinam eſſe, negare mallet. Ad Deum verò ex ea parte rei iſtius ratio revocatur, quatenus Chriſtus illius juſſu atque imperio tot tantaq; mala, tamq; horrendæ mortis acerbitatem paſſus eſt. Hoc enim pacto Deus ſummum incredibilemq; ſuum in homines amorem teſtatum reliquit, nimirum, ut quem unicè charum habuit, quiq; eam ob cauſſam unigenitus ipſius filius appellatus eſt, ei minimè parceret, imò ſalutis noſtræ gratiâ morti ignominioſiſſimæ illum ſubjiceret. quæ quidem res multò videtur factu difficilior, quàm vitæ ſempiternæ promiſſum exolvere. Illud enim perficiendo maximam, ut ſic loquar, Deus ſibi ipſi vim intuliſſe videtur, cum chariſſimum filium, nullius culpæ affinem, ſed contrà ſui obſervantiſſimum, tot malis, tot calamitatibus, tam truculenta morte affici paſſus eſt; & tanquam inſtituti ſui oblitus fuiſſet, quo jam olim omnes ſui ſtudioſos a malis ac calamitatibus tutos integroſq; ſervare decreverat: ſic filium ſuum, quamvis vitæ ſanctimoniâ præcellentiſſimum, tot miſeriis circumvallari permiſit. At verò in nobis per Chriſtum viventem a ſempiterna morte vindicandis, & immortalitate donandis, nulla cernetur moleſtia; eritq; id cum ſumma Dei gloria, quâ is unicè delectatur, conjunctum. Si igitur tanta in nos extitit Dei clementia, tanta charitatis benevolentia, ut ad nos amore ſibi devinciendos, tantam rem tamque pretioſam, maximam ſibi interim, ut ſic dicamus, vim faciendo, impenderet; quid eſt cauſſæ, cur illum non multò faciliora in gratiam noſtram, ſi illi pareamus, facturum, & ſic etiam ſempiternâ vitâ

nâ vitâ

nâ vitâ nos donaturum esse, planè nobis persuadeamus? Quam quidem firmissimam ratiocinationem Paulus luculentissimis verbis hunc in modum inducit: Si, inquit, *Deus pro nobis est, quis contra nos est? qui suo ipsius filio non pepercit, sed eum pro nobis omnibus tradidit: quomodo non omnia unà cum eo nobis largiretur?* Multò autem hæc Dei erga nos charitas patebit clariùs, si & Dei, qui nos amavit, majestatem; & Christi, in tanti amoris testimonium impensi, summam præstantiam; & nostram, qui tantopere diligimur, maximam indignitatem nobis proposuerimus. Quod postremum inprimis Apostolus Paulus illis inculcat verbis: *Christus*, inquit, *cum adhuc essemus infirmi, secundùm tempus, pro impiis mortuus est; cum quispiam vix etiam pro justo moriatur: (Nam pro viro bono fortassis aliquis mori sustineat.) At Deus suum erga nos amorem in eo commendat, quòd cùm adhuc nocentes essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Vnde postmodum infert: *Ergo multò magis nunc eius sanguine justificati, defendemur per eum a supplicio. Si enim hostes cum essemus, reconciliati sumus Deo per ejus filii mortem: multò magis reconciliati servabimur per ejus vitam.* Rom: 8. 31. Rom: 5. 6, 7, 8.

Quo loco simul & ipsius Christi incredibilis in nos charitas attentissimè consideranda est. Nam & eadem planè amoris argumenta hoc illius facto continentur; & ut nihil, quod magis charum haberet, salutis nostræ causâ impendere, ita nec difficiliorem rem suscipere potuit. Et hanc ipsam ob causam, ut paulò pòst videbimus, cum multò major vis N. Fœdus confirmandi in Christi resurrectione, quàm in morte, sita sit: sola tamen mors creberrimè a divinis autoribus in materiæ istius tractatione commemoratur. Vult enim nobis spiritus divinus inexplicabilem Dei Christique charitatem semper ante oculos obversari, ad illisq; planè confidendum, inque amore, quoad ejus fieri potest, illis respondendum acriter incitare.

Altera ratio, qua per Christi mortem N. Fœdus confirmatum est, in hoc consistit, quòd idem Christus vitam profundendo, aditum sibi ad tantam felicitatis, summæq; dignitatis ac potestatis præstantiam aperuit, ut quod antea Dei verbis promiserat, id nunc non solùm in sua ipsius persona exprimeret; sed ipse etiam in nos conferre, & sic salutem nostram a se inchoatam perficere, atque ad exitum perducere posset. Quæ quidem confirmandæ novæ pactionis ratio tantam vim habet, ut prior illa, hac non subsequente, haud satis firma fuisset futura. Opus enim præterea erat, ut, quemadmodum Petrus loquitur, Deus Christum ex mortuis excitaret, gloriâque donaret, ut nostra fides atque spes in Deo esset. Quòd si Chri- 1 Petr: 1, 21.

stus,

stus, postquam adeò infami morte fuit e vivis sublatus, non resur-
rexisset; tantum abesset, ut ad illum nos conferremus, & ejus do-
ctrinam amplecteremur;ut etiam eum aversaremur;&porrò in sce-
leribus persistentes, nullam de resipiscendo cogitationem suscipe-
Hebr: 2. 14. remus. Et hanc quidem ob causam divinus ille autor asserit, *Chri-
stum per mortem suam abolevisse eum,qui mortis habet imperium,nem-
pe Diabolum, ut eos liberaret, qui mortis metu per omnem vitam servi-
tuti erant obnoxii.* Quòd si mortuus quidem est Christus,ex mortu-
is verò minimè resurrexit; nec diabolum vicit, ejusvé imperium
mortiferum destruxit, nec suos metu mortis liberavit; sed contrà
potiùs, tum ipse a diabolo superatus, tum denique fidelium natio-
ni major etiam mortis timor injectus est. Quæ cum falsissima sint;
constat, Christum morte sua ita maxima ex parte divinam verita-
tem confirmasse, ut per eam summum felicitatis, potestatis, digni-
tatisq; gradum assecutus fuerit. Hac etiam ratione, per crucis mor-
Ioh: 12. 32. tem a terra sese exaltatum, omnes ad se tracturum dicit, id est, o-
mnibus sibi confidendi tantam causam daturum, ut mentis lumine
spoliatum,aut a virtute prorsus aversum esse illum oporteat, qui i-
psi fidem non adjungat. Quod certè sola ipsius morte effici nequa-
quam potuisse, ipsa sanæ mentis ratio dictat. Hinc efficitur, Domi-
num argutè admodum & eleganter Exaltationis nomine eo in lo-
co & mortem crucis, & simul veram illam cælestemq; exaltatio-
Ioh: 3. 14, 15, 16. nem significare voluisse. Hac eadem ratione Christo, serpentis il-
lius modo,in crucem sublato fidem habentes, non peribimus, sed
vitam æternam obtinebimus. Quod fieri nequaquam posset, nisi
hæc Christi erectio, & mortem illius,& simul eam, quæ mortem
consecuta est, gloriam potentiamq; complecteretur.

Ex dictis autem intelligi potest duplex potissimùm ratio, quâ
morsChristi remissionem peccatorum ac salutem nobispeperit:al-
tera est, quòd Deus morte Christi, veluti pignore dato, ad illam
nobis dandam sese obligârit: altera verò, quòd hac via Christus
potestatem amplissimo hoc beneficio nos afficiendi fuerit conse-
cutus. alia adhuc ratio infrà a nobis explicabitur.

Vnde porrò intelligi possunt alia quoque sacrarum literarum
testimonia, quæ hunc mortis Christi effectum ac finem variis lo-
quendi formulis explicant. Quæ quidem testimonia in tres classes
Rom: 5. 6. 8. distribui posse videntur. Prima eos locos continet, quibus Chri-
1 Cor: 15. 3 stus pro nobis, proq; peccatis nostris, vel propter nos, peccatavé
1 Cor: 8. 11. nostra passus, mortuus, sive traditus fuisse dicitur. Quæ omnes di-
Rom: 4. 25. cendi formæ propè eandem vim habent, nihilq; aliud significant,
quàm

quàm Christum scelerum nostrorum caussâ afflictiones mortemq; subiisse, ut nimirum tum de eorum condonatione nos certos efficeret, tum ejusdem nobis largiendæ amplissimam potestatem consequeretur.

Altera classis ea habet testimonia, quibus nos redemptionem habere in Christi sanguine,, seu per mortem ipsius cruentam, vel Christum seipsum, sive animam suam, redemptionis pretium pro nobis dedisse docemur. quos quidem loquendi modos metaphoricos planè esse inde patet, quòd nullus ostendi potest, cui pretium persolutum fuerit, ut quidem in propria redemtione fieri necesse est. Neque enim Deus, ut vulgò creditur, pretium id accepit: cum ipsemet redemtionem nobis, ut sacræ literæ testantur, fecerit, & filium suum pro nobis impenderit. Quòd si quis proprietatem vocabuli nimium urgere velit; is non animadvertit, quòd ipse Deus & Moses populum Israëliticum redemisse dicantur, quamvis nemini ullum pretium pro illo persolverint. Hujus porrò dicendi figuræ ea vis est, ut quemadmodum in veræ propriæq; redemtionis negotio, simul ac verbi caussâ pro eo, qui vinctus astrictusq; est, pretium persolvitur, is e vinculis emittitur: ita teterrimam Christi mortem nostra a peccati servitute consecuta sit vindicatio. Peccati autem nomine hoc loco non ipsam sceleris impuritatem, sed peccati supplicium intelligimus: quod qua ratione Christi morte sublatum fuerit, paulò antè ostendimus.

Ephes: 1. 7. Col: 1. 14. Matth: 20. 28. 1 Tim: 2. 6. Luc: 1. 68. Ioh: 3. 16. Rom: 8. 32. Exod: 15. 13. Deut: 7. 8. Act. 7. 35.

Tertia classis eos locos complectitur, qui tum Christi oblationis, tum ejusdem effectuum mentionem faciunt. quos quidem non ea ratione huc adducendos existimavimus, quâ totius Christi sacrificii explicationem continent; cùm hęc aliò pertineat: sed quatenus, ut antiquæ illæ oblationes sine pecudum jugulatione perfici non poterant: ita & Christi sacrificium, & quicquid ex illo in nos profectum est utilitatis, ab ipsius cruenta morte principium ita duxit, ut absque hac illud constare minimè potuerit; hac verò interveniente, ex Dei decreto fuerit consecutum. Quemadmodum igitur prisci illi pontifices, omnia ad rem sacram faciendam necessaria ritè peragendo, non solùm populum illum de peccatorum remissione certum ex Dei decreto reddebant; sed etiam ut beneficium illud revera consequeretur, labore operâq; suâ aliqua saltem ex parte perficiebant, utpote causam illius coram Deo agentes: ita multò veriùs Christus per proprii sanguinis profusionem in cœleste tabernaculum ingressus, tum de scelerum nostrorum condonatione, id est, ab illorum pœnis liberatione, securos nos reddidit; tum hu-

De morte Christi. jus gratiæ reipsa in nos conferendæ summam potestatem adeptus est. Effectus porrò Christi oblationis sunt, peccata portare, purgare, atque expiare. Quorum omnium una eademq; ratio est. Primò enim peccata portare in præsenti disputatione, ab hominibus illa auferre significat, ut autor est Matthæus Evangelista, qui verbi istius ab Esaia usurpati hanc vim esse luculentissimè testificatur, vaticinationem illam tunc exitu completam fuisse asserens, cùm Christus multa morborum genera sanaret ac tolleret, & sic eos a laborantibus depelleret. Eodem sensu & ipse Deus peccatum iniquitatemq; portare Hebraico sermone dicitur, id est, peccati pœnam tollere. Etenim in his & non paucis aliis scripturæ testimoniis, peccatum peccati supplicium designat. Idem de purgatione expiationeq; peccatorum nostrorum statuendum est, de quibus suo loco diligentiùs explicabimus.

Esa: 53. 4. Matth: 8. 17. Exod: 34. 7. Num: 14. 18.

Hæc omnia de Christi tum perpessionibus, tum ipsa morte, ex ea parte potissimùm a nobis disputata sunt, quatenus ad novi fœderis confirmationem pertinent. Verùm cum ex eadem Christi morte, quâ Novum fœdus confirmatum fuit, tres alii fructus existant; non alienum fuerit hoc loco eos perpendere. Primò enim, cum ea lege conditioneq; vita æterna nobis promissa sit, ut abjecta scelerum impuritate justiciæ studeamus; consequens certè est, Christum afflictionibus morteq; sua ita etiam peccata nostra sustulisse, purgasse, expiasse, nos ab iis redemisse, adeoq; pro nobis peccatisq; nostris, vel propter nos sceleraq; nostra passum mortuumq; fuisse, ut nos ab illis abstraheret, sanctitatisq; studio inflammaret. Cujus quidem rei apud sacros autores plurima extant testimonia, quibus comprobatur, nos Christi morte ex præsenti seculo malo ereptos, ab omni iniquitate, a vana patrum conversatione redemtos, & Deo reconciliatos esse; itemq; eum in finem Christum esse mortuum, ut non ampliùs nobis ipsis vivamus, sed ei, qui pro nobis mortuus est & resurrexit; ut peccatis mortui justiciæ vivamus; ut ad Deum adducamur; sanguinem eius purgare conscientiam nostram à mortuis operibus, ad serviendum Deo viventi, & alia his similia. Huc & illud Esaiæ testimonium referendum est: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: castigatio pacis nostræ super eum: & livore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisq; in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrûm.* Quibus verbis vates Christi morte, quæ hîc castigationis livorisque nomine intelligitur, factum esse asserit, ut verissimè pacem sanitatemq; consequeremur. quæ quidem sa-

Gal: 1. 4. Tit: 2. 14. 1 Pet: 1. 18. Rom: 5. 10. 2 Cor: 5. 15. 1 Petr: 2. 24. 1 Pet: 3. 18. Hebr: 9. 14. Esa: 53. 5, 6.

dem sanitas in vitæ nostræ correctione consistit, quemadmodum sequentia docent; præsertim si Petri ea citantis, & ex parte aliqua explicantis, verba consideres. Ita namque inquit: *Eratis enim ut oves errantes: sed conversi estis nunc ad pastorem & curatorem animarum vestrarum.* (1 Pet: 2. 25.) Quanquam autem postrema prophetici istius testimonii verba ita a Veteri interprete redduntur, quemadmodum ea nos citavimus: tamen ut viri Hebrææ linguæ periti nôrunt, non est ibi scriptum: *Dominus in eo posuit iniquitates omnium nostrûm:* licet id quoque commodum, ut paulò pòst dicemus, sensum admittat: sed, *Dominus occurrere fecit ei iniquitatem omnium nostrûm*, quemadmodum in Bibl. Magn. Rob. Stephani annotatum habes. quin etiam illud patiuntur verba Prophetæ, ut reddas: *Dominus occurrit in eo iniquitati omnium nostrûm*: id quod Petri verba quodammodo videntur exigere. Quòd si tamen veterem interpretationem sequi volumus, hæc poterit esse verborum illorum sententia: Deum voluisse ac curasse, ut Christus mortem subiens, iniquitates nostras, hoc est, tum scelerum pœnas, tum eorundem actus, ita a nobis, quantum quidem in ipso esset, tolleret, ac si eas sibi impositas haberet, & in longinquam aliquam regionem a nobis asportaret. Simili quadam ratione Petrus ait, *Christum peccata nostra in corpore suo sustulisse in lignum, ut peccatis mortui iustitiæ viveremus*, hoc est, (1 Petr: 2. 24.) ita peccata a nobis abstulisse, atque si ea corpori suo imposita in crucem asportasset. Qui quidem loquendi modus sine dubio ab illo hirco emissario profluxit, super quem Aaron Dei iussu omnia (Lev: 16. 21, 22.) populi delicta confitebatur, illisq; capiti ejus quasi impositis, in locum desertum eum amandabat; ut non aliter a populo omnia illius anni peccata ablata esse significaretur, atque si hircus ea secum in terram longinquam asportasset. Qui hircus cum Christi figuram imaginemq; gesserit; intelligendum similiter est, mortis illius interventu perinde, quantum in ipso fuit, a nobis remota esse delicta nostra, quasi is ea secum in lignum illud sustulerit.

Constat igitur, Christũ ideo etiam passum mortuumq; fuisse, ut nos ad sceleris odiũ, virtutis autem ardentissimũ studium incitaret. Verùm cùm, qui in pietate sese exercent, hominum sceleratorum odio, invidiæ, & sic insectationibus variis expositi sint; facileq; fieri possit, ut nisi divino præsidio circumsepiantur, arctissimam istam salutis viam deserant: nos hunc etiam ex Christi perpessionibus morteque fructum percipimus, quòd is nobis ad eandem viam dux fuerit, vel, ut inquit Petrus, pro nobis fuerit passus, exemplum nobis relinquens, ut eius persequeremur vestigia. Deum quippe (1 Pet: 2. 21.)

 decuit,

De morte Christi.

decuit, ut cùm filios suos ad gloriam per afflictiones perducere vellet, principem ac ducem quoque salutis eorum per afflictiones perfectum redderet. Sic enim pro summa sua sapientia eventurum providebat, ut viam hanc, quantumvis asperam acerbitatumq; plenissimam, nequaquam tantopere extimescendum duceremus, ut ejus caussâ veritatem cælestem abnegaremus; utpote quâ Iesum Christum ad immortalitatem summamq; potestatem pervenisse videremus. Hinc namque Paulus colligit, Dei amantibus omnia, etiam adversa, ad bonum conferre. Hos quippe & ab illo præcognitos, hoc est, jam olim dilectos & approbatos, destinatos esse ait, ut filii illius imagini similes forent, id est, ut quemadmodum Christo afflictiones non solùm non obfuerunt, sed ad sempiternam etiam felicitatem viam muniverunt: ita tantum absit, ut nobis illius vestigiis insistentibus quicquam detrimenti afferant, ut etiam amplissimum ad beatam immortalitatem aditum patefaciant. Huc etiam spectat, quòd divinus ille autor asserit, Christum debuisse per omnia fratribus similem fieri, id est, non solùm ipsius mortis acerbitatem sustinere, verùm etiam in variis ante mortem perpessionibus calamitatibusq; versari; & contrà, non solum has afflictiones, sed etiam teterrimam mortem subire. Si enim alterutrum horum defuisset, nequaquam satis ad omnem patientiam exemplo ejus instructi fuissemus. Nam si plurimas quidem calamitates sensisset, haud aliter tamen atque Enochus Eliasq; vivus in cœlum raptus fuisset, ipsius fortasse exemplo ad omnia mala perferenda incitari facilè possemus; interim tamen ex atrocissimæ mortis vinculis expediri nos posse, persuasum inde minimè haberemus. Rursus, si Christus vitam quietam omnibusq; molestiis vacuam horrendissimo mortis genere conclusisset, in spem quidem venissemus fore, ut quamvis morte extincti, tandem tamen ex illius faucibus eriperemur; tot autem tantasq; ærumnas perpeti fortè noluissemus, rati nimirum, nos injuriosè tractari; utpote quibus plura gravioraq;, quàm duci nostro, onera imponerentur. Consentaneum igitur Dei sapientiæ erat, ut & variis calamitatibus & teterrimæ morti ducem nostrum subjiceret.

Hebr: 2. 10. Rom: 8. 28, 29. Hebr: 2. 17.

Vocatur autem in quæstionem, cur Deus viam ad salutem elegerit tam ærumnosam, tantisq; difficultatibus implicatam. Parùm enim illius justitiæ bonitatiq; convenire videtur, ut quos propter ardentissimum virtutis studium ab omnibus malis defendere debebat, eos tantæ sceleratorum hominum crudelitati permittat. Dicimus autem, hoc non eò fieri, quòd Deus piorum calamitatibus de-

Cap: XIX. De reſurrectione Chriſti.

lectetur; ſed ipſam rei naturam quodammodò efflagitare, ut nequaquam aliâ viâ ad beatam immortalitatem perducamur. Quia enim Deus hominum voluntatem liberam nullaq; neceſſitate aſtrictam eſſe voluit; evenit, ut nec impiis ullam Chriſti diſciplinæ amplectendæ, & ſic noſtri amandi neceſſitatem afferat. Cùm porrò & ſemper mali bonos numero multitudineq; ſuperent, &, ſi maximè hi ſeſe illis æquarent, hac lege obſtricti ſint, quâ injurias ulciſci vetantur; fieri non poteſt, quin ab impiis ſubinde premantur.

Verùm hîc alia præterea Chriſti mortis ſubeſt utilitas. Conſentaneum enim immenſæ Dei bonitati erat, eum fidelibus conſtituere ſalutis principem, qui non ſolùm viam eâ, quâ diximus, ratione ad illam muniret, ſed etiam omnibus iſtis malis prægustatis, miſericors pontifex fieret, in tantoq; propter iſtam obedientiam dignitatis ac potentiæ gradu collocatus, non modò poſſet, ſed & vellet nobis periclitantibus ſubvenire, ac non ignarus malorum noſtrorum, miſeris noſſet ſuccurrere. Hebr: 2.12, 18. & 4. 14, 15, 16.

Cap: XIX.

De ea Chriſti promiſſorum confirmatione, quam ipſe Deus effecit: & primùm de reſuſcitatione Chriſti.

HActenus eam Chriſti promiſſorum confirmationem ponderavimus, quæ, quatenus propheticum munus ſuſtinuit, ab eo facta fuit. Sequitur, ut de altera explicemus, quam ipſe Deus effecit. Cujus quidem ſumma potiſſimùm in eo conſiſtit, quòd inexplicabili ſua potentia hunc filium ſuum, crucis morte extinctum, a mortuis excitavit, inq; cœlum aſſumtum, atque immortalitate donatum, a dextris ſuis collocavit, id eſt, divinum cæleſtemq; regem effecit, & ſummum Pontificem noſtrum conſtituit. Et hæc quidem ſunt reliqua duo munera, quibus ſuprà, præter propheticum, de quo hactenus egimus, Chriſtum præpoſitum eſſe diximus, Regium nimirum & Pontificium; quorum utrumque jam tandem conſiderabimus. quod quidem tunc ritè nos perfecturos ſperamus, ſi priùs pauca de Chriſti reſurrectione, tum aſcenſu in cœlum dixerimus. Hæc enim quaſi veſtibulum, & primum quendam aditum ad Chriſti regnum fuiſſe, nemo ignorat. Adde, quòd reſurrectio Chriſti cum ejuſdem gloria, quæ conſecuta eſt, tanto vinculo conjuncta eſt, ut divini autores illius nomine, non ipſam tantummodo, ſed ſimul etiam ea, quæ illam conſecuta fuêre, immortalitatem quidem creberrimè, ſed ſæpe etiam regnum ipſius complectantur. Quid, quòd ideo etiam hoc loco nequaquam prætermittenda fuit, Act: 2. 32. & 4. 33. (cóf 5 31, 32. & 10. 42.) & 13 31 & d, Rom 4 ult: 1 Pet: 1. 2. 1 Pet: 3. 22.

quòd maximum divinæ veritatis argumentum continet, & unà cum regio Christi munere illam vim spiritus divini complectitur, quæ non solùm, ut superior illa, quam in miraculis cerni ostendimus, Iesum divinum hominem, atque adeo Christum esse, testimonio comprobat; sed quæ etiam, ut is Christus sit, efficit, seu eum Christum constituit; & porrò ejus disciplinam veram esse planè convincit.

1 Ioh: 5. 6, 8.

Rom: 1. 4.

Vt igitur priùs de resurrectione dicam, duo potissimùm hoc loco discutienda videntur: ut nimirum, tum ad quam causam illa referenda sit, tum quo pacto sempiternæ vitæ promissum confirmet, diligenter animadvertamus. Reliqua enim vel disputatione non indigent, vel passim in hoc opere nostro explicantur.

Primò igitur res ipsa docet, Christi resurrectionem non nisi divina virtute potentiâq; effici potuisse; utpote quæ & naturæ terminos excedat, & omnes non modò humanas, sed & angelicas vires superet. Est quippe a mortuis excitari nihil aliud, quàm iterum existere, postquam esse desieris. Qui enim morte extincti, & porrò in mortuorum statu constituti sunt, illi jam non sunt ampliùs, ut *sacræ lit:* loquuntur. Ex quo fit, ut Christum, qui in eodem statu fuit, non nisi a Deo, qui Pater ipsius est, in vitam revocatum esse, firmiter credendum sit. Id quod insuper compluribus divinarum literarum testimoniis comprobatur; de quibus illud Pauli omnium & luculentissimum, & ad rem, quam agimus, accommodatissimum esse videtur, quo confirmatur, Deum Patrem excellentem potentiæ suæ magnitudinem, pro egregii roboris sui virtute, in Christo exeruisse, eum ex mortuis suscitando. Quæ quidem Dei potentia ut omnibus clarissimè pateret, pro sua singulari sapientia effecit, ut Iesum revera mortuum, inq; mortuorum statu fuisse, omnibus apertissimum esset. Nam & lanceâ latus ejus pungendum, & ea ratione, utrùm revera mortuus esset, explorandum curavit; & illius corpus de cruce detrahi, linteoq; involvi, & sepeliri, ut omni jam sensu destitutum esse pateret; & denique usque ad tertium diem in sepulchro esse voluit, ut nullus relinqueretur dubitandi locus, an planè e vita discessisset; & porrò nemo suspicari posset, eum, utpote non planè mortuum, vel propriarum virium præsidio, vel humana ope, triduo peracto revixisse, & sic Dei gloriæ multum detraheretur. Cùm igitur Deus effecerit, ut Christus, qui jam non erat, rursus existeret, generatioq; sit motus a non esse ad esse; meritò hanc ipsam ob causam Deus eum tunc genuisse dicitur, cùm illum a mortuis excitaret; præsertim quia cum hac via sibi & immortalitate, & su-

Iob: 14. 10. Psal: 39. 14. Hier: 31. 15. Matth: 2. 18. Thren: 5. 6.

Ephes: 1. 20.

Ioh: 19. 34, 35, 40.

Act: 13. 32.

prema

prema potestate effecit similem. Et quidem ut magis constaret, Deum Iesum illum revera in vitam revocasse; tertio post mortem die, quàm quarto aut quinto, hoc facere maluit. Sic enim nullam fore causam prospexit, cur non eundem Iesum, qui crucifixus mortuusque erat, sed alium quempiam illius loco exhiberi quispiam existimaret: cùm verisimile atque adeò experientiâ cognitum sit, hominum cadavera tridui spatium a corruptione integra manere, pòst verò putrescere, & paulatim ad nihilum venire. Qua de causa Martha illa, Lazari demortui soror, Domino Iesu dixit: *Domine, jam fœtet. Nam quatuor dierum est.* Ne igitur de Christi corpore dubitatio aliqua hominum mentibus injiceretur, & sic non is ipse, qui sepultus fuerat, resurrexisse putaretur; consentaneum divinæ sapientiæ fuit, ut tertio post mortem die eum in vitam restitueret; & quidem hanc ipsam ob causam, non simul ac resurrexit, in divino gloriosoq; illo statu eum collocavit, & immortali spiritualiq; corpore donavit: sed per quadraginta dies cum suis eum commorari, cœlestisq; regni eis rationem exponere voluit; & ut ipsum in vitam revocatum esse exploratissimum haberent, in eodem corpore illum ante oculos illorum costituit, in quo plagis contusus, vulneribusq; excruciatus ac deformatus, atrocissimaq; morte extinctus erat. Et ut tota hæc res confirmatissima esset, ipse Iesus, postquam a mortuis resurrexisset, tum cibo potuq; cum illis utebatur, tum clavorum lanceæq;, quâ confixus erat, vestigia ostendebat; quorum nihil in immortale ac gloriosum corpus cadit. Non audiendi igitur illi sunt, qui ut Christum jam tum glorificato corpore circumdatum fuisse ostendant, illa Iohannis adducunt verba, quibus Iesum post resurrectionem, cùm fores essent clausæ, ad discipulos venisse, in medioq; stetisse asserit; unde consequi ajunt, Iesum per ostium clausum penetrasse, & porrò corpore glorioso tunc cinctum fuisse. Etenim nulla in argumento illo est consecutio. Nam Iohannis verba nequaquam prohibent, quominus januam clausam, non animadvertentibus discipulis, miraculosa quadam ratione apertam fuisse statuamus; quemadmodum & portam illam ferream sua sponte Petro Angeloq;, qui illum ex carcere eduxerat, sese aperuisse accepimus. Quid quòd, ut Lucas testatur, cum discipuli sese spiritum videre putarent, hunc illis errorem exemturus dixit: *videte manus meas & pedes meos; quia ego ipse sum: palpate, & videte; quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis habere me.* Cùm verò illi adhuc diffiderent præ gaudio, & admirabundi hærerent, cibum sibi dari jussit, & in eorum conspectu comedit. verè, inquam, ac propriè comedit; quando-

Cap: XIX. De resurrectione Christi.

Ioh: 11. 39.

Act: 1. 3.

Luc: 24. 40.
Ioh: 20. 27.

Luc: 24 41, 42, 43.
Act: 10. 42.

Ioh: 20. 19, 26.

Act: 12. 10.

Luc: 24. 39.

quandoquidem tum ipſe Dominus, ut ſeſe ſpiritum non eſſe oſten-
Act: 10. 41. deret, id fecit; tum Petrus hoc ipſo argumento ejus reſurrectionem
demonſtrat. quod neutiquam facere potuiſſet, ſi modo quodam i-
maginario cum illis cibo potuq; uſus fuiſſet.

His ita conſtitutis facilè intelligetur, qua ratione beatæ im-
mortalitatis promiſſio Chriſti reſurrectione confirmata fuerit. A-
nimadvertendum quippe eſt, Deum ideo tantam ſuam in Chriſto
excitando potentiam declaraſſe, ut nobis, quibus idem reſurrectio-
nis immortalitatisq; beneficium promiſit, planiſſimè conſtaret, e-
um eſſe illum, qui mortuis vitam reſtituere poſſit. Vnde apparet,
Chriſti reſurrectionem non ſolùm divinum promiſſum ſimplici-
ter confirmare, quod ei cum aliis rei iſtius argumentis commune
eſt, ſed etiam ejus veritatem exemplo propoſito conſpiciendam
1 Petr: 1. 21. quodammodo exhibere. Et hoc quidem illud eſt, quod Petrus ait,
Deum ex mortuis illum excitaſſe, gloriâq; ornaſſe, ut noſtra fides atque
Rom: 4. 24. *ſpes in Deo repoſita eßet:* nec non illud, quòd Paulus *nos in eum cre-
dere* aſſerit, *qui Ieſum à mortuis ſuſcitavit.* Quibus verbis Deum ideo
circumſcribere voluit, ut non ſolùm doceret, quis ille ſit, in quo fi-
dem ac ſpem noſtram collocemus; ſed ſimul etiam, quam ob cau-
1 Petr: 1. 3. ſam ei confidendum ſit, oſtenderet. Quam quidem ob rem idem A-
1 Cor: 15. 12. & ſeq. poſtolus, ut & Petrus, ex Chriſti reſurrectione noſtram reſurrecti-
Rom: 10. 9. onem concludit, tantamq; ejus, ſi exaltationem Chriſti univerſam
hoc nomine comprehendas, vim eſſe indicat, ut cui de illa perſva-
ſum eſt, is immortalitatem ſit conſecuturus. Quid, quòd omnes re-
liqui Apoſtoli, ut homines ad Chriſtianam religionem amplecten-
Act: 1. 21, & 4. 33. dam adducerent, ſatis habuerunt docere, Chriſtum revera a mortu-
is reſurrexiſſe; propterea quòd fieri non poteſt, quin, qui rem ita ſe-
ſe habere perſvaſum habeat, is Chriſto det nomen, eiq; conſtanter
2 Tim: 2. 6. adhæreat. Qua de cauſa & Paulus, ut Timotheum ad patientiam
Chriſtianam firmaret, & ad officii ſui munera diligenter obeunda
incenderet, hoc unum præcipuè illum meminiſſe voluit, Ieſum
Chriſtum reſuſcitatum a mortuis, ex ſemine David. Atq; hæc cauſa
eſt, cur Deus Chriſtum in vitam revocatum non omni vulgo, ſed
Act: 10. 41. ſolis diſcipulis illius exhibuerit; quòd Iudæos obſtinatos perire,
probos autem fidei exercendæ materiam habere voluit. Intelli-
gendum igitur eſt, Chriſtum ita a mortuis reſurrexiſſe, ut, quemad-
1 Cor: 15. 23. Col: 1, 8. modum Paulus ait, *primitiæ* illorum, qui obdormierunt, vel *primo-
genitus ex mortuis* eſſet, id eſt, ut primus eorum, qui ex mortuis ad
ſempiternam vitam excitandi ſunt, exiſteret; & ſic liquidò conſta-
ret, omnes, qui ipſius ſunt, ejuſdem felicitatis fore participes. Pri-
mitias

mitias enim primogenitaq; ad ea semper respectum habere, quorum vel primitiæ, vel primogenita dicuntur, nemo ignorat. Quo fit, ut nisi & illi, qui Christi sunt, idem resurrectionis beneficium consequantur, Christus primitiæ mortuorum, seu primogenitus ex mortuis jurè appellari non possit. Quod quidem cùm falsissimum esse divini spiritus autoritate convincatur; falsum certè & illud esse oportet, unde hoc consequitur. Et hanc quidem argumentationem ipse Paulus hunc in modum exprimit, atque illustrat: *Christus resurrexit a mortuis, primitiæ eorum, qui obdormierunt. Cum enim sit per hominem mors; etiam per hominem est mortuorum resurrectio. Et sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes vivificabuntur. Vnusquisque autem in suo ordine: primitiæ Christus; deinde ii, qui sunt Christi, in ejus adventu.* Ex his omnibus perspicuum est, maximum nostræ resurrectionis argumentum esse Christi resurrectionem. Quibus & hoc addendum duximus, quòd Christus, cum in terris degeret, ad fidem doctrinæ suæ faciendam, tertia se die a mortuis resuscitatum iri prædixerat, & eandem resurrectionem sibi fidem adhibentibus promiserat. Vt igitur eum minimè falsum vatem seductoremvé fuisse cerneremus, Deus illum primum a mortuis excitavit, & unà cum immortalitate, summa potestate donavit. Neque enim fieri ulla ratione potuisset, ut Deus, qui in omnes mendaces capitale odium habet, tantum impostorem, quantus Iesus fuisset, si vana resurrectionis spe nos duxisset, ita amaret, ut eum non solùm ex mortis vinculis expediret, sed etiam summo in omnes imperio donaret.

1 Cor: 15. 20. & d.

Ioh: 2. 19. 6. 39, 40, 44, 54.

Cap: XX.

De ascensu Christi in cœlum.

Cap: XX. De ascensu Christi in cœlum.

Ascensus Christi in cœlum, proximus ad ipsius immortalitatem atque gloriam aditus fuit. Quod ut explicatiùs doceamus, etiam atque etiam videndum est, tum in quod cœlum Christus, tum quo pacto ascenderit; tum quantum hæc res ad salutem nostram constituendam pondus atque momentum afferat. Ac prima quidem quæstio nequaquam frustra proposita est; cùm cœlum non sit unius generis. Nam & aër isto nomine a divinis autoribus appellatur; & expansio stellifera; & denique summum illud Dei domicilium, quod tertium cœlum a Paulo nuncupatum est. In hoc igitur supremum ultimumq; cœlum Christum ascendisse, & passim in divinis literis scriptum legimus, & Paulus divinusq; ille autor epistolæ ad Hebræos luculentissimè testificantur. Quorum ille, Christum

Gen: 9. 2. Matth: 6. 26. Gen: 1. 14. 2 Cor: 12. 2.

Cap: XX. De ascensu Christi in cœlum.

longè supra omnes cœlos ascendisse: hic verò, excelsiorem cœlis
Ephes: 4. 10. Hebr: 7. 26. esse factum asserit. Quid, quòd ipse Christus satis apertè, sese in domum Patris sui abiturum, discipulis prædixit, in qua multæ sint
Ioh: 14. 2, 3. mansiones. Cœlum porrò hoc locus est immortalitatis, vivendiq; rationem continet, nulli mutationi aut corruptioni obnoxium. Ex quo fit, ut qui vel ejus hæreditatem adeunt, vel jam in ejus possessione sunt constituti, eos ab omni corruptionis contagione liberos esse oporteat; & quod consequens est, si ex hac terrena animalique vita in statum illum divinum transferendi sunt, convertantur ne-
1 Cor: 15. 50. cesse sit in naturam spiritualem, cœlestem, atque immortalem. *Caro enim & sanguis regnum Dei non possunt hæreditare.* Quam quidem mutationem tunc demum futuram, & scriptura sacra testatur, & rationi consentaneum est, cùm hoc terrestre domicilium relinquen-
1 Cor: 15. 51, 52. tes in cœlestem illam habitationem commigrabunt. Neque enim hæc inferior mundi pars, quę tota ad interitum vergit, satis digna idoneaq; est, quæ ab immortalibus naturis incolatur. Qua de causa
2 Pet: 2. 4. spiritibus malis ex cœlesti illo domicilio in hanc mundi regionem deprimi, tartarearum tenebrarum instar fuit. Quocirca & Christus, ut immortali gloriosoq; corpore cingeretur, & porrò vitam viveret sempiternam, nullisq; acerbitatibus contaminatam, hoc est, ut is fieret, qui non solùm non moreretur, sed naturâ etiam suâ mori non posset, terras has reliquit, & in cœlum ascendit; in quo ascensu eum transmutatum esse, res ipsa satis indicat. Quanquam enim statim post resurrectionem suam in eo statu fuit, ut mortem iterum subiturus nequaquam esset; tamen hoc non ad ipsius naturam, quæ mortalis adhuc erat, (cum in eodem corpore, ut demonstravimus, resurrexerit, in quo passus mortuusq; fuerat) sed ad singularem Dei voluntatem referendum est: quomodo & de Enocho Eliaq; judicandum est, qui in terris adhuc viventes morituri quidem non fuerant, nec tamen corpora habuerant immortalia. quod idem de illis statuendum est, qui in Domini adventu ex fidelium ipsius nu-
1 Cor: 15. 51, 52. 1 Thess: 4. 17. mero reperientur superstites, quemadmodum Apostolus satis apertè docet.

Iam ut, quo pacto Christus in beatas illas sedes translatus fuerit, intelligamus; audiamus Lucam hunc in modum loquentem:
Act: 1. 9. *Aspicientibus autem ipsis elevatus est, & nubes susceptum eum abstulit ab oculis eorum. & cum eßent intentis in cœlum oculis, eo proficiscente, ecce duo viri adstiterunt illis albo vestitu, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis intuentes in cœlum? Hic Iesus, qui sursum receptus est a vobis in cœlum, ita veniet, quemadmodum conspexistis eum proficiscentem in*

cœlum. Quo in loco duo consideratione digna nobis proponuntur. Primum veritatem ascensus Christi in cœlum complectitur. Alterum ad ipsius e cœlis reditum pertinet. Ac veritas quidem ascensus ejus, ex certis quibusdam circumstantiis hoc loco expressis intelligitur. Nam & palàm inq; eorum conspectu, cum illis sermonem habens, & nube illorum oculis eum subducente, sursum sublatus est; & duo divinissimi testes, eum revera & ascendisse in cœlum, & aliquando descensurum esse asserunt. Quod verò ad ipsius e cœlis reditum attinet; iidem testes eodem modo illum venturum esse affirmant, quo in cœlum abierat. Animadvertendum namque est, hoc in loco de personali Christi adventu orationem haberi. Nihil enim impedit, quominus Christus aliis etiam rationibus ante ultimum illum diem venire rectissimè dicatur, ut alibi a nobis demonstrabitur. Vult igitur hîc divinus Spiritus nos admonitos, ne personalem Christi adventum ante illud tempus expectemus, quo manifestè ac conspicuè atque *in nubibus cæli veniet*, quod ante ultimum judicii diem non fiet. *Oportet enim eum*, ut Petrus ait, *cœlo capi usque ad tempora instaurationis omnium*, nempe ut ibi universam salutis nostrę rationem administret ac procuret: id quod, nisi in cœlis existeret, nequaquam futurum divinissimus ille autor ad Hebr. luculenter admodum testatur, inquiens: *si esset in terra, ne sacerdos quidem esset*, id est, nequaquam salutem nostram administraret ac procuraret: cum ad eam rem summo eum cum imperio esse necesse fuerit. Hoc autem ut assequeretur, in cœlum eum ascendere opus fuit, ibiq; tam diu manere oportet, dum omnia nobis ad parandam felicitatem necessaria peragantur. Cœlum quippe est sedes tanto salutis nostræ præside ac curatore digna, & ad tantæ provinciæ perfunctionem idonea. Hæc Dei ipsius, in cujus solio consedit Christus, regia est: hinc spiritus sanctus, hinc angeli in fidelium auxilium mittuntur: hic beatitatis, quam Christus nobis promisit, est locus; quem ab ipso occupari par fuit, antequam in eandem nos introduceret, ut exemplo suo doceret, quibus nos esset in sedibus aliquando collocaturus. Ex quo fit, ut a divino autore divinissimè dictum sit: *Talem nobis convenisse Pontificem, sanctum, innocentem, impollutum, segregatum a peccatoribus, & excelsiorem cælis factum.* hoc est, qui non perinde, ut reliqui homines peccati contagione polluti, afflictionibus, infirmitatibus, morti denique subjectus foret: sed qui immortalis, inq; cælesti domicilio constitutus esset. Hac de causa Deus non nisi tunc eum a dextris suis collocavit, id est, summum omnium regem creavit, cum in cœlum sublatus est.

Cap: XX. De ascensu Christi in cœlum.

Act: 3. 21.

Hebr: 8. 4.

Hebr: 7. 26.

Et hinc

Cap: XX. De ascensu Christi in cœlum.

Et hinc quidem maxima ex parte illud intelligi potest, quod tertio loco proposueramus, nempe, quantam Christi ascensus in salute nostra constituenda vim haberet. Intelligendum igitur est, hoc Christi ascensu, tum non mediocriter salutis nostræ rationem confirmatam, tum luculentissimè ostensam, & quasi in oculis nostris positam fuisse. Ac illud quidem ideo, quòd, ut & suprà de Christi resurrectione agentes diximus, qui cœlum est ingressus, & in ista beatitatis sede perpetuò cum ipso Deo victurus est, is mendax seductorq; esse non potuit: quippe cum omnes mendaces semper Deum habeant inimicum, ideóq; a beatis sedibus excludendi sint. (Psal: 5. 7. Apoc: 21. 8.) Ex quo consequitur, Christum, quem tanto sibi conjunctionis vinculo Deus copulavit, sempiternam vitam nobis promittendo nequaquam mentitum fuisse. Hoc verò alterum, nempe per Christi ascensum salutis nostræ rationem ostensam nobis fuisse, hinc perspicuum est, quòd & locus hæreditatis nostræ, & modus, quo in illum transferendi sumus, hoc ipso facto expressus est. Locus enim cœlum illud est, in quod Christus ascendit. In illo quippe nobis, ut suprà iam vidimus, & magnam mercedem, & thesaurum, & hæreditatem immortalem, impollutam, invietamq;, & spem repositam esse, tum Christus, tum Apostoli testificantur. (Matth: 5. 12. Hebr: 10. 35. Matth: 6. 20. 1 Petr: 1. 4.) In illo respublica nostra est: in illo Pater noster habitat: ex illo servatorem nostrum Iesum Christum expectamus: in illo domum nostram non manu factam, sed æternam habemus: in illo Christus nobis locum parat, eamq; ob causam ante nos eò ascendit, &, ut divinus ille autor ait, in interiora velaminis præcursor pro nobis intravit, ad Melchisedeci rationem pontifex factus in sempiternum. (Phil: 3. 20. 2 Cor: 5. 1. Ioh: 14. 2, 3. Heb: 6. 19.) Et ideo quidem divinus spiritus nos monet, ut terrenis contemptis atque pro nihilo habitis, cœlum intueamur, totoq; animo in futuræ felicitatis contemplationem conversi, summum illius splendorem & magnificentiam admiremur. (Col: 3. 1, 2.)

Iam ut brevissimè etiam de modo rationeque dicamus, quâ in beatum illud domicilium recipiendi simus; animadvertendum, quemadmodum servatorem nostrum nubes exceperat, & in sublime elevârat: ita & nos aliquando, ut Paulus docet, in nubibus obviam Domino in aerem rapiendos, atque ita semper cum Domino futuros esse. (1 Theſſ: 4. 17.)

Caput

Cap: XXI. De Regio Christi munere.

Cap: XXI.

De ipso Regio Christi munere.

IAm igitur, ut ipsam Christi muneris explicationem ingrediamur, duo nobis facienda sunt: primò enim generatim ejus natura explicanda; deinde eadem quasi retexenda est, speciatimq; ea, quæ ad regnum istud pertinent, excutienda. Ac naturam quidem ita considerabimus, ut quibus encomiis a divinis scriptoribus insigniatur, animadvertamus, exq; iisdem certam illius definitionem constituamus. Primum igitur Christi Regni encomium, omnis in cœlo terraq; potestatis, illi a summo illo Patre concessæ, amplitudinem continet; quâ nihil aliud designatur, quàm summum imperium in omnia, quæ amplissimo non solùm terræ, sed cœli etiam ambitu coërcentur; & sic etiam summam autoritatem facultatemq;, non solùm terrestribus temporariisq;, sed etiam cœlestibus, spiritualibus, in omnemque æternitatem duraturis bonis suos ornandi, Christo datam esse; ut nimirum quod antea sibi morem gerentibus promiserat, id reipsa præstare, & non solùm ex temporaneis, sed æternis etiam malis ereptos, nunquam interitura felicitate donare posset. Quod quidem elogium ipse Christus ante suum in cœlos ascensum sibi tribuit; non quòd rem encomio isto notatam tunc revera jam possideret, cum nondum in regni sui gloriam ingressus esset; sed quia certò, idq; mox futurum erat, ut in imperii istius possessione constitueretur. Sciebat enim, inquit Iohannes, Patrem sibi omnia in manum dedisse, venisseque horam, quâ ex hoc mundo migraret ad Patrem. Non diffitemur quidem, eum cum in terris degeret, divinissimâ potentiâ præditum fuisse, quam ipse peccatorum in terra condonandorum, id est, terrena ab hominibus supplicia propulsandi potestatem appellat, quæ in morbis sanandis, dæmonis expellendis, mortuis denique in hanc vitam restituendis elucebat: sed nunc omnem, non solùm in terris, sed in cœlis etiam potestatem adeptus est. Quę quidem multò luculentiùs a Paulo explicatur, cum illum *elatum esse* asserit *longè supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro; & omnia subjecta pedibus ejus eße; & ipsum eße constitutum caput super omnia Ecclesiæ, quod est corpus ejus.* Quæ quidem verba eandē cum illis sententiam continent, quæ ad Philippenses hunc in modum scripsit: *Deus*, inquit, *extulit eum in summam sublimitatem, & donavit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium terre-*

Matth: 28. 18.

Ioh: 13. 1.

Matth: 9. 6.

Ephes: 1. 20. & d.

Phil: 2. 10.

terrestrium,& subterraneorum: & omnis lingua confiteatur, Dominum esse Iesum Christum, ad Dei Patris gloriam. Quid, quòd & Petrus in eandem sententiam dicit, *Christum in cœlum profectum esse, subjectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus.* Et hæc quidem illa sessio a dextris Dei est, quam divini autores Christo ideo tribuunt, ut eum primum supremumq; post Deum locum tenere, id est, summum secundùm Deum in omnes res creatas habere imperium doceant: sumpta nimirum translatione a terrenorum regum consuetudine, qui quos primam maximamq; post se autoritatem habere exercereq; volunt, eos a dextris suis sedere jubent. Hunc autem locutionis istius, cum de Christo agitur, sensum esse, tum aliis, tum illis maximè comprobatur divinis testimoniis, quæ scripta leguntur Matth. 26. 64. Luc. 22. 69. Act. 2. 34. 1. Cor. 15. 25. Eph. 1. 20. Heb. 1. 3, 13. & 8. 1. Hæc quoque illius perfectionis pars statui potest, ad quam per summas calamitatum angustias eum perductum esse, divinis literis edocemur. Quia enim antequam crucis mortem subiret, multa illi ad absolutissimam, tum naturæ, tum potentiæ ac dignitatis constitutionem deerant; cum & mortalis esset, & nonnisi in terris, & quidem certis limitibus circumscriptam, nullam autem in cœlis potestatem haberet: nunc verò & immortalis est, & omnia, quæ cœli terræque complexu continentur, amplissimo tenet imperio atque dominatu: nonne manifestum est, meritò hanc summam Christi dignitatem perfectionis nomine decorari? Hæc præterea illa gloria est, quam se Christus apud Patrem habuisse ait ante conditum mundum, quamque jam jam acerbissimam mortem obiturus, a Patre precatur. Habuit quippe eam sibi ante mundi fabricationem certissimo atque immutabili Dei decreto firmissimè designatam; & ideo viam ejus consequendæ jam propemodum emensus, ut reipsa tandem in illius possessione collocetur, a Patre flagitat, id quod eum consecutum esse, autor epistolæ ad Hebræos luculentissimè testificatur. *Eum*, inquit, *qui paulò Angelis est minor factus, videmus Iesum, propter passionem mortis, gloriâ & honore coronatum.* Hoc est omne illud iudicium, quod ita Christus sibi a Patre datum atque concessum esse ait, ut ipse Pater non judicet quenquam. Iudicium enim istud, Christi imperium significat, quo is suam Ecclesiam, omnesq; simul ac omnia, quibus ad illius administrationem opus est, complectitur, id quod ex ratione ibidem ab ipso Christo apposita, patet: *ut*, inquit, *omnes honorent filium, quemadmodum honorant Patrem*, id est, ut omnes divino illius imperio, quo Patri similis est, agnito, eum illi honorem atque obedien-

1 Pet: 3. 22.
Psal: 110. 1. Mar: 16. 19. Rom: 8. 34. 1 Pet: 3. 22.
Hebr: 2. 10. & 5. 9.
Joh: 17. 5.
Heb: 2. 9.
Ioh: 5. 22.
Ioh: 5. 23.

Cap: XXI. De Regio Christi munere.

obedientiam, & eum cultum præstent, qui cœlesti divinissimoq; regi debetur. Divinum enim honorem illi habendum esse satis apertè asserit, hæc verba proferendo: *quemadmodum honorant Patrem*, cui quidem divinum honorem deberi nemo ignorat. Hoc insuper illud solium Davidis est, quod Deum Christo daturum angelus prædixerat, & in quo eum collocatum esse, res ipsa docet. Vt enim David Dei populi rex fuit: ita Christus illorum, qui singulari quadam ratione Deo sese consecrarunt, & porrò præcipuo quodam modo ipsius populus sunt, summus Rex factus est; qui licet in cœlesti resideat domicilio, amplissimum tamen in omnes, qui in terris degentes illi sese crediderunt, imperium habet. Et hoc illud ipsum est, quòd se Christus ipse clavem Davidis habere dicit, ita ut ipso claudente nemo aperiat, & aperiente nemo claudat. Quod sanè nihil aliud significat, quàm Christo absolutissimam domus Davidicæ, quæ populus Dei est, gubernationem, & rerum omnium, quæ ad domum illam pertinent, administrationem ac procurationem, quæ clavium nomine designatur, demandatam esse. Alludit autem sine dubio Christus, ad illam Eliakimi potestatem, quam ipse Deus hunc in modum exprimit: *Ponam*, inquit, *clavem domus David super humerum eius: aperiet, & nemo claudet; claudet, & nemo aperiet:* Quam quidem rem Franciscus Vatablus his verbis explanat: *donabo illum consilio, quo totam aulam Ezechiæ possit regere: quicquid statuet fiet; quicquid noluerit fieri, non fiet.* Huic simile est, quòd Christus sese dicit habere claves mortis & inferni, hoc est, se mortem & infernum tanto continere imperio, ut quemcunque velit, ex illius claustris educere, quem item velit, sempiternis seculis claudere possit. Hæc enim est efficax illa Christi potentia, quâ sibi omnia subjicere valet, & propter quam omnia illi, solo Deo excepto, subjecta esse dicuntur; licet ei, ut est apud autorem ad Hebræos, nondum omnia re ipsa subjecta sint. Nam & multi homines peccatis impliciti illi sese opponunt, & mors atque infernus adhuc vigent vimq; suam exercent. Ex quo fit, ut non quidem actu, sed potentiâ, quod dicitur, ista omnia Christo subjecta esse meritò dicantur; quia nimirum, quandocunque opus fuerit, ea sibi subjicere potest: cum & plenum, id faciendi jus ac potestatem, & vires ad id præstandum sufficientes habeat, ut infrà pluribus docebitur. In hoc genere & illud est, quòd Christo vivorum mortuorumq; judicium attribuitur, ipseq; a Deo vivorum ac mortuorum judex dicitur constitutus: quia nimirum tam hos, quàm illos rectè judicaturus sit. Quam ob causam in tanto divinæ sapientiæ gradu collocatus est,

Luc: 1. 32. Apoc: 3. 7. Esa: 22. 20, 21, 22. Apoc: 1. 18. Phil: 3. 21. 1 Cor: 15. 27. Hebr: 2. 8. Act: 10. 42. Rom: 14. 10, 11. 2 Cor: 5. 9, 10.

Cap: XXII. De locis, ad quos regnum Christi extenditur.

tus est, ut sit scrutator cordium ac renum. Nam & tota regni hujus administratio hominem interiorem, seu hominis animum complectitur,& non solùm de factis nostris,sed etiam de mentis nostræ cogitatis,& nunc judicium facit, & apertiùs aliquando facturus est.

Apoc: 2 23. Rom: 2. 16. 1 Cor: 4. 5.

Ex his omnibus encomiis,hujusmodi potest Christi regni constitui definitio, ut illud nihil aliud esse statuamus, quàm divinum imperium illi a Deo datum in omnia, tum cœlestia, tum terrestria, tum subterranea, & porrò tam in corpora, quàm in animos hominum, ut illis jura legesq; præscribere, sibiq; dicto audientes juvare, defendere, & præmiis tum temporariis, tum sempiternis afficere: contrà verò, qui flagitiis sunt cooperti, quosq; impietatis minimè pœnitet, illis tum temporarias, tum sempiternas scelerum pœnas irrogare possit.

Cap: XXII.

De iis quæ ad regnum Christi pertinent: ac primùm de locis, ad quos dominatus ipsius extenditur.

VErùm hæc generatim admodum a nobis disputata sunt:quocirca ut totam hanc rem luculentiùs explicemus,ad illud,quod secũdo loco proposueramus,veniendũ nobis est,nempe ut ea omnia, quæ ad regnum Christi spectant,sigillatim consideremus; & primò quidem loci amplitudinem, quem imperii sui magnitudine complectitur-Loci autem vocabulum adeo latè fuseq; hîc accipere placet, ut eo & ipsum locum, & omnia ad illum spectantia intelligamus. Qui quidem locus amplus admodum est. Nam & cœlum, & terram, & subterraneas partes complectitur.

Quod igitur ad cœlum attinet; videndum, quo pacto tum ipsum,tum quæ eo continentur,Christi imperio subjecta sint. Cùm porrò ipsum cœlum, ut suprà docuimus, vel altissimum illud Dei domicilium, vel orbes cœlestes, vel aërem significet; animadvertendum est, Christum his omnibus dominari. In supremo enim cœlo tantam habet potestatem,ut ibi locum suis parare,& aliquando eos in illud recipere possit. Qua de caussa & divinus ille Autor dicit: *non enim Angelis subjecit orbem terræ futurum: testatus autem alicubi quis* &c. id quod de Domino Iesu esse intelligendum, ex sequentibus patet. Medium autem cœlum, nimirum stelliferum, ita dominatu suo complectitur, ut solem, lunam, & stellas,omnesque cœli cursus atque conversiones suo arbitrio moderari possit,quatenus nimirum vel hoc vel illo modo id ab eo fieri, fidelium nationi conduceret. Quod quidem ea de caussa hîc addendum videbatur, ne quis

Joh: 14. 2, 3. Heb: 2. 5.& d.

ne quis hanc propriam ac perpetuam Christi functionem esse putaret, & non potiùs summi illius omnium rerum conditoris Dei, qui ut omnia ista creavit, ita propria virtute regit atque gubernat. Quid, quòd Christum in istud cœlum tantum habere imperium, hinc etiam colligitur, quòd futurum aliquando est, ut illud tanquam amictum involvat, igniq; comburat. Postremò aërem ita in sua potestate habet, ut si regni ipsius ratio postulet, eum vel inficere possit, ad suos inimicos debito supplicio vindicandos; vel eum in populi sui gratiam ita temperare, ut vitalem illis salutaremq; spiritum præbeat: vel in eo nubes, imbres, ventos, tempestates cogere, & tonitrua, jactusq; fulminum excitare: vel contrà sedata omni cœli perturbatione, jucundissima serenitate homines exhilarare possit. Si enim dum in terris degeret, mare ventorum vi turbatum agitatumq;, nec non ipsorum ventorum vehementiam cohibere potuit, quamvis tunc nondum ad tantum imperium, quantum nũc habet, elatus fuerit; quid tandem nunc de illius potestate existimandum est, postquam omnia pedibus illius subjecta sunt? Et hęc quidem de Christi dominatu, quo ipsum cœlum complectitur, dicta sunto. Sequitur ut qua ratione, quæ in singulis illius partibus continentur, ad ipsius regnum spectent, videamus.

Heb: 1 12. 2 Pet: 3. 10. Matth: 8. 26. Luc: 8. 24.

Cap. XXIII.

De scopo regni Christi.

De scopo regni Christi.

VT autem id, quod proposuimus, tantò commodiùs exsequi possimus, primò videndum est, quinam sit præcipuus regni istius scopus ac finis: deinde quænam illa, quæ ad hunc finem referuntur. Ac scopus quidem iste seu finis nihil aliud est, quàm salutis humanæ constitutio. Ad hanc enim reliquæ omnes regni ejusdem partes diriguntur. Quam quidem ob caussam, in suo nomine omnibus vitam corrigentibus peccatorum condonationem, quæ vitam sempiternam in se complectitur, ab Apostolis deferri imperavit. Vnde haud est difficile colligere, in hoc maximam Christi gloriam constitutam esse, quòd suos in æternæ felicitatis possessione collocare potest; & porrò nihil esse, cur hac de re dubitemus, dummodo officium non deseramus: cùm fieri non possit, ut is gloriæ suæ memoriam deponat. Et quidem ut alia rei istius testimonia, utpote jam suprà allata, prætercam; quàm præclarum illud divini Autoris est: *perfectus*, inquit, *redditus, factus est causa æternæ salutis omnibus sibi obedientibus*. Item illud ipsius Christi: *dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod ei dedisti, det illis vitam æternam.* Et

Luc: 24. 47. Heb: 5 9. Ioh: 17. 2.

De Christi potestate Spiritū S. hominibus dandi.

hæc quidem de Christi regni scopo dixisse satis sit. Videndum enim jam tandem est, quo pacto Christus earum rerum potestatem habeat, quæ ad hunc scopum referuntur, id est, quibus fidelium natio ad salutem æternam consequendam juvari potest, initio a cœlestibus facto. Id autem quò rectiùs intelligi possit, animadvertendum est, hominibus, qui ad divinum illum statum aspirant, tum rerum divinarum intelligentiâ, tum firmissima de illis persuasione, tum in fide officioq; stabili permansione, tum denique contra hostium periculorumq; impetus defensione opus esse. Ad hæc omnia ut nobis adjumento esse posset, tum spiritus sancti nobis largiendi, tum angelorum omnium potestatem consecutus est, ut illis pro suo arbitrio uti possit.

Cap: XXIV.

De Christi potestate Spiritum S. hominibus largiendi.

SPiritu enim divino, de quo priùs agendum nobis est, ad perfectam rerum cœlestium intelligentiam Christus nos instituit, tantumq; in mentibus nostris ardorem excitat, ut eo mirum in modum confirmati, omnia humana, omnia pericula, mortem denique ipsam, præ æterna illa felicitate magno animo contemnere possimus. Et hanc quidem potestatem sibi omnino datum iri, tunc Christus innuit, cum Spiritum S. suis se a Patre missurum promitteret. (Joh: 15. 26. 16. 7.) Quod quidem promissum, quo pacto & compleverit, & etiamnum compleat, inquirendum hoc loco est. Pro temporum igitur ratione, duplici modo hoc beneficium hominibus a Christo datum esse comperimus. Ac primus quidem aspectabilis erat, & nonnisi ad primæva Christi Ecclesiæ tempora spectabat, quo omnibus, qui Christianam disciplinam amplectebantur, palàm spiritus sanctus donabatur. (Act: 1. 4: 2. 33: 3. 32: 8. 17: 10. 44: 19. 2. 1 Cor: 12. 8, 9, 10, 28.) Qui quidem modus beneficii istius apud homines ponendi in eo maximè elucebat, quòd eorum, quibus contingebat, alii plenissimam certissimamq; rerum ad salutem nostram pertinentium cognitionem, cum qua alia etiam spiritus sancti dona conjungi solebant, adipiscebantur; alii variis linguis rerum divinarum amplitudinem eloquebantur; alii vaticinando res futuras prænunciabant, obscuritate involutas mira felicitate explicabant; alii varios morbos sanando, dæmonia ejiciendo, aliaq; innumera miracula edendo, homines in maximam admirationem traducebant. Cum porrò Christus, in hominibus fidelibus divini spiritus munere palàm inque omnium conspectu afficiendis, id potissimùm spectaverit, ut disciplinam suam veram, firmam stabilemq; esse demonstraret,

ſtraret; conſequens erat, ut eâ ſatis jam corroboratâ, omnibusque, quæ ad eam rem neceſſaria erant, peractis, modus iſte ejus donandi ceſſaret: ut taceam, libertatis humani arbitrii rationem, & illud, quod eſt inter probitatis ſtudioſos, illosq; qui aliter affecti ſunt, diſcrimen, quorum utrumque Deus ſalvum eſſe voluit, omnino efflagitaſſe, ut miracula deficerent. Si enim tanta tamq; admiribilia Dei opera, ad ætatem usque noſtram perducta fuiſſent, & etiamnum vigerent; quotus quisque extaret, qui, quantavis animi pravitate imbutus eſſet, eam hac quaſi vi ſibi allata non abjiceret, & ſic nequaquam virtutis ſtudio atque amore impulſus, Deo pareret? Maximè igitur Dei ſapientiæ conſentaneum fuit, ut ſingulari ipſius conſilio prodigiis iſtis ſublatis, probitatis pariter atque improbitatis experimentum ratum firmumque maneret. Ex quo fit, ut alter ſpiritus ſancti largiendi modus, cujus explicationem jam aggredimur, nequaquam ita, ut ſuperior, ſub hominum aſpectum cadat: interim tamen omni tempore illis, qui Chriſto fidem adhibent, eiq; morem gerunt, ipſius liberalitate tam præſtans munus donetur. Quamvis enim Chriſtiana religione ſatis jam confirmata, externo illo aſpectabiliq; ſpiritus ſancti munere opus non ſit: tamen quia nequaquam ſatis eſt, exploratam illius habere cognitionem, niſi etiam inviciſſima Dei virtute contra omnia, quæ fidem labefactare poſſunt, ita armeris, ut ſuſceptum pietatis curſum ad extremum tenere poſſis; idcirco Deus per Chriſtum, pro immenſa bonitate ſua, interno quodam modo, quiq; usque ad mundi conflagrationem in fidelium natione vigeat, eos, qui cum virtute vivunt, ſpiritu ſuo donare conſtituit.

Cap. XXV.

De imperio Chriſti in Angelos.

Cap: XXV. De imperio Chriſti in Angelos.

IAm ut de Angelis dicamus; illud primò animadvertendum eſt, eos alia nunc conditione eſſe, atque olim fuêre. Fuit quippe tempus, cum ſoli Deo ſubjecti eſſent: nunc verò ſub Chriſti etiam ditionem ſubjuncti ſunt; ut facilè appareat, maximam illorum ſtatûs per Chriſtum mutationem factam eſſe. Quam Apoſtolus ut pro rei dignitate exprimeret, dixit, in Chriſto thronos, dominatus, principatus, poteſtatesq, conditas eſſe. Col: 1. 16. Condendi autem ſive Creandi verbum, ut alibi non ſemel, ita & hoc in loco, inſignem rei, qua de agitur, mutationem ſeu transformationem, in aliumq; ſtatum converſionem declarat. Sic Paulus alibi, nos in Chriſto Ieſu Ephes: 2. 10. conditos eſſe ad bona opera: & Iudæos Ethnicosq; per eundem cre- ✝ 15.

atos esse in unum novum hominem affirmat; ut tum nos, tum omnes alios, cujuscunque sint nationis, ad alium, eumq; multò meliorem statum, Christi operâ perductos esse intelligamus. Cum enim Hebræi verbis compositis destituantur, fit, ut eorum loco simplicibus utantur. Verbum autem Condendi seu Creandi non de veteri creatione seu substantiæ productione, ut vulgò creditur, in hoc Pauli testimonio accipiendum esse, sed de creatione nova, quæ in mutatione status ac conditionis consistit, inde patet, quòd cum Christus istic primogenitus omnis creaturæ dicatur, necesse sit ipsum ex creaturarum istarum numero primum esse. Atqui non fuit is primus inter creaturas veteres, sed inter novas. Adde, quòd verba illa, quæ paulò pòst subiungit Apostolus, *ut sit* vel *fiat in omnibus ipse primatum tenens*, satis indicant, de ea rerum cœlestium ac terrestrium intelligentiâ præditarum mutatione sermonem esse, quæ facta est, cùm Christus e mortuis resuscitatus, omnibus illis rebus dignitate, potestate atque auctoritate prælatus est, cum antea nonnisi summus ille Deus primatum in omnibus, vel inter omnia tenuerit.

Col: 1. 18.

Hîc iam res ipsa postulare videtur, ut quo pacto Christus hoc, quod in Angelos habet, imperium ad regni sui præcipuum finem ac terminum, id est, fidelium salutem convertat, inquiramus. Hac igitur de re divinissimi illius Epistolæ ad Hebræos autoris sententiam audiamus: *nonne*, inquit, *omnes* (Angeli) *sunt administratorii spiritus, qui ad ministerium legantur propter eos, qui salutem adepturi sunt?* Ex quo loco colligi potest, non quibusvis hominibus, ordinariè aut præcipuè, sed illis, qui cum pietate vitam traducunt, angelos subsidio mitti solere: & ne his quidem perpetuò assistere, sed tum, cùm usus exigit, ad eos ablegari. Et illud quidem inde licet animadvertere, quòd Divinus scriptor, angelorum officium describens, non propter homines simpliciter, sed nominatim propter eos, qui salutem adepturi sint, qui quidem sunt homines pii, eos ad ministrandum mitti scribit. Et sanè haudquaquã consentaneum est, Deum eos tam sanctorum, tamq; præstantium, & cælestis planè naturæ spirituum præsidio munire consuevisse, qui de ipsius voluntate exsequenda nihil quicquam laborant, imò etiam nefarium contra ipsius numen bellum moliuntur. Interim haud negamus, Deum per Angelos dæmonum violentiam ac furorem ita coërcere, ne pro libitu suo prorsus in infideles atque a vera pietate alienos sæviant, & sursùm deorsùm omnia versent. Quare & regna resq; publicas, nisi fortè eas graviter ob perpetrata scelera punire velit, reges i-

Hebr: 1. 14.

Cap: XXV. De imperio Christi in Angelos.

ges item ac principes, angelorum operâ tueri ac defendere, & aliqua ratione gubernare solet Deus; quemadmodum ex Danielis vaticinatione potest animadverti; maximè autem tum, cum fidelium ac piorum hominum incolumitas simul agitur. Alterum, quod ex isto loco colligi diximus, innuit vox *mittuntur* seu *legantur*, quæ indicat, angelos subinde ad ministeria hujusmodi submitti. At si Angeli piis semper adessent præsentes, vix ac ne vix quidem id dici posset. Quæ quidem res animos nostros exuscitat, ut & amplissimam Christi majestatem admiremur; quippe qui semper cœlestes illos spiritus astantes ad nutumq; habeat: & ut non semper nobis Angelos adesse intelligentes, ne ignavo otio aut languori nos dedamus, sed promissorum divinorum magnificentiâ nos erigamus & confirmemus, contraq; peccati atque hostium impressiones nos armemus: & tandem, ut tantò maiorem habeamus caussam angelorum præsidii, quoties opus est, a Christo petendi. Dan: 10. 13, 14, 20, 21.

Duplici porrò ratione Christi fideles angelorum præsidio juvantur, quarum altera ad hanc ætatem spectat, quæ diem illum ultimum antecedit; altera verò ad illud ipsum tempus pertinet, quo Christus ad judicium venturus est. Primò igitur dum hoc seculum durat, vel omnibus generatim atque universè, vel singulatim unicuique, angeli subsidio Christi jussu venire solent. Ac universè quidem, cùm integros fidelium cœtus angelorum præsentiâ ita honestat, ut & eorum operâ diaboli insidiis, quas struere fidelibus solet, occurrat; & ut ritè ac feliciter omnia in ecclesia administrentur, perficiat, secundùm illud: *ubicunque duo vel tres in nomine meo congregati fuerint, in medio eorum sum.* Quod quidem suum promissum tametsi multis aliis rationibus persolvere potest; sæpè tamen per Angelos eum id facere, ex illo Apostoli pronunciato colligi potest: *mulier*, inquit, *debet habere in capite potestatem propter Angelos.* Iam ut videamus, quomodo fidelium unusquisq; sigillatim angelorum præsidio sepiatur; intelligendum est, id tum in rebus carnalibus temporaneisq; fieri, tum in spiritualibus. Ac in illis quidem hoc pacto, ut quemadmodum Deus olim fecerat, ita nunc sine dubio Christus angelis suis mandet de nobis, ut custodiant nos in omnibus viis nostris, in manibusque nos portent, ne fortè ad lapidem offendamus pedem nostrum. Hinc Paulus, cùm periculosissimè maximisq; maris turbinibus ac fluctibus navigaret, nocte sibi astantem angelum, huncq; in modum sese alloquentem vidit: *ne metue Paule; ad Cæsarem te sisti oportet: ac scito, tibi Deum omnes tecum navigantes condonaße.* Quod planè sic evenisse, idq; sine dubio angeli illius, qui Paulo

Matth: 18. 20. 1 Cor: 11. 10. Matth: 4. 6. Psal: 91. 11. Act: 27. 23. ibid: ℣ 44.

Cap: XXV. De imperio Christi in Angelos.

Paulo apparuit, aut etiam plurium operâ, Lucas testificatur. In spiritualibus autem negotiis, vel illi angelorum experiuntur auxilium, qui pusilli a Christo nominantur; vel qui propter divinæ veritatis confessionem magnas subeunt calamitates, sæpeq; in præsentissimum capitis atque vitę discrimen vocantur. Pusillos porrò illos a Domino nominari intelligimus, qui vel in rerum divinarum scientia, ob tenuitatem ingenii, aut temporis brevitatem, non longè sunt progressi, aut non satis in ea confirmati; vel qui propter imbecillitatem virium tantos in pietatis cursu progressus, quantos alii, facere non potuerunt. Hi igitur ne diaboli astutiâ, mundi illecebris, carnis denique stimulis ab officio deducantur, fidissimâ angelorum custodiâ providetur, secundùm illud Christi: *videte, ne contemnatis unum ex his pusillis. dico enim vobis, eorum angelos in cœlis semper aspicere faciem Patris mei, qui est in cœlis.* Vbi cernimus, non vulgares angelos, sed angelos valde præstantes atque eximios, istorum fidelium procurationem habere; & simul, non omnibus communiter angelis in Dei faciem semper intueri datum concessumq; esse, intelligimus. Illis autem, qui pro tuenda Christi veritate periculis infinitis vitam suam exponunt, angeli ita adsunt, ut vel ex vinculis eos expediant, quemadmodum de Petro, Iohanne, Paulo & Syla, factum esse legimus; vel si ita ferat divinæ gloriæ ratio, illis animos addant, diaboliq; technas ab illorum mentibus propulsent, ut in mortem etiam alacri sese animo offerre non dubitent, nedum plagas afflictionesq; recusent. Quòd si Christum ipsum terrore mortis perculsum angelus erexit ac confirmavit; non est dubitandum, id auxilii per eos præstari Christi servis, quorum juvandorum causâ eos mitti suprà vidimus. non dubitandum etiam, occultè eos id prętare posse, quod Domino Iesu angelus ille aperta quadam ratione præstitit.

Matth: 18. 10.

Act. 5. 19 & 12. 11. & 16. 26.

Luc: 22. 43.

Hactenus de eo angelorum præsidio explicavimus, quod justitię studiosis in hoc seculo contingit: reliquum est, ut quomodo in ipso seculi istius termino angeli iisdem opitulaturi sint, breviter exponamus. Ipse igitur Christus dicit, sese in adventu suo ad illos, qui cum virtute vivunt, ex omnibus mũdi partibus colligendos, atq; ad se transferendos, angelorum operâ usurum esse. Et hæc quidem de eo Christi imperio, quo res in supremo illo cœlo collocatas complectitur, dixisse satis sit.

Matth: 24. 31.

Caput

Cap: XXVI De imperio Christi in dæmones

Cap: XXVI.

De imperio Christi in dæmones.

Consequens nunc est, ut quomodo in illis potestatem suam declaret, doceamus, quæ inferioribus cœli partibus continentur. Tametsi enim suprà non solùm de ipsis istis cœlis, verùm etiam de multis eorum adjunctis, propter summam horum cum illis conjunctionem, explicandum nobis fuit; reservavimus tamen in hunc locum illorum angelorum considerationem, quos in aëre habitare divinæ literæ testificantur. Et hi quidem mali illi angeli sunt, quos propter superbiæ crimen divinissima illa luce expulsos, inque tenebras tartareas dejectos esse, nec non tenebrarum catenis constrictos teneri, sacri autores asserunt. Nam locus hic, quem incolunt dæmones, cùm cœlesti illo splendore collatus, tenebrarum instar obtinet. Quòd verò in tartarum detrusi esse dicuntur; id nihil aliud est, quàm eos in hunc inferiorem mundum, velut in profundum carcerem conjectos, stabili immutabiliq; Dei decreto ad sempiternum supplicium asservari: quo pacto malefici solent in profundum carcerem detrudi, & ad supplicii tempus custodiri. Petrus enim, qui hujus rei testis est, quasi clariùs suam mentem aperiens, eos judicio reservatos esse asserit. Hos igitur Deum nequaquam frustrà sub Christi potestatem subjecisse, hinc perspicitur, quòd tantum in Christianorum genus habent odium, tantâq; adversum eos, quibus sempiternam salutem destinatam esse sciunt, flagrant invidiâ, ut omnes suas vires ad eorum perniciem semper conferant; & nisi Christus illorum immanitatem reprimeret, facilè omnibus, qui in fidei pietatisq; studio versantur, æternam pestem afferrent. Adde, quòd ideo etiam dæmones Christi imperio subjici oportuit, ut primò per ipsos, tum pios interdum in officio contineret, tum eorum fidem exploraret, intemperantiq́ue divinorum munerum abusu prohiberet: quemadmodum & Paulo, ne ob patefactionum præstantiam sese efferret, appositus fuit stimulus carnis, angelus Satan, qui ipsum cæderet. deinde ut illorum operâ homines, vel in officio negligentes, vel veritatem recipere nolentes, vel receptam vilipendentes, aut cum mendacio commutantes, vel aliis sceleribus coopertos, debito supplicio vindicaret. Id autem duplici fit ratione. Nam vel in corpora tantùm istorum hominum dæmonibus aliquam dat sæviendi potestatem; vel etiam animos illorum arbitrio malorum spirituum quodammodo permittit. Prius in iis patet, qui ab Apostolo Satanæ dicuntur traditi aut tradendi. Po-

Marginal references: c. 22. — Ephes: 2. 2. & 6. 12. — 2 Petr: 2. 4. Iud: ℣ 6. — 2 Cor: 12. 7. — 1 Cor: 5. 5. 1 Tim: 1. 20.

De potestate Christi in terris.

di. Posterius in iis cernere licet, quos Deus ob spretam sui noticiam in mentem tradit improbam, ita ut, quamvis ea quæ faciunt, tam sint omni rectæ rationis judicio adversa, tamq; atrocia, ut nec ipsis, nec aliis probari cæteroqui possint; vehementissimo tamen impetu ad ea perpetranda, & sic pestem sibi ipsis comparandam, incitentur. Dæmonum enim, qui, ut homines ad omnia scelera incitent, semper advigilant, opera interveniente id fieri, ex sacris literis satis constat. Sic Deus eorum, qui agnitam veritatem aspernantur, mentes tanta sæpè circumfundit caligine, ut mendaciis fidem adjungere, & sic cæco quodam impetu ad sempiternum interitum eos ruere oporteat; quod Satanæ potentiâ atq; operâ fieri sac: literæ satis apertè testantur. Quamquam autem Deus hujusmodi supplicia dicatur hominibus infligere; tamen cum sciamus, Deum hodie neminem judicare, sed omne judicium dedisse filio; quicquid suppliciorum ab eo tempore, ex quo Christo est omnis in cœlo ac terra potestas data, in homines Evangelii veritatem aspernantes, vel impiè adversus eam agentes, a Deo effundi dicitur, id totum per Christum, seu a Christo Dei nomine & auctoritate, fieri intelligendum est. Denique cum in finem Christus supremam in dæmones potestatem habet, ut eos aliquando tanquam hostes suos puniat ac perdat. qua de re infrà dicetur.

Rom: 1. 28.
2 Cor: 4. 4.
2 Thes: 2. 10, 11.
Ioh: 5. 22.
cap: 34.

Cap: XXVII.

De potestate Christi in terris.

EXplicandum jam tandem est de ea Christi potestate, quam in terris habet. Quæ quidem duplex est: vel enim res, vel personas terrenas, imperio suo complectitur. Ac res quidem terrestres ad regnum ipsius eatenus revera pertinent, quatenus vel humanæ saluti, piorumq; usibus servire, vel in supplicium ac pœnam impiorum converti possunt. Iam igitur, quod ad terrestres personas attinet, duo hoc loco consideranda videntur. Nam & quæ personæ istæ sint, & qua ratione Christus eas regat atque gubernet, ponderandum est. Primò igitur constat, Christum esse regem peculiaris populi Dei; cùm illius regnum, ut suprà monuimus, illud sit, quod Gabriel angelus Davidis solium eam ob caussam appellat, quòd quemadmodum David peculiari Dei populo imperabat; ita & Christus in domum Iacobeam dominaturus esset, & omnia, quæ ad illam spectarent, administraturus: quam quidem Israëliticam nationem, mysticè autem populum Christianum esse, nemo ignorat. Consequens igitur est, Christum tum Ecclesiam universam, tum o-

Luc: 1. 32, 33.

Cap: XXVII. De potestate Christi in terris.

tum omnes omniaq;, quacunque tandem ratione ad illam spectantia, amplissimo imperio ac dominatu complecti, & sic istorum omnium caput, regem & dominum esse. Iam verò cum Deus velit, ut omnes omnino homines Christi doctrinam amplectantur, & ad ejus ecclesiam sese aggregent; patet, eatenus etiam ad homines universos imperium Christi extendi, quatenus eos omnes vel per Evangelii prædicationem sibi subjiciendi ac mancipandi; vel, si parere voci suæ nolint, eos tanquam hostes ac perduelles debito supplicio afficiendi; & eorum conatus piis noxios, & veritatis ac pietatis incrementis obstantes reprimendi, aut in contrarium convertendi, amplissimam potestatem habet. Itaque & reges, & cæteri, qui potentiâ inter mortales eminent, Christi imperio subsunt. Nec refert, quòd ei plærique non obediunt. Nam eodem pacto nec Deo parent: nec tamen ideo Dei imperio non subsunt. Quamquam interim sæpe vel inviti, Christi voluntati parere, & eius decreta coguntur exequi; utpote qui pro arbitrio eorum conatus vel impedit, vel ad nominis sui gloriam, & fidelium emolumentum convertit. Et hac quidem in parte Christo reipsa jam sunt subjecti: cætero-qui nonnisi juris ac potestatis habita ratione ei subsunt, quemadmodum & ipsi Deo; donec aliquando ita sub Christi pedibus collocentur, ut ne hiscere quidem amplius ac mutire adversus ipsum queant. Neque enim cùm sacræ literæ asserunt, Christo jam ab eo tempore, cùm ad Dei dextram collocatus est, omnia esse subjecta, significant, ei omnia jam reipsa, & quidem penitùs, esse subdita: sed id potissimùm sibi volunt, Christo jus, potestatem, ac vires plenissimas omnia sibi penitus subjiciendi, ab eo jam tempore a Deo datas esse. Actu vero ipso paulatim sibi omnia Christus subjicit; nisi quòd angeli, simul ac ad Dei dextram consedit, ei se submiserunt. Et hominum quidem alii, agnito ipsius imperio, sponte se ei subjiciunt; alii imperium eius detractantes, unà cum cæteris illius hostibus, in adventu ipsius sub pedibus ejus ponentur. Unde Paulus ad Corinthios scribens, licet ex Psalmo 8. asserat, Christi pedibus omnia esse subjecta: nihilominus tamen eo ipso in loco indicat, nondum omnia reipsa illi subjecta esse, sed olim demum subjicienda; & nominatim mortem, quæ inter ejus hostes ultima sit abolenda. Nam partim paulò antè ex Psalmo 110. asseruerat, Christum debere regnare, *donec ponat omnes inimicos sub pedes suos;* partim etiam paulò pòst addit: *cùm autem subjecta ipsi fuerint omnia, tunc & ipse filius subjicietur ei, qui subiecit* (vel *subjecerit*) *ipsi omnia.* Quare alibi ad eum Davidis locum, quo omnia eius pedibus subjecta esse dicuntur, non

1 Cor: 15. 27.

V 25.

V 27.

De modo quo Christus regnat.

tur, non obscurè respiciens,& eum nobis aliqua ratione explicans, ait Christum *efficaciâ suâ posse etiam subjicere sibi omnia*. quod satis apertè indicat, non omnia quidem reipsa, sed eatenus tamen omnia ei subjecta esse, quatenus possit sibi omnia penitus subjicere. Vt igitur homines, de quibus est sermo nobis hoc loco institutus, reipsa sibi subjiciat, veritatem iis Evangelicam annunciari curat, ut vel eâ receptâ, sponte se ei submittant, eum tanquam regem ac dominum suum colant, ejus mandatis pareant; vel si eam recipere, aut alioquin mandatis ipsius obtemperare nolint, tanquam perduelles aliquando supplicium luant, & hac ratione divinum ipsius imperium, quod agnoscere summo suo bono noluerant, maximo suo malo experiantur, ac pedibus illius sanctissimis subjecti, ad quos sponte sese advolvere abnuerant, ab eo proculcentur. Quare cum Christus justissimum de universo mundo judicium sit facturus, dubitandum non est, fore ut omnes terrarum oræ divinæ veritatis lumine compleantur, Evangelio ubique gentium promulgato, & Iudæis etiam, hominum generi pertinacissimo, fidei ostium, quemadmodum sacræ literæ pollicentur, aperiatur; ut ita nemo sit, qui non solùm Christi doctrinam auribus minimè percipiat, sed amplissimam etiam Christum pro domino suo agnoscendi occasionem non habeat; & hoc pacto omnis officii proditi præcidatur excusatio, Deiq; judicium justissimum esse, omnibus terræ nationibus clarissimè pateat. Hoc enim illud est, quod Christus ait, Evangelium per totum orbem prædicandum esse *in testimonium omnium gentium*, id est, ut ea res sit testimonio, eos justissimè puniri, omnisq; ignorantiæ excusatio illis in judicio præcludatur.

Phil: 3. 21.

Rom: 11. 25, & d.

Matth: 24. 14.

Cap. XXVIII.

De modo quo Christus regnat.

VIdendum nunc est, quo pacto Christus Ecclesiam potissimùm suam regat atque moderetur. Duplici igitur ratione hæc quæstio explicanda videtur, ut nimirum tum generatim ostendamus, modum, quo Christus regnat, divinum prorsus esse; tum speciatim, ut doceamus, quibus in rebus divina hæc illius gubernatio sit constituta. Primò igitur eam gubernandi rationem, quam Christus in populo suo administrat, divinam esse, ex his ipsius verbis patet: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio; ut omnes filium honorificent, quemadmodum honorant Patrem.* Quibus verbis regni sui amplitudinem tantopere exaggerat, ut tanquam si Pater omni sese divini populi gubernandi potestate privasset, *ita* eum neminem

Ioh: 5. 22.

minem judicare, id eſt, gubernare, ſibiq́; omne judicium, id eſt, regnandi munus, mandaſſe dicat. Quid, quòd eum tantopere a Deo Patre elatum videmus, ut a dextris illius collocatus eſſe dicatur. Adde, quòd Paulus Apoſtolus, ut ſummam illius planeq́; divinam poteſtatem mirum in modum amplificaret, eum, non ut nunc Deo ſubjectum, ſed aliquando ſubjiciendum commemorat: cum tamen nec ſeſe Pater in eccleſiam imperio penitùs abdicaverit; nec filium ſibi prætulerit; nec Deus aut caput illius eſſe deſierit; imò pro ſumma ſua ſapientia, totam hanc illius poteſtatem ad gloriam ſuam converterit. Intelligendum igitur eſt, ſpiritum divinum iſto verborum pondere ideo Chriſti majeſtatem maximam facere inſtituiſſe, ut & ſummam ejus cum ipſius Dei regno conjunctionem exprimeret, & Chriſtum haud aliter in gubernando fidelium genere Dei vicem gerere oſtenderet, ac olim Ioſephus in re perquàm ſimili Pharaonis loco omnia procurabat. Qui Pharao, ut, quãti Ioſephum fieri vellet, omnes intelligerent, hunc in modum eum allocutus eſt: *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium univerſus populus obediet: uno tantùm regni ſolio te præcedam.* & rurſum: *conſtitui te ſuper univerſam terram Ægypti.* & paulò pòſt: *Ego ſum Pharao; absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti.* Vbi videmus, Pharaonem regno ſe haudquaquam privaſſe, licet adminiſtrationem omnem regni totius Ioſepho committeret; imò eum apertè regni ſolium ſibi ipſi reſervaſſe. Quę quidem res, cum Chriſti regni, ipſi a Patre dati, imaginem ſeu umbram geſſerit; conſequens ſimiliter eſt, nihil de Dei imperio detractum eſſe, quòd Chriſtus in tam altum dignitatis gradum elatus eſt, & omniũ rerũ ad Eccleſiam pertinentiũ adminiſtratio ei eſt commiſſa.

De modo quo Christus regnat.

1 Cor: 15. 28.

Epheſ: 1. 17. Apoc: 3. 12. 1 Cor: 11. 3. Phil: 2. 11.

Gen: 41. 40. & d.

Sed jam tempus eſt conſiderare, quibus in rebus ſita ſit divina hæc Chriſti gubernatio. Duæ igitur potiſſimùm res ſunt, in quibus ea occupatur: nimirum tum legum ſanctio aut abrogatio; tum legum latarum adminiſtratio; quo nomine comprehendimus omnem illam curam, quam Dominus Ieſus adhibet, ut leges a ſe latæ promulgatæq́; ſerventur; ac præterea præmiorum diſtributionem, ac pœnarum irrogationem: quorum illa, præcepta ipſius obſervantibus, hæ eadem transgredientibus ac violantibus ſunt propoſitæ; quamquam, ut ſuo loco docebimus, quorundam præmiorum perſolutio, ac ſimiliter pœnarum irrogatio, ad eam curam Chriſti ſpectat, quâ fit, ut leges ipſius obſerventur & exequutioni mandentur.

Quod igitur ad priorem gubernationis partem attinet; eã ita

De abrogatione legum ceremonialium & forensium.

perfunctus est Christus, ut non solùm rempub: suam iis temperaret legibus, quæ ad illam constituendam aptissimæ essent; verùm etiam omnes illas, quamvis ab ipso Deo olim latas, quæ ipsius regno religioniq; adversabantur, refigeret atque exterminaret. Primò igitur animadvertendum est, Iesum Christum, postquam a mortuis excitatus, regiamq; dignitatem adeptus est, plena ac perfecta de fidelium officiis præcepta hominum generi promulgari curasse, & non ampliùs ea, quæ a nobis Deus fieri vellet, prophetico tantùm more denunciasse: sed ut summum principem, in suo nomine pœnitentiam, id est, vitæ correctionem atque emendationem, omnibus terræ nationibus prædicari jussisse. Hoc enim obedientiæ suæ, quam usque ad crucis mortem Patri præstitit, quasi quoddam præmium illum tulisse, ex illis ipsius verbis iutelligitur: Luc: 24 47. *Sic oportebat*, inquit, *Christum pati, & a mortuis resurgere, inque eius nomine prædicari pœnitentiam, & remissionem peccatorum.* Quænam verò illæ Christi sint leges, quas hominum generi promulgari curavit, sequenti libro explicabitur.

Cap: XXIX.

De quarundam legum abrogatione.

NVnc enim ad earum legum, quæ cum Christi regno religioneq; parùm conveniebant, abrogationem pergendum nobis est. Hæ autem tum illæ erant, quæ de ritibus ceremoniisq;, tum ex illis non paucæ, quæ de jure civili promulgatæ fuerant, eæ nempe omnes, quas positivas vocant. Hîc verò ex me quæres, quomodo verus Messias is habendus sit, qui contra manifestum interdictum, Dev:4. 2. conf: Exod: 12. 24: 27. 2: 29. 42: 31. 17. Lev:7 36: 16 31: 24. 3. Num: 27. 11. leges illas, quas Deus integras sempiternasq; esse voluit, non solùm mutare, sed etiam refigere ausus fuerit? Respondemus igitur, nequaquam Deum sibi ipsi, nec porrò regi huic, qui illius personam gerit, hanc legem imposuisse; sed populo Israëlitico, ad quem respectu habito, leges istas adeò fixas, ratas, sempiternasq; esse voluit, ut nemo pro libitu atque arbitrio suo eas commutare, nedum rescindere auderet. Interim tamen Deus seipsum libertate ista nequaquam spoliavit, quin tempore maturo adveniente, per Christum sive Messiam multas leges, utpote vel hujus religioni parùm convenientes, vel planè contrarias, antiquaret; consentaneumque omnino fuit, ut hæc legum abrogatio per regem potiùs, quàm quemvis alium perficeretur: cùm leges præscribere, anteáve latas pro suo arbitrio refigere, ad reges maximè pertineat. Hîc tamen, ut paulò antè jam innuimus, non de illis legibus orationem habemus, quæ ma-

gna ex parte in mentibus nostris infixæ naturâ sunt; sed quæ in legislatoris arbitrio revera positæ erant. Qua de causa hic rex noster, lege illa, quæ moralis appellatur, integrâ salvâque relictâ, eas exterminavit, quibus externæ ceremoniæ sancitæ erant, quæq; circa corpus tantùm occupatæ, ad interiorem hominem sive mentem minimè pertinebant; & ideo a religionis Christianæ, quæ spiritualis planè est, natura vehementer abhorrent. Extinxit quoque multas ex illis vetustæ legis præceptionibus, quæ de jure traditæ fuerant, ideoq; juridiciales vulgò appellantur; quia nimirum hæ quoque a Christianæ religionis disciplina sunt alienæ, aut ad eam non satis accommodatæ. De abrogatione legum ceremonialium & forensium.

Vt autem hoc quale sit meliùs doceamus, paulò uberiùs tum ceremonialis, tum juridicialis legis abolitionem explanabimus. Quod igitur ad ceremoniarum deletionem attinet, duo nobis facienda videntur. Nam & quibus nominibus illæ ab Apostolis eleventur, & quibus de causis abrogandæ fuerint, considerandum esse putamus. Primò *igitur placitorum* nomen occurrit, quo ideo legis ceremoniæ appellantur, quòd legislatoris arbitrio subnixæ, ab insita ratione non provenerant, quemadmodum suprà jam alicubi monuimus. lib: 2. c. 11. Nominantur etiam præcepta hominum; non quòd ab hominibus tradita sint; sed quòd, qui disciplinam consectantur Dei jussu atque imperio abrogatam, ii meritò non Dei, sed hominum mandata sequi dicuntur. Col: 2, 22. Vocantur præterea rudimenta seu elementa mundi; quia ut tota lex Mosaica non nisi rudia quædam & tenuia cœlestis disciplinæ continebat initia: ita multò magis eam illius partem, quæ ceremoniarum complectebatur religionem, obscurissimam quandam rerum divinarum similitudinem habuisse, fatendum est. Gal: 4. 3. Col: 2. 8. Quòd autem non elementa seu rudimenta simpliciter, sed rudimenta mundi nominata sunt, id ea re factum est, ut intelligeremus, fururum aliquando fuisse, ut Deus universum terrarum orbem ad perfectissimam voluntatis suæ notitiam instrueret, clarissimoque cœlestis veritatis lumine circumfunderet. id quod per Christum factum esse, Paulus luculentissimè docet, cùm his mundi rudimentis omnem divinitatis plenitudinem, in Christo sanctissimaq; ejus disciplina corporaliter, h. e. reipsa, non umbratili quadam ratione, ut in Lege, habitantem opponit: Col: 2.9. & 17. & tempori illi, quo Iudaicus populus adhuc infans, elementis mundi fuit mancipatus, Gal: 4.3, 4. opponit plenitudinem temporis, quo Deus, misso filio suo, homines Legi subditos redimere, & ex pueris servorum similibus, quibus rudimenta illa conveniebant, filios suos, spiritu filii sui illis dato, efficere

De abrogatione legum ceremonialium & forensium.

ib: ℣ 9.

to, efficere studuit. Huc pertinet, quòd eędem ceremoniæ rudimenta infirma atque egena dicuntur; quòd ea, præsertim cum Christianæ disciplinæ institutis collata, nihil in se solidi habeant, sed umbrę tantùm quædam sint, suosq; sectatores nec ad pietatem corroborare, nec ad spem verarum divitiarum erigere possint. quorum utroq; Christi doctrina mirum in modum præstat, adeò ut qui eâ destituuntur, si vel maximè ex istis legis institutis vitam moderentur, eos tamen inopes, desertos, nudos, omniq; veræ felicitatis spe destitutos esse oporteat. Meritò igitur Apostolus ibidem miratur, Galatas illos Christi doctrinâ, & sic sempiternarum opum spe non mediocriter confirmatos, adeò desipere, ut tãtis bonis spretis atq; contemptis, per summam temeritatem in legis infirmitatem paupertatemq; sese conjicere non dubitent. Et hæc quidem sunt illæ umbræ rerũ futurarum, quas Apostolus corpori, quod Christi esse ait, opponit, ut, quæ ceremoniarum præceptionibus procul, & quasi obscuris quibusdam lineamentis adumbrata erant, ea in divinissima Christi disciplina expresè solideq; proponi doceat. Quid, quòd hæc ceremoniarum disciplina *septum medii parietis in divinis literis* appellatur; quòd, quemadmodum illa vigente, Ethnici in populum Dei adsci sci, & cum populo Iudaico coalescere non poterant: ita eâ sublatâ, amplissimus omnibus terræ nationibus ad eadem divini populi jura, eandemq; rempublicam accessus patefactus est. Ad extremum, hæc eadem ceremoniarum religio jugum, quod Iudęi ferre non potuerint, itemq; jugum servitutis nominatur, opponiturq; libertati, in quam nos Christus vindicavit. Dura enim servitus erat, ad tot ceremoniarum, ad pietatem ac virtutem per se nihil facientium observationem, gravi proposita pœna adigi. Quantam igitur libertatem Christus, postquam rex factus est, nobis pepererit, nemini obscurum, aut parum apertum esse potest; de qua tamen suo loco uberiùs dicendum erit.

Col. 2. 17.

Ephes. 2. 14.

Act. 15. 10.

Gal. 5. 1.

Lib. 4. c. 5. & 6. & lib. 6. c. 10.

His ita constitutis, nullo negotio intelligi poterit id, quod secundo loco considerandum nobis est, nimirum quam ob caussam istam ceremoniarum disciplinam, Christi religione promulgata, exterminari oportuerit. Quis enim, ut generatim dicam, non videat, corpore, id est, rerum adumbratarum veritate jam existente, umbris nullum esse locum relictum? Verùm ut pressiùs paulò rem istam intueamur; tres potissimùm hujus legum abrogationis caussæ videntur esse. Primò enim ipsa res indicare videtur, præstantiorum bonorum promissa, præstantiora vivendi præcepta requirere, adeò ut, cum

ut, cum ſpiritualis ſempiternaq; vita populo Chriſtiano oblata ſit, nihil indignius videatur, quàm eum in carnali terrenoq; ceremoniarum cultu occupatum eſſe. Altera cauſa eſt, quòd Deus per Chriſtum Iudęos cum Ethnicis tam arcto conjunctionis vinculo colligare voluit, ut ex utrisque unus populus fieret: quod quidem ceremoniarum lege, quæ hos ab illis disludebat, ſtatum ſuum retinente, fieri vix ac ne vix quidem poterat; & ſic res ipſa poſtulabat, ut de medio tolleretur. Tertia cauſa eſt, quòd Deus hanc legis exterminationem argumento eſſe voluit, Ieſum hunc, per quem facta eſt, verum illum divini populi Regem exiſtere. Et hanc quidem ob cauſam Chriſtus non tunc, cum in terris degeret, Propheticumque munus adminiſtraret, ſed cum ſupra omnes cœlos elatus, ſummus populi Dei Rex conſtitutus eſſet, legum iſtarum abrogationem revera aggreſſus eſt.

Cap: XXIX. De abrogatione legum ceremonialium & forenſium.

Veniendum nunc eſt ad illarum legum abolitionem, quæ de jure cauſisq; forenſibus *Iudaicæ illi Reipublicę datæ atque conſtitutæ fuerant. Has igitur a Chriſto jam Rege facto* idcirco deleri oportuit, quòd *ipſius regno non* ſolùm parùm conveniebant, ſed ex parte etiam repugnabant. Regnum quippe Chriſti iis legibus atque inſtitutis temperatum eſt, quibus ſumma præcipitur charitas, patientia, manſuetudo, modeſtia, miſericordia, adeò ut nec oculum pro oculo, nec dentem pro dente exigere, aliáve ratione injuriam nobis illatam ulciſci liceat; idque non modò privatim, quod ne ſub Lege quidem licebat, ſed nec per magiſtratum, quod olim licebat: verùm contrà & aliam potiùs injuriam perferre, &, quod gravius eſſe videtur, inimicos diligere, in illosq; beneficia conferre, noſtri ſit officii. Etiamſi autem hæ Chriſti Leges propriè unumquemque privatim ſtringant: nihilominus tamen iis etiam publica jura atque judicia, a magiſtratibus Chriſtianis ita ſunt attemperanda, ne quid earum annalogiæ adverſum ſtatuatur. Quare omnia Legis Moſaicæ inſtituta ab illarum norma atque analogia abludentia, pro antiquatis ſunt habenda, eorumq; ſeveritas mitiganda eſt. Fuit enim tempus, cum Deus ſeverè cum hominibus agere voluit, ut in illa mundi pueritia eorum animis terrorem incutiendo palàm oſtenderet, ſeſe abſolutiſſimum in eos habere imperium: nunc verò ea venerunt tempora, quibus ſingulariſſima quadam genus humanum gratiâ atque benignitate complecti conſtituit. Adde, quòd ſuum tenens inſtitutum, quo à minutiſſimis rebus initium ducens, ad maiora gradum ducere conſuevit, eas tunc populo ſuo leges imponere voluit, quæ imperfectionis cujusdam haberent ſignifica-

Matth: 5. 38, 39, 44.

De abrogatione legum ceremonialium & forensium.

gnificationem, & non leve istius, quam oratione persequimur, legum abrogationis argumentum continerent. Documento esse potest lex illa, quæ injurias corpori illatas talionis pœnâ expiare pensareq; jubet; cum nequaquam oculum pro oculo, dentem pro dente requirendo, sed pecuniâ potiùs damnum illatum prçstari possit. Nunc verò, postquam tempora gratiæ atq; perfectionis venerunt, & postquam is Dei populi Rex constitutus est, qui diviniç gratiæ beneficium administrat, quiq; perfectissimâ legum disciplinâ suam Rempublicam temperat atque moderatur; evénit, ut omnia legis jura, quç vel divinam gratiam impugnant; vel rigiditate quadam contaminant, vel umbras tantùm quasdam continent, meritò ex Christi regno per ipsummet exterminata fuerint. Hoc enim illud est, quod Iohannes asserit, legem per Mosem datam, gratiam autem & veritatem per Christum factam esse. (Ioh:1. 17.) Quibus verbis prçter alia hoc nos docere instituit, Christi disciplinam non ita minis ac suppliciis, ut olim lex Mosaica faciebat, terrere, sed promissorum potiùs amplitudine homines in Dei studium incendere. Qua de causa lex illa, seu mavis, legis vis, quam in animis hominum exeruit, spiritus servitutis in timorem appellata est; (Rom: 8. 15.) quia nimirum suppliciorum metum atque horrorem mentibus hominum potissimùm invexit: quod contrà sub imperio Christi fit, utpote qui summâ misericordiâ, incredibiliq; clementia omnes eos complectatur, qui scelera, quantumvis maxima, a se admissa, quæq; sub antiquo illo fœdere omni venia prorsus excludebantur, detestati, ad officium redeant.

Animadvertendum autem est, non omnia legis illius jura in hoc genere, de quo loquimur, haberi. Excluduntur quippe hoc numero, inq; Christiana Republica locum omnino habent, quç patientiam, quæ benignitatem, quæ charitatem minimè evertunt, quæque, ut uno verbo dicam, omni injuriarum ultione vacant: ut quæ ad tuendam tranquillitatem publicam, & morum honestatem, quæq; ad defensionem innocentium, ad controversiarum civilium diremtionem omnino sunt necessaria. quæ tamen non eam ob rem ad Christianos pertinent, quòd in Lege Mosaica contineantur; sed quòd cum Christi legibus consentiant. Quo pacto & moralia Legis præcepta non eam ob causam retinenda sunt, quòd à Mose olim tradita fuerint; sed quòd a Christo non minùs, quàm olim a Mose, urgeantur.

Verùm alia quoque caussa est, cur legalia jura defecisse credendum est; nimirum quòd ad Iudaicam Rembublicam ita fuerunt alligata

ligata, ut quia hæc interiit, illa consistere non potuerint.

Vix nunc opus est monere, ea, quę de legum istarum abrogatione disputamus, non ita esse accipienda, quasi magistratum, omnesq; leges judiciarias, de medio removere in animum induxerimus. Cuilibet enim non oscitanter nostra hæc legenti manifestissimè apparet, nos hoc in loco de Politia tantummodò Iudaica, deq; legibus illi alligatis sermonem habere, iisq; hac seculorum ætate Christi populum adstringi pernegare. Interim tamen omnis magistratus omnisq; potestas Dei ordinatio manet. Cui divinæ ordinationi nobis omnino, dummodo Christi imperiũ ne violemus, parendum esse, Apostolus luculentissimè testificatur; adeò ut vectigal etiam atque tributum solvendum nobis sit. Et hæc de abrogatione legum istarum dicta sufficiant.

Cap: XXX. Quomodo Christus leges suas administret.

Rom: 13. 1.

ib: ℣ 6, 7.

Cap: XXX.

In quo docetur, quomodo Christus suas leges administret.

Consequens nunc est, ut quomodo Christus leges a se datas administret, consideremus. Id autem, ut suprà jam monuimus, duplici potissimùm prȩstat ratione: partim dum curat, ut leges istȩ observentur; partim dum observantibus præmia tribuit, non observãtibus pœnam irrogat: quãquam, ut eodem loco monuimus, præmiorũ quorundam persolutio, similiterq; pœnarũ quarundam irrogatio eò pertinet, ut leges istæ observentur. Prius illud tribus potissimùm modis præstat: partim dũ leges semel latas ac promulgatas repeti ac inculcari subinde curat; partim dum incitamenta ad virtutẽ proponit, prȩmiorumq; spem certã in animis nostris excitat, & pœnarum metu a vitiis deterret; id quod inter alia prȩmiorum aut pœnarum exemplis, quȩ vel in aliis, vel in nobis ipsis cernimus, efficit; partim denique, cùm singulari quadam ope laborantes adjuvat, atq; inprimis cùm divinissimum Spiritus S. donum iis impertit, & sic robur illis inspirat, ad mandata ipsius exequenda sufficientissimũ. Posterius ita prȩstat Christus, ut qui ex illius præceptionib: vitam moresq; componunt, illis non solùm, ut suprà suo loco diximus, sempiterna tribuat præmia, sed etiam temporaria, eaq; tum cœlestia, tum terrena. Sed terrena tamen beneficia eatenus tantùm apud illos ponit, quatenus hoc tum divinæ gloriæ, tum ipsorum salutis ratio fieri patitur. Itaque & commodam illis valetudinem, & vitam tranquillam atque diuturnam, & ea, quæ ad victum cultumque sunt necessaria, largitur; &, si vel in morbum, vel in alias difficultates incidant, eos sanat; quibusq; sese rationibus ex difficili rerum suarum statu

cap: 18.

cap: 10. & 15.

Quomodo Christus leges suas administret.

rum statu expediant, variis modis ostendit. Qui verò ipsius legibus contumaciter repugnant, illis non solùm spirituales æternasq; pœnas, de quibus suo loco dicetur, sed corporales etiam atque terrenas irrogat. Quarum quidem varia sunt genera, prout varia etiam sunt genera bonorum terrenorum, quibus privari, aut malorum, quibus affici homines possunt: & rursus alia supplicia sunt singulorum, quæ privata possumus appellare, alia publica. Privata, quale il-
Act: 13. 11. lud Elimæ, v. g. cui subitò cœcitatem oculorum immisit Christus,
Act: 5. 5, 10. itemq; Ananiæ & Sapphiræ, quos subita morte extinxit. Publica, cum totam aliquam regionem, rempub: Ecclesiam, fame, peste, bello aut excidio, aliisque similibus suppliciis vindicat, quod genti Israëliticæ olim evenisse palàm est. Hæc autem omnia Christo meritò assignari, tum illud generale maximo est argumento, quòd,
Iohan: 5. 22. ut suprà demonstravimus, Pater neminem judicat, sed omne judicium dedit filio; tum quæ Christus de homine illo nobili regnum
Luc: 19. 14, 27. adepto, qui ipse Christus sine dubio est, apud Lucam in medium affert, apertè indicant. Is enim inimicos suos, qui eum in se regnare noluerunt, adduci, & coram se jugulari iussit.

Vt autem Christus vel præmiis illos, qui justitiam colunt, vel pœnis eos, qui in sceleribus versantur, rectè afficere possit, tantâ donatus est sapientiâ, ut hominum intimos sensus introspicere, & sic quo animo quisque erga illius leges sit affectus, qua mente religionem & pietatem colat, qualem se quisque præstet, quid agat, quid in se admittat, intueri posset. Quod ita esse, ut dicimus, illa i-
Apoc: 2 23. psius Christi verba, quæ in Apoc. habentur, luculentissimè testantur. *Ego*, inquit, *sum qui scrutor corda & renes.* Item illud: *Novi tua*
℣ 2, 3, 4. *facta, laborem & patientiam, utq; malos ferre nequeas, & eos exploraveris, qui se profitentur Apostolos, nec sunt, quos tu falsos deprehendisti, & tolerasti, patientiâque uteris, & propter nomen meum laboras indefessus; sed habeo, quod tecum expostulem, quòd charitatem tuam*
℣ 9, 13, 14, 15, 19: c. 3. 1, 2, 8, 15. *pristinam omisisti.* Quorum similia sunt alia multa, ibidem literis prodita, quæ admirabilem Christi sapientiam, omniumq;, quæ vel mente homines concipiant, vel ore proferant, vel opere perficiant, absolutissimam scientiam planè demonstrant. Nec mirum, cum divinum imperium, quale Christum habere constat, nequaquam absque eorum, quæ a singulis cogitantur atque geruntur, plenissima cognitione administrari possit. Ea enim est divini regni vis atq; natura, ut non solùm externas hominum actiones contineat, sed etiam ad animum usque eorum penetret; & hanc ipsam ob causam non cor-

non corpori tantummodò noſtro, ſed menti etiam animoq́; leges præſcribat. cuius quidem Chriſtum nunc potiri palàm eſt.

Cap:XXXI. De Christi imperio in ſubterranea.

Cap. XXXI.

De Chriſti imperio in Subterranea.

SEquitur tandem, ut quomodo Chriſtus in ſubterraneis partibus dominatum habeat, perquiramus. Paulus igitur, ut rem iſtam nobis explicet, affirmat, etiã ſubterraneorum genua ad Chriſti nomen flectenda eſſe; ſubterraneorum vocabulo ſine dubio non ſolùm dęmones, ut quibusdam placet, ſed eos etiã, qui vitam cum morte cõmutarunt, intelligens. (Phil: 2. 10.) Hi enim quaſi ſub terram demiſſi, ibi a morte mortuorumq́; ſtatu teneri videntur; eamq́; ob cauſam ad inferos deduci, vel ad inferos deſcendiſſe a divinis autoribus dicuntur. (Gen: 42. 38. Iob: 7. 9.) Horum Chriſtus & Dominus appellatur, & eos aliquando potentiſſimo juſſu ſuo in vitam revocabit. Hoc enim illud eſt, quod Paulus hunc in modum pronunciat: *Nemo noſtrûm ſibi ipſi vivit; nemo item ſibi ipſi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; ſive morimur, Domino morimur. Sive igitur vivimus, ſive morimur, Domini ſumus. Nam ideo Chriſtus & mortuus eſt, & reſurrexit, ac revixit, ut & mortuis dominetur, & vivis.* (Rom: 14. 7, 8, 9.) Quæ quidem Chriſti in mortuos poteſtas adeò latè patet, ut non ſolùm eos, qui Novi Fœderis temporibus moriuntur, ſed illos etiam omnes, qui jam inde à mundi primordio vitâ exceſſerunt, complectatur. Nam & Davidis, quamvis jam olim demortui, dominus dicitur, reveraq́; tunc factus eſt, cum in altiſſimo regię dignitatis ſolio collocaretur. (Pſal: 110. 1. Matth: 22. 42, 43, 44.) Qua de cauſa ſtatui poteſt, non ſolùm illos, qui ipſius diſciplinam ſequuntur, verùm etiam qui olim cum pietate vixerunt, Chriſti eſſe, ab Apoſtolo tunc dici, vel ſaltem iis, qui Chriſti ſunt, accenſeri, cum de mortuorum reſurrectione explicans ait: *Primitiæ Chriſtus; deinde qui ſunt Chriſti, in adventu eius.* (1 Cor: 15. 23.)

Cap: XXXII.

De regni Chriſti tempore.

SAtis jam, ut videmur, de locis, in quibus Chriſtus dominatur, diximus. Veniendum igitur tandem eſt ad circumſtantiam temporis, ut & quando Chriſti regnum inceperit, & quamdiu duraturum ſit, intelligamus. Animadvertendum autem eſt, nos hîc de abſolutiſſima hujus regni adminiſtratione orationem habere. Fuit quippe tempus, ut ſuprà diximus, cùm Ieſus jam plurimùm dignitate atque potentiâ valeret. Nam & mari, & ventis, & dæmonibus, &

De sempiterno impiorum supplicio.

morbis, & morti imperabat, & honore divino afficiebatur, & ea ab illo petebantur, quæ nonnisi divinâ effici dariq; potentiâ poterant, eaq; re in Dei forma constitutus dicitur: verumtamen omni ex parte Christus, sive Rex, tunc evasit, cùm a mortuis resuscitatus, inq; cœlestis vitæ possessione collocatus est. Tunc enim demùm obedientiæ suæ prœmium, tunc nomen supra omne nomen obtinuisse, tunc in gloriam suam intrasse, tunc denique Dominus Christusque factus esse perhibetur. Quæ quidem res, cum partim ex se ipsa, partim ex illis, quæ hactenus à nobis explicata sunt, maximè sit perspicua; nihil esse videtur, cur longiore eam oratione persequamur, & non potiùs ad alteram hujus circumstantiæ partem veniamus, ut quamdiu Christus regnum suum administraturus sit, consideremus. Hoc autem ut planè intelligamus, illud repetendum videtur, quod suprà diximus, in cœlo quidem omnia, in terris verò Ecclesiam inprimis sub Christi ditionem actu ipso subjunctam esse: multa autem restare, quæ licet sibi subjiciendi amplissimam potestatem habeat, reipsa tamen nondum, vel nondum penitus subjecerit. Intelligendum igitur est, Christi regnum ad illud usque tempus duraturum esse, cùm omnia, non potentiâ solùm, sed ipso etiam actu sibi subjecta habebit. *Oportet enim,* inquit Paulus, *eum regnare, donec ille omnes hostes sub eius pedes subjecerit:* & paucis interjectis: *cum autem ei subjecta fuerint omnia, tunc ipse quoque filius subjicietur ei, qui ei subjecerit omnia.* Quod ut penitus percipiamus, duo hoc loco excutienda videntur. Primò enim perquirendum est, qualia illa sint, quæ Christo adhuc subjici, aut penitus subiugari oportet, quáque id tandem ratione futurum sit. Deinde, quam ob causam omnibus sibi subjectis regnum sit depositurus, attentissimè considerandum. Ac ut primum intelligamus, animadvertendum est, illa quæ Christo tunc reipsa subjungenda sunt, in tria genera distribui posse, de quibus ordine agemus.

Phil: 2. 8.
Phil: 2. 9, 10.
Luc: 24. 26.
Act: 2. 36.
cap: 27.
1 Cor: 15. 25, 28.

Cap: XXXIII.

De sempiterno impiorum supplicio.

PRimum genus omnes generatim homines complectitur, qui Christo sese audientes præbere noluerunt. Hos enim tunc sempiterno supplicio mactabit, & sic scabellum pedum suorum ponet. quod quidem supplicium, ut quale sit cognoscere possimus, sciendum, illud variis nominibus a divinis autoribus appellari. Primò enim dicitur judicium; ut intelligamus, sempiternum illud supplicium, non temerè, non errore aliquo improbis irrogandum esse;

sed legi-

De sempiterno impiorum supplicio.

sed legibus, sed acerrimo de uniuscujusque cogitatis, dictis, factisque adhibito judicio. Hac de causa apud Paulum judicium secundùm veritatem, & justum Dei judicium dicitur. Appellatur deinde supplicium illud ultimum impiis irrogandum ignis Gehennæ, allusione facta ad vallem illam, quæ a possessore suo Hebraicè Ge (hoc est, vallis) Hinnę, aut filii Hinnon appellata est, aliàs vallis Tophet, in qua Israëlitæ filios suos, in honorem deorum falsorum, funestis ignibus inferebant. Per translationem igitur quandam Christus Gehennæ vocabulo sempiternum interitum atque ultimum ignis supplicium significat. Appellatur quoque æternum supplicium aut interitus, eò quòd nullum unquam finem habiturum sit. Quo pacto & ignis inextinguibilis æternusque vocatur; utpote cum in eum conjecti, nunquam inde emergere possint. Id quod satis apertè Christus illa divitis Lazariq; parabolâ demonstrat, ubi qui semel in ignis illius flammam immittentur, eis nullam inde exeundi facultatem dandam esse asserit. Huc spectat, quòd vermis nunquam moriens, per eandem dicendi figuram nominatur. Quemadmodum enim vermes cadavera rodentes, dum quidem cadavera durant, nec rodere desistunt, nec mori solent: ita hęc, de qua loquimur, pœna, hominibus scelere astrictis illata, nunquam cessabit. Et hæ sunt illę exteriores tenebræ, ubi futurus est ploratus & stridor dentium, ideo sic appellatæ, quòd qui in illas deprimentur, ab illo cœlestis luminis splendore remotissimi futuri sunt; & quemadmodum qui in tenebras densissimas, procul ab eo loco, ubi alios lęticiâ ac voluptate perfrui nôrunt, conjecti sunt, si ex illis evadere se posse desperant, lacrymis sese dedunt, ac præ horrore dentibus strident: ita nihil futurum est luctuosius illorum statu, qui sempiternę mortis supplicio sunt puniendi. Hæc porrò illa condemnatio est, cujus Paulus ad Romanos scribens mentionem facit. Appellatur autem hoc nomine per metonymiam, quam efficientis vocant. Condemnatio enim, quæ in ferenda de æterna sceleratorum morte sententia consistit, ejusdem supplicii causa est: ut & justificatio, condemnationi ibidem opposita, justitię præmium affert. Quo fit, ut quemadmodum justificatio pro ipsa hominum salute usurpatur: ita & condemnatio æterni interitus significationem habeat. Per eandem dicendi figuram Ira nominatur; quippe cum ira, quâ Deus ad homines flagitiosos perdendos incitatur, ejusdem rei causa est. Dicitur etiam perditio sive exitium, quòd qui supplicio isto mulctantur, ita miserè pereunt, idq; in æterna tempora, ut restitui nullo pacto queant. In hanc sententiam tum Iudas, tum Antichristus, filii per-

Rom: 2. 2. 5. Matth: 5. 22. 4 Reg: 23. 10. 2 Paral: 28. 3. Matth: 25. 46. 2 Thess: 1. 9. Matth: 3. 12. Mar: 9. 43. Matth: 25. 41. Luc: 16. 26. Mar: 9. 44. Matth: 8. 12. Rom: 5. 16, 18, 19. Rom: 5. 9. 1 Thess: 1. 10. Matth: 7. 13. Phil: 1. 28. 1 Tim: 6. 9. Ioh: 13. 12. 2 Thess: 2. 3.

De potestatib⁹ Christo subjiciendis. filii perditionis appellantur, & qui Christi cruce offenduntur, perire dicuntur; quia sempiternę perditioni sunt destinati. Nominatur etiam hoc genus suppliciorum Rationis redditio, idq; in aliquot sanctarum literarum locis. Rationem quippe nobis reddendam esse otiosi cujusque verbi, si Deus summo nobiscum jure agere velit, auctor est Christus: rationem reddendam esse luxuriosis blasphemisq; illi, qui paratus est judicare vivos & mortuos, testificatur Petrus Apostolus: rationem denique esse reddendam Pastoribus, pro animabus nostris vigilantibus, testis est divinus ille auctor Epistolę ad Hebræos scriptæ. Quâ quidem loquendi formâ nihil aliud significatur, quàm & otiosi verbi, & blasphemiæ pœnas daturos esse illos, qui hisce criminibus sese adstringunt; & qui Christi Ecclesiæ pręsunt, eos supplicium luituros esse, si illorum negligentiâ fiat, ut auditores officium prodant, &, quod consequens est, beatis sedibus excludantur. Hoc idem supplicii genus Christus ita explicat, ut Spiritum sanctum blasphemantibus, in æternum hoc peccatum non iri remissum affirmet; ut intelligamus, eos, qui hoc flagitium in se admittunt, sempiterno judicio seu supplicio obnoxios esse, ut ipse Christus ibidem interpretatur. Quemadmodum enim peccatorum remissio vitę æternę, quam ex liberalissimo Dei decreto secum adfert, donationem non semel significat: ita peccata non remitti, præsertim in futuro seculo, in sempiternum detrudi exitium designat. Postremò hęc eadem pœna Mortis vocabulo nominatur. Quod vocabulum quamvis simpliciter, sineq; ulla alterius vocis appositione, à sacris auctoribus efferatur: sępe tamen nonnisi æternam mortem illo exprimere voluerunt: quia nimirum ea demum vera mors censenda est, quę sit sempiterna. Qui enim aliquando in vitam æternam sunt revocandi, illi quia Deo vivunt, propemodum mortui existimandi non sunt. Qua de causa Christi fideles obdormiisse dicuntur.

1 Cor: 1. 18. Matth: 12. 36. 1 Pet: 4. 5. Heb: 13. 17. Mar: 3. 29. Rom: 5. 12, 14. 17, 18, 21. & 6. 23. & 8. 12, 13. Luc: 20. 38. 1 Cor: 15. 20.

Cap: XXXIV.

De potestatibus Christo subjiciendis.

ALterum genus eorum, quę Christo subjicienda aliquando sunt, omnem principatum ac potestatem continet, eam nimirum, quæ Christi imperium vel detrectavit, vel ei, quantum in ipsa fuit, impedimenta opposuit: veluti sunt tum Principes hujus seculi Christo adversi, tum diabolus, omnesque ipsius angeli. Quod tamen non perinde a nobis dici quivis animadvertere potest, quasi isti etiamnum reipsa, magna ex parte Christo subjecti non sint. Satis enim

[Ca]p: 27.

tis enim suprà a nobis demonstratum est, tum Principes terrestres, quantumvis Christo repugnantes, tum dæmones, jam ex parte in Christi potestatem redactos esse, quatenus vel illorum immanitatem comprimit, vel illorum ministerio utitur: sed loquimur hoc loco de plenissima hostium istorum subjectione, quâ fiet, ut in ignem æternum sibi jam antea paratum conjiciantur.

Cap: XXXV. De modo, quo Christus piis vitam æternã sit daturus.

In tertio illarum rerum genere sunt mors, infernusq; seu mortuorum status. Atque hi ultimi sunt hostes, & omnium teterrimi, qui solâ potentiâ sub Christi jurisdictionem hactenus subjuncti sunt. Videmus enim, non illos tantùm, qui in omni scelerum turpitudine volutantur, sed eos etiam, qui in sanctimonię studio omnem ætatem omnemque operam consumunt, morte extingui, inque mortuorum statu versari. Hos igitur inimicos suos tunc planè subiget, cùm eos in stagnum igneum conjiciet, hominesq; fideles ex eorum faucibus ereptos, gloriosa illa immortalitate donabit. Quæ quidem Christi potestas tanta tamque admirabilis est, ut excepto Deo, nulla sublimitas, nulla omnium regum, qui sunt, fuerunt, aut futuri sunt, majestas atque potentia, cum illa vel minima ex parte comparari possit. Si enim hominem, quantumvis vivum, ex mortali immortalem efficere divinissimæ potestatis est, quâ Christus in illis, quos novissimo illo tempore superstites offendet, immortalitate donandis utetur; quantę tandem potentiæ esse putabimus, eos, qui ad nihilum venerant, in viventium numero reponere? Eam ob rem Apostolus hoc admirandum Christi factum efficacissimæ illius potentiæ attribuit, quâ sibi omnia subjicere potest.

1 Cor: 15. 26. Apo: 20. 14. Phil: 3. 21.

Cap: XXXV.

De modo, quo Christus sibi obedientibus vitam æternam daturus sit.

His ita generatim atque universè descriptis, operæ pretium est eadem speciatim explicare, ut, quo pacto Christus rem tantam confecturus sit, planissimè intelligamus. Hujus autem rei narrationem Apostolus paucissimis verbis complectitur, cùm Christum corpora nostra transfiguraturum, corporisque sui gloriosi similia effecturum affirmat. Hoc autem duplici ratione perficiet. Primò enim divinissima illius virtute fiet, ut qui mortui sunt, ii omnis corruptionis expertes prodeant, & ex mortis dominatu ita emergant, ut nunquam illo premi queant. Deinde, qui tunc, cùm Christus e cœlis descendet, superstites futuri sunt, ita immutabuntur, ut uno temporis puncto oculivé ictu ac momento, mortalitas ab immor-

Phil: 3. 21. 1 Cor: 15. 52. 1 Cor: 15. 52, 53.

De modo, quo Christus piis vitam æternã sit daturus.

1 Thess: 4. 17.

talitate absorbeatur, ut utrique, id est, tam illi, qui antea diem suum obierant, quàm isti, quos tunc Rex noster vivos offendet, rapiantur in nubibus obviam Domino in aërem, atque ita semper sint cum Domino.

Vt autem tantò rectiùs cognoscatur illa, quam diximus, corporum nostrorum mutatio; operæ pretium erit expendere, utrùm eadem sit futura corporum nostrorum a resurrectione substantia, quæ nunc est, an diversa. Plærique in ea sunt sententia, ut humanorum corporum substantia permanente, qualitates esse tantùm mutandas existiment. ad quod comprobandum inter alia, quæ postmodum examinabimus, eo utuntur argumento, quòd Apostolus de corporum istorum, quibus nunc circumdati sumus, & eorum, quibus in resurrectione cingemur, differentia differens, utatur similitudine humanæ belluinæq; carnis, cujus eadem sit substantia, qualitas diversa; itemq; siderum diversorum, quorum materia eadem, claritas diversa. In qua ratiocinatione primùm pro concesso sumitur, carnes hominum, jumentorum, ac piscium, quas commemorat Apostolus, nonnisi qualitatibus accidentariis, quæ nullum substantiæ discrimen adferant, inter se distare. At licèt carnes illæ omnes genere proximo conveniant: specie tamen, & sic formis essentialibus, ac differentiis, ut vocant, specificis discrepant. Atque ut ut stellarum eadem sit materia: non tamen protinus eadem est substantia seu essentia. Nam nec terrestria protinus ejusdem sunt substantiæ, licet ex eadem materia constet. Vt nihil jam de ea dicamus differentia, quæ est inter diversa siderum, itemq; carnium singularia seu individua: cum ii, adversus quos disputamus, eadem prorsus, seu, ut in scholis loquuntur, eadem numero corpora nos à resurrectione habituros affirment. Sed largiamur nunc id, quod pro concesso sumi diximus: an necesse est similium prorsus eandem esse rationem? an quia carnes hominum, jumentorum, ac piscium, itemq; stellæ omnes ejusdem inter se sint materiæ ac substantiæ, & qualitatibus tantùm distinguantur; ideo etiam corpora hæc nostra à futuris, qualitate tantùm discrepare consequitur? Cur ergo non similiter ex eo, quòd Paulus eodem loco utitur similitudine corporum cœlestium & terrestrium, quæ materiâ & substantiâ longe à se invicem distant, colligitur, corpora hæc nostra a futuris, materiâ ac substantiâ longè distare? Atqui hoc multò rectiùs concluderetur, quàm illud: cum ita discrepent corpora hæc nostra a futuris, ut terrestria à cœlestibus, quemadmodum inferiùs in eadem disputatione ostendit Apostolus; non verò ut caro à carne: cum idem

vid. Calvin: Instit: cap: 8. sect: 220.

1 Cor: 15. 39, 40.

vid: ℣ 47, 48, 49.

aperte,

De modo, quo Christus piis vitam æternã sit daturus.

aperte, disputationem hanc de corporibus aliquando exstituris concludens, dicat, *carnem & sanguinem regnum Dei hæreditare non posse,* de quibus verbis inferius nobis erit agendum. Quare ut ad objectionem propositam redeamus; potuit Apostolus exempla aut similia congerere plura, quorum alia accidentariam tantùm, alia etiam essentialem seu substantialem differentiam inter corpora hæc nostra & futura declararent. Et posteriorem quidem differentiam (nam de priori nullum est dubium) eum declarare voluisse, tum ex occasione & scopo totius illius de ratione corporum futurorum disputationis, tum ex ipsis verbis, quæ in ea disputatione habentur, patet. Nam occasio ejus disputationis pendet ex objectione illorum, qui resurrectionem futuram ideo negabant, quia cùm viderent, corpora hominum post mortem penitùs corrumpi atque interire, putabant, eos corpora, in quibus resurgant, non habituros, atque adeò neutiquam resurgere posse. quæ objectio breviter proponitur ibi: *Sed dicet quispiam* (nempe adversus ea, quæ attulimus hactenus ad ostendendum, mortuos resurrecturos,) *quomodo resurgent mortui, aut quali corpore venient?* Huic objectioni ita respondet Apostolus, ut ostendat, corporum nostrorum corruptionem atque interitum, resurrectioni haudquaquam obstare: cum in illorum locum veluti renasci possint alia, eaq; longè præstantiora. id quod primùm aptissima seminis illustrat similitudine, quo in terram conjecto, atque in ea mortuo & corrupto, aliud longè nobilius ac præstantius nascitur, nempe planta aut stirps aliqua, non nascitura, nisi semen istud priùs fuisset emortuum. In qua similitudine explicanda illis utitur verbis, quæ ad rem, de qua disputat, accommodata, omnino indicant, aliud esse corpus hoc nostrum, quod seminatur, & in hoc mundi agro satum tandem emoritur ac corrumpitur, aliud id, quod resurgit. Inquit enim: *& quod seris, non gignendum corpus seris, sed nudum granum, v. g. tritici, aut cujuspiam alterius rei. Deus verò corpus ei dat, prout libuit, & suum cuique seminum corpus.* Quid clariùs dici potuisset ad ostẽdendum, non hoc ipsum, quod seritur, corpus aliquando resurrecturum, sed aliud, quod nobis Deus sit daturus? nempe quemadmodum non illud idem seminis corpus, quod in terram sparsum & in ea corruptum fuerat, enascitur, sed loco nudi alicujus grani, elegans plantæ aut stirpis corpus exoritur, quod Deus illius loco reponit: ita loco horum nostrorum corporum alia longè nobiliora resurgent. Hinc porrò longiùs progreditur Apostolus, & alia affert exempla, ex quibus pateat, quanta sit diversitas corporum, tum ejusdem generis, ut carni-

1 Cor. 15. 35. & seqq.

℣ 36. & d.

℣ 36, 38.

℣ 39, 40, 41.

De modo, quo Christus piis vitã æternam sit daturus.

um,ut siderum; tum diversi, ut corporum cœlestium ac terrenorum. quæ omnia eò pertinent, ut & tantò magis pateat objectionis ab initio propositæ infirmitas ac vanitas, & simul ad differentiam, inter hæc nostra corpora & futura explicandam,fiat accessus. Nam quod ad prius attinet; si tanta est corporum varietas, tantáque diversitas; quid est, quod prohibeat, quominùs corrupto hoc corpore, aliud in eius locum substituatur? Quod ad posteriùs attinet; quatuor Apostolus in iis,quæ proximè sequuntur, verbis, corporis hujus & futuri exprimit discrimina, quorum primum & ultimum potissimùm ostendunt, illud ab hoc substantiâ ipsâ, non accidentibus tantùm differre. Nam corruptibile & incorruptibile, quæ prima est differentia ab Apostolo constituta, essentiâ differunt, ut præter Philosophum ipsa docet ratio. Quicquid enim corruptibile est, id necessariò substantiæ ipsius ratione corruptibile est: cum corruptio sit ipsius substantiæ interitus. Quare partem aliquam substantialem rei illius, quæ corrumpi possit, primò ac per se corruptibilem esse, &, si res ipsa ex corruptibili incorruptibilis fieri debeat, partem eam tolli, & sic substantiam mutari necesse est. Deinde animale & spirituale, quæ quarta est differentia corporum nostrorum ab Apostolo explicata, non tantùm accidentali, sed essentiali quoque discrimine a se invicem dispescuntur. Spirituale enim corpus partibus terreis ac crassis, quales sunt carnes, ossa,& cæteræ,ex quibus hoc corpus compactum est, non constat: animale constat. Spirituale nutritione non indiget, nec ad generandum aptum est: adeoq; nec animâ vegetativâ, quam vocant, quæ nonnisi nutritionis & generationis caussâ est, ullo modo eget. Animale contrà illud est, quod animâ vegetativâ animatur, ita tamen, ut simul facultati sentiendi aptum præstet & domicilium, & instrumenta. Itaque & nutritione eget, & ad generationem, quamdiu vegetum integrumq; est, aptum est, iisq; constat partibus, quæ utrique huic functioni ita sunt destinatæ, ut nullum alium habeant usum. quam ob causam in incorruptibilibus corporibus, in quibus nullus nutritioni aut generationi locus est, non ampliùs extabunt. quò respiciens Apostolus ita alibi scripsit: *escæ ventri, & venter escis* (nempe destinatus est;) *Deus autem & hunc & illas abolebit.* Quod autem de ventre dicitur, id de reliquis etiam partibus,quæ similem habent usum, deq; iis omnibus, quæ a ventre nutriuntur ac sustentantur, ut pote æquè corruptibilibus,& animalium corporum propriis, dicendum est. Quomodo ergo fieri potest, ut animalium & spiritualium corporum eadem sit substantia? Verba sanè ipsa Apostoli, quibus discrimen

Arist: lib: 10. Metaphys: cap: ult.

1 Cor: 15. 44, 45.

1 Cor: 6, 3.

scrimen

Cap: XXXV. De modo, quo Christus piis vitã æternam sit daturus.

ſcrimen iſtud corporum animalium & ſpiritualium explicat, docent, ſubſtantiale inter illa diſcrimen eſſe. Ait enim: *eſt corpus animale, & eſt corpus ſpirituale. ita etiam ſcriptum eſt: factus eſt primus homo in animam viventem: ultimus Adam in ſpiritum vivificantem.* 1 Cor: 15. 44. 45. Nam cum ex eo demonſtret, eſſe corpus animale, diverſum à ſpirituali, quòd primus homo factus ſit anima, h. e. animal vivens; ſatis oſtendit, omne animal vivens habere corpus animale; quemadmodum etiam res ipſa indicat. quare ſi quis animale corpus non ampliùs habeat, ſed id cum ſpirituali commutârit, quod piis in reſurrectione continget, neceſſe eſt eum non ampliùs eſſe animal. At animal non poteſt deſinere eſſe animal, niſi parte aliqua ſubſtantiali ſublatâ, atque in aliud quippiam mutatâ. Quòd ſi ergo mutatio illa fiat ratione corporis, ſubſtantiam corporis mutari neceſſe eſt. Præterea Chriſtum ipſum ratione corporis glorioſi, quod adeptus ſit, ſpiritum factum eſſe aſſerit. Spiritus autem ſubſtantiâ differt à corpore hoc craſſo, quod nunc gerimus. Vivificantem autem ſpiritum evaſiſſe ideo dicit, non quia alios vivificet; ſed quia ſufficientem vitæ cauſam, ſeu perennem quendam vitæ fontem in ſeipſo contineat; ſecùs quàm in corporibus animalib⁹ accidit, quorum vita aliunde magna ex parte pendet, & alimentis ita eget, ut iis ſubtractis, naturaliter eam extingui ſit neceſſe. Accedit huc differentia corporum iſtorum ratione materiæ, ex qua deſumta ſunt. Hæc enim noſtra corpora ex terra ſunt, adeóq; terreſtria: futura verò illa ex cœlo erunt, adeóq; cœleſtia. id quod Apoſtolus his verbis exprimit: *primus homo ex terra terrenus: ſecundus homo, Dominus, ex cœlo* (ſcil: eſt.) *qualis terrenus, tales etiam terreni: & qualis cœleſtis, tales etiam cœleſtes. & quemadmodum portavimus imaginem terreni, portabimus etiam imaginem cœleſtis.* & in ſecunda ad eosdem Corinthios Epiſtola in eandem ſententiam ita ſcribit: *ſcimus, quòd cùm terrena noſtra domus tabernaculi diſſolvetur, ædificium ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam, in cœlis. Etenim in hoc ſuſpiramus, habitaculo noſtro, quod ex cœlo, indui cupientes.* Quemadmodum enim in priori loco dicitur, ſecundum hominem, nempe Dominum Ieſum Chriſtum, ex cœlo eſſe, intellige ratione corporis ſui glorioſi, cuius imaginem aliquando geſturi ſumus: (opponitur enim illud *ex cœlo*, iſti, quod de primo homine dictum fuerat, *ex terra*, & utrobiq; de materia corporis agitur:) ita in poſteriori etiam loco de corpore noſtro, quo aliquando induemur, dicitur, id ex cœlo eſſe ſeu fore, idq; terrenæ domui, ſeu corpori huic noſtro ex terra ſumto, opponitur. Vnde quivis cernere poteſt, ſubſtantiam

corporum

corporum istorum longè fore diversam; cum tam diversa sit materia. Denique id totum, quod hucusque docuimus, clarissimè Apostolus in priori illo loco comprobat, cùm ita hanc de corporibus nostris, quæ aliquando habituri simus, tractationem concludit:
ỹ 50. *Hoc autem dico, fratres, quia* (vel *quòd*) *caro & sanguis regnum Dei hæreditare non possunt; neque corruptio incorruptibilitatem hæreditat.* Si caro & sanguis regnum Dei hæreditare non possunt; quomodo corpora hæc nostra, quorum substantia carne & sanguine constat, eadem erunt ratione substantiæ cum illis, in quibus regni illius hæreditatem sumus adituri? Quòd verò nonnulli per *carnem & sanguinem* homines carni deditos ac cupiditatibus corporis mancipatos intelligi hoc loco putant, in eo mirum quantopere fallantur. cum hoc loco Paulo nequaquam propositum sit explicare, quibus moribus eos esse præditos oporteat, qui regni divini hæreditatem sint adituri; sed quibus corporibus eos cingi oporteat, ut ipsa Apostoli verba cum superioribus, quibus ea annectit, collata apertissimè docent. Docent idem ea ipsa verba, quæ præcedentium explicandorum, & aliqua ratione confirmandorum gratiâ adjecit: *neque corruptio incorruptibilitatẽ hæreditat*: q.d. ideo affirmavi, carnem & sanguinem non posse hæreditare regnum Dei, quia suâ naturâ corruptibilia sunt: (*corruptio* enim pro re corruptibili ponitur, abstractum nempe pro concreto, ut alibi sæpissimè accidit) at regnum Dei in incorruptibilitate consistit, seu mavis, eã in se complectitur. Quare caro & sanguis regnum illud hæreditare nequaquam possunt. Carnem autem & sanguinem, totumq; adeò corpus nostrum naturâ suâ corruptibile esse, quamquam per se cernere quivis potest, docuimus tamen suprà, cum de primi hominis statu ante lapsum disseruimus; ex quo ipso etiam patere potest, materiam substantiamq; corporis nostri, si incoruptibile fieri debeat, mutandam esse. sup. cap: 11.

Hinc porrò illud cernere licet, quantopere fallantur illi, qui Dominum Iesum in ipsa resurrectione glorioso corpore circumdatum fuisse asserunt. Nam si per omnes illas differentias ire placeat, quas Apostolus inter hæc nostra, & gloriosa illa corpora constituit; omnium istorum, quæ gloriosis corporibus tribuuntur, contraria, in illo Christi corpore, in quo resurrexit, reperies. Nam, ut ab ultimo incipiamus, corpus illud Christi carne & sanguine, quæ regnum Dei hæreditare non posse dicit Apostolus, constitit. Idem etiam terrenum fuit, seu ex terrea materia concretum, non ex cœlo, neq; adeò cœleste. Idem animale fuit, non spirituale: unde ipse Christus, se spiritum

se Spiritum esse negavit; quia Spiritus carnem & ossa non habeat, ut ipse habebat; nec minùs Christus tum temporis anima vivens, seu animal vivum fuit, quàm vel ipse fuerat antea, vel Adamus ab initio. Infirmitatis autem illius, quam Apostolus corporibus his nostris tribuit, itemq; indecori, & corruptibilitatis naturalis indicia præbent, tum ea ipsa, quæ hactenus de corpore illo diximus, tum escæ, quibus tunc usus est, tum vulnera, tum denique illa, quæ τὰ ἀτιμότερα & ἀσχήμονα seu indecora corporis vocat Apostolus, quibus plus honoris decorisvé circumponi ait. Itaque errorem errore cumulant, dum ex eo, quòd Christus glorioso circumdatus corpore resurrexerit, & nihilominus tamen corpore illo carneo fuerit præditus, concludunt, nostra quoque corpora gloriosa fore carnea. Contrà enim fieri debebat, & ex eo, quòd gloriosa illa corpora, in quibus regnum Dei hæreditabimus, carne & sangvine constare nequeant, corpus autem illud Christi, in quo resurrexit, carne & sanguine constiterit, concludendum erat, illud corpus gloriosum non fuisse. Nam corpus istud Christi fuisse gloriosum nuspiam dicunt sacræ literæ: at id, unde contrarium nos colligimus, apertè scribitur. Itaque hoc potiùs pro fundamento disputationis hujus collocandum est, non illud: & non ex illo de hoc judicandum, sed ex hoc de illo. Sed instant illi, resurrectionem Christi typum quendam atque exemplar fuisse resurrectionis nostræ. Quare quemadmodum Christus in corpore carneo resurrexit: ita & nos in carneis his corporibus resurrecturos. Verùm animadvertere debebant, resurrectionem quidem Christi esse typum & exemplar nostræ; sed non ratione omnium circumstantiarum, quæ in ea reperiuntur. Exemplar est eatenus, quatenus, ut Christus resurrexit, ita etiam nos resurgemus: &, quemadmodum ille resurrexit non ampliùs moriturus, ita & nos: imò etiam, quemadmodum ille per resurrectionem, seu resurrectione interveniente, incorruptibile corpus est adeptus, ita & nos: sed ratione temporis, quo vel resurrexit, vel immortalis evasit, non exigua est inter nos & illum differentia: quemadmodum & in eo, quòd ipsius corpus tunc adhuc extitit incorruptum; nostra verò corpora, generatim loquendo, non ampliùs extabunt, sed in mille formas interea mutabuntur, poteritque nonnullorum materia, vel ex parte, vel tota, transire in alia vel animantium cæterarum, vel hominum corpora. Diversitatis autem illius hæc est ratio: quia Christus non statim post resurrectionem in cœlum, in quo nemo nisi incorruptibilis habitare potest, ascendit, sed per quadraginta dies in terris commoratus est; ideoq;

De modo quo Christus piis vitã æternam sit daturus.
Luc: 24. 39.
Luc: 24. 40, & d.
Ioh: 20. 20, 27.
Act: 10. 41.
1 Cor: 12, 23.
Act: 1 3.

De modo quo Christus piis vitã æternam daturus sit.

deoq; nil fuit necesse, ut incorruptibili corpore statim indueretur, & caro ac sanguis esse desineret; imò necesse erat id non fieri, ut a discipulis suis, qui resurrectionis ipsius testes fieri debebant, agnosci certò posset, quemadmodum suprà de resurrectione ipsius disserentes ostendimus. At nos post resurrectionem ad Dominum atque in cœleste illud domicilium statim migrabimus; nec quicquam erit opus, ut a quopiam interea cognoscatur, nos illos ipsos esse nominatim, qui fuimus antea. Ideoq; in ipsa statim resurrectione incorruptibiles evademus.

cap: 19.
1 Thess: 4. 17.
1 Cor: 15. 42, & d. & ỳ 51, 52.

Objicitur nobis tandem, quomodo fieri possit, ut nos, qui hanc nostram vitam cum pietate traducimus, illius sempiternæ vitæ præmium accipiamus; cum his nostris corporibus sublatis, aliisque in illorum locum substitutis, nequaquam iidem futuri simus, sed alii; ideoque quicquid corporibus illis tunc eveniet, nihil ad nos pertinere videatur. Hîc respondemus, ut iidem tunc simus, non necesse esse hoc nostrum manere corpus; sed satis esse, illam humanæ substantiæ partem salvam integramque relinqui, ex qua hominis essentia propriè pendet; quæ certè non corpus est; cum corpus non id sit, quod nos sumus, sed quoddam potiùs domicilium nostrum, in quo ad breve temporis curriculum commorari nobis necessum est. Illud autem in quo essentia nostra propriè consistit, spiritus noster est, qui, ut ex Salomone suprà docuimus, ad Deum revertitur, in cujus manus Dominus Iesus spiritum suum commendavit: quo pacto & Stephanus Christo suum tradidit spiritum; idque ideò, ut Deus Christo, Christus verò Stephano, suo tempore eundem spiritum restitueret. Hic, inquam, spiritus est id, quod nos propriè sumus. Vnde Petrus ait, se esse in hoc tabernaculo, h.e. corpore, & se hoc tabernaculum depositurum: & Paulus similiter, sese unà cum aliis Christianis in hoc tabernaculo, quod illorum corpus est, gemere ait, domicilium suum cœleste induere cupientem. Vbi videmus, Paulum non minùs, quàm Petrum, manifestò inter seipsum aliosque Christianos, & tabernaculum, in quo vivant gemantq;, distinguere: & cum nonnisi ipsorum spiritus in corpore habitet, ab eoq; discriminari hac, quâ diximus, ratione possit; sequitur, Paulum, cùm se cæterosque Christianos in hoc terrestri tabernaculo degere asserit, spiritum suum ipsorumque innuere; qui cum æternus sit, & sic, dum in corpore versatur, nequaquam suæ naturæ consentaneo domicilio, utpote fragili, & mox interituro, utatur; fit ut gemat, ejusmodi corpus sibi dari cupiens, quod perpetuò animare vegetareque possit, quodque ab omni dolorum ac cruciatuum perpessione

Eccles: 12. 7.
vid: sup. c. 12.
Luc: 23. 46.
Act: 7. 59.
2 Pet: 1. 13, 14.
2 Cor: 5. 2, 4.

sione sit immune, quale nonnisi cœleste est ac spirituale.

Cap: XXXVI. Cur Christus omnibus sibi subjectis, regnum Patri sit traditurus.

Cap: XXXVI.

Cur Christus, omnibus sibi subjectis, regnum hoc suum Patri sit traditurus.

IAm igitur ad judicandum haud difficile fuerit, cur Christus, omnibus istis reipsa sibi subjectis, regnum illud, de quo hucusque loquuti sumus, Deo ac Patri sit traditurus. Cum enim is Christi regni scopus terminusque sit, ut fidem spemque nostram foveat, & tandem in sempiterna felicitate nos constituat, utque ad eum scopum consequendum, omnia, quæ salutis nostræ cursum impedire possint, & cohibeat, & tandem prorsus exterminet; veluti sunt impiorum flagitiosissimi conatus; principum eorum, qui Christianos oppugnant, diabolique immanitas; corporum nostrorum summa imbecillitas; mortis denique violentia: consequens certè est, cum sapientissimus ille Pater nihil frustra faciat atque constituat, ut omnibus his peractis, Christus istam muneris illius functionem deponat. Id quod luculentissimis verbis Apostolus exprimens, hunc in modum loquitur: *Deinde erit finis, cùm tradiderit regnum Deo ac Patri, cùm aboleverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Nam oportet illum regnare, donec omnes hostes sub pedes ejus* (vel *suos*) *subjecerit. ultimus hostis delebitur mors.* Et paucis interjectis inquit: *cùm autem illi subjecta fuerint omnia, tunc & ipse Filius subjicietur illi, qui ipsi subjecit omnia, ut Deus sit omnia in omnibus.* Quæ omnia Apostoli verba hanc continent sententiam: quando omnia, quibus salutis nostræ continetur ratio, ad exitum perducentur; tūc & Christi regnum, in quo illorum perficiendorum causâ collocatus erat, suo termino concludetur. Illud autem tunc futurum est, cùm Diabolo, morte, omnibusque nobis adversantibus seculi hujus principibus prostratis, fusis atque deletis, in sempiternam nos vitam deduxerit. Tunc enim nec fragilitas nostra, utpote exterminata, nec ullus inimicorum nostrorum nobis impedimento futurus est, quominùs sempiterna felicitate perfruamur. Quapropter meritò Christus regnum suum Patri tunc tradet, ut Deus sit omnia in omnibus, h. e., ipsemet omnia disponat, ac gubernet, nec per alium, ut hactenus, sed per ipsum omnes regat.

vid: sup: c. 33.

1 Cor: 15. 24, 25, 26.

℣ 28.

Hîc verò illa Angeli verba objicies, quibus Christum super domum Iacob in æternum regnaturum, & regni ejus nullum finem futurum doceamur. Verùm hæc non tam nobis opponuntur, quàm ipsi Apostolo divini spiritus impulsu sic loquenti. Cum autem Dei

Luc: 1. 33.

Spiritum

De Christi Sacerdotio.

Spiritum mendacii aut contradictionis insimulare nefas sit; necesse est, ut Angeli verba ad subjectam materiam referantur, Christiq; regnum, omni excluso successore, tam diu duraturum esse intelligamus, dum domus Iacobi, id est, divinus populus, in terris extiterit, taliq; rege, qui eum defendat, foveat, servet, indiguerit. Usitatissimum autem esse divinis scriptoribus, æternitatis vocem ad rem, de qua agitur restringere, tum ex multis Sanctæ scripturæ locis perspicuum est, tum maximè in Salomonis Davidisq; testimoniis intelligitur, quorum ille terram in æternum stare dicit, nimirum rei in eadem complexione verborum commemoratæ ratione habita, dum videlicet nationi seu generationi hominum intereunti alia successura est: hic verò sese Dominum in æternum, id est, cunctis vitæ suæ diebus, laudaturum asserit. Quid, quod Christus per eandem dicendi figuram, Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedeci, futurus esse perhibetur. Quibus verbis, sive ad ipsum Melchisedeci ordinem, sive ad scopum Christi sacerdotii respicias, nequaquam absolutam illam, omnisq; sive principii sive finis expertem æternitatem significari comperies. Neque enim Melchisedeci sacerdotium simpliciter æternum fuit. Scopus autem seu finis istius Christi muneris, nonnisi salutis nostræ procuratio est, quâ peractâ & ad exitum perductâ, sacerdotio isti ampliùs locum minimè fore, quis non animadvertit? Manifestum igitur est, eam verborum istorum mentem sententiamq; esse, ut Christum perpetuò, dum quidem salutis nostræ ratio id requiret, sacerdotis officio functurum esse intelligatur.

Eccles: 1. 4.

Psal: 52. 10, 11. Psal: 110. 4. Heb: 5. 6. & 6. 20. & 7. 17. 21.

Cap. XXXVII.

De Christi sacerdotio.

IAm ut de Pontificio Christi munere explicemus; primo loco animadvertendum nobis est, illud ab ejusdem officio regio, si in rem ipsam mentem intendas, non multùm differre. Cum divinus spiritus figurato hoc analogicoq; dicendi genere, quo pacto Christus regni sui functionem administret, ante oculos nostros constituere potissimùm voluerit, nobisq; ostendere, illum non solùm salutem nostram procurare posse, sed etiam nos juvare velle, & porrò id omnino facere, in eoq; totum esse, ut peccata nostra penitus expiet, h.e. tum ab ipsis peccatis, tum verò præcipuè ab eorum reatu ac pœna nos liberet. Quod quidem quo pateat apertiùs; tum eas hujus muneris partes, quæ ad nostrum institutum maximè pertinent, tum (idque simul & eâdem operâ) qua ratione partim Christi regno,

regno, partim sacrificiis illis legalibus eædem respondeant, perpendamus. Partes igitur hujus muneris nostro instituto servientes, tres potissimùm sunt, mactatio victimæ, in tabernaculum ad oblationem peragendam ingressio, & ex eodem egressio. Ac mactatio quidem mortem Christi violentam sanguinisq; profusionem continet: quæ quidem ad Christi regnum ea ratione spectat, quatenus ob causas suprà expositas, nonnisi illa interveniente, ad tantam dignitatis altitudinem perductus est. Sacrificio verò legis illi anniversario, de quo solo hoc in loco agimus, ita respondet, ut quemadmodum summus ille Pontifex semel in anno illud conficiens, absque sanguine, & sic absque pecudis jugulatione, tabernaculum illud terrestre minimè ingredi potuit: ita ex singularissimo Dei decreto, nec Christo in cœleste hoc tabernaculum introitus patuisset, nisi priùs, multis antegressis perpessionibus, atrocissimam mortem subiisset, sanguinemque suum profudisset. Qua tamen in re hic noster ab illo Legis Pontifice eatenus longè distat, quatenus ille per sanguinem alienum, utpote hircorum & vitulorum; Christus verò per proprii sanguinis fusionem tabernaculum suum ingressus est, & ideo majorem ad peccata nostra expianda vim habet Christi, quàm legalis illius pontificis oblatio. Illud quoque inter hunc nostrum, illumq; Legis sacerdotem interest, quòd ille etiam antequam pecora mactaret, Sacerdotis summi munus verè perfecteq; obtinebat: Christus verò, nonnisi acerbissima illius morte antegressa, sacerdos summus verè ac perfectè fieri potuit. Hinc colligitur, solam Christi mortem, nequaquam illam perfectam absolutamq; ipsius oblationem, de qua in Epist. ad Heb. agitur, fuisse, ut multi existimant: sed quemadmodum ad ipsius regnum viam quandam ei aperiebat, ideoq; nondum planè regnare tunc, cùm mortem pateretur, dici potuit: ita cum illius sacerdotium idem ferè reipsa sit, quod ejusdem regnum, eandem mortem principium seu præparationem quandam istius sacerdotii in cœlo demum administrandi extitisse. Id quod ita se habere multis aliis argumentis, ex divinissimo illo autore petitis demonstrari potest. De quibus nos ista in medium attulisse satis habebimus: Primò hujusmodi nobis sacerdote opus fuisse Autor ille docet, qui fidelis, qui misericors, qui in ferendis malis atque ærumnis exercitatus, & porrò qui ipsam quoque mortem expertus esset; ut cùm eadem perpetiendo illius vestigiis insistendum nobis fuerit, nostris calamitatibus tangi, nobisq; auxiliari posset. Vnde apparet, Christo, ut sacerdos fieret, omnia ista prægustanda fuisse: & sic antequam prægustaret: eum in Pōtificem

De Christi Sacerdotio.

sup: c. 18.

Heb: 9. 7.

Heb: 9. 12.

Heb: 2. 17. & 4. 15.

De Christi Sacerdotio.

verè ac perfectè nō evasisse. Deinde ut hoc sacerdotis officio ritè præponeretur Christus, non satis erat eum in homines esse misericordem, nisi insuper tanta illius esset potestas, quanta ad homines miseriis oppressos, divinissima ope sublevandos, pestemq; æternam ab illorum capitibus propulsandam opus est; cumq; omnis ad hanc rem in cœlo terraq; potestas requiratur; consequens est, Christum, antequam in cœlum ascenderet, tantumq; rerum omnium dominatum consequeretur, summum sacerdotem nostrum nondum perfectè fuisse: cum, ut rectissimè ab eodem Autore dicitur, is pon-
Heb: 8. 1. tifex noster sit, qui consedit ad dexteram throni majestatis illius cœlestis, id est, qui in cœlis existens, omnia tum cœlestia, tum terrestria, summo post Deum imperio complectitur. Adde, quòd corpus mortale, quo Christus ante mortem, imò ante suum in cœlum ascensum præditus erat, ad hoc sacerdotium obeundum, & sacrificium penitus absolvendum, aptum non fuit; ideoq; tunc demum corpus huic rei accommodatum perfectum ei fuisse, divinus autor
Heb: 10. 5. indicat, cùm in mundum, nempe futurum illum, qui cœlum est, ingrederetur. Huc etiam illud spectat, quòd idem Autor aper-
Heb: 8. 4, 5. tissimè hunc nostrum Pontificem ab illis, qui in terris eo munere fungebantur, distinguit; ut nimirum eum cœlestem, exq; terrenorum sacerdotum numero exemptum Sacerdotem esse doceat; planeq; confirmet, ad ipsius sacerdotium constituendum necesse fuisse, ut in cœlis existeret, alioqui sacerdos non futurus. Illud etiam haud leve argumentum hujus rei est, quòd, ut Autor est Spiritus Sanctus, Christus sibi nequaquam vindicavit eum honorem, ut fieret Pontifex, sed is, qui eum in tam alto dignitatis gradu colloca-
Heb: 5. 5. 6. vit, qui sic eum allocutus est: *Tu meus es filius, ego hodie genui te.* Hoc autem tum demum factum fuisse, cùm eum Deus à mortuis
Act: 13. 33, 34. Rom: 1. 4. excitatum, Dominum & Christum constituit, Paulus Apostolus luculentissimè testatur. Manifestissimum igitur est, Christi sacrificium expiatorium non in crucis morte peractum fuisse, sed in cœlesti
Ephes: 5. 2. tabernaculo administrari. Quòd verò Paulus asserit, *Christum seipsum tradidisse pro nobis, oblationem & hostiam Deo, in odorem suavitatis*, id huic veritati nihil quicquam repugnat: cum nos hoc in loco de eo sacrificiorum genere orationem habeamus, quod ad hominum scelera expianda adhibetur, ideoq; expiatorium vulgò nominatur. Paulus verò ad sacrificia pacifica voluntariaq; respicit, ac non de oblatione corporis Christi Deo facta, sed de oblatione præclari facinoris loquitur. Victima nempe fuit & oblatio Deo suavissima, quòd Christus ingenti amore nostri impulsus, mortem truculen-

culen-

culentissimam salutis nostræ sempiternç caussâ oppetere non dubitavit. Neque verò, ut nonnulli videntur existimasse, Apostolus dicit, Christum seipsum tradidisse pro nobis Deo: sed traditionem hanc sui ipsius, nempe in mortem, fuisse oblationem atque hostiam Deo; quæ verba superioribus, ad facti huius præstantiam amplificandam, adjecta sunt. Simili modo idem Apostolus de beneficentia atq; eleemosyna Philippensium loquitur, Phil:4.18. *Habeo,* inquit, *omnia, & repletus sum, acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis, in odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.*

Cap: XXXVIII.

De ingressu Christi in tabernaculum.

Cap: XXXVIII De ingressu Christi in tabernaculum.

VEniamus nunc ad alterã hujus muneris partem, nempe ingressionem in tabernaculum, oblationis perficiendç caussâ factam. Id autẽ tabernaculum, quatenus de Christi agimus sacerdotio, cœlũ illud est, in quo ipse Deus habitat. Quæ quidem res Christi regno ita respondet, ut per hanc ingressionem, perq; omnia, quæ a Christo in cœlesti tabernaculo geruntur, nihil aliud propriè loquendo declaretur, quàm Christum in cœlum ascendisse, ibiq; omni potestate summoq; in omnes res imperio donatum, populum suum moderari, tueri, divinis assiduò muneribus afficere, omniaq; facere, quæ ad illos in cœlesti hæreditate collocandos valent; & sic ab omnibus tum temporariis, tum æternis malis liberare, quibus in homines, quos scelerum minimè pœnitet, vindicatur. Quæ omnia, quatenus ad vetusta illa sacrificia accommodantur, in tabernaculum ingressio, sui ipsius oblatio, coram Deo apparitio, peccatorum expiatio, purgatio, portatio, denique interpellatio pro nobis appellantur. Quod ut rectiùs intelligatur, animadvertendum est, hunc nostrum Pontificem cum legalibus illis Pontificibus, eorumque oblationibus ita comparari, ut non solùm magna rerum paulò antè enumeratarum inter illos sit similitudo; sed etiam ut illi ab hoc nostro iisdem actionibus longè multumq; superentur. Quorum utrumque tum in tabernaculi ingressione, tum in muneris ibidem administratione perspicuè cernitur. Ac in tabernaculi quidem ratione dupliciter hoc apparet. Primò enim utriq; quidem tabernaculum ingressi sunt, hacq; re inter se sunt similes: hoc tamen antiqui pontifices a nostro vincuntur, quòd illi in terrestre manuq; factum tabernaculum intrabãt: hic verò in tabernaculum cœleste, nullaq; humana ope, sed ab ipso Deo ædificatum introivit. Quorum hoc & verum, & perfectius majusq; tabernaculum, a divino autore

Heb:8.1,2,3,4. & 9.11,24.

De ingressu Christi in tabernaculum.

autore dicitur, ut illud umbratile, parvum, atque imperfectum fuisse, & sic Christum, ut omnibus illis sacerdotibus multò præstantior absolutiorq; pontifex est, ita non terrestrium atque temporariorum, sed cœlestium atq; sempiternorum bonorum procuratorem esse, intelligamus. Deinde hæc in utrisque convenientia est, quòd tam Christus summus Pontifex noster, quàm ille antiquus, semel in tabernaculum ingressus est. Quanquam rursum hac in re Christus legali pontifici antecellit: cum hic semel in anno istud fecerit, quod ab eodem autore, per quandam dicendi figuram, quotidie, id est, certo quotannis die, factum dicitur, respectu nimirum habito ad unicam Christi oblationem. Christus quippe ita semel tabernaculum cœleste ingressus est, ut ibi perpetuò usque ad mundi conflagrationem futurus sit. Quæ quidem res tum illum antiquum pontificem, tum ejusdem sacrificium, magnæ coarguit imperfectionis: cum ideo tabernaculum sæpiùs ingredi cogeretur, quòd non nisi unius anni præcedentis delicta anniversario illo sacrificio expiarentur, nec homines eius vi a delictis in posterum avocarentur. Quare ut ii nihilominus a peccatorũ pœnis liberarentur, Pontificem quotannis tabernaculum ingredi, & sacrificium repetere necesse fuit. At Christus unica oblatione omnes, qui unquam expiandi sunt, homines, omniaq; eorum peccata ità purgavit, ut eos simul a peccatis abstraheret, & ad pietatem in posterum summo studio colendam adduceret, ut idem divinus autor literis prodidit, & nos paulò inferiùs ostendemus.

Hebr: 9. 7, 25, 26, 28.

Heb: 7. 27. & 10. ℣ 11.

Vt porrò ea, quæ in tabernaculo Christus salutis nostræ constituendæ causâ perficiat, animadvertamus; primò illud occurrit, quòd seipsum pro nobis in cœlo offert, vel quod idem reipsa est, pro nobis coram Deo astat, seu apparet, atque interpellat, cœlestisq; sacrarii est administrator. Quæ omnia verba ad Christi regnum translata sunt per similitudinem, ab illorum pontificum officio ductam, quod erat, omnia modò enumerata in terrestri illo sanctuario propriè vereq; perficere. Ad Christum verò figurato orationis genere ista omnia transferri ex eo perspicitur, quòd qui verè proprieq; interpellat, eumq; in finem coram quopiam astat, is hoc ipso indicat, se susceptæ rei perficiendæ potestatem minimè habere: sed necesse esse, ut eam ab illo, qui largiri potest, impetret. ut quidem in legalibus pontificibus cernere licet, qui ut populi causam apud Deum feliciter peragere possent, Deo supplices comparebant. Hoc autem in Christum minimè convenire hinc colligitur, quòd is, simul ac cœlum ingressus est, omnem nostri juvandi po-

Heb: 7. 27. & 9. 24.
Rom: 8. 34.
1 Ioh: 2. 1.
Hebr: 7. 25. & 8. ℣ 1.

De ingressu Christi in tabernaculum.

di potestatem perpetuò sibi inhærentem adeptus est, & ideò nequaquam habet necesse, quoties in nos aliquod beneficium conferre constituit, rei ejus facultatem exorare. Ex quo consequitur, istam interpellationem minimè Christo propriè assignari, nisi veracissimum Dei spiritum sibi ipsi turpissimè contradicere volumus, idq; tum in diversis sanctarum literarum locis, tum in eodem verborum contextu: ut quidem apud Paulum evenire necesse foret, qui & sessionem a dextris Dei, id est, plenissimum in omnes res imperium, & pro nobis interpellationem, eadem oratione comprehendit. Ex quo fit, ut aut in omni potestate Christo data atque concessa figuratus loquendi modus sit cogitandus, aut in interpellationis supplicationisq; munere. Atqui illud fieri nequaquam potest, cum sic nec Iesus ille Christus, seu populi divini rex, nec porrò adorandus esset, nec invocari posset. Itaque consequens est, hoc posterius, nimirum interpellationem, nequaquam propriè, sed per translationẽ quandam Christo tribui, nihilq; revera aliud ejusmodi loquendi formis significari, quàm Christum divinitùs sibi concessâ potentiâ omnia, quæ ad salutis nostræ rationem pertinent, summo studio perficere. Qua quidem in re cum ex Patre totus pendeat, & ideo hac ex parte legali pontifici similis sit; effectum est, ut ad hanc inter illos similitudinem indicandam, hę legalium sacerdotum functiones, a divinis autoribus argutè admodum atque eleganter ei accommodarentur, & ita summa Dei Patris autoritas atque prærogatiua salva intactaq; maneret, Christumq; nostri gubernandi, ac salutis nostræ procurandæ potestatem, nequaquam à seipso, sed à Patre habere, clarissimè pateret. Quæ quidem rei istius explicatio eò etiam confirmatior est, quòd cum omnibus Apostolis nihil antiquius fuerit, quàm summam Christi præstantiam, summa cum fidelitate summâq; diligentiâ describere, unus Epistolæ ad Hebręos autor Sacerdotis illi titulum assignat, sacerdotumq; more eum salutis nostræ procurationem habere asserit. Neque enim credibile est, eos, si Christus propriè sacerdotis personam sustineret, tantam rem tanto silentio involuturos fuisse. Quare manifestum est, apud hunc autorem, qui figurato orationis genere valde delectatur, sacerdotis officio fungi illud esse, quod alii divini scriptores, Christum nobis adesse, locum nobis in cœlo parare, Ecclesiam suam alere ac fovere, ab ira denique nos defendere dicunt. In hoc genere & illud est, quòd Christus à Iohanne advocatus noster apud Patrem appellatur; quia nimirum in causa nostra apud Patrem tuenda atque promovenda, id est, in nobis ea potestate, quam a Patre accepit, a divino

Rom: 8. 34.

Matth: 18. 20. & 28. 20. 1 Thess: 1. 10. Iohan: 14. 2. Ephes: 5. 29. Rom: 5. 9. 1. Iohan: 2. 1, 2.

De ingressu Christi in tabernaculum.

divino supplicio liberandis, summam diligentiam fidemque præstat. Vt enim advocato, ne reus causâ cadat, aut crimine condemnetur, propositum est: ita Christus id unicè agit, ut nos ab omnibus suppliciis, quæ Deus de hominibus sceleratis & jam sumit, & olim sumpturus est, quæ nos ipsi quoque meritò proferremus, tutos liberosq; reddat. Atque in eandem sententiam mox idem Apostolus subjungens asserit, Christum esse propitiationem pro peccatis nostris, hoc est, peccata nostra expiare, eorumq; reatum delere, ac potestate, quam a Patre accepit, perficere, ut nos peccatorum nostrorum pœnas effugiamus.

His ita constitutis, non magno negotio reliqua vocabula, quibus muneris hujus functio explicatur, intelligi poterunt; veluti sunt, Peccata expiare, purgare, atque portare. Non alienum tamen fuerit, rem istam paulò diligentiùs enodare, & simul ostendere, quo pacto Christus in his perficiendis antiquis illis sacerdotibus aut sacrificiis respondeat. Primò igitur expiare, mundare, atque portare peccata, significat peccata eorumq; reatum ac pœnam tollere, aut, ut tollatur, curare atq; efficere. Id autem fit, cum peccata quodammodò teguntur atq; occultantur, quemadmodum indicat verbum Caphar, quo expiatio apud Hebręos exprimitur. Ejus enim prima maximeque propria significatio est Tegere & Operire, vel Oblinere seu oblinendo obturare. unde per translationem expiandi reatumque peccatorum auferendi significationem adeptum est; nempe quia eatenus peccata expiari atque auferri solent, quatenus quodammodo teguntur. Vnde David eos in beatis numerat, quorum sunt tectæ iniquitates. (Psal: 32. 1.) Quemadmodum autem in aliis verbis, apud Hebræos præsertim, accidit, ut licèt propriè ipsam rei effectionem significent, nonnunquam tamen rei declarationem tantùm designent: ita etiam in verbis Expiandi, Mundandi, Portandi peccata, cum ad sacerdotem accommodantur, accidit. Quare peccatorum expiatio, mundatio, aut portatio seu ablatio, nunc declarationem tantùm expiationis atque ablationis significat; nunc expiationem atque ablationem, quæ reipsa fiat. Prioris significationis verborum istorum, (nam de posteriori nemo dubitat) exempla habes in Levitico, ubi id non semel a Vatablo notatum animadvertes. (Levit. 5. 10, & 16. c. 6. 6 (7.) 15. 15, 29 (30:) 16. 30. cap: 12 7: 13. 6, 13 & d. 14. 2, & d. cap: 10, 17.) In utraque autem re inter Christum ejusque sacrificium, & inter pontificem legalem ejusque sacrificia, intercedit similitudo. Nam ad priorem expiationis significationem quod attinet; ea illorum sacrificiorum erat ratio, ut iis ritè peractis, populo de peccatorum condonatione persvasissimum esset: non quòd sacrificia illa in se tantæ rei perficiendæ vim

Cap: XXXVIII De ingressu Christi in tabernaculum.

endæ vim continerent; sed quòd singulari Dei decreto fiebat, ut sacrificiorum cerimoniâ ex illius præscriptione confectâ, nullus de supplicii remissione dubitandi locus relinqueretur. Similis, vel potiùs longè major Dei clementia, in Christi elucet sacrificio, quod a truculenta illius morte principium ducens, nunc in cœlesti tabernaculo ritè peragitur, nosque in scelerum nostrorum remissionis, & porrò cœlestis patrimonii consequendi exploratissimam spem adducit. In Christi enim morte, quæ, ut dixi, hujus sacrificii initium est, incredibilem Dei, ut & Christi ipsius, erga nos amorem perspicimus: in hoc Pontifice nostro summam misericordiam, ex tot perpessionibus ipsaque mortis atrocitate contractam, & summum ejus in nobis servandis studium videmus: in ejusdem gloriæ amplitudine, non modò ejus, quod speramus, boni specimen cernimus, sed etiam summam nostri in æternum conservandi potestatem intuemur. Fierine igitur potest, ut de absolutissima peccatorum nostrorum expiatione dubitare nobis in mentem veniat? Vt enim jam ad alterum expiationis significatum, nimirum ad expiationem, quę reipsa fiat, veniamus; quis non animadvertat, magnam etiam hac in re, inter hunc nostrum illumq; veterem pontificem, similitudinem esse, quòd quemadmodum omnibus, quæ ad sacra illa conficienda pertinebant, ex divino instituto peractis, peccatorum expiatio, i. e. a peccatorum pœnis liberatio, omnino consequebatur: ita Christus, postquam ex mortuis excitatus in cœlum ingressus est, statim & ipse in vitæ æternæ possessione collocatus, & nos a mortis vinculis emittendi, sempiternaque felicitate donandi, summam potestatem adeptus est. Vnde consequitur, mortem, quæ peccati pœna est, nullum in nobis habere dominatum, sed nos a morte in vitam beatasque illas sedes migraturos: ut rectissimè ab Apostolo dicatur, nos unà cum Christo in cœlesti domicilio esse collocatos. Ephes. 2. 6.

Ex dictis autem haud difficile fuerit colligere, Christi sacrificium illis legalibus ita respondere, ut insuper ea longissimè superet; idque tum expiationis declaratione, tum ejusdem effectu. Illæ namque oblationes utrumque quidem præstabant, sed non propria vi, ut suprà monuimus; verùm sola Dei constitutione. Quid enim vel mactatio, vel oblatio victimæ, suâ naturâ cum remissione peccatorum commune habet? At Christi oblatio, præter divinum institutum, magnam in utroque efficacitatem habet. Ipse enim cœlos penetravit, & sese Deo pro nobis obtulit ab omni macula purissimum, atque in dextra throni Dei consedit. Quare non solùm ipse in cœlesti domicilio habitans, ab omni infirmitatis & mortalitatis

Heb: 9. 14. 7. 26: 8. 1.

De ingressu Christi in tabernaculum.

contagione segregatus est, sed etiam aliis ejusdem felicitatis largiendæ potestatem habet: adeoq; non tantùm spem nobis facit tanti boni, in quo remissio peccatorum nostrorum continetur, adipiscendi; verùm etiam id reipsa nobis daturus est. Ex quo consequitur, etiam hac re Christi sacrificium priscis illis antecellere, quòd, cùm illa a scelerum reatu seu supplicio tutos redderent homines; ab ipsis tamen sceleribus eos revocare nequaquam poterant: Christi autem oblatio & hoc & illud perficit. Cum enim per hanc suimetipsius oblationem spem sempiternæ felicitatis certissimam nobis faciat, hac tamen lege, ut a vitæ pravitate ad pietatis studium convertamur: nonne manifestum est, eum ita etiam peccata nostra expiare, ut nos ex illorum laqueis prorsus expediat, nosque tanti boni spe ac desiderio adigat, ut pietati nos penitus addicamus? Hanc autem vim priscas illas oblationes minimè habuisse, inde facilè

Heb:10.1, 2, 3. constat, quòd sæpe, id est, quotannis repetebantur; quod fieri neutiquam opus fuisset, si eos, pro quibus offerebantur, a peccatis abducere potuissent. Vnde apparet, Christi oblationem Legis victimas eo etiam antecedere, quòd per illam parta expiatio æterna sit; harum vis temporaria tantùm. Inde enim ista, quam explicuimus, legalium victimarum imbecillitas proficiscebatur, quòd non æternas, sed temporarias tantùm; nec quorumvis, ut postea dicemus, sed certorum tantùm delictorum unius anni præcedentis pœnas tollerent. Quare cum futuræ vitæ spem hominum animis inserere non possent; efficere etiam non poterant, ut homines a delictis in posterum abstinerent, & sic curarent, ne eadem expiatione denuo egerent. At alia sacrificii Christi ratio est. Redemtio enim, seu expiatio per Christum inventa, æterna a divino spiritu perhibe-

Heb:9. 12: 10, 14. tur; & unica eum oblatione in perpetuum perfecisse sanctificandos seu expiandos, asseritur. Nempe quia oblatione sua omnes, non temporarias tantùm, sed & æternas peccatorum omnium pœnas, ab omnibus iis aufert, qui in ipsum vel unqnam crediderunt, vel porrò credituri sunt: siquidem hujus ipsius rei potestatem oblationis suæ interventu est adeptus: & cum futuræ felicitatis spem certam eorum, qui expiantur, animis inserat, ita eos a peccatis abstrahit, ut alio sacrificio, quo expientur, non indigeant. Ex quo intelligitur, expiationem, quam Christus perficit, ad intimos hominum

Heb: 9.14. sensus penetrare, & conscientias eorum, ut itidem divinus spiritus testatur, purgare. Quod cum non præstiterint legales illæ oblationes, utpote in corporis tantùm maculis expurgandis propriè occu-

ib: ℣ 10. patæ; meritò a divino illo autore ad tempus correctionis, quod no-

vi Fœderis

vi Fœderis tempus est, duraturas fuisse dicitur. Hinc concluditur, eadem legis sacrificia, si ad Christi sacrificium respectus habeatur, levia admodum existimanda esse, tum propter alias causas, tum propterea etiam, quia non illa expiabant flagitia, quæ verè ac propriè peccata sunt appellanda; sed, ut diximus, externas quasdam corporis labes, & lapsus ex ignorantia imbecillitateque profectos. Ad ea enim peccata, quæ gravia nefandaque facinora erant, quibus sese homines per superbiam, vel contumacis animi pervicaciam, contra divinam legem astringebant, delenda, nullam vim habebāt. Eam ob rem David, cùm adulterium homicidio cumulatum commisisset, ingenuè fatebatur, Deum illis victimis sacrificiisque nequaquam delectari, ita nimirum, ut ad dirissimum scelus eluendum valerent. Quòd tamen nihilominus, tum idem Davidis flagitium, tum quorundam aliorum scelera olim expiabantur, id neutiquam aut oblationum illarum, aut fœderis illius vi atque efficacitate factum fuisse existimandum est; sed singulari Dei benevolentia, quam nulla legis illius ratione habita, certis quibusdam hominibus præstare voluit. Ex quo fit, ut Christi sacrificium hac etiam re illis legalibus anteeat, quòd vi ipsius novi Fœderis, atque adeò etiam sacrificii Christi, quo interveniente Fœderis illius promissa obtinemus, omnia prorsus peccata expiantur, quæ vel fidem in Christum ac resipiscentiam antecesserunt, licet plurima ac gravissima; vel eam non tollunt, quales sunt lapsus ex imbecillitate aliqua aut ignorantia profecti. Vnde divinus Epistolæ ad Hebræos auctor, Christi mortem intervenisse ait, ad redemptionem sive expiationem earum transgressionum, quæ in primo fœdere erant, id est, quæ sub prisco fœdere omni expiatione excludebantur, ratione nimirum ipsius fœderis habita. Quid, quòd & Paulus disertissimè dicit, per fidem in Christum omnibus peccatis, quibus olim Lex veniam denegabat, condonationem liberalissimè deferri. Hanc autem peccatorum expiationem novæ pactionis propriam futuram fuisse, ex illa, de eadem nobiscum facienda, Dei promissione manifestissimum est: *Ero, inquit, propitius peccatis eorum; peccatorum atque iniquitatum eorum non recordabor ampliùs.* ubi Iniquitatum peccatorumq; nomine nequaquam ignorantias, aut humanæ naturæ fragilitates intelligit; cum hæ antiquis illis sacris expiarentur; & Iniquitatis vocabuli vis ea minimè sit, ut peccata ab infirmitate aut ignorantia mera profluentia designet; sed illa tantùm, quæ a sciente prudente, datâque operâ committuntur, vel saltem ab humana imbecillitate ignorantiaque ita oriuntur, ut tamen ultroneum quiddam admixtum sibi

Marginal notes: De ingressu Christi in tabernaculum. — Psal: 51.18. — Hebr: 9.15. — Act: 13.38,39. — Ier: 31.34. — Heb: 8.12.

tum sibi habeant, ideoq; puræ ignorantiæ nequaquam sint.

De egressu Christi ex tabernaculo.

Cap: XXXIX.

De egressu Christi ex tabernaculo.

SEquitur tandem, ut de Christi ex cœlesti illo tabernaculo egressu sermonem instituamus, idq; hoc pacto, ut primò, nostrum tenentes institutum, rei istius rationem, tum ad legalem illum pontificem, tum ad Christi regnum accommodemus. Deinde, ut quo tempore hic Pontifex noster ad nos egressurus sit, mente animoq; consideremus. Ac de prisco illo pontifice quidem sic habendum est, illum omnibus in terrestri illo tabernaculo ad peccatorum expiationem necessariis ritè confectis, populo expectante, egressum fuisse, hocq; ipso ostendisse, omnia, quibus sese idem populus obstrinxerat, peccata condonata deletaq; ita esse, ut pro temporis illius spatio, nullum ei extimescendum foret supplicium. Eodem planè modo & Christus, cum cœlitus reversus fuerit, ut est apud divinum illum scriptorem, sine peccato ad salutem illis comparebit, qui eum anxiè expectant: id est, reipsa declarabit, non solùm nullam peccati pœnam ampliùs imminere, sed æternam etiam salutem à se paratam esse illis, qui omni impietate mundanisq; cupiditatibus abnegatis, sobriè, justè, pieq; vivunt in hoc præsenti seculo, hocq; pacto ipsius adventum expectant. Quæ quidem res ad Christi regnum applicata luculentissimè docet, Christum omnibus, quæ ad regnum suum in cœlis administrandum pertinent, absolutis atque perfectis, h. e. omnium hostium spiritualium vi, quam ad salutem nostram impediendam habebant, morte tantùm excepta, in nobis extincta, ad nos ex ipsa etiam morte, quæ inter hostes nostros ultima est, vindicandos, & sic nos à supplicio sempiterno liberandos venturum esse. Atque hoc illud est, quod Apostolus dicit, *nos servatorem de cœlo expectare Iesum Christum, qui corpus nostrùm humile* (seu vile atque abjectum) *sic transfiguraturus sit, ut eandem cum ejus glorioso corpore formam habeat, pro ea vi, quâ ipse sibi subiicere potest omnia.* Quemadmodum autem ex Paulo suprà docuimus, Christum tam diu regnaturum, donec omnes hostes suos, quorum postrema est mors, sibi penitus subjecerit: ita etiam de duratione Sacerdotii ipsius statuedum est. Quemadmodum enim is regni Christi scopus est, ut fideles suos ex hostium servitute penitus exemptos, in æternam asserat libertatem: ita etiam Sacerdotii ipsius is est scopus, ut fidelium suorum peccata expiet, eosq; ab omnibus scelerum pœnis liberet. quem muneris istius finem tum penitus asse-

Heb: 9. 28.
Tit: 2. 12.
Phil: 3. 20, 21.
cap: 16.

quetur

quetur, cum nos ex mortis faucibus ereptos immortalitate donabit. Tunc enim nulla amplius peccatorum pœna nobis erit metuenda. Quare cum Deus nihil frustra faciat, res indicat, Christum ab eo tempore sacerdotis munere non ampliùs functurum.

Cap: XL. De tempore adventus Christi.

Cap. XL.

De tempore adventus Christi.

Reliquum est, ut quo tempore ex tabernaculo suo hic Pontifex noster egressurus sit, inquiramus. Tametsi enim Deus, ne languoris socordiæq; causam nobis præberet, egressus illius diem secretum à nobis haberi voluit, adeò ut non modò certum annorum, mensium, aut dierum numerum, sed ne centurias quidem annorum, intra quas Christus omnino sit venturus, definire nequeamus: eatenus tamen de tempore illo judicare nonnihil possumus, quatenus nonnulla in sacris literis prædicta esse videmus, adventum illum Christi antecessura, quæ nisi exitu completa fuerint, Christum nondum venturum; ubi extiterint omnia, venturum esse statuendum est. Ac ne de iis quicquam nunc dicamus, quæ ita sunt cum adventu Christi conjuncta, ut non magis constare nobis possit, quando illa sint extitura, quàm quando Christus sit venturus; quæ recensentur Matth. 24. 29 & d. & Luc. 21. 25, & d.: tria hoc loco considerabimus, quæ haud paulò ante Christi adventum, partim penitus complebuntur, partim fieri incipient, ita ut initii saltem ratione ab eo sint sejuncta. Eorum primum, atque ab adventu Christi remotissimum est Antichristi adventus: duo reliqua eidem adventui propiora sunt, Iudæorum conversio, & Evangelicæ disciplinæ repetita in universo terrarum orbe promulgatio. Nam quod ad primum attinet, perspicuis verbis docet Paulus, Christi diem priùs non venturum, quàm veniat apostasia, seu defectio, & patefiat homo peccati, & filius perditionis; per quem Antichristum designari, nemo est qui non fateatur. Hoc autem tractationis nostræ caput quò rectiùs percipiatur, operæ pretium est, & Antichristi vocabulum, remq; eo designatam, ac quo tempore is venturus fuerit, & quàm diu duraturus, considerare. Et Antichristi quidem vocabulum, vi particulæ Græcæ ἀντί, ex qua componitur, duo significare potest, nempe & eum, qui Christo sit contrarius, & eum, qui Christi sit vice aut loco. Particula enim ista & *contra* significat, & *vice* seu *loco*. Priorem significationem hìc omnino esse amplectendam, cum omnes fatentur, tum ea, quæ de Antichristo in sacris literis scribuntur, satis docent. Iohannes certè, qui solus inter scriptores sa-

2 Thess. 2. 3, 9.

1 Ioh. 2. 18. 4. 3.

Cap: XL. De tempore advẽtus Christi.

cros hoc Antichristi nomine utitur, magnum illum atque insignem Antichristum cum iis Antichristis, qui tum multi fuerant exorti, ita comparat ac conjungit, ut generalem illius nominis rationem eandem esse facilè appareat, saltem eatenus, ut quam ob causam isti seductores hoc nomine sunt appellati, ob eandem etiam ille nomine eodem designetúr: licet interim alia quoque causa esse possit, ob quam hic Antichristus dicatur, quæ in illos non conveniat. At verò seductores illi propterea Antichristi sunt dicti, quia Christo adversarentur, eum Christum esse pernegando. Quare etiam ille magnus Antichristus ideò hoc nomine insignitur, quòd Christo adversetur, & Iesum esse Christum, utut verbis fateatur, re tamen atque opere ipso, ut postmodum dicemus, neget. Verumenimverò nihil videtur obstare, quominus etiam altera, quam diximus, nomini illi subsit vis ac significatio, cùm ad insignem illum Antichristum designandum adhibetur, atque ita eum significet, qui Christi sit vice, quiq; sese in Christi locum callidè supponat atque intrudat. Neque enim absurdum est statuere, divinum spiritum sub eodem vocabulo, præsertim in sermonibus Propheticis, quales sunt ii, qui de magno illo Antichristo in sacris literis extant, duplicem sensum recondere voluisse, qui inter se egregiè conspiret, & simul junctus Antichristum nobis propiùs designet; nempe ut intelligamus, eum esse magnum illum Antichristum, qui, cùm Christo ejusq; sanctissimæ disciplinæ adversetur, sese in ejus locum substituerit, & imperium in universam Ecclesiam, cuius caput Christus nominatim est a Deo constitutus, & cui, quatenus Christus est, propriè præsidet, in sese transtulerit, seu, quantum in se fuit, transferre fuerit conatus. Certè quicquid aliàs de altera hac vocis Antichristi significatione statuas, illud negari haudquaquam potest, eum, qui talis sit, qualem nunc descripsimus, magnum & insignem quendam Antichristum esse, ac dignum, qui nominatim à divino spiritu designaretur, præsertim si longè lateq; imperium doctrinamq; suam fuerit propagaturus, & per multa secula tyrannidem in Ecclesiam Christi, hominumq; conscientias exerciturus. Animadvertendum autem est hoc loco, etiamsi sacræ literæ de Antichristo ita loqui soleant, ac si unus tantùm singularisq; homo esset, nempe ut res ipsa hoc sermonis involucro, quemadmodum in Prophetis fieri videmus, aliquo modo tegatur: eum tamen non esse unum tantùm aliquem seu singularem hominem, sed plures, quorum alii in eodem instituto, eademq; tyrannide ita succedant aliis, ut pro uno quodam homine censeri queant. Sic apud Danielem quatuor

Ephes: 1. 22: Col: 1. 18.

Dan: 7. 17.

quatuor reges significant quatuor distinctos ordines regum, quorum alii aliis continua minimeq; interrupta serie in eodem regno succedant: & alibi apud eundem Prophetam Rex Græciæ sumitur pro ordine quodam regum Græciæ, quorum primus imperium solus tenuit, cæteri ita illi successerunt, ut singuli partem tantùm imperii istius occuparent. Similes loquendi modi etiam vulgò, cum de aliis rebus sermo est, sunt usitati. Ita autem omnino de Antichristo statuendum esse ex iis intelligetur, quæ infrà de tempore durationeq; tyrannidis Antichristianæ dicentur. Addi potest hoc loco etiam illud: quemadmodum nonnunquam Christi nomen non tantùm Ecclesiæ caput, sed etiam corpus denotat: sic Antichristum quoque in sacris literis ita interdum considerari, ut non tantùm caput designet Ecclesiæ suæ, sed etiam ipsum Ecclesiæ illius corruptæ corpus.

Cap: XL. De tempore adventus Christi. cap: 8. 21. & d.

1 Cor: 12. 12. Gal: 3. 16.

Sed jam tempus est, ut rem ipsam cernamus, quam utraque vocis illius significatio a nobis suprà indicata in se comprehendit. Quod ad priorem attinet; satis ex Paulo & Iohanne constat, quantopere Antichristus Christo fuerit adversaturus, & sanctissimam ejus disciplinam reipsa, licèt verbis aliud profiteatur, oppugnaturus. Hanc enim ob causam Paulus eum adversarium, nempe Dei & Christi, κατ' ἐξοχὴν, seu excellenti quadam ratione vocat, & eidem apostasiam, seu defectionem à salutari veritate acceptam refert. Apostasiæ autem nomen non quivis error, sed is demum, qui universam Christi religionem convellat, meretur. Quia verò non ita pronum erat religionem Christianam, tot modis a Deo confirmatam ac stabilitam, in animis hominum, qui eam amplexi fuerant, labefactare ac convellere; ideo ait Apostolus, *scelerati istius hominis adventum fore secundùm efficaciam Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, in iis qui pereant; propterea quòd amorem veritatis non receperint: eamq; ob causam missurum illis Deum efficaciam erroris, ut credant mendacio, ut judicentur* (seu *damnentur*) *omnes, qui non crediderunt veritati, sed injustitiâ fuerunt delectati.* Iohannes etiam, ut suprà jam indicavimus, hunc esse ait spiritum illius Antichristi, *qui neget Iesum illum, qui in carne venit*, h. e. corpore fragili, variisq; afflictionibus ac morti denique violentæ obnoxio circumdatus, legatione inter homines functus est, hunc, inquam, Iesum *esse Christum.*

2 Thess: 2. 4.

ib: ℣ 3.

℣ 9, & d.

1 Iohan: 4. 3.

Hoc autem quò rectiùs adhuc intelligatur, ad alteram vocabuli hujus significationem pergendum nobis est, ut quo pacto Antichristus, vero Christo unà cum ipsius disciplina expulso, seipsum

suasq;

suasq; nugas illaturus atque intrusurus fuerit, animadvertamus. Intelligendum igitur est, eum nequaquam hoc apertè, sed tectè atq; callidè facturum fuisse, ita nimirum, ut sub ipsius Christi titulo veritatisq; specie, varia funestissimorum errorum semina spargeret, & ita Servatori nostro titulum quidem Christi integrum relinqueret; rem ipsam verò Christi nomine comprehensam, imperium nimirũ ac potestatem in Ecclesiam, admirabili quodam artificio sibi vendicaret, & hoc pacto religionem Deiq; cultum Christi disciplinę contrarium induceret ac stabiliret. De tanta autem, quam sibi Antichristus arrogaturus esset, potestate hunc in modum scribit Apostolus: *Extollet se*, inquit, *supra omne, quod Deus aut numen dicitur, adeò ut in Dei templo tanquã Deus sedeat, Deum se esse ostendens*. Quibus Apostoli verbis hęc continetur sententia: Antichristus, de quo orationem habemus, tantam sibi in Ecclesia, quæ Dei templum est, assumet potestatem atque dominatum, ut non solùm cum universis singulisq; illius membris, pro suo arbitrio sese agere posse existimet, sed etiam tum principum magnatumq; repulso imperio, tum etiam anteposita autoritate sua ipsius Dei Christiq; majestati, sese in eorum locum, ut divinum principem, & Christum, & Deum, qui nutu suo omnia moderetur, callidè supponat. Cœteris autem technis, quibus homines circumventurum fuisse Antichristum ex sacris literis discimus, annumeranda est imprimis simulata pietatis species, quâ fucatus, mendacia sua omnium pestilentissima pro veritate subjecturus erat, quæ quosdam admissuros, a fideq; discessuros Apostolus ait. Eam autem probitatis speciem inter alia, in ficta continentiæ pietatisq; similitudine, in matrimonii ciborumq; interdictione constitutam esse, Apostolus ibidem testatur. Quæ omnia an & in quo evenerint, piorum cordatorumq; hominum judicium esto.

2 Thess: 2. 4.

1 Tim: 4. 1, 2.

Iam verò ut de tempore, quo Antichristus fuerit venturus, agamus; animadvertendum est, eum non subitò in Ecclesiam irrupisse, & tyrannidem in ea occupasse; sed pedetentim in eam irrepsisse, & per quosdam veluti gradus ad tyrannidem illam fuisse progressum, donec ad summum fastigium perveniret, & caput penitus extolleret. Initium autem ejus rei ad ipsorum adhuc Apostolorum tempora referendum est, quibus semina pestiferi hujus erroris fuêre sparsa. Ait enim Iohannes: *Filioli, ultima hora est: & quemadmodum audistis, quòd Antichristus ille venit, & nunc Antichristi multi facti sunt unde cognoscimus, quòd ultima sit hora*. & infrà: *Omnis spiritus qui non*

1 Ioh: 2. 18.

cap: 4. 3.

qui non confitetur Iesum (esse) Christum, qui in carne venit, ex Deo non est: & hic est (scilicet spiritus) *illius Antichristi, quem* (nempe spiritum, ut græca verba docent) *audiistis, quòd venit, & nunc in mundo jam est.* Quibus verbis satis apertè docet, Antichristum illum magnum in iis, qui tunc erant, Antichristis venire quodammodo cœpisse, tanquam in prodromis quibusdam suis, qui spiritu ipsius essent prædi-ti, id est, eodem, quo ille, ducti afflatu, Iesum esse Christum negarent. Quin etiam Paulus de Antichristo disserens ait, mysterium iniquitatis jam tum in opere fuisse: quod tamen non solùm de illorum, quos Iohannes notat, sed etiam de aliorum quorundam scelestis machinationibus, quæ ad doctrinam Christi corrumpendam, & solidæ pietatis studium ex animis hominum evellendum, fictam autem pietatis speciem iisdem commendandam pertinebant, intelligendum videtur: de quo hominum genere non pauca scribit Petrus cap: 2. posterioris Epistolæ, & ex eo Iudas repetit. Hi enim, ut ex utriusque illius divini scriptoris dictis facilè constare potest, vel inprimis magno illi Antichristo, & impietati per eum in Ecclesiam invehendæ viam muniisse censendi sunt. Etsi verò Apostoli homines illos, qui Christi ductum sequebantur, tum per literas, tum coràm admonere non destiterunt, ut a fraudulentis seductorum istorum susurrationibus sibi caverent: nihilominus tamen tanta paulatim ad illorum vires facta est accessio, ut post Apostolorum obitum caput attollerent, & errores suos absque metu ac pudore defenderet. Nam, ut scripsit Egesippus, vir Apostolicis temporibus proximus, referente Eusebio: *Postquam sacer apostolorum chorus differentem sortitus est finem, & generatio illa præteriit, quæ divinā sapientiam ipsis auribus audire meruerat, tunc impii erroris conspiratio, per seductionem eorum, qui aliam doctrinam tradebant, initium cepit, qui etiam, quoniam nemo superstes ampliùs erat ex Apostolis, jam nudo vertice contra veritatis prædicationem, falsi nominis scientiam ex adverso prædicare conati sunt.* Prævidit hoc Apostolus; eaq; de causa ita seniores Ecclesiæ Ephesinæ alloquutus est: *Ego,* inquit, *novi fore, ut vos post discessum meum truces invadant lupi, qui gregi non parcant: utque ex vobis ipsis existant homines, qui perversa loquantur, quò discipulos ad se sequendos abducant.* In loco autem paulò antè commemorato 2. ad Thess: cum dixisset: *mysterium iniquitatis,* h. e. impium Antichristi dominatum, seu apostasiam in Ecclesiam per eum introducendam, *jam operari,* h. e. sese jam exerere; addit: *id tantùm superest, ut qui nunc retinet, e medio tollatur: tum demum existet ille scelerosus.*

Cap: XL. De tempore adventus Christi.

2 Thess: 2. 7.

vide Euseb: lib. 3. Hist: Eccles: cap: 32.

Act: 20. 29, 30.

2 Thess: 2. 6, 7.

Cap: X L. De tempore advẽtus Christi.

lerosus. Ex quibus verbis apparet, jam tum Satanam Antichristianæ impietatis ac dominatus fundamenta molitum esse, & nisi quidam obstitisset, eum protinus emersurum atq; in lucem prodeiturum fuisse. Rem ergo illam dilatum iri Apostolus significat, donec is, qui Antichristo jam jam nasciturо, atque in apertum prodituro impedimentum objiciat, e medio tollatur. Quinam verò is fuerit, jurè quæritur. Plærique Imperatorem Romanum fuisse volunt. Hunc enim impediisse, quominus tyrannidem invadere Antichristus posset. Eum autem tunc e medio sublatum seu amotum non pauci censent, cum Româ cessit, & imperii sui sedem aliò transtulit. eo enim ipso locum imperio Antichristi fecisse, qui eo præsente rerum planè potiri, & solium tam sublime invadere non potuerit. Sed cum Antichristi ortus altiùs repetendus esse videatur, possis per eum, qui tunc retinuerit, Apostolos eorumq; socios intelligere, quos Antichristianæ impietati sese jam exerenti obstitisse quis dubitet? Vnde iis viventibus, munerisq; sui officium administrantibus, non ita ausi fuêre ii, qui Antichristi spiritu atque afflatu ducebantur, caput attollere: iis verò morte deletis, statim, ut vidimus, sese erigere cœperunt, quotidieq; plus roboris assecuti sunt, donec tandem unus aliquis emersit, qui cęterorũ caput esset. Cui sententię illud magis, quàm priori, favere videtur, primùm, quòd Apostoli eorumq; socii consilio, studio ac conatu, nascenti Antichristianæ impietati obstiterint: Imperator Romanus non nisi ex eventu; nec tam Antichristi ortui, quàm incrementis: deinde quòd cùm aliquem e medio tolli dicimus, mortem ejus atq; interitum significare soleamus. At cum Imperatores sedem aliò transtulerunt, non interiére. Apostoli autem per mortem extincti sunt, & post eorum obitum, ut ipsimet prædixerunt, defectio a sincera Christi doctrina cœpit, & latiùs subinde serpsit. Neque verò huic sententię id videtur obstare, quòd Apostolus, eum qui retineat, commemoret, veluti de uno, non de pluribus loquens. Quorum enim idem munus est, idem sensus ac consilium, idem actionum scopus, instar unius considerari possunt. Neque verò qui Imperatorem Romanum intelligunt, unum aliquem nominatim designari putant, sed plures, quorum alii aliis in eodem munere successerint. Quicquid sit, illud ex dictis satis constat, Antichristum jam dudum in lucem prodiisse. Quò magis repudianda illorum est opinio, qui Antichristum venisse negant, venturum autem sub mundi finem asserunt. Si enim ipsorum jam Apostolorum tempore Antichristiana iniquitas fuit in opere, & nihil aliud restitit, quàm ut is, qui ejus incrementis tunc obstabat, e medio

bat, e medio tolleretur; quis non videt, necesse esse, ut per tot secula tandem aliquando emerserit? præsertim cum Pauli verba satis indicent, eum, qui tunc detinuerit, non adeò diu duraturum. Particula enim *nunc* de eo bis usurpata, & seqvuturo tempori opposita, illa, quæ tunc fluebant, ac vicina illis tempora denotat, non verò tam longè ab iis remota secula. Vt taceamus, satis conspicuum esse eum, in quo ea extant, quæ Antichristi propria esse suprà docuimus. Quare frustrà illi laborant, qui Romanum imperium, quod hodieq; duret, ejus, qui tunc tenuerit, nomine intelligendum esse contendunt, eoq; cessante demùm Antichristum regnaturum ajunt. Quamvis enim ad causam suam constituendam, multa proferant Patrum testimonia: quid tamen, quæso, ad veritatem manifestam omniumq; oculis expositam evertendam valent ista omnia? cum ne ipsi quidem Patres plus sibi fidei haberi velint, quàm divinis voluminibus; imò ex his omnia sua dicta scriptaq; ponderari postulent. Non negamus quidem fore, ut Romanum aliquando imperium evertatur: verùm tum demùm Antichristum in hanc lucem proditurum esse, nulla ratio suadet; cùm potiùs eo tempore extinguendum illum esse inde constet, quòd ii ipsi etiam, adversus quos disputamus, fatentur, illam statuam, quæ Nabuchodonosori secundùm quietem visa fuit, præcipuorum regnorum descriptionem continere, ultimumq; Romanum imperium esse, cujus eversionem, ut ipsi etiam statuunt, mox totius mundi interitus consecuturus est. Quod cum ita sit, quando, quæso, Antichristus in Dei Ecclesia dominatum habebit? Non quiescentes tamen, illa Iohannis verba proferent in medium: *Filioli, novissima hora est, & sicut audivistis, quòd Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt: unde scimus, quia novissima hora est.* Atqui his verbis Apostolus nequaquam asserit, Antichristum sub finem mundi venturum esse; cum jam tum ultimam horam esse dicat, quamvis mundi finis longè tũc abesset. Verùm illi hoc artificio elabi conantur, ut Ioannem dicant totum illud temporis curriculum intelligere, quod à Christo nato exordium capiens, ad mundi usque conflagrationem duraturum est. Verùm & satis audacter hunc sensum Iohannis verbis affingunt, & hac interpretatione vim argumenti sui prorsus enervant. Audacter illos facere inde constat, quòd non modò nullum istius sententiæ in Iohannis verbis extet vestigium, sed contrarium etiam ex iis haud difficulter colligi queat. Etenim si totum illud tempus, quod a Christo nato usque ad mundi interitum fluet, ultimæ horæ nomine complexus est Iohannes, idq; eos, ad quos scripsit, intelligere vo-

Cap: L X. De tempore advẽtus Christi.

Dan: 2.

1 Ioh: 2: 18.

 gere vo-

gere voluit; cùr ex eo, quòd Antichristi multi exorti fuerint, colligi vult, ultimam horam esse? An enim quisquam eorum, ad quos scribebat, ignorabat, se in eo versari tempore, quod a Christi nativitate ad mundi finem sit duraturũ? aut cur id ex Antichristi potiùs, quàm ex ipsius Christi ortu omnibus noto concludendum erat? Præterea quorsum pertinebat scire, ultimam jam horam esse, si nihilominus hora illa, tot seculorum, quot ab eo tempore effluxerunt, tractum erat in se comprehensura? Quare statuendum est, Iohannem ultimam illam horam non tam latè extendisse, ut etiam hęc nostra secula ejus ambitu complecteretur; nec respectu mundi hujus eam vocasse ultimam, sed respectu alterius cujuspiam rei, finem mox habituræ. Consentaneum autem est, eum ultimam horam opponere *principio* illi, cujus aliquoties in eodem capite mentionem facit. id verò est initium prædicati per orbem Evangelii, ut ex v. 7. & 28. clarum est: cui tempori Paulus quoque tempus Antichristi ad Thessal. scribens, dicto sæpiùs loco opponit. Itaque per ultimam horam illud tempus videtur intelligere, quo prædicationis Evangelicæ cursus veluti consummandus esset, & simul Reipub. Iudaicæ finis imponendus, atque urbs Hierosolymitana delenda. Concurrunt enim istarum rerum tempora. siquidem Christus apud Matthæum, de signis eam vastationem antegressuris disserens, ita inter cætera inquit: *& prædicabitur hoc Evangelium regni in universa terra, in testimonium gentibus: & tunc veniet finis.* Per finem autem illum, Hierosolymæ vastationem ac Reipubl. Iudaicæ interitum propriè intelligi, sequentia verba manifestè docent. Iam verò in eadem vaticinatione prædixerat Christus, multos circa illa tempora seductores exituros esse. Hoc ergo Iohannes memoriã repetens, jam ultimam horam adesse, quâ istos apparituros fuisse Christus prædixerit, affirmat. q. d. non est cur miremini, tot falsos vates Christianæq; disciplinæ sese opponentes nunc existere; sed hoc potiùs nobis in mentem veniat, horam illam ultimam, quâ hæc futura esse Christus prædixerat, jam venisse. Mirandum verò minimè vobis id, quod nunc fieri videtis, eam ob causam accidere debet, quòd etiam magnum illum Antichristum aliquando venturum esse audivistis. Verùm esto, intellexerit Iohannes per ultimam horam totum Christi tempus; num inde colligi rectè poterit, Antichristum sub mundi demum finem venturum esse? Nequaquam: cùm interpretatione illa admissa, satis ultimâ horâ venisse existimandus sit, si post Christum natum extitit; etiamsi longè ante mundi interitum, & quidem statim post Apostolorũ obitum advenerit.

2 Thess. 2. 3. conf. c. præc.

Matth. 24. 14.

v. 11, 23, 24.

At enim

Cap: XL. De tempore adventus Christi.

At enim illa Pauli verba contrarium ſvadere inquiunt, quibus glorioſiſſimo Chriſti adventu demum Antichriſtum interimendum docet. Cùm enim Antichriſtum tres tantùm annos cum dimidio duraturum eſſe acceperimus,inquiunt; conſequens omnino eſſe videtur, ut non multò ante ultimum illud judicium regni ſui adminiſtrationem ſuſcipiat. Hæc verò objectio partim ambigua, partim falſiſſima eſt. Ambiguam eſſe inde perſpicitur, quòd Chriſti adventus non ſolùm ad ultimum illum ejus ad nos reditum poteſt referri, ſed etiam de alia quadam adventus ratione intelligi, eâ nimirum, qua Chriſtus ſeſe orbi terrarum denuo patefacturus, & porrò adverſarium illum ſuum exterminaturus eſt. Quandoquidem Chriſtus, ut & ipſe Deus, tunc etiam venire dicitur, cùm magnum quippiam memoriâq; dignum inter homines deſignat. Ac de Deo quidem hi obſerventur loci: Eſa: 3.14. & 13. 9. & 35. 4. & 40. 10. & 66. 5. Ad Chriſtum verò quod attinet, illa potiſſimùm ſanctarum literarum teſtimonia ponderanda ſunt, quibus vel ideò veniſſe perhibetur, *ut pacem annunciaret, tam illis qui longè, hoc eſt, Ethnicis, quàm qui propè erant, hoc eſt, Iudæis:* vel aliquando venturus dicitur, ut iniquitatem auferat à Iacob, id eſt, Iſraëlitis propter inobedientiam excœcatis ampliſſimum fidei oſtium, ad Deumq; ſeſe convertendi viam aperiat. Verùm demus, ultimum illum Domini adventum, eumq; Antichriſti interitum, quem tunc demum Chriſtus illi ſit allaturus, hoc loco ſignificari: nondum tamen rem ſuam conficient adverſarii, niſi demonſtraverint, Antichriſtum tres tantùm cum dimidio annos regnaturum. cujus rei diſquiſitio ad tertium caput pertinet eorum, quæ de Antichriſto nos explicaturos diximus, ad quod nunc accedimus. Afferunt igitur illi ad id probandum primo loco illud Danielis Prophetæ teſtimonium: *Tradentur*, inquit, *in manus eius usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Deinde illud Iohannis: *Mulier fugit in deſertum, ubi habet locum paratum à Deo, ut ibi paſcant eam diebus mille ducentis & ſexaginta.* Item illud: *Datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum in locum ſuum, ubi alitur per tempus, tempora, & dimidium temporis.* Et illud: *Data eſt ei poteſtas agendi menſes quadraginta duos.* His omnibus teſtimoniis adverſarii confici putant, trium cum dimidio annorum curriculo Antichriſti regnum circumſcribendum eſſe. Quæ opinio juncta cum eo, quòd Antichriſtus ultimo demum Chriſti adventu ſit perimendus, evinceret, hominibus ſub Antichriſto viventibus, & ſic adventui Chriſti vicinis, exactè conſtare poſſe de ultimo illo die, atque ad-

2 Theſſ: 2. 8.

Epheſ: 2. 17.

Rom: 11. 26.

Dan: 7. 25.

Apoc: 12. 6. 41.

Apoc: 13. 5.

ventus Christi tempore; id quod non paucis sacrarum literarum testimoniis apertè adversatur, ex quibus liquet, ne illis quidem hominibus, qui in adventu Domini victuri sunt, de tempore ac die illo quicquam certi constiturum; ut ita pii quidem semper vigilent, semperq; in adventum illum sint erecti, impii verò subitò atque inopinatò ab eo opprimantur. Quòd verò ad loca illa attinet, in illis dies singuli, pro singulis annis mystico propheticoq; sensu sunt accipiendi, quemadmodum fit in septuaginta illis septimanis, quæ apud Danielem, ex quo primus locus est citatus, usque ad Christi tempora duraturæ dicuntur. Itaque singuli menses mystici triginta annis propriè sic dictis; singula verò tempora, h. e. anni mystici, constabūt annis nostris trecentis sexaginta. Ne illud nunc commemorem, non deesse inter eos, cum quibus hîc disputamus, viros doctissimos atque acutissimos, qui arbitrentur, apud Danielem capite ult. tempus, tempora, & dimidium temporis, ac dies, qui illum annorum numerum compleant, posse totum Evangelii tempus significare: id quod amplius adhuc est, quàm id, quod nos volumus. Et hæc de primo ex iis, quæ adventum Christi antegressura sint, dicta sufficiant.

Cap: 9. 24.

vide Ioh: Maldonat.

Alterū istorum constituimus Iudaicę gentis ad Christum conversionem, & sic finem infelicitatis ej⁹, quâ natio ista hactenus premitur. Hanc enim aliquando cessaturam indicavit apud Lucā Christus. Nam cum multa tum de signis, pœnam illius populi urbisq; Hierosolymitanæ excidium antecessuris, tum de illa ipsa afflictione disseruisset, addit: *Hierosolyma cōculcabitur à gentibus, donec tempora gentium impleantur:* ut facilè appareat, venturum aliquando diem illū, quo Iudęi a gentibus non conculcentur ampliùs, nempe earundem temporibus absolutis ad finemque perductis. Qua de re Paulus ad Rom. scribens docet, Deum aliquādo Iudaicæ nationi amplissimam viam aperturum esse, quâ salutem amissam recuperare possit, postquam nimirum omnes gentium oræ divinæ veritatis lumine illustratæ fuerint; asseritq; futurum, ut totus Israël servetur; non quidē quòd Deus Israëlitis vim sit illaturus, sed quòd tam clarè cœlestis disciplinæ veritatem illis propositurus sit, ut per ipsum minimè stare manifestissimè appareat, quominus omnes eam amplectantur, & sic æternæ vitæ patrimonium consequantur; & porrò illud penitus compleatur, quod olim prædictum erat: venturum scilicet liberatorem ex Sion, qui iniquitatem, quantum quidem in ipso situm fuerit, auferat a Iacobo. Quæ quidem prædictio in ipso statim Evangelii primordio non fuit perfectè completa, cum summâ Dei sapien-

Luc: 21. 24.

Rom: 11. 25, 26.

Esa: 27. 9: 59. 20.

Cap: XL. De tempore adventus Christi.

sapientiâ atque iustitiâ tunc factum fuerit, ut multi gentis illius homines in sceleribus, quibus sese sponte sua alligaverant, obstinatè persisterent: cumq; salutis humanæ ratio postulaverit, ut Christus magnis antegressis afflictionibus truculentissima morte, idq; ab illo ipso populo, quemadmodum prædictum fuerat, afficeretur: cum denique voluntas Dei ita tulerit, ut in sceleratissimam illam nationem, quæ divinam ipsius gratiam, quæque Christum omnia facientem, ut eorum salutem constitueret, per summam superbiam contempsit, rejecit, conculcavit, tantum justissimæ severitatis exemplum ederetur, quanto omnes à simili flagitiorum genere absterreri possent. Contrà autem sese res habebit, cùm ille dies illuxerit, de quo hîc orationem habemus. Tunc enim, omnium illorum scelerum memoriâ depositâ, nullaq; ratione habita, quali quis ad illud usque tempus fuerit animo, aut quibus præditus moribus, omnibus, pro singulari atque inaudita quadam clementia, fidei ostium tam latè aperiet, ut si vel veritatis disciplinam non percipiant, vel perceptam minimè amplectantur, vel eam amplexi non retineant, & ideò sempiterna felicitate excludantur, nonnisi extremâ ipsorum contumaciâ atque improbitate fieri hoc promptissimum sit. Quamvis enim, si hodiernum tempus spectes, inimici sint Dei: cum nec dictis illius assentiātur, nec ad ipsius sese arbitrium accommodent, neque adeò singularem illius clementiam experiantur: tamen si ad electionem illius populi singularem respectum habeas, comperies, hanc nationem Deo charam esse; idq; eam maximè ob caussam, quòd illorum majores propter singulare pietatis studium charissimos habuit, & illis, eorumq; posteris promisso ejusmodi se obstrinxit, quo confirmavit, se eorum Deum perpetuis fore temporibus: adeò ut, etiamsi populum illum universum ad tempus possit à gratia sua, si eâ se indignum præstet, repellere, & sic æternum contumacibus supplicium infligere; non possit tamen ita totam illorum progeniem rejicere, quin ei tandem aliquando aditum ad gratiam suam patefaciat. Quare dubitandum non est, Deum huic genti ostium fidei suo tempore aperturum. Id autem non multò ante ultimum diem esse futurum, ex illis Christi apud Matthæum verbis colligitur, quibus asserit, mox post afflictionem illorum dierum (loquitur autem de afflictione populi Iudaici) solem obscurandum, lunam suum lumen minimè emissuram, & stellas de cœlo casuras, cælique robur concutiendum esse; & tunc appariturum signum filii hominis in cœlo, h. e. tale quippiam humanis oculis subjiciendum esse, quod admoneat, Christum jam adesse, ut universo

cap: 24. 29.

Cap: XL. De tempore adventus Christi.

verso mundo eversionem afferat. Animadvertendum enim est, afflictionem illam, de qua loquitur Christus, tam latè extendi, ut etiam eam gentis illius calamitatem ac servitutem complectatur, quæ primam illam afflictionem sequuta est, & ad hoc usque tempus durat. Intelligitur id ex collatione istorum verborum cum iis, quæ apud Lucam cap:21. extant: *& captivi*, inquit Christus, *ducentur* (Iudæi) *in omnes gentes, & Hierosolyma calcabitur a gentibus, donec tempora gentium impleantur: & erunt signa in sole, in luna, & stellis*, & quæ sequuntur.

Vt autem hæc Iudæorum conversio perficiatur, illud priùs evenire necesse est, quod inter propinquiora adventus Christi signa superiùs recensuimus, nimirum Evangelicæ disciplinæ inter omnes gentes prædicationem: ut ita iis ad fidem perductis, earum exemplo Iudæi ad æmulationem provocentur. Plurimum enim ea res, ut ex Paulo constat, habitura est momenti ad eos ad Christum pertrahendos. Illam autem Evangelii prędicationem toto passim orbe repetitam, propinquum esse adventus Christi signum, ex illis apparet Iohannis verbis, quæ in Apocalypsi extant, ubi hunc in modum loquitur: *Et vidi alterum Angelum volantem per medium cæli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum, dicens magna voce: Timete Deum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus.* Quibus verbis docemur, futurum esse, ut ii emittantur in terrarum orbem ministri, qui non cunctanter, non langvidè, non titubanter, aut timidè, non in angulis tantùm de rebus divinis disputent; sed qui divino quodam afflatu impulsi, omni abjecta mora, audacter, atque apertè Evangelium Christi ubique enuncient, omnibusq; illam judicii horam instare confirment. Nequaquam enim consentaneum est, ut Christus priùs ad hominum scelera judicanda descendat, quàm divina voluntas omnibus terræ nationibus ipsius jussu denuncietur; cùm sic Deus institutum suum non solùm minimè teneret; sed parùm etiam de justitia sua, quâ in pœnis ultimo illo die infligendis usurum se prædixit, omnibus manifestanda laborare videretur. Ac illud quidem ideò, quòd nec, verbi causâ, antè primo illi hominum generi diluvium invexit, quàm ad illud denunciandum Noam justitiæ præconem mitteret, cujus monitis ad frugem redirent: nec, ut alia nunc mittam, in Babylonicam servitutem Israëlitas dedit, nisi priùs manibus suis pansis ad contumacem contradicentemq; populum, perque vates suos quotidie illis ad meliorem vivendi rationem incitatis. Quid verò de ultimo illorum excidio

Rom: 10. 9. confer cum c. 11. 11, & d.

Ap: 14. 6, 7.

2 Pet: 2. 5.

Esa: 65. 2.
2 Paral: 36. 15, 16.

Cap: I. De probitate & improbitate.

cidio dicam? Nequaquam certè illis Deus tam miserandum casum inferendum existimavit, quin priùs Iohannem Baptistam, Christum ipsum, ejusque discipulos, cum inaudita divini spiritus virtute, cum nova quadam promissionum amplitudine, cum summa miraculorum magnificentia, ad illos sibi arctissimo charitatis vinculo devinciendos, legaret. Hoc verò nimirum, quòd parùm justa viderentur divina supplicia, nisi omnes per Evangelii disciplinam, de impendente æternæ damnationis periculo præmoneret. Eorum enim causa illi assignari posse videretur; propterea quòd non exigua generis humani pars, non tam contumacis animi protervitate, quàm divinæ voluntatis ignorantiâ peccat.

De Vera Religione Liber Quartus,

De officio nostro in Novo Fœdere præscripto; Seu *De præceptis Christi.*

Cap: I.

De probitate & improbitate.

Satis, ut videmur, eam novi Fœderis partem explicavimus, quæ ad ipsum Deum respicit. Nam & promissorum Christi amplitudinem & veritatem, & expressam in ipso effigiem, & denique præstandorum facultatem & modum, oratione complexi sumus. Sequitur tandem, ut & hanc ejus partem mente animoque consideremus, quâ officii nostri ratio continetur. Intelligendum enim est, ea conditione ac lege, tum temporaria, tum æterna bona nobis pacta esse, & ideò tum demùm fœdus istud ex nostra etiam parte ratum firmumque fore, si ex Christi mandatis vitæ nostræ statum composuerimus. Ex quo fit, ut quæ Christus de officio nostro præcepta tradidit, ea omnia examinanda, suisque momentis ponderanda hoc loco nobis sint. Qua quidem re haud satis rectè perfungemur, nisi illud in mentibus nostris hæreat, sine quo nihil quicquam nobis prosunt omnia, quæ a Deo salutis humanæ constituendæ causa

dæ causâ per Christum facta dictaque sunt. Nihil autem id aliud est, quàm animus in virtutem pronus. Hoc enim quia multi de Israëlitis caruerunt, idcirco, quamvis Christum viderint, voces illius auribus usurpaverint, admiranda illius opera aspexerint, a mortuis eum excitatum, inque altissimo Regiæ majestatis solio collocatum esse, ex manifestis signis, ex incredibili Apostolorum constantia perspicere potuerint: tamen nec illius disciplinam amplecti, nec illius ductum sequi voluerunt. Consequens igitur est, ut antequam Christi præceptorum explicationem ingrediamur, de ista animi probitate, deque huic opposita improbitate atque malitia, ea præmittamus, quibus quid utraque sit, & quot in genera distribui possit, dicamus. Est autem probitas ista nihil aliud, quàm rectè agendi studium, à recto rationis judicio profectum. Intelligendum quippe est, Deum probitatis hujus in ipsa hominis natura fundamenta jecisse, cui insevit rationem, volũtatem, & appetitum: inter quæ voluntas media eaque libera existens, jam ad rationem sese applicat, & sic nascitur probitas ista, quam oratione persequimur; jam appetitui obtemperat, & hinc improbitas emergit; ut facilè appareat, in hominis potestate positum esse, vel probitatem colere, vel improbitatem consectari; cum Deus liberum voluntatis arbitrium homini concesserit: ut quidem ex eo apertissimè constat, quòd qui mentem gerunt a probitatis studio alienam, ideoque ad divinam doctrinam percipiendam planè ineptam, gravissimè de malitia animique contumacis protervitate accusantur: quodque divinitùs admonemur, ut, *si*, Heb: 3. 7.8.12. Christi *vocem audierimus, mentes nostras ne obfirmemus; néve in aliquo nostrûm sit cor pravum.* Huc & illa Christi verba spectant: *Si* Ioh: 7.17. *quis voluerit voluntatem ejus* (Patris) *facere, cognoscet de doctrina, utrùm sit ex Deo, an ego à me ipso loquar:* id est, si quis eo animo sit præditus, ut sese totum ad Dei obsequium accommodare velit, is doctrinam meam divinam verissimamq; esse, facilè intelliget. Quibus quidem Christi verbis sine dubio tacita continetur admonitio, quâ homines in probitatis studium incitare voluit. Vt autem hæc Christi, ita superior illa divini spiritus hortatio supervacanea foret, si voluntas nostra, aut virtutis studio, aut sceleris turpitudini, ita alligata esset, ut necessariò vel ad justitiæ cultum nos impelleret, vel ad impuritatis amorem raperet. Hinc colligitur, improbitatem esse voluntariam quandam animi a pietatis studio aversionem.

Quod ut meliùs possit intelligi, necesse est, ut quemadmodum utramque definiendo explicavimus: ita utramque in eam, quæ naturalis quodammodo dici potest, & acquisitam distribuamus. Naturalis

Cap. I. De probitate & improbitate.

turalis illa animi probitas vocari potest, quâ hominis voluntas, quantumvis libera, naturali quadam inductione magis ad virtutis, quàm vitii studium propendet. Quo pacto & naturalis improbitas est, quâ hominis voluntas naturali quadam inclinatione ad flagitia suscipienda, quàm ad pietatis sanctimoniæque officia præstanda, paratior promptiorq; est, etiamsi interea, ut ille in vitium, ita hic in virtutem animum flectere queat.

Iam acquisita probitas est, quâ fit, ut hominis voluntas, etiamsi fortè naturaliter ad flagitia sit propensa, assvetudine tamen quadam ad virtutis studium traducatur. Qua quidem in re magnam vim habet præclara educatio, & cum illis, qui in sanctimoniæ studio versantur, arctissimum familiaritatis vinculum, ex quo pietatis exercitium magnaque rectè agendi cupiditas emergere solet. Improbitas porrò acquisita est, in quam hominis voluntas ad virtutis exercitium alioqui, si illius naturam spectes, propensior, vel prava institutione, vel sceleratissimorum hominum commercio, ac flagitiorum consuetudine, impellitur.

Ex quo consequitur, postquam Evangelica doctrina homini innotuit, omnem vim vel officii præstandi, vel divini imperii contumaciter respuendi, in animi probitate aut pravitate constitutam esse: ut meritò religio Christiana Lydius lapis appellari queat, utpote quo hominis probitas perversitasque exploretur. Habet enim hoc Christi disciplina, ut cùm in eum hominem incidit, qui virtute delectatur, avidissimè soleat arripi; contraque eveniat in homine ad scelus propenso, utpote qui nefaria flagitiorum cupiditate elatus, omnia veræ pietatis præcepta deridet, contemnit atque conculcat. Quod quidem improbi animi crimen, cùm Deus pro summa sua sapientia passim dominari, omniumque ferè animos occupasse videret, interim autem id unicè curaret, ut omnes salutarem Christi disciplinam amplecterentur, & sic cœlestis patrimonii hæreditatem adirent; Iohannem Baptistam ad Iudæos, quibus Christus nominatim destinatus erat, cum pœnitentiæ doctrina præmittere voluit, ut antequam Christus salutiferas leges suas promulgaret, hominum animi a malitia ad virtutis studium traducti, ad nostri hujus ducis præscriptiones amplectendas, summâq; diligentiâ conservandas, alacriores essent.

Tam verò illi, qui probitate, quàm qui scelere delectantur, describuntur variis elogiis. Primò enim, quod ad virtutis studiosos attinet, ii jam ex Deo esse dicuntur; jam illi quorum Deus cor tangat, atque aperiat; jam Christi populus, quem alicubi habeat; jam ad vi-

tam æternam ordinati; jam ii qui servantur, vel servandi sunt; jam Christi oves; jam denique ii, quos Deus Christo dat, appellantur.

Ioh: 8. 47. Ac ex Deo quidem esse eam ob causam dicuntur, quòd iis rebus student, quæ Deo probantur. Hac enim dicendi forma, esse nimirum ex aliquo, vel ex re aliqua, illos notari, qui cum aliquo faciunt, vel rei alicui student, ex similibus phrasibus intelligitur; veluti sunt esse ex veritate, ex contentione, ex Diabolo, ex mundo. Ioh: 18. 37. Rom. 2. 8. Ioh: 8. 44. & 15. 19: & 17. 14, 16.

Illi verò quorum Deus cor tangat, atque aperiat, ea de causa nominantur, quòd eum gerunt animum, qui facilè tangi, id est, ad obsequium divinæ voluntatis præstandum, ac justitiæ studium amplectendum, nullo negotio commoveri potest. 1 Sam: 10. 26. Act: 16. 14.

Act: 18. 10. Populus Christi iidem idcirco nominantur, quia ad Christum fide complectendum apti sunt, & ubi ipsum cognoverint, ipsius ductum libenter sequuntur.

Act: 13. 48. 1 Cor: 2. 15. Ad vitam æternam ordinati, aut servandi, ea de caussa appellantur, quòd ad eam viam, quæ ad cœlestis patrimonii possessionem ducit, ingrediendam expediti sunt.

Ioh: 10. 16. 27. Oves præterea Christi ideo dicuntur, quòd à morum feritate immanitateq; alieni; mites contrà ac mansueti existentes, Christi disciplinam facilè amplectuntur, ipsiq;, occasione sese offerente, ut pastori sese regendos haud inviti tradunt.

Ioh: 6. 39. & 17. 9, 11, 12, 24. Postremò Christo a Deo dati propterea dicuntur, quòd tum propter virtutis amorem, tum maximè propter vitæ æternæ eis promissæ dulcedinem faciles sese promptosq; Deo vocanti præbent, eoq; pacto ad Christum trahuntur, h. e. ad eum fide complectendum, doctrinamq; eius amplexandam adducuntur, eiusq; curæ ac patrocinio à Patre commituntur, ut eos foveat, tueatur, æternumq; servet.

1 Reg: 10. 26. 1 Ioh: 3. 8. 10. Ioh: 8. 44. Quod verò ad improbos attinet, animadvertendum est, eos iam filios Belial, id est, ex diabolo natos, seu ex diabolo, illiusq; filios esse dici, propterea quòd, ut Christus nominis istius rationem exponit, patris sui diaboli desideria, id est, ea, quæ diabolo placent, facere studeant: Iam canes suesq; nominari, quia nimirum canes suesq; imitantur; dum nullam in mentes suas pietatis cogitationem illabi patiuntur, & quamvis divinis monitis audientes esse possent, contumaciter tamen ea respuunt, illosque qui cum virtute vivunt, ac salutarem illius doctrinam proponunt, quantum possunt, insectantur. Matth: 7. 6.

Iam preterea iidem ex Christi ovibus minimè esse dicuntur; quia & feri, & ad pastorem nostrum sequendum, ipsiusq; voci auscul-

tandum

tandum prorsus inepti sunt. Quid quòd & Plantæ, quas Pater ille cœlestis minimè plantaverit, esse dicuntur; quia non eo sunt animo prædit, qualem Deus hominibus inserere curat; neque ita sunt comparati, ut sese a summo illo patre tractari ad pietatisq; studium perduci patiantur. Sunt quippe ex eorum numero, qui in lapidem, nimirum Christum, impingunt, eoq; offenduntur, quosq; incredulos, inobedientes, aut inobedientiæ filios, deq; inferis, seu de mundo esse Spiritus Sanctus affirmat, quia videlicet rerum terrenarum cupiditate atque amore impediti, nequaquam divino, sed mundano more de Messia iudicant: ideoq; illum, quem aliquando omni regio apparatu destitutum, contemptum, insuper cruci affixum fuisse nôrunt, nec Christum esse credere, nec illius verbis fidem adhibere, nec illi sese dicto audientes præbere volunt, quales olim plærique Iudæi fuerunt. Quanquam enim cœlestis ipsius disciplina, tot tantisque argumentis confirmata erat: tamen cum quæ nobis displicent, ea haud facilè credamus, contrà autem, quæ volumus, fidem apud nos nullo negotio inveniant; evenit, ut quia Christus, quà voce, quà exemplo ad ea hominibus autor extitit, quæ libidini, quæ nefariæ voluptati, quæ opum ac vanissimæ gloriæ cupiditati adversantur; homines ad improbitatem propensi, nec illi fidem adjungant, nec obtemperent. Ad extremum isti, quos oratione prosequimur, homines illi, qui pereunt, nominantur; quòd improbitate sua excæcati, divinam benevolentiam per Christum sibi delatam superbè respuunt; & ideo ad æternum exitium destinati sunt.

Matth: 15. 13. 1 Pet: 2. 8. Ephes: 2. 2. Ioh: 8. 23. 1 Ioh: 4. 5. 2 Cor: 2. 15. cap: 4. 3.

Cap: II.

De Dei Christiq; cognitione.

Ex his, quæ diximus, perspicuum est, illos, quos probos appellavimus, ad divinæ voluntati morem gerendum aptissimos, hos verò, qui à probitate longè absunt, ineptissimos esse; & ut illi veritatem Evangelii, in quo voluntas divina plenissimè patefacta est, facilè cernunt atque intelligunt: ita hos improbitate sua excœcatos, illam agnoscere non posse. Et quidem eam ipsam ob causam illi, postquam probitatem ducem sequuti ad divinis legibus parendum sese accommodarunt, Deum Christumq; nosse: hi verò eundem ignorare in sacris literis dicuntur. Quod ut rectiùs intelligatur, totam huius rei rationem ita explicabimus, ut primò generatim de Dei Christiq; agnitione: deinde speciatim de eorundem mandatis agamus. Intelligendũ igitur est, agnitionem Dei Christiq; ex divinarum literarum usu atque consvetudine, in eorundem voluntatis, notitia potissimum consistere; ex qua animo firmiter im-

pressa, quia ejusdem divinæ voluntatis executio proficiscitur, ideo hęc quoque non semel cognitionis istius nomine comprehenditur. Voluntatis porrò istius cognitio, tum promissorum, tum præceptorum intelligentiâ continetur. Ac de promissionibus eorumq; confirmationibus quidem, satis jam, ut videmur, diximus. De mandatis verò postea agemus. Interim tamen hoc loco animadvertendum est, in quocunque & notitia divinæ voluntatis, & eiusdem executio reperitur, eum perfectâ, pro seculi huius ratione, Deum Christumq; notitiâ complecti. Imperfecta autem Dei Christiq; agnitio est, cum quis salutaria Dei præcepta quidem intelligit, summumq; bonum illis, qui cum justitia vivunt, promitti audit: propter tamen insignem improbitatem suam, adduci non potest, ut divinis promissis fidem adjungat, & sic præceptis obtemperet. In quo genere
Rom: 1. 19, & d. illi sunt, de quibus Paulus hunc in modum loquitur: *quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis revelavit. Invisibilia enim ipsius á creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas; ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovißent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est*
ỹ 26. *insipiens cor eorum; dicentes, se eße sapientes, stulti facti sunt &c. propterea tradidit illos Deus &c.* Ex hoc autem loco perspicuum est, istam Dei cognitionem, quantumvis inchoatam atque imperfectam, tantam tamen vim habere, ut qui eâ sunt præditi, illis omnem præcidat excusationem. Nam & divinæ voluntatis non planè ignari sunt, & nonnisi per istos stat, quominus pleniorem illam Dei notitiam consequantur, & sic ei obtemperent. Perfectâ autem Dei Christiq; cognitione obedientiam istam contineri, vel saltem cum ea necessariò conjunctam esse, hinc patet, quòd plurima divinarum literarum testimonia, illos Deum aut Christum nosse comprobant, qui ipsi sunt dicto audientes, eosq; Deum aut Christum ignorare confirmant, qui ipsius imperium detrectant. Vide inter alia 1. Sam. 2. 12. Esa. 1. 3: 11. 9: Ier. 2. 8: 4. 22. 9. 3, 24: 22. 16: 31. 34: Dan. 11. 32: Ose. 5. 4: 6. 3: 8. 2: Ioh. 8. 55: 17. 3, 25. Tit. 2. 16: 1. Ioh. 2. 3, 4: & 3. 6: & 4. 7, 8: 3. Ioh. v. 11. Causa porrò, cur is demum Deum nosse meritò dicatur, qui illius imperium sequitur, est, quòd fieri non potest, quin qui Dei voluntatem, præsertim de vita æterna obtemperantibus donanda, cognitam animoq; infixam habet, is totum sese ad ipsius studium amoremq; accommodet. Eodem quoque modo de Christi agnitione judicandum est: quippe quâ ipsius Dei notitia planè contineatur. Voluntas enim Dei perfecta, quæ in sa-

lutaribus

lutaribus præceptis atque promissis consistit, nonnisi per Christum hominum generi patefacta est; tantaq; est utriusque non quidem essentiæ, sed voluntatum conjunctio, ut qui unum nôrit, is & alterum nôrit. Qua de re Christus non dubitavit Philippum illum hunc in modum alloqui: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Quid, quòd Deus nonnisi per Christum cognosci potest, ut qui Dei inconspicui imago est, eumq;, id est, eius voluntatem nobis enarravit. Qua de caussa & splendor gloriæ Dei, & character substantiæ ejus nominatur, utpote clarissimè perfectissimeq; divinam voluntatem nobis explanans. Cujus Dei voluntatis, cùm nequaquam minima pars in eo consistat, ut noster sit Pater, nosque ipsius filii: sequitur, eam Dei voluntatem, nonnisi Christi operâ cognosci posse. Cùm enim solus Christus novi fœderis pactionem nobiscum fecerit, Deusq; nonnisi in novo fœdere sese verè Patrem nobis præstiterit, dum & ardentissimi paterniq; sui in nos amoris firmissima documenta dedit, & cœlestis patrimonii nobis possessionem detulit: consequens omnino est, cognitionem Dei, quatenus Pater est, nonnisi per Christum ejusq; notitiam nobis contingere posse. Et hoc quidem illud est, quod ipse Christus ait, neminem nisi per ipsum ad Patrem venire, id est, neminem Dei Patris cognitionem assequi, eiusq; paterno favore potiri, atque adeò ad cœlestis patrimonii hæreditatem aspirare, nisi per ipsum, posse. Et alibi clarissimis verbis asserit, neminem cognoscere Patrem, nisi Filium, & cui Filius voluerit patefacere. Quibus in locis de perfecta ac salutifera Dei cognitione sermonem esse, quivis perspicit. Nam aliàs etiam per Mosen ad Dei cognitionem pervenire licuit. Hanc igitur ob causam Christus, in Patris suiq; notitia vitã ęternã ponit, ut cognitam perspectamq; Patris, & porrò ipsius etiam voluntatem, viam certissimã ad vitam æternam esse doceat; cùm fieri non possit, quin qui eam animo sunt complexi, ii Christo confidant atq; obediant. Verissimè enim ac divinissimè a Iohanne dicitur, eum se Christum nosse nequaquam jurè gloriari, imò mendacem esse, qui mandata ipsius minimè conservat. Quid, quòd Petrus Christi agnitioni tãtum tribuit, ut fideles per eam mundi inquinamenta, id est, scelera, quorum contagione sese homines mundani polluunt, effugere possint. Nec mirum, cùm, ut idem Apostolus asserit, Deus nobis per eandem Christi cognitionem, omnia, quæ ad vitam, nempe æternam, & pietatem pertinent, largitus sit. Christi enim disciplinâ probè cognitâ, & argumentis, quibus demonstrata est, probè perspectis, necessariò consequitur, ut simul & quàm præstans, & quàm certum illud bonum

Cap: II. De Dei & Christi cognitione.

Ioh: 14. 9. 2 Cor. 4. 4. Col: 1. 15. Ioh: 1. 18. Heb: 1. 3. Ioh: 14. 6. Matth: 11. 27. Ioh: 17. 3. 1 Ioh: 2. 4. 2 Pet: 2. 20. 2 Pet: 1. 3.

lud bonum sit, intelligamus, quod nobis promissum est, quodque vitæ nomine ab Apostolo vocatur. Hanc autem boni istius cognitionem necessariò comitatur pietas, quippe quæ eam sibi annexam habeat conditionem, si Christi mandatis pareamus. Neque verò qui ad hunc divinæ sapientiæ gradum pervenerunt, iis unquam venire in mentem potest, Dei Christique mandatorum difficultatem conqueri. Tantum enim vitę sempiternę pondus est, ut qui eam habet exploratam, iis omnia factu sint possibilia atque facilia: maximè autem illis, quos Deus pro incredibili sua benignitate, obsignationis spiritu donavit. Quod Iohannes, divino spiritu impulsus, attentissimè considerans, hæc verba protulit: *hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus; & mandata ejus non sunt gravia.* Amor quippe Dei ex ejusdem agnitione, indeque manante cœlestis illius hæreditatis spe, oritur, quâ fit, ut ex Deo nati meritò dici queamus, & quod consequens, divinis viribus armati, omnia illa vincere possimus, quæ nobis aliquam obediendi difficultatem afferunt: veluti sunt humanarum cupiditatum illecebræ, hominum odia, afflictiones variæ, casus innumeri, fortunarum direptiones, contemptus, & ejus generis alia: quæ omnia a Iohanne mundi nomine appellantur, isque mundum vincere dicitur, qui omnia, quæ pietatis cursum impediunt, fidei præsidio circumseptus, superat atque amovet, ita ut nulla Deo obtemperandi difficultas ei supersit. Eandem ob rem Christus etiam jugum suum svave, & onus suum leve esse asserit, iis nimirum, qui ad ipsum veniunt, id est, illius disciplinæ operam dantes, ipsum eâ, quâ dictum est, ratione cognoscunt. Nam alioqui Christi mandata, quæ eadem & Dei sunt, nequaquam ex se facilia sunt. Alioquin enim nec a Christo rectè jugum onusvé dicerentur, nec, ut aditus ad illa perficienda esset, mundum vincere necesse haberemus. Voluit enim Deus per Christum ea nobis imponere, quæ per se considerata vires nostras exuperarent, idque tum ut ab ipso toti penderemus, illiusque auxilii assiduò implorandi causam, tum amoris nostri in illum declarandi segetem materiamq; haberemus.

[margin: 1 Ioh: 5. 3.] [margin: ib: ℣ 4.] [margin: Matth: 11. 30.]

Hæc autem Dei Christiq; agnitio, de qua hucusque loquimur, aliis in locis agnitio divinæ voluntatis, agnitio mysterii Dei Patris & Christi, agnitio denique veritatis nominatur. Ac primæ quidem appellationis hæc causa est, quòd Deum tunc optimè, quoad ejus in hoc vitæ nostræ cursu fieri potest, novimus, cum ipsius habemus perspectam mentem & voluntatem, per Christum nobis explicatam atque apertam. Qua de causa & ipsius Christi mentem tenere, primò quidem ac potissimùm Apostoli, sed per ipsos etiam cæteri homines

[margin: Ephes: 5. 17.] [margin: Col: 1. 9.] [margin: 1 Cor: 2. 16.]

homines spirituales, dicuntur. Quod quidem nihil aliud est, quàm quid de nobis Deus ante conditũ mũdum decreverit, quidque a nobis fieri velit, minimè ignorare. Eandem planè ob causam hæc res, agnitio mysterii Dei & Patris & Christi appellatur: cùm, quod paulò antè Apostolus voluntatem dixerat, id hoc in loco mysterium nominet; idq; propterea, quòd hæc Dei voluntas in ipso antea occultè latuit: his verò ultimis temporibus per Christi disciplinam in apertum prolata est, ideoque & Christi mysterium nuncupatur. Similiter & de agnitione veritatis judicandum est. Veritas quippe salutaris istis in locis commemoratur, quæ in Christi tum præceptis tum promissis constituta est. Vox enim Veritatis in novo Testamento simpliciter collocata, ac pro doctrina usurpata, ut plurimùm salutarem veritatem in Evangelio patefactam designat: cum ea veritas sit omnium præstantissima ac divinissima, nec umbras tantùm, sed res omnium solidissimas ac perfectissimas nobis proponat.

Cap: III. De Fide & justificatione.

Col: 2. 2. c. 1. 9.

1 Tim: 2. 4. 4. 3.

Tit: 1. 1.

Cap. III.

De Mandatis Christi, ac primùm de Fide, & per occasionem de Justificatione.

IAM ut speciatim Christi præcepta explicemus, ab iis ordiri placet, quæ sunt generalissima, quæque reliqua omnia gremio suo complectuntur. Ea autem duo potissimùm sunt, fides nimirum & pœnitentia: quæ duo nonnunquam ab autoribus divinis in eadem verborum serie distinctè ponuntur, non quòd fides, si in pleniore quadam significatione sumatur, pœnitentiam minimè contineat; sed quòd vel utraq; strictiùs tunc sumatur, vel ideò altera alteri adjungatur, ut utriusque ratio pleniùs explicetur. A fide igitur exordium capientes, illud primò animadvertendum esse statuimus, hoc in loco de fide Christi, ut a Paulo nominatur, id est, quæ per Christum nobis tradita est, atque ad eum respicit, sermonem a nobis institui. Versamur quippe in novi Fœderis explicatione, cujus Christus mediator ac sponsor fuit. Quæ quidem Christi fides, quamvis ad Deum, primum salutis nostrę autorẽ, non minùs referatur, quàm illa, quæ in prisco etiam fœdere vigebat, atque adeò, si fidei essentiam in genere consideres, eadem cum illa sit: ratione tamen qualitatum, quæ Christo adveniente ad illam accesserunt, ab illa non parùm differt. quæ caussa inter alias est, ut Christus dux & perfector fidei appelletur. Dux enim fidei ideo dicitur, quia is primus novam Deo confidendi rationem hominum generi aperuit, & ad eam amplectendam

Rom: 3. 22.

Heb: 12. 2.

plectendam auctor extitit; quin etiam fœderi, quod Dei nomine nobiscum pepigit, ita eam inseruit, ut omnibus, qui eâ præditi essent, justificationem promitteret; quod contrà olim fiebat. Etiamsi enim homines fide justificationem tunc assequerentur: nequaquam tamen id vi fœderis antiqui, aut generalis alicujus promissionis à Deo hominibus factæ, sed singulari Dei liberalitate eveniebat. Qua de caussa Paulus tunc fidem venisse asserit, cùm Christus
Gal: 3. 2. 5. in terrarum orbe comparuit, suamq; disciplinam hominibus tradidit. Vt igitur discrimen intelligatur fidei illius, quam Christus nobis præscripsit, a fide illa, per quam prisci illi Dei cultores gratiam ejus & quæsiverunt, & assecuti sunt; animadvertendum est, id triplex potissimùm esse. Primùm enim fides Christi postulat, ut spem vitæ sempiternæ, per ipsum nobis apertissimæ promissæ, animo concipias: id quod ad fidem illam antiquorum constituendam non erat necessarium; cùm ejusmodi promisso carerent. Hanc enim
Lib: 3. c. 11. Novi fœderis propriam esse suo loco docuimus. Deinde fides Iesu Christi postulat, ut ea præstes omnia, quæ Christus perfectis suis mandatis, de quibus in sequentibus agemus, complexus est; adeoq; majorem vitæ pietatem ac sanctimoniam requirit, quàm olim a Mose fuit præscriptum. Tertiò & illud ad Veterum fidem accessit, quòd hodie tam in Christum, quàm in Deum credere jubemur: olim verò nequaquam talem fidem extitisse, vel ex eo patet, quòd, uti infrà suo loco videbimus, Christus tunc nequaquam adhuc ex-
Act: 15. 11. titerit. Quòd enim plærique illis Apostoli verbis contrarium demonstrari putant, quibus, *nos per gratiam Domini nostri Iesu Christi perinde servatum iri, ut & illos*, affirmatur; ubi pronomen *illos* ad priscos Iudæorum patres referendum esse contendunt; in eo plurimum falluntur: cùm materia istis verbis subjecta omnino postulet, ut pronomen *illi* non ad priscos illos Patres, sed ad Ethnicos, qui Christi discipuli evaserant, referatur, utpote eodem in loco Iudæis aliquoties oppositos, & eodem pronomine significatos; sensusq; sit, non Iudæos tantùm, sed Ethnicos etiam, fide Christo adhibita, divinæ gratiæ beneficium consequi. Nec obstat, quòd proximè ante pronomen *illi* patrum mentio fiat; cum apud divinos autores hujusmodi particulæ sæpè non ad id, quod proximè præcesserat, sed ad rem, qua de agitur respectum habeant. Quòd si quis ea de causa pronomen *illi* ad gentes minimè referendum dicat, quòd illud masculini, hæ verò Latinis fœminini, Græcis neutrius generis sint; animadvertendum est, id nullius momenti esse, cum *ista* generum mutatio alibi etiam contingat. Apud Matthæum quippe sic scriptum

Cap. III. De Fide & justificatione.

scriptum legimus: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.* item paulò pòst, *docentes eos.* Item Rom: 2. hunc in modum Apostolus loquitur: *Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturâ ea, quæ legis sunt, faciunt, hi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* Hîc quis non videat, in utroque scripturæ testimonio genus fœmininum, vel apud græcos neutrum, cum masculino commutari. Ne de eo nunc quicquam dicam, quòd in loco illo Actorum, Ethnici, quos nos pronomine *illi* significari arbitramur, eodem versiculo paulò antè nomine τῶν μαθητῶν, h. e. discipulorum, quod masculinum est, descripti fuerint, ita ut ne generis quidem commutationem hîc factam esse censendum sit. Hîc verò dicet aliquis, esto sanè, non extiterit tum Christus; at in futurum Christum credere potuerunt, utpote illis tum promissum. Atqui quis non videt, in eum, qui non est, credi minimè posse? cum in aliquem credere, sit eidem confidere, & spe præmii ab eo accipiendi ita duci, ut ejus nutui ac voluntati te penitus attemperes. Hujusmodi autem fiducia quomodo in eum, qui nondum est, collocari potest? Quòd igitur Christus tunc promissus nationi Israëliticæ fuerit, id tantum abest, ut contrariam sententiam constituat, ut prorsus etiam eam convellat: cum ob jam dictam causam, non in Christum eos credidisse, sed fore, ut Christus aliquando veniret, sperâsse, hinc concludi aliqua ratione possit: quamvis ne hoc quidem universè fieri queat. Cum enim Deus in lege per Mosen lata non præceperit, ut unusquisque Messiam venturum expectaret; & non modò ante legem, sed etiam aliquot post legem latam seculis, promissiones de Messia tanta fuerint involutæ difficultate, ut a populo illo intelligi vix ac ne vix quidem possent; nihil est verisimilius, quàm multos Israëlitas, Deo cæteroqui confidentes ac parentes, promissum illud animo nequaquam percepisse, neque adeò spem illius habuisse.

Mat: 28. 19, 20. Rom: 2. 14.

Ex dictis satis intelligi potest, quam ob caussam Auctor divinus Epist. ad Hebræos Christum fidei ducem appellârit. Perfectorem autem fidei ideo nominavit, quia Christus omnia, quæ ad fidem nostram non solùm inchoandam, sed planè etiam constituendam, atque ad exitum perducendam necessaria erant, perfecit, atq; adhuc perficit. Nam & salutem, quam nos fide amplecti jussit, quæque fidei nostræ finis est, ipse obtinuit, & totam ejus rationem perpetuò administrat, & aliquando eam suis daturus est.

1 Pet: 1. 9.

His ita constitutis, consequens est, ut quæ ista fides, quique ejusdem effectus sit, tandem videamus. Intelligendum igitur est, fidem illam tribus veluti gradibus contineri, intellectûs ratione distinctis;

stinctis: quorum primus est, credere Iesum esse Christum: alter, toti ipsius disciplinæ nudum assensum præbere: tertius est, ipsi confidere, perque ipsum Deo, atque adeò spe beatæ immortalitatis subnixum, totum sese ad Dei studium accommodare, id est, Christi, & sic etiam Dei præceptis obtemperare. Hos autem tres fidei gradus dixi intellectûs ratione distinctos esse, quatenus primò, si ordinis spectetur ratio, creditur, Iesum esse Christum. Deinde cum fieri non possit, ut qui Christus Messiasque est, is mentiatur; sequitur necessariò, ut verba ipsius verissima nobis esse persvadeamus. Cum porrò Christi verborum ea sit ratio, ut qui ipsius imperium sequitur, ei sempiternam vitam polliceantur; necesse est, ut tertius fidei gradus ex duobus superioribus nexus aptusque sit, ut nimirum in Christo, & per hunc in Deo nostrâ collocatâ fiduciâ, totos nos ad utrique obediendum applicemus: cùm nemo tanto mentis errore ducatur, ut sempiternam felicitatem sciens volensq; aspernetur. Ex quo consequitur, quamvis, ut diximus, tres isti gradus ratione intellectûs, ordinisque naturâ inter se distingvantur: reipsa tamen tanto eos conjunctionis vinculo inter se copulatos esse, ut qui in uno excellit, is omnes simul possideat necesse sit. Quæ quidem graduum istorum distinctio, certis quibusdam loquendi formulis, partim a viris doctrina ac pietate præcellentibus, partim a divinis autoribus ita explicantur, ut aliud esse dicatur Credere de Iesu seu de Deo, ea nimirum, quæ, quod ad præsentem materiam attinet, de utroque dicuntur, quale est, verbi causâ, quòd Iesus sit Christus: aliud Credere Christo, seu Deo, id est, illorum verbis fidem adjungere; quo pacto Christus dicit, Iudæos ei non credidisse, quem Deus misit; & ei, qui sese miserit, credi postulat. & Paulus asserit, fideles credidisse Deo; & idem unà cum Iacobo, Abrahamum credidisse Deo testificatur: aliud est denique, credere in Christum, seu credere in Deum, aut in Deo. His enim locutionibus fiducia in Deo aut Christo collocata exprimitur. Quamvis autem ultimus fidei gradus præstantissimus sit, & sæpissimè, cùm de fide oratio habetur, eique salus simpliciter adscribitur, nonnisi hic intelligatur: fit tamen etiam sæpe, ut quæ hujus gradus sunt propria, ea reliquis duobus tribuantur: veluti cum Iohannes indicat, eum, qui credit Iesum esse Christum Dei filium, vitam æternam consequuturum esse; vel cùm Paulus asserit, eum, qui Christum a mortuis esse excitatum credit, servatum iri: non quòd hoc credere tantam vim per se habeat, & proxima salutis æternę, ex parte nostra, sit causa: cum hæc res, verè propriéq; loquendo ad fiduciam, quæ obedientiam mandatis

Joh: 5. 38.
ib: ỽ 24.
Tit: 3. 8.
Rom: 4. 3.
Jac: 2. 23.

Joh: 20. 31.
Rom: 10. 9.

Christi

Cap. III. De Fide & justificatione.

Christi præstitam in se complectitur, spectet: sed quòd Iesum esse Christum sibi persvadere, fiduciæ illius causam afferat. Hoc idem & de secundo gradu fieri, illa Christi verba indicant: *Amen Amen dico vobis, quòd qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non veniet, sed transit à morte in vitam.* Ioh: 5. 24. Fides quippe Deo, qui sibi morigeris per Christum vitæ æternæ præmium pollicetur, adhibita, fiduciam istam planè efficit. Animadvertendum autem est, quamvis in Christum credere, fiduciam istam propriè significet: evenire tamen interdum, ut per quendam sermonis abusum, etiam illi in Christum credere dicantur, qui a fiducia ista sunt alienissimi, dummodo doctrinæ Christi, quantumvis leviter, assentiantur. Quo pacto multi ex Iudæorum primoribus in Christum credidisse dicuntur, sed eum propter Pharisæorum metum palàm profiteri non fuisse ausos; quia nimirum magis mundanâ, quàm Dei gloriâ delectarentur. Ioh: 12. 42. Quod sanè neutiquam illis verè assignare potuisset, si verâ istâ, quam oratione persequimur, fiduciâ præditi fuissent; utpote quæ mundum, & porrò timorem etiam, omnemque vanæ gloriæ studium vincat, propter nimis desiderabile bonum iis propositum, qui mundum vicerint. Breviter, ea fides est omnium præstantissima Deoq; gratissima, quâ per Christum Deo confidimus, id est, spe ducti immortalitatis, totos nos illi regendos tradimus, ex ipsiusque præscripto vitam instituimus. Etsi verò fiducia propriè sic dicta a pietate, ratione atque intellectu distingui possit, ut caussa a suo effectu: tamen cùm sac: literæ fidei nomine totum id comprehendunt, quod ex parte nostra ad justificationem & salutem obtinendam requiritur, fide etiam pietatem, tanquam illius perfectionem, complectuntur. Fides enim nisi bonorum operum fructibus perficiatur, justificationem perfectam ac salutem sempiternam conciliare hominibus non potest: quemadmodum apertissimè testatur Iacobus, dum inter alia ait: *Visné autem scire, ô homo vane, quòd fides sine operibus sit mortua? Abraham pater noster nonné ex operibus justificatus est, cum obtulisset filium suum super aram? Videsné, quòd fides cooperata fuerit ipsius operibus, & ex operibus fides fuerit consummata, impletaque scriptura, quæ dicit: Credidit autem Abraham Deo, & imputatum ei est ad justiciam. Videtis ergo, quòd ex operibus justificetur homo, & non ex fide tantùm.* c. 2. 20, & d. Et paulò pòst, cùm idem exemplo Rachabæ comprobasset, ita rem totam concludit: *Sicut corpus sine spiritu mortuum est: ita & fides sine operibus mortua est*, hoc est, ad justificationem ac salutem homini pariendam invalida est atque inefficax. Quare ejus fidei nomine, quæ

ad justificationem ac salutem homini ex divina gratia pariendam, virium satis habet, pietatem, tanquam animam ejus, includi est necesse.

Animadvertendum autem est, nequaquam de eo pietatis sanctimoniæque studio hoc loco agi, quod perfectum, absolutum, omnisque prolapsionis prorsus expers sit. Talem enim tantamq; obedientiam lex olim Mosaica a suis cultoribus exigebat, cui fides, quam Christo adjungimus, non uno in loco opponitur: quippe quę divinam gratiam præsupponens, eâ obedientiâ contenta sit, quam homines divinis promissis excitati atq; adjuti, pro viribus Deo prę-stant, non solùm ut plurimùm a peccati labe integros sese conservantes, sed etiam in virtute ita sese exercentes, ut quod rectum justumque est, ad id perpetuo ardentique studio adspirent. Id autem qui faciunt, ii nullum enorme facinus, præsertim scientes prudentes, in se admittunt; quòd si per imprudentiam humanamque fragilitatem alicubi lapsos se deprehendunt, factum dolent; & ut in posterum inoffenso pede in pietatis cursu pergant, sedulam dant operam. Vnde colligitur, Paulum a Iacobo nihil quicquam dissidere, quamvis ille fidem operibus opponat, & hæc a justificatione excludat: hic verò illam sine his mortuam esse asserat, & hominem servare posse neget. Paulus enim ea a fide opera removet, quæ perpetuam perfectissimamque per omnem vitæ cursum obedientiam continent: Iacobus verò ea intelligit bona opera, quæ homines, spe præmiorum divinorum ducti, ex animo omnibusq; viribus ita perficiunt, ut quamvis omni prolapsione nequaquam careant; habitus tamen, vitiorum quidem omnium exuisse, omnium autem Christianarum virtutum, sibi comparasse meritò dici possint.

Rom: 3. 20. & d. 28. c. 4. 2. & d. Iac: 2. 14, 17, & d.

Iam igitur, ut fidei effectum, quem nobis divina benignitate parit, animo consideremus; facilè cuilibet constare potest, cum fides illud sit, quod in novi Fœderis pactione ad nos pertinet, ejus usum atque effectum esse justificationem illam nobis promissam, quam suprà inter vitæ sempiternæ encomia numeravimus. Hoc tamen in loco paulò fusiùs eadem de re explicandum nobis est, ut & quid sit justificatio ista, & quo pacto per fidem hominibus contingat, intelligamus. Primò igitur justificare, justum aliquem pronunciare, &, quod justo atque innocenti præstare æquum erat, id ei tribuere significat. Iusticiæ autem non tantùm immunitas a pœna, verùm etiam sempiternæ vitæ præmium est a Deo propositum. Quare quem Deus justificat, eum tum a peccatorum omnium pœnis liberat, tum sempiternæ vitæ præmio donat. Deinde cum per fidem

justificationem

Cap: III. De Fide & justificatione.

justificationem nobis contingere exploratum sit; operæ pretium esse videtur, etiam atque etiam considerare, num hac ratione id fiat, ut fides justificationem illam mereatur, ejusque sit causa efficiens principalis: an verò summâ Dei clementiâ atque misericordiâ fiat, ut nobis fide subnixis, quantumvis perfectissimum vitæ cursum minimè teneamus, justitia tamen tribuatur. Nos igitur hoc posterius statuimus, non ignorantes, fidei nostræ nequaquam esse ea merita, quibus justificatio, quâ sempiterna continetur felicitas, tanquam merces debita sit tribuenda. Nam & fides ista nobis ad justitiam imputari dicitur, ut intelligamus, nos, quamvis fide præditos, justitiâ tamen absolutissimâ destitui, & ideò non quidem verè, sive perfectè absoluteq; justos esse, sed pro justis divina benignitate haberi, h.e. ita nobiscum agi, ac si justi perfectè fuissemus. Hanc enim imputationis vocabuli vim esse, Paulus luculentissimè docet, cùm imputationem istam operum perfectioni clarissimè opponit, & eam ex gratia proficisci, ac mercedi, quæ ipso jure debeatur, accommodari non posse docet. Vbi autem meritum propriè dictum est, ibi merces ipso jure debetur. Hinc porrò consequitur, fidem istam, quamvis obedientiam ac pietatem in se comprehēdat, nequaquam tamen per se & principaliter efficere, ut justificationis beneficium consequamur. Obedientia quippe ista minimè perpetua omnibusque numeris absoluta est. Interim tamen sic habendum est, cum Deus nonnisi illis, qui fidem virtutemq; pro sua virili parte colunt, vitam sempiternam designaverit; fiduciam istam non quidem causam meritoriam, aut principaliter efficientem, sed causam sine qua non, ut loquuntur, justificationis nostræ esse, & non vi sua propria, sed vi promissi divini, ex mera benignitate profecti, eam nobis præstare. Hæc autem justificandi ratio per Christum demum promulgata ac palàm annunciata est, ut testis est Paulus hunc in modum loquens: *Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata à lege & Prophetis, justitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt.* Ex his Pauli verbis clarissimè patet, non solùm nunc demùm fidei justitiam patefactam esse: sed etiam longè aliam quondam justificationis rationem publicè propositam fuisse, nempe quæ ipsa lege Mosaica continebatur Hanc autem Dei justitiæ non eam ob causam tum hîc, tum alibi, opponit Apostolus, quòd a Deo nullo modo profecta aut præscripta fuerit: sed quòd ad illam respectu habito, humana quodammodo appellari possit, utpote ipsius hominis meritis, studio, labore comparanda. Illius enim summa in hoc consistebat, ut homines divinæ legi absolutissimè per-

Rom: 4. 5.

ibid: v 3, 4, 5.

Rom: 3. 21.

Rom: 10. 3. Phil: 3. 9.

mè perpetuoque sine ulla labe obtemperarent, si justitiæ laudem assequi vellent; quiq; contrà facerent, ii in justis minimè haberentur. At qui divinæ legi absolutè ac perpetuò obtemperaret, is factis suis mereretur, ut justus pronunciaretur, & nihil hac in parte gratiæ clementiæq; divinæ imputaret. Contrà se res habet in justitia per fidem obtinenda, quæ non hominum debetur meritis, sed ex meraDei benignitate proficiscitur;ideoq; si veram ejus caussam & originem spectes, non hominis est propria,sed Dei. Etenim non solùm impunitate, verùm etiam sempiternæ vitæ præmio donari, qvantumvis & antea impurissimis sceleribus obligatus fueris, & etiamnum interdum labaris, dummodo ad frugem reversus, proeo ac fieri ab homine,divino præsidio circumsepto, possit, omni scelerum consvetudine abjecta, justitiam ex animo consecteris, hoc demum divinæ liberalitatis opus est.

Hîc quæret aliqvis, quomodo per Christum demum hæc divina justificandi ratio manifestata orbi terrarum esse rectè dicatur; cum ex divinis literis constet, eam omni tempore, id est, & ante Legem,& sub lege Mosis viguisse? Paulus quippe,ut ita esse ostendat, tum Abrahamum, qui ante Legem vixit, in rei istius exemplum proponit; tum Davidis ea de re testimonio nititur: & illum quidem nequaquam per opera, sed per fidem singulari Dei benignitate atque gratiâ ad justitiam adspirasse affirmat: hujus verò testimonium eo pacto commemorat, ut non obscurè colligi posse videatur, etiam tunc temporis veram beatitatem,non in operum merito, sed in peccatorum condonatione constitutam fuisse. Respondemus autem, nos nequaquam diffiteri, imò planè contendere, nullum unquam mortalium operum absoluta perfectione, sed fide, cujus forma est obedientia, justificationem assecutum fuisse: pernegamus tamen justificationem, quæ ex fide oritur, vel fœdere comprehensam, vel ut rem, quæ perpetuò ad omnes spectaret, apertè propositam atque promissam fuisse. Erat quippe hoc tunc singulare quiddam, a singulari Dei benignitate extra fœderis antiqui pactionem profectum. Quid autẽ illud est,inquies,quòd Habacuc,qui sub Lege vivebat,asseruit,justum sua fide victurum?an non apertissimum hinc est,jamtum fidei justitiam patefactam fuisse?Atqui primùm ad tantæ rei promulgationem, quæ ad universos fœderis alicujus pactione comprehensos semper spectare debet, nequaquam satis est Prophetæ alicujus multis demum seculis post pactionem illam viventis pronunciatum; cum hoc nec semper, nec singulis notum fuisse planè constet: sed opus est,ut generalis quæ-

Rom:4. 3. & d.

Habac: 2. 4. Rom: 1. 17.

Cap: III. De Fide & justificatione.

dam rei istius promissio ipso fœdere contineatur: ut quidem hoc tempore fidei justitiam in Evangelio seu novo fœdere manifestatam fuisse, Paulus luculentissimè testificatur. Deinde verba illa manifestè de futuro tantùm tempore loquuntur: & prophetiam continent in novo demum fœdere reipsa ac perfectè implendam. Instabit autem quispiam, & justificationem, quæ peccatorum remissione continetur, luculentissimè tum a Mose, tum ab Ezechiele Dei nomine promissam illis fuisse, qui scelera a se admissa detestati ad officium redirent; cui quidem, quod ad Mosis testimonium attinet, responsum volumus, nos hoc loco non de ea scelerum condonatione verba facere, quæ in cessando tantùm a suppliciorum temporalium irrogatione, vel eripiendo ex pœnis istiusmodi jam illatis posita est, qualis a Mose commemoratur: sed de ea peccatorum remissione, quæ integram resipiscenti æternamq; præstet impunitatem. Deinde Moses non singulis ex populo, sed populo universo, si post multiplices pœnas tandem ad Deum sese convertat, illam scelerum condonationem, & in pristinum statum restitutionem pollicetur. Quod ad Ezechielis testimonium attinet, primò id responsum volumus, quod de verbis Habacuc paulò antè diximus. deinde nec is de immunitate a pœnis æternis, nisi fortè sensu mystico, & ad novi potiùs, quàm ad antiqui fœderis tempora spectante, loquitur: sed de liberatione a morte violenta, vel a summis calamitatibus, quæ mortis essent instar, ut orationis totius scopus satis ostendit. At nunc ejusmodi peccatorum remissio in nova pactione est proposita, quæ cum omnibus generatim, tum singulis in Christum credentibus ac vitam emendantibus, perpetuò, ab omnibus peccatorum pœnis, atque imprimis ab æterno supplicio, præstet immunitatem. Quale quid in prisco illo fœdere constitutum, populoq; apertè traditum minimè fuisse, promptissimum est. Nisi fortè hoc ex illis Davidis verbis colligi posse volumus, quibus summam Dei misericordiam commendans, asserit, Deum nequaquam pro meritis illos punire, qui ipsum metuunt, fœdusq; conservant. Atqui præterquam quòd itidem de pœnarum temporalium tantùm ablatione loquitur; animadvertendum etiam est, eum nequaquam hanc Dei clementiam populo illi promissam fœdereq; sancitam fuisse affirmare: sed ingentem Dei bonitatem animo ponderantem ostendere, quantum sibi homines cum pietate viventes, de incredibili illius clementia atque misericordia polliceri possint. Id quod absque ulla rei istius, quam Deus populo illi fecerit, promissione fieri potuisse, nemo non videt; præsertim

Rom: 1. 16, 17.

Levit: 26. 40, & d. Ezech: 33. 11.

Psal: 103. 10, 16, 18.

cùm idem David, hujus suæ de divina benignitate persvasionis rationem, non ex divina promissione petat, sed hanc tantùm illius
℣ 14. apponat caussam: *Recordatur, quòd pulvis sumus.* quasi dicat, ideò Deus summo jure cum hominibus non agit, quia illorum fragilitatis haud est ignarus. Vt igitur rem totam in pauca contrahamus; facilè concedimus, non minùs olim, quàm hodie, justificationem in fide constitutam fuisse, sine qua impossibile est Deo placere, ut
Hebr: 11. 6. testis est autor Epistolæ ad Heb. Hæc autem differentia inter illa hæcq; nostra tempora semper retinenda est, quòd tunc ita homines fide consequebantur, ut publicè hoc ipsum minimè proponeretur, fœderevé comprehenderetur: hodie verò is justificandi modus palàm inq; ore omnium prolatus, nova pactione inclusus est.

Hîc verò haud aliena incidit quæstio, nimirum quid fuerit causæ, ut cùm fide jam olim obtineretur justitia, quantumvis non patefacta, nihilominus tamen Legis disciplina populo Israëlitico tra-
Rom: 5. 20. Gal: 3. 19. deretur? Respondet Paulus, Legem propter transgressiones subingressam appositamvé, non ut justitiam Israëlitis tribueret, sed partim ut eos a sceleribus ac flagitiis pœnæ metu revocaret; partim verò ut peccatorum vim, quam ad homines damnandos, & pœnâ obstringendos haberet, augeret, hominibusq;, quàm procul a recto vitæ cursu abessent, & porrò in quanto periculo versarentur, luculentissimè ostenderet: hocq; pacto eos ad incredibilem Dei benignitatem, quam in condonandis peccatis sub novo potissimùm fœdere declarat, agnoscendam atque admirandam impelleret. Non diffitemur tamen, Legem hoc consilio a Deo latam fuisse, ut si quis ex illius præscriptione animi sui morumq; statum penitus componeret, is viveret, vitam nimirum, si ad reconditum Dei
lib: 2. cap: ult. consilium respicias, sempiternam. Verùm cùm hoc ob causas alibi jam a nobis explicatas, vix ac ne vix quidem fieri posse videretur; Deus pro summa sua sapientia eandem legem in alium finem, nempe paulò superiùs a nobis memoratum, direxit, contentus interea fiduciâ illâ, quâ homines pro eo ac poterant, Legi parebant, eiq; justitiæ præmium tribuens. Intelligendum quippe est, duplicem Legis, ut & Christi præceptorum, conservationem esse, quarum altera perpetua perfectissimaq; est, quam nomine operum Legis Paulus complectitur; altera verò nec perpetua, nec absolutissima est, quam nimirum homines pro virili parte exequebantur, & in qua Deus pro sua benignitate solebat acquiescere.

Caput

Cap: IV.

De Pœnitentia.

AGendum nunc eſt, ut ordo a nobis inſtitutus poſtulat, de Pœnitentia. Verùm cùm hæc abſque præteritorum ſcelerum, ad quæ propriè reſpicit, qualicunque explicatione intelligi haudquaquam poſſe videatur; operæ pretium eſt, pauca de illis præmittere, nihil dum de illis peccatis explicando, quæ in Chriſti religionem committuntur, quamvis eodem alioqui genere comprehenſis. Eſt autem peccatum, quod Græcè ἁμαρτία dicitur, nihil aliud, quàm, ſi vim nominis ſpectes, quædam a ſcopo divinitùs nobis præfixo aberratio: propriè autem loquendo, divinæ legis tranſgreſſio. Lege quippe ſua Deus nobis hunc vitæ noſtræ ſcopum ac terminum conſtituit, ut honeſtum rectumq; ſequamur, fugiamus contraria. Vt autem Deus hoc duplici ratione fecit, vel naturaliter honeſti turpisq; notitiam mentibus hominum inſerendo: vel ſcriptis expreſſisq; præceptionibus, quid fieri a nobis, vel non fieri velit, declarando: ita duplici ſeſe olim homines flagitiorum genere obſtringebant. Vel enim violabant honeſti ac turpis diſcrimen naturaliter nobis inſitum: vel expreſſam Dei legem tranſgrediebantur. Ac illud quidem Paulus ab Ethnicis divinæ legis ignaris factitatum, eosq; a conſcientia ſua accuſatos fuiſſe aſſerit. (Rom: 2. 15.) In hoc numero & Epheſianos & Coloſſenſes alioſq; his ſimiles fuiſſe, ex ejuſdem Pauli Epiſtolis ad eos ſcriptis perſpicitur. (Epheſ: 2. 1, 2. Col: 1. 21: 2. 11, 13.) Quanquam enim dubium non eſt, quin iſtorum majores aliquâ divinitatis notitiâ imbuti fuerint, cùm Deum primos illos homines ad colloquia ſua admiſiſſe, illisq; crebrò apparuiſſe conſtet, a quibus Dei, eiusq; voluntatis notitia quædam ad poſteros dimanavit: evenit tamen, ut hæc rerum divinarum cognitio a poſteris neglecta, & tandem progreſſu temporis planè extincta fuerit, manente interim in eorum mentibus turpis honeſtique diſcrimine. quod cùm violaverint, antequam Chriſti lumine colluſtrarentur, peccati mancipia fuiſſe meritò dicuntur. (Rom: 6. 17, 19, 20.) Iam quod ad illum peccandi modum attinet, quo expreſſa Dei mandata violantur; animadvertendum, vel in Moſis, vel in Chriſti diſciplinam hoc pacto potiſſimùm peccari: & quia hæc poſterior delinquendi ratio ſuo loco explicanda nobis eſt, hîc priorem tantùm, quæ ad rem, quam modò agimus, propriè ſpectat, ponderabimus. Dicimus igitur, huc referenda eſſe omnia peccata, quorum Iſraëliticam nationem convinci, eamq; ob rem maledictioni ſubjici, Paulus ait, niſi ſingularis Dei benignitas atq; (Rom: 3. 19 conf. v 9, & d & c. 2. 21, & d. Gal: 3. 10, 13.)

 clementia

clementia huic malo subveniat. Quæ quidem Dei beneficentia hoc tempore omnibus, tam Ethnicis, quàm Iudæis, qui Christum fide complectuntur, meliorisque vitæ rationem ineunt, liberalissimè offertur. Vitæ porrò correctionem, quæ & Pœnitentiæ nomine a divinis autoribus appellatur, omnibus annuciatam & mandatam fuisse manifestum est. Hæc autem a Græcis μετάνοια, id est, mentis mutatio dicitur; ut facilè appareat, cum ex mente humana omnes actiones profluant, pœnitentiam totius vitæ conversione quadam generali contineri, quâ fit, ut homo, si ad ipsius mores actionesq; habeatur respectus, alius atque antea fuit, meritò censeatur. Hinc colligitur, ad veram pœnitentiam constituendam nequaquam satis esse, lachrymis tristitiæq; sese dedere, peccatorum confessionem edere, eorum denique condonationem sperare, ut multi existimant, nisi universum vitæ statum ita commutes, ut omni impuritate propulsata, totum te ad justitiæ cultum accommodes. Omnem porrò vitæ cursum in alium convertendum ei esse, qui jure sibi veram pœnitentiam assignare velit, plurimis sanctarum literarum testimoniis comprobari potest. Ex quibus ut ea, quæ omnium sunt luculentissima, hoc capite excutiamus, animadvertendum est, duo illorum esse genera. quædam enim uno, ut vocant, termino, quædam pluribus rem istam explicant. Vno termino illa pœnitentiam declarant, in quibus regeneratio, renovatio animi, suiipsius abnegatio, evigilatio e somno, purgatio suiipsius, crucifixio carnis & cupiditatum appellatur. Quæ omnia pœnitentię elogia sigillatim suis ponderibus examinare operę pretium est. Primò igitur regenerari quasi iterum gigni designat; hocq; loco ad vitæ mores actionesq; referendum est, ut nimirum, quemadmodum qui propriè vereq; gignitur, a non esse ad esse mutatur: ita hîc ille regigni dicatur, qui, quod ad vitæ rationem attinet, is evadit, qui non fuit antea, nimirum justitiæ sanctimoniæq; studio deditus, cum aliquando peccato dederit operam. Hoc autem verbi divini semente perfici, tum Iacobus, tum Petrus testificantur. Ea enim Evangelicæ disciplinæ vis est, ut promissorum amplitudine vitia ex hominum animis extrahat radicitùs, eosq; totos ad pietatis studium traducat. Quod idem & de renovatione mentis judicandum est, utpote quæ eam animi mutationem declarat, quâ fit, ut hujus mundi illecebris nefariisq; cupiditatibus valere jussis, mentem totam ad Dei studium applices. Huc spectat & evigilatio e somno. Apostolus enim priorem vitæ nostræ statum nobis ante oculos constituere, ad eumq; deponendum nos perducere instituens, hac dicendi fi-

Act: 26. 18, 20. Joh: 3. 3. Tit: 3. 5. 1 Pet: 1, 3, 23. Iacob: 1. 18. 1 Pet: 1. 23. Rom: 12. 2. Eph: 4. 23. Tit: 3. 5. Rom: 13. 11.

cendi figurâ innuit, nos antea arctissimo quasi ignorantiæ scelerumq; somno oppressos fuisse; ideoq; ut tandem expergiscamur, i. e. excusso illo veterno, aliam eamq; meliorem vitæ rationem instituamus, admonet: quod alibi quoque facit: *Expergiscere*, inquit, *qui dormis;* quasi dicat, tu, quem gravissimus ignorantiæ ac scelerum somnus complexus est, & ideò in sempiternæ mortis periculum conjecit, quin te colligis, & veterno isto abjecto, te ipsum ex præsentissimo malo eripis? Eodem modo & nos ipsos purgare jubemur. *Emundate*, inquit Iacobus, *manus, peccatores, & purificate corda, duplicis animi homines.* Cum enim animus nondum ab impuritatis contagione abstractus, flagitiorum quoddam quasi domicilium sit, & manibus plurima sæpè scelera suscipiantur; meritò tum ad animum, tum ad manus expurgandas incitamur. Iohannes autem illum, qui Deo se similem fore sperat, seipsum purum efficere ait, quemadmodum ipse Deus purus est; non quòd homines ad tantam puritatis integritatem pervenire possint, ut Deo ea in re pares sint: sed quòd ipsius implorato auxilio, pietatisq; studio ardenti atq; incitato, ad eum sanctitatis gradum ascendere queant, ut Deo similes evadant. Qua quidem in re totius pœnitentiæ summa contineri videtur. Iam quod ad carnis libidinumq; crucifixionem attinet; intelligendum est, eam in cupiditate refrænanda, & appetitu, qui voluntatem hominis ad se rapere solet, vi potentiâq; suâ spoliando, & haud aliter interimendo sitam esse, ac Domino Iesu per crucis mortem omnis operandi vis, vitaq; ipsa erepta fuerat.

Ephes: 5. 14.
Iacob: 4. 8.
1 Ioh: 3. 3.
Gal: 5. 24.

Sequitur ut, quo pacto duobus orationis terminis hæc pœnitentiæ disciplina nobis tradatur, videamus. Animadvertendum igitur est, priorem terminum scelerum abjectionem; alterum verò justitiæ exercitationem continere. Hoc autem rursus duobus modis perficitur. vel enim in uno eodemque loco uterque terminus habetur; vel in diversis locis jam prior, jam verò posterior exprimitur. Ac ut prioris modi exempla afferamus, primò hîc à nobis postulatur, ut expurgato vetere fermento, nova simus conspersio. Quæ verba licèt ad eos, qui in aliquo peccati genere manifestè hærent, Ecclesiâ exterminandos primò spectent: non dubium tamen est, quin eâdem operâ ad omnia vitia penitùs extirpanda, novamq; vitæ rationem ineundam incitemur. Huic simile etiam illud est, quòd vetere homine exuto, novum induere jubemur. His enim in locis nihil aliud docetur, quàm nostri officii esse, habitum animi pristinum abjicere, ac porrò etiam vitam anteactam, veterumque morum nostrorum perversitatem deponere, & cursum vitæ laudabiliorem

1 Cor: 5. 7.
Ephes: 4. 22.
Col: 3. 9, 10.

Heb: 12. 1. biliorem capere. Huc & illa diviniſſimi autoris admonitio pertinet, quâ incitamur, ut omne pondus, & libenter circumſtans nos peccatum deponamus, perq; patientiam decurramus propoſitum nobis certamen, id eſt, ut omnibus flagitiis, quæ pietatis noſtræ curſum impediunt, prorſus deletis atque exterminatis, conſtanter in illius ſanctimoniæ ſtudio verſemur ac progrediamur, quæ a Chriſto nobis præſcripta eſt. His illa Pauli verba adjungenda ſunt, quibus monemur, *ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, ſobriè, juſtè, ac piè vivamus in præſenti ſeculo*, h. e., omnibus flagitiis ac ſceleribus, omnibusque cupiditatibus, quibus non corporis neceſſitati conſulitur, ſed libidini atque luxuriæ ſervitur, extirpatis, temperantiam, quâ non ſolùm in rebus prohibitis, ſed licitis etiam, cùm alienum id exigit commodum, conſervanda eſt; & juſtitiam, quæ ſuum cuique tribuit; & pietatem, quæ religionis divinæq; gloriæ ſtudium continet, unicè colamus. Huc etiam ſpectat illa Petri admonitio: *Depoſitâ omni malitiâ, & ſimulatione, & invidiâ, & omnibus detrectationibus, ſicut modò geniti infantes, rationale, quod ſine dolo (eſt,) lac concupiſcite, ut in eo creſcatis.* Vbi per lac rationale doliq; expers, doctrina Chriſti intelligitur omni dolo carens, quæ non corporale ſed rationale lac eſt, ſeu animæ noſtræ convenientiſſimum alimentum, quo ii, qui in Chriſto recèns nati ſunt, enutriri debent, ejusque uſu, tum in rerum divinarum cognitione, tum in fide ac pietate creſcere, atque augmentum indies ſumere. Huic autem augmento penitùs obſtant illa animi vitia ac peccata, quæ deponi Apoſtolus jubet. Ac malitia quidem primo loco commemorata, omnia externa, quæq; ſub aſpectum cadunt, ſcelera continet. Dolus verò, qui ſecũdo loco ponitur, omnia fraudum genera complectitur, quæ licet in apertum minimè proferantur, imò variis artibus contegantur, conſcientiæ tamen vi, deteſtanda eſſe facinora agnoſcuntur. Simulatio porrò eſt, cùm aliud animo tegitur, aliud verbis vultuque exprimitur. Invidia eſt, cum qvis alieno bono haud aliter affligitur angiturq;, ac ſi ipſe aliquo fuiſſet affectus damno. Obtrectatio denique eſt, cùm præter internam invidentiam, etiam verbis aliena fama atq; exiſtimatio violatur. In hoc numero & illa Spiritus S. cohortatio habetur, quâ incitamur, ut fidei noſtræ profeſſionis memores, cogitemus, nos per baptiſmum peccatis unà cum Chriſto mortuos ſepultosq; eſſe, ut unà cum eo reſurgentes, in vitæ novitate gradiamur. Id quod eodem loco Apoſtolus aliquoties, quantumvis aliis atque aliis verbis repetit, dum veterem hominem crucifigendum ſeu abolendum, & corpus peccati, id eſt,

Marginal references: Tit: 1. 12. (beside "bus monemur"); 1 Pet 2: 1, 2. (beside "admonitio"); Rom: 6. 4, 5. (beside "ro & illa Spiritus S."); Ibid: ℣ 6. (beside "terem hominem")

id eſt, ipſum peccatum deſtruendum eſſe aſſerit, ut nimirum nec ei ℣ 12.
ampliùs ſerviamus, nec dominatum id habeat in corpore noſtro mortali, nempe ut illius concupiſcentiis morigeros nos præbeamus; ſeu ne permittamus peccatum in corpore noſtro, quantumvis fragili, dominari: ſed ut vivamus Deo in Chriſto Ieſu Domino noſtro, id eſt, ſecundùm Ieſu Chriſti diſciplinam vitam noſtram inſtituamus. Item ut a peccato (ſcilicet per ejus depoſitionem) liberati, ſervi fiamus juſtitiæ & Dei, & ut, quemadmodum membra noſtra impuritati atque injuſtitiæ ſerva præbuimus, ad perpetrandam injuſtitiam: ita nunc quoq; membra noſtra ſerva præbeamus juſtitiæ ad ſanctimoniam. In hanc eandem ſententiam Petrus: *Chriſto igitur* 1 Pet: 4. 1, 2.
pro nobis paßo carne, vos eadem cogitatione armamini, (quia qui paßus eſt in carne, is peccare deſiit) ut jam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt temporis, vivatis. Quę quidem verba hanc continent ſententiam: Quemadmodum Chriſtus, poſtquam ſemel paſſus eſt, jam non ampliùs eas patitur afflictiones, quæ homines ſcelerati ſubire aliàs ſolent: ita & nos carne noſtra crucifixa, in poſterum ab omni peccatorum contagione corpus animumque noſtrum abſtrahere debemus. Vbi animadvertendum, hæc Apoſtoli verba: *Deſiit peccare*, tum ad Chriſtum, tum ad nos reſpectum habere. Ad Chriſtum quidem figurato orationis genere referuntur, ita ut eum ab iis malis atque afflictionibus, quæ peccatorum pœna eſſe ſolent, liberatum eſſe ſignificent: ad nos verò propriè veréque pertinent, nosq; ampliùs flagitia ſuſcipere nequaquam debere oſtendunt. Eadem planè res & illis verbis Pauli nobis præcipitur: Rom: 13. 12, 13, 14.
abjiciamus opera tenebrarum, & induamus arma lucis: ſicut in die honeſtè ambulemus: non in comeßationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: ſed induite Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; & carnis curam ne feceritis ad cupiditates. Quo in loco Paulus hominis Chriſtiani habitum cultumq; deſcribens, æquiſſimum eſſe docet, ut quoniam per Chriſti diſciplinam cœleſti luce colluſtrati ſumus, ideoque is habitus, qui tenebris convenit, nobis minimè congruit, eum abjiciamus, atque a ſceleribus, ex divinæ voluntatis ignoratione profectis, abſtineamus, & induamus habitum luci convenientem, id eſt, eam ſequamur vitæ ſanctimoniam, quam Chriſti diſciplina præſcribit. Quam quidem Ephes: 5. 8.
rem illud planiſſimè declarat, quod Paulus Epheſianis tribuit, inquiens: *Eratis quondam tenebræ, nunc verò lux in Domino eſtis. ambulate igitur ut filii lucis:* quaſi dicat: fuit tempus, cùm propter divinæ voluntatis ~~errorum~~ denſiſſimis errorum ac peccatorum tenebris

nebris demersi jacebatis: nunc verò, postquam per Christum divinæ veritatis notitiâ collustrati, & ideò lucis filii facti estis, consequens omnino est, ut ex eadem luce, seu doctrina Christi, vitæ vestræ statum componatis. Eadem quoque illius Petri Apostoli testimonii ratio est, quo Christum peccata nostra super lignum sustulisse asserit, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus: id est, ut sceleribus valere jussis, omne vitæ studium in justitiæ cultu atque exercitio ponamus.

1 Pet: 2. 24.

Veniamus jam tandem ad eam explicandæ pœnitentiæ rationem, quâ uterque orationis terminus, seu hominis status, non in una sermonis complexione, sed diversis in locis reperitur. Primus igitur hominis status, priore termino comprehensus, ita explicatur, ut qui in eo versantur, jam mundus nominentur; propterea quòd & mundana sapiunt, & mundano more vitam instituunt: Iam dicuntur carnales, aut esse in carne, aut secundùm carnem vivere, quia nimirum carnalibus cupiditatibus sese constringendos dederunt, carnisq; ductum atque impulsum in vita sequuntur: Iam verò servi mancipiaque peccati, subque eo venundati dicuntur; quia ut servi sui juris non sunt, sed tota illorum vita in alterius manu posita est: ita & hi peccati dominatu, suâ tamen culpâ, oppressi adeò sunt, ut illa, quæ recta ipsi esse judicant, peragere quodammodo nō possint, sceleris consvetudine eos subinde in transversum rapiente: Iam etiam Dei inimici vocantur, quòd mente sint a Deo abalienata, dum factis impiis cum Deo bellum gerunt: Iam præterea homines mali appellantur, tunc videlicet, cùm seculi mali, & nationis pravæ mentio fit: item injusti, impii, & omni peccatorum genere repleti. Atque ut alia nonnulla mittam, malæ seu putres arbores nominantur. ut enim arbor mala bonum fructum ferre non potest; ita isti, ut testis est Paulus, ad nullum opus bonum apti sunt.

Joh: 1. 10. & 7. 7: 14. 17: & 15. 18, 19. 1 Joh: 4. 5. Rom: 7. 8. 1 Cor: 3. 1, 2, 3. Rom: 7. 14. Joh: 8. 34. Rom: 7. 14. Rom: 5. 10. Col: 1. 21. Gal: 1. 4. Act: 2. 4. 1 Cor: 6. 9. Rom: 5. 6. Rom: 1. 29. Matth: 7. 17, & d. 12. 33. Tit: 1. 16.

Sed jam ad posteriorem hominis Christiani statum pergendum nobis est; qui quidem multis explicatur titulis atque elogiis, fidelium nationi attributis, quorum omnium hæc ratio, ut quoties iis generatim omnibus, qui Christianam religionem sunt amplexi, a sacris autoribus simpliciter assignantur, nonnisi rerum, quas continent, professionem, seu mavis eas præstandi facultatem atque officium designent; quoties verò ut illis vitâ factisq; respondeamus admonemur, veram illorum possessionem declarent. Primò igitur servi justitiæ nominantur, quòd virtutum omnium vinculis ita seipsos obstrinxerunt, ut jam non arbitratu suo agere, sed ex virtutis, tanquam dominæ præscripto, omnem vitæ rationem moderari velint, Deo

Rom: 6. 17.

ſint, Deo proximoque, quod illorum eſt, reddendo, ſicut illius præ-
ceptis obtemperent, huic verò non ſolùm non incommodent, ſed
quantum in ipſis eſt, omnibus eum officiis proſequantur. Et hoc eſt
illud juſtitiam facere, quod a Iohanne præcipitur. Appellantur eti- 1 Ioh 3. 7.
am Sancti, talesque ſeſe præſtare jubentur; nempe quòd non ſolùm Rom: 1. 7: 15. 25. 31. 1 Cor: 1. 2. 6. 1, 2. Heb: 3. 1.
divinæ veritatis confeſſione, ſed etiam vitæ ſanctimoniâ ab omni
hominum natione ſeparati eſſe debent. Sanctitatis enim vocabuli
eam vim eſſe, iis, qui ſeſe in rerum divinarum ſtudio exercent, no-
tum eſt. Ad hanc autem ſanctitatem unicè colendam Petrus Apo- 1 Pet: 1. 15, 16.
ſtolus nos luculentiſſimè admonet, inquiens: *Secundùm eum, qui vo-
cavit vos, ſanctum, & ipſi in omni converſatione ſancti eſtote,* id eſt, huc
omnia conferte vitæ conſilia, ut Dei ſanctitatem imitantes, hoc i-
pſo ab omnibus hominibus prophanis longiſſimè abſitis. Et hoc ſi-
bi vult divinus ille Autor Epiſt: ad Heb: *Sequimini pacem cum omni-* Heb: 12. 14.
bus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Dominum. ubi ſine dubio
hoc a nobis requiritur, ut in Chriſti religione, quæ ſanctitatis ma-
giſtra eſt, ita verſemur, ut eam vitâ ac moribus exprimamus; alio-
qui Chriſtum aliquando non viſuri. Hoc etiam illud eſt, quod Pau- Ephes: 1. 4.
lus aſſerit, *Deum nos in Chriſto ante conditum mundum elegiſſe, ut eſſe-
mus ſancti & immaculati in conſpectu ejus,* id eſt, ut excelleremus ſin-
gulari quadam probitate, eaque morum puritate, quæ non homi-
num tantùm opinione, ſed ipſius Dei judicio approbetur; breviter,
non ficta ſit ac fucata, ſed vera, ſolida, &, quatenus per humanam
imbecillitatem fieri poteſt, perfecta. Appellantur inſuper filii Dei,
quia, ut teſtis eſt Iohannes, ex Deo ſunt nati, id eſt, per Dei verbum,
quod Evangelii diſciplina eſt, Deo ſanctitate ſimiles facti. Qua de
cauſa idem Iohannes, eos nec peccare, nec peccare poſſe ait, id eſt, 1 Ioh: 3. 1, 2.
quamvis ab omni prolapſione nequaquam vacent, a conſvetudine ibid: ℣ 6. 9.
tamen peccandi ſeu peccati habitu alieniſſimos, cōtrà verò virtutis
ſtudioſiſſimos eſſe. Generatio enim, quā ex Deo habent, nequaquā
eos in ſcelerum luto volutari permittit: id quod Iohannes illis ver-
bis innuit, quibus ſemen Dei in illis manere affirmat; quaſi dicat:
habet hoc Dei cum hominibus iſtis agnatio, ut quandam in illis di-
vinæ ſanctitatis imprimat effigiem; ideoq; fieri nequeat, ut in pec-
cato maneant; utpote cui nihil cum Deo conjunctum communeq;
ſit. Iidem & bonæ arbores dicuntur, quia nimirum non ſolùm ma- Matth: 7. 17.
los fructus minimè ferunt, id eſt, non ab omnibus tantùm ſceleri-
bus longè abſunt, ſed inſuper etiam bonos fructus edunt, id eſt,
præclaras actiones ex ſe ſemper promunt. Adde etiam, quòd novæ
creaturæ in Chriſto Ieſu exiſtentes vocantur; quia nec ex priſco le-

gis inſtituto

Cap: V. De amore in Deum & proximum.

gis instituto, sed ex Christi præceptionibus Deum colunt; nec amplius in sceleribus versantur, sed Christi disciplinâ imbuti, novam vitæ rationem ac viam sequuntur. Hanc enim novæ creaturæ rationem esse, ex duorum locorum collatione clarissimè patet, quorum alter in Epistola ad Corinthios scripta, alter in ea, quam ad Galatas Paulus miserat, reperitur. Nuncupantur etiam circumcisio, id est, circumcisus Dei populus. Per metonymicam quippe dicendi figuram, circumsionis nomine eos Paulus intelligit, qui circumciduntur, sive hoc carnali accidat ratione, ut olim in Iudæis; sive spirituali perficiatur modo, ut hodie in Christianis. Horum enim circumcisionem non manu factam esse, qualis erat illa Iudaica, (quod vel solum ejus vilitatem convincit) sed exutione corporis peccatorum carnis contineri, Apostolus luculentissimè testificatur; ut intelligamus, Christianorum circumcisionem ad animum mentemq; revocandam esse, indeq; fieri, ut non unum corporis membrum, quemadmodum olim fiebat, resecetur, sed totum peccati corpus, omniaq; illius membra amputentur. Hanc Apostolus *Christi circumcisionem* eam ob causam nominat, quòd non Moses, sed Christus eam nos docuit, eamq; in nobis efficit. Postremò, ut alia quædam prætereamus, homines Spirituales appellantur, quia videlicet spirituali disciplina collustrati, spiritalem vitam agunt, vel ut agant, illorum est partium. id quod Paulo Apostolo est secundùm spiritum ambulare. Ambulare autem secundùm spiritum is rectè dicitur, qui aut semper, aut plerumque ita se gerit, ut Evangelica disciplina, quæ spiritus nomine hîc inprimis intelligenda est, præscribit, id est, semper, aut ut plurimùm, carnem sive appetitum vincit, vel, quod planè idem est, omnium Christianarum virtutum, quas Paulus fructus spiritus nominat, usum habet.

[Marginal references: 2 Cor: 5. 17. — 1 Cor: 7. 19. Gal: 6 15. Phil: 3. 3. — Rom: 2. ult. Col: 2. 11. — Col: 2. 11. — Gal: 6. 1. — Rom: 8. 1. Gal: 5. 25. — Gal: 5. 22.]

CAP: V.

De specialiori Christi præceptorum explicatione, & primùm quidem de AMORE in Deum & proximum.

ADhuc de generalissimis Christi præceptis explicavimus: sequitur deinceps, ut speciatim de iisdem agamus; idq; ita, ut ea in Moralia & Ceremonialia distribuamus. Moralia rursus vel ea sunt, quæ Moses decalogo potissimùm comprehendit, unà cum illis, quæ a Christo præceptis illis perficiendis fuerunt addita: vel ea, quæ Christus separatim dedit. Et quidem ad Moralem legem quod attinet, hoc primò animadvertendũ est, omnia, quæ decalogo cõtinentur, mandata, sola sabbathi religione excepta, non solùm a Christo abrogata

Cap. V. De amore in Deum & proximum.

abrogata minimè fuisse, sed etiam Christi præcepta jam facta esse. Cùm enim a rationis principiis, quæ sempiterna immutabiliaq; sunt, ortum habeant; semper & ubiq;, & sic in Christi quoque disciplina valeant necesse est: ut facilè appareat, quam ob causam Christus sese ad legem istam abrogandam venisse negaverit. (Matth. 5.17,18.) Iam ut ad rem ipsam propiùs accedam, constat, moralia præcepta vel ad amorem cultumq; Dei, vel ad societatem communitatemq; generis humani spectare. Quorum utrumque tum generaliter, tum specialiter a Mose propositum est. Generaliter quidem illis verbis: (Deut. 6.5. Levit. 19.18.) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis: & Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Quibus in locis tum illi, quos amore prosequi jubemur, tum ipsius amoris genus perpendendum est. Qui nobis amandi proponuntur, Deus sunt & proximus: quorum ille Hebraicè Iehova Elohim, id est, Dominus Deus nominatur; ut minimè ignoremus, non solùm quem, sed etiam quam ob caussam amore complecti debeamus. Iehovæ enim nomine significatur, eum, de quo effertur, in promissis præstandis, inq; amore erga nos constantissimum esse. Qua de causa hoc nomen suum explicans, cùm Mosen ad Pharaonem (Exod. 3.14.) Israëliticumq; populum mitteret, *ero qui ero*, dici voluit. Elohim verò appellatione illius explicatur potentia, quæ nullis viribus impediri potest; ut eum non velle tantummodo, sed etiam posse sui studiosos juvare, omnibusq; opibus cumulare, ideoq; meritò ab illis amari constet. Iam ut proximi vocabulum excutiamus; intelligendum est, a Mose nonnisi eum isto nomine appellatum fuisse, qui ex eadem Israëlitica gente ortum habuit: ut ex illo Levit. 19. (v 17, 18.) loco apparet, ubi, quem Moses in eodem verborum contextu, fratrem tuum, filium populi tui appellaverat, eum paulò post proximum nominat. Proximus ergo apud Mosen opponitur alieno, seu extraneo, & maximè inimico, ut ex cap. 5. Matthæi intelligitur; (v 43.) neque adeò ambitu suo comprehendit aliarum nationum homines, earum præsertim, cum quibus fœdus inire, aut quarum misereri, & (Deut. 7.1,&3. Esd. 9.12.) quarumvé prosperitatem quærere usq; in seculum prohibebantur. Hodie autem ista nationum distinctio, & sic inimicitia quæ inter Iudaicum populum cæterasque gentes olim intercedebat, Christi (Ephes. 2.14.) morte ita sublata est, ut inter Iudæum Ethnicumq;, quod ad dilectionem proximo debitam attinet, nihil intersit, & porrò quilibet homo, cuiuscunque tandem sit nationis, proximus noster appellari possit.

Videamus nunc quo amoris genere tum Deum, tum proximum

prosequi debeamus. Primò igitur Deum ex toto corde, & totâ animâ, & totis viribus diligendum esse, apertè videmus. Quod quidem, si Legis tempora respicias, nequaquam tantum in Deum designat amorem, quanto major esse nullus possit: sed quanto eum, pro religionis illius promissorumq; natura ac ratione, homines complecti potuerunt. Ex quo fit, ut quantò religio, quâ nunc devincti sumus, nobilior est, quantoq; præstantioribus continetur promissis, tantò major ad charitatis officium, quo Deo obstringimur, facta sit accessio; ut nimirum ita illum amemus, ut magis amari in hac vita a nobis non possit. Quod verò ad eam charitatis benevolentiam, quam proximo præstare debemus, attinet, Moses eam nobis clarissimè explicans inquit: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Quod quidem quale olim fuerit, ex eo Mosis loco, unde hæc verba deprompta sunt, apparet. *Non quæras*, inquit, *ultionem, nec memor sis injuriæ civium tuorum: sed diliges proximum tuum sicut teipsum;* quasi dicat: quemadmodum si in aliquem injuriosus fuisses, nolles in te vindicari: ita tibi vicissim, si a quopiam offendaris, omne ulciscendi consilium abjiciendum est. quod idem ad alia similia extendendum est, & nominatim ad ea, quæ secundâ, quam vocant, Decalogi tabulâ comprehenduntur. Neque enim id præceptum latiùs patet, quàm mandata specialia ad dilectionem proximi spectantia, si omnia simul jungantur, sed eorum tantùm summa quædam est. Ad hanc autem, quam proximo præstare debemus, charitatem, tanta per Christum facta est accessio, ut dici aliqua ratione possit, a nobis hodie postulari, ut eum majore etiam, quàm nos ipsos, amore complectamur. id quod duabus potissimùm rationibus fieri debet: Primò enim generatim loquendo, multa incommoda subeunda, multa capienda detrimenta, multæ devorandæ molestiæ homini Christiano sunt, ut proximo satisfaciat, resq; illius in optimo statu collocet. In quo & illud est, quòd etiam libertas illa, quam nobis peperit Christus, nequaquam tanti apud nos esse debet, quin charitate, quâ fratribus obstricti sumus, postulante, eâ nos ipsos spoliemus potiùs, quàm ad illorum perniciem illâ intemperanter abutamur. Hoc autem quò magis intelligatur, duo potissimùm consideranda sunt. Nam & quibus in rebus libertas ista, quam oratione persequimur, sit constituta; & qua ratione eâ uti oporteat, diligenter videndum. Primò igitur, quantum ex divinis literis intelligere possumus, christiana libertas, in libero eorum omnium usu consistit, quæ a Theologis adiaphora seu media appellantur; quippe quæ per se nec honesta, nec turpia, & ideò nulla lege

Levit. 19. 18.

Rom. 14. 14, 15, 16, 20, 21
1 Cor. 9. 18.

Ia lege nec sancita, sancitisvé similia, nec interdicta, interdictisvé æquipollentia sint. Quales sunt omnes illæ ceremoniæ, omniaq; vetustæ legis instituta, aliaq; multa, quæ cum his conferri possunt.

Iã igitur ut, quo pacto libertate ista utendũ sit, animadvertamus; intelligendum est, charitatem, quam hoc loco explicamus, regulam normamq; esse debere, ad quam omnia ista, tũ dicta, tum facta dirigantur, ita ut nihil vel ore proferre, vel opere perficere audeamus, quod proximi ędificationẽ impediat. Animadvertendum enim est, fideliũ nationem ex duplici hominum genere constare: alii quippe firmiores, alii infirmiores a divinis autoribus nominantur, addito nonnunquam fidei nomine, ad imbecillitatis illius genus propiùs designandum. Ac firmiores quidem ratione fidei ii sunt, qui in Christi disciplina tantos fecerunt progressus, ut ejus rationem, & porrò etiam libertatem istam probè teneant. Infirmiores verò fide sunt, qui religionis Christianæ naturam, Christianamq; libertatem nondum planè perceperunt, ideoq; facilè offendi labiq; possunt, nisi firmiorum charitate atque prudentiâ excipiantur ac fulciantur. Magna igitur utrobique charitas elucere debet, ut nimirum nec firmiores infirmioribus scandali causam afferant, aut rerum istarum causâ eosdem despiciant, nec contrà hi illos damnent. Primò igitur illis, qui firmiores habentur, diligenter providendum est, ne ullo sive dicto, sive facto, quantumvis adiaphoro, fratrem lædant, planè sibi persuadentes, hæc ex ea tantùm parte adiaphora esse, quatenus omne fraternæ offensionis, præsertim quæ saluti illius obesse possit, periculum sublatum est. Aliter enim adiaphora esse desinunt, illicitaq; fiunt. Ejus autẽ, de qua loquimur, charitatis continentiæq; exemplum in Apostolo Paulo cernimus, qui liber cum fuerit ab omnibus, omnibus se mancipavit, quò plures lucraretur: infirmis perinde factus est ac infirmus, ut infirmos lucrifaceret: denique quibusvis quidvis factus est, ut omnino aliquos servaret. Hujus igitur Apostoli vestigia nisi persecuti fuerimus, sed scientiâ inflati sive in sermone, sive in factis, libertatem nostram nimis urserimus, nihilq; de ea remiserimus, fiet, ut neque quicquam sciamus, ut scire oportet; nec veram libertatis possessionem adepti esse meritò dici possimus; neq; gravi culpa vacemus. Ad scientiam enim quod attinet, nequaquam is eam, prout oporteat, tenere dicendus est, qui superbiâ inflatus intempestivis disputationibus ingenium ostentat, infirmorum animos perturbat, eosq; vel autoritate sua ad idem contra conscientiam suam dicendum faciendumvé, & porrò ad peccatũ impellit; cùm quicquid non est ex fide, peccatum sit, ut

Rom: 14. 1, 2: 15. 1. 1 Cor: 8. 9, 10, 11: & 9. 21.

1 Cor: 9. 19, 20, 21.

1 Cor: 8. 2.

Rom: 14. 23.

inquit Apostolus; vel efficit, ut quia propter animi imbecillitatem istis assentiri non possunt, Christi disciplinam, in qua ista tradantur, erroris ac falsitatis suspectam habeant, eamq; tandem deserant, & sic miserabiliter pereant. Is autem verè scire dicitur, qui non solùm rerum divinarum notitiam habet, sed eâ etiam rectè uti novit. Libertatem quoque, qui eâ abutuntur, revera non habere, Paulus Apostolus docet egregiè illis verbis: *Omnia mihi licent, sed ego non redigar sub ullius rei potestatem.* Is enim, qui libertatem suam mordicus tenet, nec unquam quicquam de ea remittere cogitat, seipsum illi mancipasse censendus est, & libertatem veram amisisse. Culpâ denique gravi istos minimè vacare, manifestum est. Etenim illorum culpâ fit, ut Christiana libertas unà cum religione malè audiat, cùm, ut paulò antè monuimus, facilè fieri possit, ut & ii, qui ab ea sunt alieni, & fratres infirmiores ista importunitate offensi, de ea parùm honestè sentiant, & sic illi quidem eam amplecti nolint, hi verò de ea abjicienda cogitationem suscipiant. Itaque & in ipsam religionem Christianam sunt injurii, & in proximos vehementissimè peccant, dum infirmorum animos conturbant, conscientiasq; imbecillas percellunt, alienos autem a fide magis adhuc ab ea absterrent. Quid, quòd & in ipsum Christum injurii sunt, dum ita vitam instituentes, illis, qui imbecillioris sunt animi, ab eo deficiendi materiam præbent, utpote qui mortem pro illis oppetiit truculentissimam. Ad extremum, in Deum graviter peccant, cùm ita se gerentes ostendunt, se de divina gloria parum laborare, dum eam non solùm infra rem tam exiguam, quam libertatis usus eis afferre possit, ponunt, sed etiam præclarissimum Dei opus, quod maximo labore perfectum erat, quantum in ipsis est, perdunt ac destruunt. Ex quibus omnibus liquidissimò patet, eos, qui hunc vitæ cursum cœperunt, nec Deo acceptos, nec hominibus probatos esse; cum non ita Christo Deoq; serviant, ut præ ipsius gloria seipsos etiam, nedum libertatem istam, deserere parati sint.

1 Cor: 6. 12.

Rom: 14. 16.

1 Cor: 8. 12.

Rom: 14. 20.

vid: ℣ 18.

Iam ut alterum fraternæ charitatis officium in eodem rerum genere occupatum, consideremus; ne videlicet, qui infirmiores sunt, eos damnent, qui plus Christianarum virium, plusvé scientiæ acquisiverunt; egregiè hoc a Paulo Apostolo docemur, qui ad Romanos scribens hûc in modum loquitur: *Is qui non manducat*, (intellige quosvis cibos) *manducantem non damnet, Deus enim illum suscepit. Quis tu es, qui judicas alienum servum?* nempe nequaquam sub tuum, sed sub Christi imperium subjunctum. *Domino suo stat, aut cadit. Consistet autem; cum Deus illum erigere possit.* Quid ergo ponderis habe-

Rom: 14. 3, 4.

ris habere poteſt tua iſta damnatio? aut qua fronte tu eum damnabis, quem Deus tanto amore complectitur, & quem nulla rerum iſtarum, in quibus tu ſalutis ſummam conſtituis, ratione habita, ſi cæteroqui in officio perſtiterit, vitâ ſempiternâ donabit? An non igitur ſatius eſt, omnem induſtriam, omniaq; conſilia huc referre, ut in rebus, quæ per ſe nec ſalutem nobis afferendi, nec eâ nos ſpoliandi ullam vim habent, & porrò quibus ſive retentis, ſive abjectis, nihil fidei obedientiæq;, quâ Chriſtum complectimur, vel apponitur, vel detrahitur, ejusmodi pax concordiaq; conſtituatur, ut, quẽadmodum idem Apoſtolus monet, *alii alios aſſumamus, ſicut & Chriſtus aſſumſit nos in gloriam Dei*: quaſi dicat: Si tanta Chriſti, qui nobis longè tum præſtantior, tum firmior fuit, in nos extitit clementia, ut nos, qui plurimis flagitiis cooperti, maximaq; infirmitate affecti eramus, ad Dei gloriam, id eſt, ſummę beatitatis commercium aſſumſerit; nonné multò magis nos homunculi alii alios in rem gloriâ illâ Dei haud paulò inferiorem, nempe fraternam ſocietatem, recipere debemus? Rom: 14. 13, 19. 1 Cor: 8. 8. Rom: 15. 7.

Cap. VI.

De Scandalo.

QVam quidem rem ut penitiùs percipiamus, placet hoc loco paulò fuſiùs de ea diſſerere, ut non ſolùm iis, quos diximus, modis, ſed aliis etiam, de quibus mox dicturi ſumus, Chriſtianam charitatem minimè violemus. Tria igitur explicanda hoc loco nobis ſunt: Primò enim, cùm ſedulò, ut ſuprà oſtendimus, cavendum ſit, ne quem ſcandalizemus ſeu offendamus; tum quid ſcandalum in ſ. literis nominetur; tum quot in genera diſtribuatur; tum deniq; quatenus vitandum ſit, diligenter expẽdendum eſt. Scandalum igitur propriè loquendo ejusmodi rem propriè ſignificare videtur, quâ fit, ut quis offendat ſeu impingat; ut ſcandalizare ſit offenſionis cauſam alicui afferre: per metaphoricam autem dicẽdi figuram nihil aliud ſit, quàm efficere ut quis peccet: veluti cùm Chriſtus oculum dextrum eruere, manumq; dextram amputare abjicereq; jubet, ſi nimirum aliquem ſcandalizet, id eſt, peccandi occaſionem ei afferat. Duo porrò ſunt ſcandalorum genera. Quædam enim oriuntur a cauſis per ſe, quædam a cauſis per accidens. A cauſis per ſe illa ortum habent, quæ ab iis proficiſcuntur rebus, quæ vi quadam ſua in peccata quempiam impellunt, ſive id fiat præter conſilium ac voluntatem ejus, a quo ſcandalum alteri ponitur; ſive etiam voluntas ejus accedat. In iſtarum cauſarum numero ſunt dogmata pieta- Matth: 5. 29.

tem vi sua labefactantia, utut fortè is, qui ea proponit, vim istam nō agnoscat: sunt & mores corrupti, eorum præsertim, quorum officium erat, virtutis exemplo cæteris præire. Voluntate verò eorum, qui scandala ponunt aliis, ea duplici ratione excitantur. Qui enim id faciunt, ii vel purâ, vel mixta voluntate id efficiunt. Purâ, cum quis sciens volensq; alterum ad peccandum inducit; idq; vel mandato, vel svasu, vel aliis incitamentis atq; illecebris. Mixtâ, cum quis ita alterius peccati causa existit, ut quidem aliud quippiam spectet, peccatum tamen consecuturum esse, aut saltem facilè consequi posse, non ignoret: ut, verbi causâ, si quis filiam suam idololatræ in matrimonium collocet, non quidem eo animo, ut eodem sese scelere contaminet, sed cujuscunq; alîus rei gratiâ: interim tamen nequaquam nescius sit, nihil tali connubio proclivius esse ad idem flagitium participandum. In hoc genere & illud est, si quis liberos suos hominibus mundo deditis in disciplinam tradat, non quidem eo consilio, ut eorum sequantur improbitatem: sed ut morum addiscant elegantiam; quamvis interim probè noverint, magnam hac ratione ad nequitiam illis patefieri fenestram.

Iam ut, quomodo per accidens homines scandalizari possint, inquiramus, intelligendum est, hoc ut in multis, atq; adeò innumeris aliis rebus fieri potest; ita vel in adiaphoris accidere, cùm nimirum aliquis scientiâ libertateque sua per imprudentiam subnixus, infirmiorum nullam habet rationem, de quo jam superiùs est a nobis explicatum; vel hoc evenire potest in rebus minimè adiaphoris, imò planè factu necessariis, utpote quæ a Deo vel mandata habemus; quibus verbis abstinentiam quoq; complectimur ab iis rebus, quibus apertè prohibemur. Ex his, inquam, scandala oriuntur, sed ut dixi, per accidens; præsertim si posterius eorum genus respicias, quatenus nimirum homines mali ex rebus optimis, & nequaquam scandali causâ factis, arripiunt occasionem peccandi. Quo pacto Pharisæi scandalizabantur Christi sermone, nullam offensionis causam, ædificationis autem non exiguam continente, quia animo erant improbo. Hęc ultima scandala, quæ nimirum in rebus necessariis eveniunt, a Theologis scandala accepta dicuntur; utpote quæ homines ii, qui offenduntur, quamvis nulla eorum detur occasio, sponte sua capiunt. Reliqua verò superiora omnia scandala data nominantur: quia vel planè, vel aliqua saltem ex parte, offensionis materiam præbent.

Matth: 15. 12, 13, 14.

Sed jam tempus est, ut quatenus scandala vitanda sint, animadvertamus. Dicimus igitur, omnia illa fugienda esse, quæ paulò

antè

antè ſcandala data appellavimus; cum tamen in rebus mediis ſeu adiaphoris ſępè evenire queat, ut duobus ſcandalis contrariis incidentibus, non ſatis expedita ſit deliberatio, utrum de illis potiùs declinandum ſit, præſertim ſi utrumq; ſimul vitari nequeat. Quo tempore diligenter diſpiciendum eſt, utrum illorum plus minusvé mali Chriſtianæ reipublicę importet; illudq; omnino cavendum; hoc autem non magnopere curandum. Cujus rei exemplum eſt, quòd Paulus Titum circumcidere noluit, quamvis videret fore, ut multi Iudæi hac re mirum in modum offenderentur, atq; inprimis ii, qui eo animo in conventū Apoſtolorum Hieroſolymis habitum irrepſerant, ut quid de Tito futurum eſſet, viderent, & ſuâ præſentiâ Paulum cogerent, ut eū circumcidi curaret. Ex altera autem parte periculum erat, ne propè omnis Pauli labor, quem maximo cum fructu in exteris nationibus Chriſti diſciplinâ inſtruēdis conſumpſerat, inanis irritusq; redderetur, ſi Paulus, qui antea maximo animo Chriſtianam libertatem eos docuerat, nunc ſibi ipſi videretur adverſari, & rurſus ſuo exemplo homines ad Legis cultum adigere. Fieri enim nequaquam potuiſſe videtur, quin ii, qui jam illi adhæſerant, hoc ipſius facto ſimul, & gravitate jugi legum ceremonialium, quod cervicibus ſuis imponi viderēt, deterriti, ab illius ſeſe diſciplina abſtraxiſſent, & ſic ſalutis ſuę naufragium feciſſent. Paulus igitur pro ſua ſingulari ſapientia probè intelligens, plus in hoc ſcandalo, quàm in illo, mali ineſſe, hoc potiùs, quàm illud, vitandum exiſtimavit, ut ex his ejus verbis perſpicuum eſt: *Quin neq; Titus, meus comes, cùm gentilis eßet, circumcidi coactus eſt; idq; propter emiſſarios falſos fratres, qui ſubintroierant ad ſpeculandam libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Ieſu, ut nos in ſervitutem redigerent; quibus ne ad horam quidem parendo ceſſimus, ut Evangelii veritas apud vos permaneret.* Hanc prudentiam quia Petrus Apoſtolus in ſcandalis dijudicandis non adhibuerat, a Paulo apertè reprehenſus fuit, utpote qui cum priùs cum alienigenis cibum capere conſveviſſet, poſtea advenientibus quibusdam Iudæis, ſeſe unà cum Barnaba aliisq; ſubduxerat, nequaquam conſiderans, plus in eo mali eſſe, ſi exteræ nationes jam Chriſtianam libertatem amplexę, vel judaicè vivere, vel Chriſtum deſerere, hoc ipſius facto quodam modo cogerentur, quàm ſi aliquot Iudæi offenderentur, quorum officium erat, pergere in Chriſti agnitione potiùs, quàm Ethnicos, qui jam longiùs progreſſi erant, & Chriſtianam libertatem didicerant, turbare, & ad infirma egenaq; rudimenta trahere.

Gal: 2. 3, 4.

Gal: 2. 4, 5.

Gal: 2. 11.

Quod verò ad ſcandala accepta attinet, nempè quæ in rebus

non liberis aut mediis, sed planè necessariis accidunt, ea nihili planè facienda esse constat. Neq; enim fas est ita hominibus gratificari, ut Dei præcepta violemus. Qua de causa & Christus nec Pharisæorum, nec illorum, qui ab ipso defecerant, moratus est offensionem; & Apostoli Iudæos Christi crucifixi prædicatione scandalizari susq; deq; tulerunt, dummodo Dei imperium exequerentur. Id quod retinendum est in omnibus dogmatibus, quibus, quæ ad salutis viam rectè tenendam atq; ingrediendam pertinent, continentur.

Matth: 15. 12. Ioh: 6. 67. 1 Cor: 1. 23.

Cap: VII.

De summa charitatis in proximum perfectione.

Hæc, quę de charitate in proximum hactenus diximus, maximum sine dubio momentum continent; sed illud multò graviùs est, quòd pro fratre vitam etiam in discrimen adducere, atq; adeò profundere, si opus sit, jubemur: idq; illis Christi verbis: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.* Item illis: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos: Majorem hac dilectione nemo habet, quàm ut animam ponat pro amicis suis.* Hoc quò intelligatur rectiùs, sciendum est, animam pro altero ponere, in divinis literis plęrumq; non ipsam mortem oppetere, sed mortis subire periculum significare, dum nimirum illis, quos caros habemus, omnibus modis commodare atque gratificari studemus: quanquam cùm etiam ipsa mors sæpissimè consequatur, utrumq; locutione ista comprehendi minimè diffitemur. Ac prioris quidem significati exemplum sit Epaphroditus, quem Apostolus, dum Christi negotium perficere, Philippensiumq; loco officium Paulo debitum persolvere unicè studebat, animam suam posthabuisse, eoq; devenisse ait, ut a morte parùm abesset. Quod idem & de Prisca & Aquila legimus, qui pro Pauli vita cervices suas objecerant, quos tamen, utpote vivos nihilominus, in sua ad Romanos Epistola salvere jubet. Quid quòd & summus ille Pastor noster, ut ovium suarum salutem constitueret, animam suam sese pro illis ponere dixit; id quod etiam fecisse eum palàm est, non quidem ipsam mortem, quæ ovibus imminebat, seu interitum sempiternum subeundo, (sic enim oves suas nequaquam conservasset:) sed ita, ut mercenarium minimè referens, lupum, qui ipsius gregi pestem machinabatur, aggressus, cumq; illo acriter dimicans, vitam suam in periculum interitûs ac mortis istius, si rei naturam spectes, obtulerit. Periculum autem istud in eo constitutum erat, quòd in mortem incurrit; quanquam in eam ne-

Iohan: 13. 34. Ibid: c. 15. ℣ 12, 13. Phil: 2 30. Rom: 16. 3, 4. Ioh: 10. 15. Ibid: 12, 13.

Cap: VII. De summa charitatis in proximum perfectione.

quaquam permansit; quin imò ex ipsius vinculis emissus, lupi istius impetum non solùm retudit, verùm etiam, ut divinus ille autor testificatur, eum, qui mortis habebat imperium, id est, diabolum, eum ipsum nempe lupum, per mortem suam abolevit, & sic oves suas ab ipsius morsu mortisq; metu liberavit. Hucusq; igitur in amore nobis progrediendum est, ut proximi causâ etiam præsentissimum mortis periculum minimè defugiamus, eaq; in re Christi ducis nostri sequamur exemplum, quod ipsemet imitari nos jussit, cum pręcepto illi suo de dilectione mutua inseruit hęc verba: *Sicut & ego dilexi vos.* quorum verborum hęc sententia est: quemadmodum ego vos tanto prosecutus sum amore, ut pręter alia plurima illius documenta, etiam vitæ meæ vestrâ causâ minimè pepercerim, aut parcere decreverim; ita par est omnino, ut me, quem vivendi Magistrum habetis, ea in re sequamini, ut nimirum non vultu, non linguâ, non levibus interdum officiis, sed mortis etiam adeundo periculum, amorem erga vos mutuò declaretis. Tunc enim, ut Iohānes dicere videtur, charitas nostra perfecta est, cum tales in hoc mundo sumus, qualis Christus est, seu in hoc mundo fuit, id est, si ita fratres dilexerimus, ut ille. Idem Christi exemplum, & simul Dei ipsius, quæ in eo apparuit, charitatem Iohannes illis verbis nobis proposuit: *In hoc cognovimus charitatem, quoniam ille*, nempe Christus, *animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* quasi dicat: Si summus ille Deus, qui nulla re nobis obstrictus est, quiq; adeò nostri non indiget, ut nec ei quicquam impietas nostra obsit, nec probitas prosit, qui denique pro arbitratu suo nobiscum agere potest; si, inquam, is tanto nos, & quidem adhuc impios, complexus est amore, ut filium suum, quem unicè charum habuit, nostrâ causâ atrocissimæ morti subjicere non dubitaverit: quomodo non multò magis nobis convenit, ut alii aliorum causâ, mortis, si opus sit, periculum adeamus? Hoc autem Dei Christiq; mandatum atque exemplum sequemur, si Deum verè cognoverimus, si ex ipso nati fuerimus, si denique ipsum ex intimo sensu amaverimus. Cùm enim Deus sit charitas, eamque tantopere nobis commendaverit, & præmium ejus longè maximum constituerit: fieri non potest, ut quis ipsum voluntatemq; ipsius verè noverit, quin charitatem erga alios colat atq; exerceat. Vnde Iohannes ait, eum qui fratrem suum oderit, in tenebris versari. & infrà iterum: *dilecti*, inquit, *diligamus alii alios, quia dilectio ex Deo est: & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum: qui non diligit, non novit Deum: quia Deus dilectio est.* Ex quibus verbis etiam illud

Heb: 2. 14.
Ioh: 13 34. 15. 12.
1 Iohan: 3. 18.
1 Ioh: 4. 17.
1 Ioh: 3. 16.
1 Ioh: 5. 1, 2, 3.
c. 4 7, 8.

apparet, eum qui ex Deo natus est, charitatem exercere erga fratres. Quem enim Deus gignit, in illius animo similes mores, & sic similem amorem ingenerat, suiq; spiritus, qui charitate ista quodammodo continetur, participem facit. Is deniq;, qui Deum ex animo diligit, omnia, quæ illius sunt, & sic etiam illos, qui ex ipso sunt nati, amat: quemadmodum idem Iohannes luculentissimis verbis testatur, & ratio ipsa demonstrat. Ideoq; eos Deum diligere idem Apostolus negat, qui fratres non diligunt.

1 Ioh: 4. 20. 5. 1, 2.

Quoniam autem, ut diximus, sæpè mortis periculum, quod fratris proximiq; causâ recusare minimè debemus, ipsa etiam mors comitatur: diligenter animadvertendum est, quàm latè hoc præceptum vim suam diffundat, nempè tum ad personas amandas, tum ad amoris causam respectu habito. Quod ad personas attinet, in quæstionem vocari potest, an pro amicis tantùm & fratribus moriendum sit, & non pro inimicis etiam, præsertim cum Christus Iohannesq; in hoc præcepto tradendo, nonnisi amicorum & fratrum faciat mentionem? Respondemus autem, vitam tam pro illis relinquendam esse, qui fraternitate nobis conjuncti sunt, quàm pro illis, qui licet nondum in amicitiam nobiscum convenerint, coituri tamen, certa quadam ratione suadente, aliquando videantur, quosque nos perinde, quasi amici nostri sint, caros habemus, habereq; debemus. Isti enim omnes amicorum nomine in verbis Christi comprehendi possunt. Qua de causa alibi Christus, pro inimicis mortuus esse dicitur; quia nimirum illi, de quibus Apostolus loquitur, verè proprieq; loquendo amici nequaquam fuerunt, cùm mentes gesserint a Christo, vel a Deo alienissimas: amicorum tamen nomine, nisi quis discipulorum tantùm ratione id a Christo usurpatum velit, eos appellari dicendum erit, propterea quòd Christus illos adamaverit, quodq; mortem pro illis oppetendo hoc spectârit, ut amici efficerentur. Quanquam quod ad Christi mortis effectum attinet, nonnisi pro amicis revera eam oppetiisse censendus est, quippe cum ea his solis prosit.

Ioh: 15. 13. 1 Ioh: 3. 16.

Rom: 5. 10. Col: 1. 21.

Iam ut, quibus de causis anima pro amicis dimittenda sit, intelligamus; animadvertendum est, hoc in loco quæri, an ideo hoc fieri debeat, ut divina tantùm gloria proximiq; salus constituatur; an verò etiam, ut temporariis hominum commodis consulatur? Ac prior quidem quæstionis pars rursus bipartita est. Quæritur enim & de gloria divina, & de amicorum salute. Primò igitur respondemus, diligenter dispiciendum esse, an plus minusvé opis ad divinæ gloriæ cœlestisq; veritatis amplificationem ex proximi nostri vita dimanet,

Cap: VII. De summa charitatis in proximum perfectione.

dimanet, quàm ex nostra. Quòd si res divinas plus ex amici, quàm ex nostra morte damni subituras esse, nosque illum, mortis periculum ipsamq; adeo mortem adeundo, conservare posse certum habeamus, omnino illius incolumitas vitæ nostræ præponenda est. Neque enim, utut fugitivam hanc vitam perdamus, veram vitam nostram, quæ æterna est, hoc pacto amissuri, sed potiùs propter tantum divinæ gloriæ studium, fratrisq; amorem, eam acquisituri sumus. Quòd si minus ex illius, quam ex nostra vita atque incolumitate fructûs atque utilitatis Respublica Christiana sit perceptura, nequaquam pro illo, nisi salus ipsius æterna simul agatur, mortem subire debemus; cùm publicum commodum, quo cæteri omnes spoliarentur, privatis commodis semper sit anteponendum. Si autem proximus noster in eo sit statu positus, ut nec plus, nec minus, illius sive vita, sive mors, quàm nostra, ad res Christianas constituendas afferat momenti, tunc quidem nullam vim habet ista nostra cum illo comparatio ad Christi mandatum, quo animas pro fratre ponere jubemur, restringendum ac limitandum, sed lex potiùs charitatis urget, ut fratris vitam vitæ nostræ jacturâ velimus redimere; dummodo spes sit aliqua, fieri posse, ut vitæ nostræ discrimine vel jacturâ ipse a morte liberetur.

Iam quod ad alterum attinet, nimirum salutis amici constitutionem, certè si moriendo efficere possimus, ut aliquis Christi disciplinam amplectatur, & sic in sempiternæ felicitatis possessione constituatur, minimè id refugiendum esse existimamus: cùm & ipsa Christianæ charitatis analogia omnino postulet, ut quicquid possidemus, in hominum salutem libentissimè impendamus; & Dominus noster hujus tam egregii facinoris clarissimum nobis suo exemplo lumen prætulerit: & tandem immortalitatis, (cum qua vita ista nostra, utpote fluxa & momentanea, innumerisq; molestiis affecta, comparari nulla ratione potest) & nunquam interituræ felicitatis præmium nobis sit propositum. Si enim Paulus pro Israëlitis vitam sempiternam perdere paratus fuit, damnarique non recusavit, ut illi servarentur: quid tandem nobis faciendum est, qui absque ullo damnationis periculo, imò cum exploratissima sempiternæ salutis expectatione, pro fratribus mori possumus? Rom: 9. 3.

Iam ut illam etiam quæstionis propositæ partem excutiamus, qua quęritur, an ita pro altero mors subeunda sit, ut is vel hujus rantùm lucis usurâ fruatur, nulla sempiternæ beatitatis gloriæque divinæ ratione habita: vel ut ex temporario periculo quodam eripiatur, vel ne rei alicujus, quæ ad hujus vitæ rationem spectet, detrimen-

trimentum capiat, etiamsi nullum inde saluti ejus immineat periculum. Respondemus, homine Christiano indignum censendum esse, vitam suam, quæ tota in divinæ gloriæ studio, cœlestis veritatis propagatione, humanæ denique salutis procuratione consumenda erat, propter res tam inanes ac futiles, morte intempestiva concludere.

Quàm impensè amicus ac frater, qui inter proximos primum tenet locum, diligendus sit: satis, ut arbitror, explicavimus. Verùm insuper animadvertendum est, non solùm eum proximum amare officii nostri esse, cum quo nulla nobis intercedit inimicitia; sed illum etiam, qui capitali a nobis odio dissidet. Discrimen enim illud, quod inter proximum olim & extraneum inimicum erat, per Christum, ut suprà diximus, sublatum ita est, ut proximi inimiciq; nomen non ampliùs populum a populo discernat; cùm, si Dei decretum atque consilium respicias, omnes terræ nationes unus Dei populus factæ sint, fierivé debeant. Verùm quemadmodum olim in Israëlitico populo erant, qui, licet proximi essent, animum tamen in aliquem vel aliquos suorum civium gerebant inimicum, ideoq; inimici appellabantur: ita & hodie multi nobis infensissimi sunt, qui, ut proximis dignum est, amare nos debebant. Horum autem tria genera a Christo numerantur. Alii enim nos probris omnibus maledictisque vexant; quos ita amare nos jubet Christus, ut illis benè precemur. Alii autem, quamvis nihil dicant aut faciant, quod odii inimicitiæque apertam habeat significationem, imò sæpissime vultu orationeque magnam erga nos voluntatis propensionem simulēt, animo tamen in nos sunt iniquissimo; quos quidem omnium officiorum genere, quantum in nobis est, devincere debemus. Alii denique sunt, qui non solùm, ut primi, parùm commodis nos sermonibus impetant, vel, ut alteri, erga nos animum gerant inimicum: sed ipsis etiam factis nos offendant, omnibusque modis insectentur. Hos eo studio prosequi jubemur, ut pro illis ad Deum preces fundamus, ut non solùm animos illorum mutet, verùm etiam, quæ illius benignitas est, eos, prout commeriti erant, non puniat.

Ephes: 2. 14. Gal: 3. 28.

Exod: 23. 4, 5.

Mat: 5. 44.

Cap: VIII.

De Decalogo & quidem de primo præcepto.

Veniamus jam tandem ad specialem charitatis, quam Deo proximoque debemus, explicationem. Hæc autem, quatenus olim Israëlitis quoque sub veteri fœdere præcepta fuit, decem illis

Dei man-

Cap:VIII. De primo Decalogi præcepto.

Dei mandatis potissimùm comprehenditur, quæ eam ob causam decalogi nomine appellantur, inque duas tabulas distribuuntur, quarum altera cultûs amorisque Deo debiti continet explicationem: altera verò ea describit charitatis officia, quæ in proximum conferre debemus. Ac illa quidem quatuor præceptis continetur, quæ hæc sunt.

I. *Non habebis Deos alienos coram me.* Exod: 20. 3. & d. Deut: 5. 7. & d.

II. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum; nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.*

III. *Non aßumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui aßumserit nomen Domini Dei sui frustra.*

IV. *Memento ut diem Sabbathi sanctifices.*

Ac primum quidem præceptum ut rectè intelligamus, considerandum est, quid sit habere Deum, & quid habere Deos alienos; quid denique, eos coram Deo habere, designet. Primò igitur, quid sit Deum habere, ex iis, quæ in ipso operis hujus vestibulo de Deo summo dicta sunt, constare potest: eo tantùm animadverso, quòd Deum, & animi tantùm persvasione, & re atque effectu ipso habere queas; ad quod posterius satis non est, ea, quæ suprà diximus, de aliquo credere, nisi eidem divinum honorem exhibeas, id est, illius timorem menti habeas injectum, fiduciam in illo colloces, eum ames, animi corporisque abjectione reverearis. Atque hinc facilè alterum intelligi potest, quid sit alienos Deos seu alienum Deum habere. Nihil quippe istud aliud est, quàm non solùm huic, qui hoc in loco se Deum illum, qui populum Israëliticum ex Ægypto eduxerit, esse dixit: sed etiam aliis divinum imperium, quod tamen revera non habeant, assignare, præsertim ita, ut imperium istud intelligatur a nullo superiore pendere; unde fiat, ut illis ea, quæ paulò antè sunt enumerata, singulari cum religione attribuantur. Talis apud Ethnicos fuit Iupiter, Neptunus, & Pluto, quibus singulis divinum dominatum, eumque a superiore alio non pendentem, nec ulli subordinatum tribuerunt, qua in re a cæteris Diis fictitiis fuerunt distincti. Itaque duplici ratione adversus hoc præceptum pecca-

peccârunt Ethnici: primò quòd iis divinitatem tribuerunt, qui ea prorsus carebant: id quod ad omnes ipsorum Deos pertinet. deinde quòd plures statuerunt Deos supremos, sibi invicem minimè subordinatos, tres nempe illos a nobis dictos. Licet enim Iovem cęteris duobus videantur prætulisse: tamen non ita illum anteposuerunt, ut crederent eum duobus illis vel imperium concessisse, vel leges posuisse, iisvé aliqua ratione imperare: sed ea tantùm ratione, quâ posses eum regem præferre cæteris, qui cultiori aut opulentiori præsit regno, & latiùs imperii sui fines protenderit, etiamsi cæteris regibus nulla ratione imperet.

Ex dictis autem intelligi facilè potest, hoc præcepto nequaquam caveri, ne is, quem ipse Deus summus nobis regendis præfecerit, & sic imperii honorisque sui participem fecerit, pro Deo ita a nobis habeatur ac colatur, ut omnis ille cultus ad ipsum Deum altissimum tanquam ultimum scopum referatur. Neque enim Deus hoc præcepto potestatem sibi ipsi eripuit, eum, quem velit, nobis præficiendi, & honorem cum eo suum communicandi: cum hæc ipsa imperii ac potestatis supremæ, quam hoc præcepto sibi uni asseruit, pars sit maxima: sed populum tantùm obligavit, ne is pro suo arbitrio divinum cultum cuiquam exhiberet: huic, inquam, non sibi, legem istam tulit. Quare ut terrenos principes ac reges, quos Deus nobis præfecit, ac Deorum nomine insignivit, pro talibus meritò habemus, & eos pro imperii ac potestatis, quam a Deo acceperunt, gradu colimus ac veneramur: ita Christum, quem Deus omni in cœlo & in terra potestate donavit, & omnibus, se uno excepto, rebus summo cum imperio pręfecit, meritò pro Deo nostro agnoscimus, eumq; pro tanto tamque sublimi imperii gradu veneramur ac colimus, nec quicquam in eo huic divino præcepto contrarium facimus; nisi dicere velis, Deum, dum Christum, ob imperium tam sublime ipsi concessum, coli a nobis voluit, pręceptum istud suum evertisse. Atqui id nequaquam ea ratione evertit, sed potiùs, ut inferiùs docebimus, perfecit.

Sed ut jam videamus, quid sit, alienos Deos habere coram Deo, animadvertendum est, id a Theologis dupliciter explicari, ut nimirum vel significet alienos Deos quasi in Dei conspectum producere, inque illius oculis, ut illi ægrè a nobis fiat, colere. Deus quippe ubique pręsens adest, omnia audit, omnia contemplatur; vel ita, ut intelligatur, *præter me;* sensusque sit, extra, vel etiam juxta unum illum summumque Deum, nulli alii divinitatem, quam ipse Deus ei non concesserit, tribuendam, divinumque honorem deferendum esse; statu-

esse; statuaturque, hoc Deum voluisse dicere: ita me colas, ut omnes alios Deos valere jubeas. Is enim sum, qui rivalem pati ferreq; minimè possum; ideoque fieri nullo pacto potest, ut unà mecum alios Deos colas ac reverearis. Hęc autem lex, & divini cultus ratio, ad quam ea spectat, quo pacto per Christum aucta amplificataque sit, jam tandem videndum nobis est.

Cap: IX.

De Precibus.

DUplici igitur modo hoc factum est. Primò enim Christus suos preces Deo fundere tum docuit, tum assiduè eos hoc facere jussit. Deinde de Deo per semetipsum colendo præcepit. Quorum prius antea Israëlitis imperatum minimè fuisse, inde constat, quòd in illis 613, ut a Iudæorum magistris numerantur, præceptis, populo illi traditis, nullum fuit, quo ad preces Deo adhibendas compelleretur. quanquam qui Dei tunc opem nunquam imploravit, is, meâ quidem sententiâ, non satis pius fuisse existimandus est. Quia enim Deus illorum benefactor & redemptor fuit, multaq; sæpè inciderunt *mala*, ex quibus humana ope emergere nequaquam potuerunt, *ideoq;* maximæ Deum orandi sese obtulerunt occasiones; res *ipsa* eos admonuit, ut ad Deum confugerent, ab eoq; auxilium peterent: ut quidem Davidem fecisse cernimus, qui sibi in maximis periculis auxilium opemq; ferri a Deo ardentissimis precibus postulavit. Idem, Dei quasi verbis, atq; adeò Dei quoddam consilium proferens, svadet, ut illius opem homines afflictionis tempore implorent, certò sibi persvadentes, eum preces illorum auditurum. Psal: 50. 15 Quod tamen Davidis pronunciatum, ejusmodi mandatum, quale hoc loco commemoramus, minimè fuisse, si modò in mandatis numerandum est, inde perspicitur, quòd Deus non in Psalmis pręcepta generalia, quibus omnes sub pœnæ comminatione obstringerentur, dedit: sed in ipso fœdere per Mosen cum populo illo facto. Itaq; hæc Davidis verba, vel consilium tantùm continent, vel, si mandatum continent, illud nequaquam cæteris præceptis in ipso fœdere comprehensis par censendum est: ut taceam, illud non perpetuò omnibusq; temporibus ad precandum homines obstrinxisse: cum hîc nonnisi tempus afflictionis, quo Deus sit invocandus, exprimatur. Sub Christo autem omni tempore, atq; adeò non af- Mat: 6. 9. flictionibus tantummodo, sed aliis etiam rebus impulsi, Deo preces adhibere jubemur: ut vel ex sola orandi formula a Christo nobis præscripta apertissimum est. Hîc verò scire cupies, quî fiat, ut

cùm tam in vetere, quàm in novo fœdere, divinæ opis imploran-dæ causę fuerint, non tamen olim, sed nunc demum rei istius prę-ceptum traditum fuerit. Respondemus igitur, ut & suprà innui-mus, ad id, ut mandatum generale de precum studio detur, non sa-tis esse, interdum ejusmodi tempora incidere, quibus, cùm huma-na ope juvari non possimus, ad divinum præsidium sit confugien-dum; cum res ipsa tunc absq; ullo mandato præsertim generaliter tradito, hoc efflagitare videatur: sed opus esse, ut perpetua quæ-dam rei istius necessitas nobis incumbat, & ex ipso fœdere quodã-modo profluat; hoc est, ut divino auxilio denudati, neq; fœderis mandata perficere, nec ejusdem promissa ullo modo assequi possi-mus. Quod certè secùs sese habuit sub prisca illa legis disciplina: cùm neq; illius mandata, ita, ut status illius populi requirebat, in-tellecta, per se vires humanas superaverint; nec terrena illa felici-tas tanta fuerit, ut ad eam consequendam, præter obedientiam & precibus opus esset; quippe quæ obedientiam lege sancitam, vel nihil, vel parùm admodum videretur superare. Adde, quòd non ea erant illa promissa, ut qui cum obedientia legi debita preces cõ-jungeret, is sine ulla dubitatione eorum compos fieret. Sæpe enim eveniebat, ut homines divinæ gloriæ studio inflammati, pro terre-na felicitate maximis divexarentur ærumnis atq; calamitatibus, Heb: 11, 35, 40. Deo interim multò illis præstantiùs præmium apud se constituen-te. Quod cùm ita sit, quem, quæso, mandatum de perpetuis preci-bus tunc locum habuisset? Atqui hoc tempore, non solùm inter-dum precandi necessitas incidit: sed ipsa fœderis vi ad perpetuum orandi atq; obsecrandi studium impellimur: cùm & illius præcepta humanam facultatem vincant, & ideò, nisi divino fulciamur præsi-dio, ea exequi nequeamus; & summa promissorum magnificentia omnem nostram obedientiam infinitis partibus superet; & porrò pręter vitam cum virtute traductam, ardentissimo precum studio opus sit; pręsertim cùm hodie omnibus, qui & vitæ colunt sancti-moniam, & in assiduo precum ardore versantur, certissima atque exploratissima vitæ sempiternæ spes ostensa sit, quod ut paulò antè diximus, contrà fiebat olim in promissis legalibus.

Sed jam quodammodo res ipsa monet, ut paulò liberiùs in hanc causam ingrediamur, diligenterque inquiramus, tum quid o-ratio sit, quosque fines sibi habeat propositos, tum quot in genera distribuatur, quęque in ea Deo ritè adhibenda leges conditionesq; sint conservandę. Primò igitur, oratio nihil aliud est, quàm divini numinis imploratio, quâ ipsi cultum exhibemus, & auxilium illius,

sive no-

ſive nobis ipſis, ſive proximo prȩſtandum expetimus. Hos enim fines cuilibet Deum precanti propoſitos eſſe debere, & res ipſa, & apertiſſima Chriſti Apoſtolorumque teſtimonia comprobant. Ac primùm quidem ad Dei cultum quod attinet, animadvertendum, eum in precibus fundendis dupliciter ſpectari, nimirum vel ita, ut nos ipſi precum religione Deum colamus; vel hoc pacto, ut precibus Deum commoveamus ad ea facienda, quȩ ad illius gloriam illuſtrandam valent: quorum illud tunc fieri intelligendum eſt, cùm orando Dei celebramus omnipotentiam, bonitatem, ac ſapientiam, hoc ipſo facto nobis perſvaſiſſimum eſſe declarantes, Deum & velle, & poſſe nobis opitulari, & quo quisque animo ad illum ſupplex accedat, quibusque in rebus ipſius ope indigeat, minimè ignorare. Hoc autem poſterius quo pacto a nobis fieri debeat, ipſe Chriſtus luculentiſſimè docet his verbis: *Orantes dicite: Pater noſter, qui es in cœlis; ſanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua, ſicut in cœlo,* [*ita*] *etiam in terra.* Vbi tria ad divinum cultum pertinentia a Deo precari jubemur. Primò orandum eſt, ut Deus omnibus rebus nos cæterosque homines inſtruat, quibus ad ſanctiſſimum illius nomen celebrandum opus eſt, & omnia, quȩ ſcriptis mandamus, quȩ ſermonibus divulgamus, quȩ denique carminibus hymnisque decantamus, ita fortunet, ut ad ipſius laudes per orbem terrarum diſſipandas, plurimum afferant momenti. Deinde petere a Deo jubemur, ut cœleſtem veritatem per Chriſtum patefactam, ſpiritus ſui vi aliisque rationibus ad hanc rem accommodatis, hominum animis ita ingeneret, ut in illis ſedem domiciliumque conſtituat. Vt enim regnum Dei adveniſſe rectè dicatur, nequaquam ſatis eſt; divinam Chriſti diſciplinam omnibus in locis apertiſſimè tradi ac pervulgari, niſi homines in ejus ſtudio mentem animumque defigant: ſiquidem tum demum Deus verè in nobis regnare cenſendus eſt, cum in cordibus noſtris dominatum exercet, eumque ſolum animi noſtri per Chriſtum venerantur. Poſtremò rogandus eſt Deus, ut eas nobis vires concedat, quibus ad eam, quam patefecit, & animis noſtris impreſſit, voluntatem re ipſa perficiendam opus eſt, & quidem ut haud aliter atque Angeli, qui in cœlis degunt, verbo ejus audientes ſimus. Ejus enim ferè generis ſunt Chriſti mandata, quæ facultatem noſtram ſuperant, quibusque Dei ope deſtituti parere non poſſumus. Vnde colligitur, nos hoc loco, & noſtram imbecillitatem haud ſanè diſſimulare, & ſimul tanta ſpe atque fide nixos orare, ut etiam ad Angelo-

Cap: IX. De Precibus.

rum puritatem ſanctimoniamq; Dei beneficio aſpirare nos poſſe, non diffidamus.

Alter finis, quem in precibus propoſitum habere convenit, noſtram proximorumque noſtrorum indigentiam ac neceſſitates reſpicit: quæ quidem in duo tribuuntur genera. Quædam enim perpetuò rogandæ nobis ſunt, utpote ſummam eorum amplectentes, quibus in hoc vitæ curriculo carere nequaquam poſſumus: quædam verò nequaquam fixæ certæque ſunt, ſed diverſis temporibus incidunt, ideoque certam generatimque omnibus perſonis, caſibus, ac temporibus convenientem orandi formam nequaquam vel admittunt, vel efflagitant; cùm, qua ratione Deus implorandus ſit, res ipſa tunc abundè docere videatur: ſecùs autem eſt in illis precandi cauſis, quæ perpetuò nobis dantur. Has enim ratum certumque orandi modum admittere, præter jam dicta, argumento èſt Chriſti hac de re inſtitutio atque diſciplina, qui ut res ad divinum cultum pertinentes, certâ precandi viâ ac ratione comprehendit: ita quæ ad nos perpetuò juvandos ſpectant, generali, ſemperque omnes, quod ad rem ſententiamque ipſam attinet, obſtringente orationis formulâ complexus eſt; quæ quidem hæc eſt: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: Et dimitte nobis debita noſtra; ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo.* Quo in loco ſimiliter tribus petitionibus res omnes, quibus perpetuò nobis opus eſt, complecti Dominus voluit. Primò enim ea nos petere a ſummo illo Patre noſtro jubet, quæ ad vitam noſtram perpetuò fovendam ac ſuſtentandam pertinent. Vita porrò noſtra vel ſpiritualis, vel corporalis eſt. Ex quo fit, ut ad ſpititualem vitam conſervandam, ſpiritali pane nobis opus ſit: ad corporalem verò corporali. Ac ſpiritalis quidem panis, divinum illud donum, quod Spiritus ſanctus eſt, & præclariſſimos, qui ab eo manant, effectus fructusque deſignat; quo munere ſi deſtituamur, vita noſtra ſpiritalis, quæ in fidei, pietatis ſanctimoniæque ſtudio conſtituta eſt, nullo pacto conſiſtere poterit. Corporalis autem panis omnia tum ciborum, tum aliarum rerum genera ſignificat, quibus hæc animalis vita noſtra alitur & ſuſtinetur. Quem quidem panem hoc in loco ἐπιούσιον, id eſt, ad eſſentiam ſubſtantiamque noſtram ſpectantem, vel, ut Syriacus interpres vertit, panem neceſſitatis noſtræ ideò appellari ſtatuendum eſt, ut intelligamus, tantum iſtarum rerum, quæ ad corpus noſtrum ſuſtentandum pertinent, a Deo precandum nobis eſſe, quantum ad

tum ad vitæ nostræ conservationem satis est. Duæ porrò causæ sunt, cur hunc panem precibus efflagitare nos oporteat, quarum altera ad eos spectat, qui in paupertate atque inopia; altera ad illos, qui in omnium rerum abundantia vivunt; ut nimirum illis Dei beneficio ac liberalitate, ea quibus indigent, concedantur: his verò, quæ ad vitam necessaria sunt, non modò non adimantur, sed iis etiam uti ac perfrui detur: ut ita hi quoque non laboribus, non vigiliis, non artibus suis ascribant, quæ habent, sed ex divina benignitate profluere, seque Deo non fortunante illis perfrui nequaquam posse statuant. Panis autem nomine, tum Spiritualis, tum corporalis vitæ necessitates contineri, hinc colligitur, quòd, ut de proprio pane primùm loquamur, eum hîc intelligendum esse, ipse verborum sonus videtur docere. Metaphorici verò, id est, divini Spiritus petitionem omissam esse nulla ratio persvadere potest. Quinimò ex Luca facilè intelligitur, eum oratione Dominica planè contineri; cum Christus ibidem, postquam certam precandi formam suis præscripsisset, statim egregiis a similitudine captis exemplis docuerit, nequaquam eam fore inanem, sed Deum ad spiritu sancto nos donandos commoturam, dummodò ab ea nō cessemus, sed in eo studio constanter persistamus. Quid, quòd ita se rē habere etiam hinc constare potest, quòd Christus omnes præcipuos orationis fructus, seu præcipua ex iis, quæ precando a Deo obtineri cupimus, hîc exponere voluit. Cùm igitur nullus alius Spiritus sancti dono in hac precandi formula locus esse videatur, quatenus nimirum ad nos perpetuò juvandos præcipuè spectat; consequens est, panis vocabulo eum hîc comprehendi. cap: 11. 2. & d. ibid: ℣ 13. ib: ℣ 5, & d.

Sed jam altera posterioris generis petitio excutienda nobis est, qua a Deo patre nostro contendimus, ut nobis debita nostra remittat, quemadmodum & nos debitoribus nostris remittimus. Vbi tum quid per debita intelligendum sit, tum quo pacto ea nobis a Deo condonari velimus, animadvertendum est. Primò igitur debitorum nomine omnia, non solùm hodierna errata nostra, quæ pietatis cursui interveniunt, sed etiam ea, quæ antequam Christi lumine verè illustraremur, & peccati jugum excuteremus, patraveramus, flagitia significari dicimus, & hæc quidem tantò magis, quantò ea solent esse majora gravioraque. Tametsi enim fieri potest, ut etiamnum gravi aliquo peccato homo Christianus, pietati cæteroqui deditus, sese obstringat; tamen cum nequaquam is ejus status sit, ut in peccato cōmisso persistat, quemadmodum quidem antea manebat, quàm lumine cœlesti collustraretur; consequens

est, illa nostra scelera hodiernis lapsibus fuisse immaniora, magisque propriè debitorum nomine appellari, cùm sempiterni nos supplicii reos omnino fecerint; & porrò si prolapsionum petimus condonationem, ista precatione utentes; consentaneum est, ut multò magis illa nobis remitti postulemus. Vt enim hoc insuper addam, constat, peccata ante Christum cognitum a nobis perpetrata, magna ex parte a scientibus prudentibus, atque adeò prorsus voluntariè cõmissa fuisse, aliter atque in hodiernis prolapsionib⁹ nostris contingit. Quodsi quis peccata præterita jam tum nobis remissa fuisse dicat, cùm relicto priore vitæ nostræ statu ad Christi ductum nos applicavimus; indeque colligere velit, non de præteritis, sed de præsentibus delictis sermonem hoc loco haberi: respondemus, peccata illa nostra, non planè simpliciter atque absolutè, sed sub certa conditione nobis esse remissa, quæ conditio resipiscentiam, ac peccatorum pristinorum coram Deo confessionem ac deprecationem, quam resipiscentia illa secum omnino trahit, complectitur. Absolutè autem omnique ex parte peccata nobis tunc ignoscentur, cùm vera propriaque ipsorum pœna, nimirum æterna mors, reipsa a nobis auferetur, & porrò vitæ sempiternæ beneficium in nos conferetur. Quod quidem dum fiat, tum vita mutanda est in melius, tum semper nobis peccata pristina confitenda, eorumque remissio talis, qualem diximus, efflagitanda est, ad quod factitandum Iohannes nos haud obscurè hortatur illis verbis: *Si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, nec est in nobis veritas: Si confitemur peccata nostra, ille ita fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Vbi de præteritis illum sceleribus potissimùm loqui, ex verborum contextu facilè unusquisque intelliget.

1 Ioh: 1. 8.

Quo verò pacto peccata, hac utentes precatione, nobis ignosci cupiamus, his Christi verbis docemur: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hîc planè cernimus, tum condonationem similem nobis injungi, tum eam minimè conservantibus gravissimam pœnam constitutam esse, non obscurè indicari. Similitudo condonationis peccatorum in eo consistit, quòd quemadmodum nihil quicquam de illo, qui nos injuriosè tractavit, sive per nos, sive per alium quemcunque ulciscendo cogitare, sed ei omne crimen ex animo condonare debemus: ita quoties hac petitione ad Dei clementiam confugimus, toties illum submissè oramus, ut æternum illud supplicium, quod flagitiis nostris constitutum erat, de nobis minimè sumat, sed potiùs pro inexplicabili sua benignitate nos a peccati reatu

ti reatu ac pœna liberatos, in cœlestis patrimonii possessione constituat. Pœna porrò illis, qui eadem mansuetudine ac lenitate in condonando uti nolunt, constituta est, quòd peccatorum suorum veniam impetrare nunquam poterunt: ut ex illis Christi verbis constat, quę huic precandi formulæ apud Matthæum statim subjecit, hanc ipsam illius, quam nunc consideramus, particulam explicaturus: *Si enim*, inquit, *remiseritis hominibus peccata illorum, remittet & vobis Pater cœlestis delicta vestra. Si autem non remiseritis hominibus, nec Pater vester remittet vobis peccata vestra*, id est, immortalitatis præmium nequaquam vobis tribuet, sed sempiternum supplicium irrogabit. Quo in loco illud rectè intelligendum est, quòd Christus illis, qui hominum offensas condonant, ipsorum quoque peccata remissum iri affirmat. Hinc enim effici videtur, nihil obstare aut officere, quibuscunque tandem flagitiis sint cooperti, qui aliis delicta ignoscunt. Quæ quidem sententia, cùm & aliis testimoniis sacris, & rectę rationis judicio contraria sit, adhibenda omnino est commoda Christi verbis interpretatio, ut nimirum intelligamus, eum, qui alioqui pietatis studiosus est, si in aliorum injuriis condonandis facilem se præbuerit, peccatorum suorum veniam consecuturum. Huic autem pietatis parti ideo hoc Dei beneficium, quod universæ pietatis præmium est, adscribitur, quia cum eo peculiarem habet similitudinem ac convenientiam, & ad id comparandum insignem quandam vim obtinet. Mat: 6. 14, 15.

Tertia ultimaq; precatio ad nos propriè spectans in hoc consistit, ne nos Deus in tentationem inducat, sed a malo nos liberet. Vt autem de tentatione priùs loquamur, intelligendum est, ejus nomine varia periculorum, calamitatum, afflictionumq; genera declarari, quibus propter Christi nomen vexamur, facileq; a recto cursu, pietatisq; in Deum officio deterreri possemus: & quia non rarò fit, ut qui hujusmodi malis premuntur, iisdem etiam, suâ tamen culpâ, opprimantur, imò omnes, nisi divino auxilio fulcirentur, facilè iis succumbere possent: ideò hic quoq; illorum malorū effectus, tentationis nomine & hìc & alibi comprehenditur. Quocirca implorandum Dei auxilium nobis esse docet hoc loco Christus, ne in tentationem nos inducat; non quidem quasi precibus cum Deo agendum sit, ne unquam calamitatibus aut periculis objiciamur; sed ne illis nos opprimi ac vinci permittat. Inducendi enim verbum de Deo hìc usurpatum nequaquam significat, Deum ipsum verum istiusmodi tentationis auctorem esse, vel esse posse: verus enim ejus auctor est malus ille, a quo ut liberemur, in sequen- 1 Thess: 3. 5.

tibus statim verbis petimus, utpote qui & afflictiones illas per homines sibi addictos excitat, & ut per eas a fide ac pietate nos abducat, allaborat: sed tantùm significat, Deum nisi clementiâ erga nos uti velit, quæ precibus sit ab eo impetranda, posse nos tentationi illi, & sic potestati illius mali quodammodo permittere. Inductioni enim in tentationem hîc videmus opponi a malo liberationem: ut facilè intelligi possit, ad eam satis esse, a malo non liberari. Mali verò illius nomine in sacris literis diabolus denotari solet: quia malorum est pessimus, & omnis malitiæ atq; injuriæ primus autor. Is igitur tunc, cum Deus, ut calamitatibus vexemur, permittit, vel fidei nostræ explorandæ, gloriæq; suæ illustrandæ, aut salutis alienę promovendæ causâ eas nobis quodammodo invehit, is, inquam, inimicus noster, hinc arrepta occasione, omnes suos nervos intendit, ut illis opprimamur. Quocirca Deum precandum nobis esse Christus ait, ut nos a capitali isto hoste nostro liberet, vel calamitates illas penitus auferendo, vel easdem ita mitigando, aut vires nobis subministrando, ut iis ferendis pares simus, nec hujus nostri hostis præda fiamus.

Mat: 5. 37: 13. 19, 38. Ephes: 6. 16. 1 Ioh: 2. 13, 14: 5. 18, 19.

Quæ verò hucusq; explicuimus, ea unusquisq; non tantùm sibi ipsi a Deo optare ac flagitare debet, sed etiam aliis. Quamob causam videtur Christus omnes precationes, quæ ad nos ipsos spectant, numero multitudinis expressisse, ut moneret, non de seipso tantùm, sed de aliis quoq;, præsertim fidelibus, divina ope atq; præsidio muniendis unumquemq; tum temporis laborare debere. Vnde alibi expressis verbis, ut alii pro aliis preces apud Deum interponamus, præcipitur. Quam in sententiam Paulus: *Orate*, inquit, *omni tẽpore in spiritu, & in ipso hoc vigilantes, omni instantia & obsecratione, pro omnibus sanctis.* Huc referri debet & illud Iacobi: *Orate alii pro aliis &c. Multum valet deprecatio* justi *ardens.* Est igitur hoc quidem officium illorum, qui Christi disciplinam profitentur: maximè tamen ad illos pertinere videtur, qui aliis erudiendis sunt præpositi. Hoc ipsum & Apostoli sui muneris persvasum habentes, noluerunt Diaconorum partes suscipere, ut eò diligentiorem precibus & doctrinis operam dare possent. Quamquam ea verba etiam de precibus publicis, in quibus præire cæteris debebant Apostoli, accipi possunt. Quantâ autem diligentiâ Paulus fuerit usus in precibus pro eorum salute concipiendis, quos Christo lucrifecisset, uti & pro aliis fidelibus, satis ipsius testantur ad diversas Ecclesias scriptæ epistolæ.

Ephes: 6. 18. Iacob: 5. 16. Act: 6. 2, 4.

His ita constitutis, animadvertendum præterea est, precum istarum

ſtarum omnium rurſus duo eſſe genera, privatum nimirum & publicum. Privatæ preces ſunt, quas Deo in loco ab arbitris libero quiſque fundimus. Publicæ, quas Deo in fidelium hominum congreſſu adhibemus. Illarum exempla extant Act: 9. 11: & 10. 9: & 16. 25: Harum verò Act: 4. 24: & 12. 12: & 13. 3: & 16. 13: & 21. 5. Vbi animadvertendum eſt, cùm omnes, quæ ex intimis ſenſibus oriuntur, preces Deo gratiſſimæ ſint; acceptiores tamen illas eſſe, quæ publicè, unoque quaſi omnium ore illi ſacrantur. Cùm enim, ut ſuprà diximus, is nobis in orando finis terminuſque propoſitus eſſe debeat, ut Dei gloria amplificetur, noſtris proximorumque neceſſitatibus ſubveniatur; quis non videt, majorem iſta omnia conſequendi vim, in publica, quàm privata unius aut alterius oratione contineri? Et quidem, ut de divinæ gloriæ amplificatione priùs dicamus, eam certè publicum Dei honorem continere, & ideò publicas piorum preces exigere, nemo non videt. Quod verò ad noſtras proximorumque neceſſitates attinet, parumné liquet, conjunctas plurium preces pluris apud Deum eſſe, quàm ſeparatim hujus aut illius? Facilè enim fieri poteſt, ut Deus aliqua noſtra indignitate offenſus, preces noſtras privatim ſibi adhibitas minùs quidem audiat, locum tamen apud illum habeant precationes aliorum cum noſtris conjunctæ; cùm nequaquam fruſtra alii pro aliis orare jubeamur. Et huc Chriſtus mentem intendit, cùm publicos fidelium cœtus commendans, hunc in modum loquitur: *Dico vobis, quòd ſi duo veſtrûm conſenſerint in terra, de quavis re quam petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis eſt. Vbi enim duo vel tres congregantur in nomine meo, illic ſum inter illos.* Mat: 18. 19. Nec eſt, quòd objiciatur, Chriſtum nos, Mat: 6. 5, 6. cum precibus Deum venerari cupimus, in conclave ingredi, clauſoque oſtio in occulto orare jubentem, publicis precibus adverſari. Res enim ipſa ſatis monet, de precibus, quas ſinguli ſeparatim fundunt, ei ſermonem eſſe, non de iis, quas unà cum cæteris ejuſdem Eccleſiæ membris Deo conſecrant. Vt taceam, verba illa non prorſus ſimpliciter, ſed certæ tantùm rei habita ratione, fuiſſe prolata. Opponit enim ea Chriſtus illorum hominum hypocriſi vaniſſimæque ambitioni, qui orando non Dei gloriam, ſed ſuas laudes, & inſignem præ cæteris ſanctimoniæ ac religionis exiſtimationem quærebant, ideoque, licet ſoli orarent, publicis tamen ac celebribus in locis, ut ab omnibus conſpicerentur, id faciebant. A qua hypocriſi & ambitione adeò putida tam longè ſuos abeſſe vult Chriſtus, ut non modò eam ipſam, ſed illius quoque ſpeciem vitent. Itaque ſi verendum ſit, ne gloriam ſuam orando videantur aucupari,

potius in conclave se abdant, & occluso ostio, in occulto Patri suo supplicent. Vult nẽpe Christus, ejusmodi preces Deo adhiberi, quę ex animo tum syncero, tum ardenti proficiscantur. Istorum autem hominum preces non solùm ad vanam religionis pietatisq; ostentationem compositæ erant, sed etiam, quod consequens est, omni mentis ardore carebant. Quod contrà tum in omnibus, tum vel inprimis, in piorum precibus fieri debet, ut nimirũ & synceræ sint & ardentissimæ. Vt porrò per hãc occasionem magis doceamus, Christum velle, ut preces nostræ singulari quodam ardore incensæ sint, illa ipsius verba consideranda sunt: *Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur.* Precum enim ardor tunc maximè apparet, cùm sunt urgentes assiduæque, cùm homines imbecillitatis conscientiâ humiliter se ad Dei pedes abjiciunt, cùm pulsanti, diligentissimeque quippiam quærenti similes sese præstant, & sic invenire, ac sibi aperiri, solicito anxioque animo desiderant. Huc & illa Christi admonitio pertinet: *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Quo in loco Iudicis injusti, omnisque tum Dei metus, tum pudoris expertis, viduæque illius opem implorare non desistentis similitudine clarissimè explicat, quàm ardenti minimeque remisso studio precibus invigilare nos oporteat, addens insuper, electos Dei in precibus dies noctesque consumere. Nulla autem re magis ad tantam precum diligentiam atque assiduitatem stimulari excitarique possumus, quàm attentissima, tum indigentiæ nostræ, tum muneris nobis impositi, tum periculorum, quæ nobis imminent, consideratione. Nam & sine Deo omnibus rebus denudatos nos esse oportet; & absque illius ope nec justitiam colere, nec cupiditati nefariæ obsistere, nec innumeras acerbitates, dolores, cruciatus perferre, nec mortis immanitatem atque terrorem firmissima sempiternæ felicitatis spe superare, nec denique immortalitatem assequi possumus. Quod cùm ita sit, quis non videt, quanto precum studio ardoreque opus sit?

Mat: 7. 7.

Luc: 18. 1, 2.

Falluntur autem illi plurimùm, quorum & hodie & olim magnus fuit numerus, qui ita se inter precandum gerunt, ut in multiloquio assiduum orationis studium constitutum esse, existimare videantur: cum Christus verborum multitudinem a precibus remotam esse velit. Quod tamen ex ea parte intelligendum est, quatenus homines in ipsa verborum multitudine, aut eorundem repetitione, precum vim ponunt, easque propter hanc ipsam prolixitatem audiri existimant. Alioqui enim multis uti verbis, vel eadem su-

Mat: 6. 7.

dem subinde repetere, non solùm ex se malum nequaquam est: sed sæpe etiam Deo gratissimum accidit, si nempe ex animo incenso, summaque necessitate stimulato proveniat. Verùm ut meliùs adhuc intelligamus, quid à Deo rectè supplicandum nobis opus sit, animadvertendum est, tres potissimùm precum leges conditionesque constitutas esse. Primò enim necesse est, ut si Deum preces nostras audire volumus, ita Christi præceptis obtemperemus, ut nulla scelerum conscientiâ convincamur. Hoc enim pacto, hacque lege orationi nostræ Deum benignissimas aures suas daturum, Iohannes luculentissimè his verbis testificatur: *Charissimi, si noster animus nos non damnat, confidentiam habemus ad Deum: & quicquid postulamus ab illo, impetramus: quoniam ejus præceptis obtemperamus, & quæ ipsi grata sunt, facimus.* 1 Ioh: 3. 21, 22. *Iusti* enim *hominis*, ut in eandem sententiam Iacobus asserit, *oratio ardens multùm valet.* Iac: 5. 16. Quod sanè haud ita intelligendum est, quasi ei, qui vel animi imbecillitate, vel ignorantiâ, vel incogitantiâ interdum prolabitur, divinæ aures minimè pateant: cùm qui in eo habentur numero, justi nihilominus existimandi sint, dummodò perpetuò justitiæ studio teneantur. Vt quidem in Elia cernimus, a Iacobo ibid. commemorato, qui nequaquam inusitato quodam & singularissimo, humanamque facultatem superante, virtutis genere præditus, imò iisdem, quibus nos, infirmitatibus obnoxius fuit: & tamen cum precibus petiisset, ne plueret, non pluit in terram per annos tres & sex menses. Quod si tamen peccatorum vinculis quispiam constrictus teneatur, is cur sese facilibus Dei auribus usurum speret nihil est. Id quod egregio illius cœci nati testimonio comprobatur: *Scimus*, inquit, *peccatores a Deo non audiri; sed si quis cultor Dei est, ejusque voluntatem facit, hunc audit.* Ioh: 9. 31. Hoc autem ita esse, sine dubio Iudæi ex Esaia aliisque divinis vatibus didicerant. Esaias enim hunc in modum Dei verbis populum illum alloquitur: *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, & cum multiplicaveritis orationes, non exaudiam. Manus enim vestræ sangvine plenæ sunt.* Esa: 1. 15. In hanc sententiam & Paulus dicit: *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira & disceptatione.* 1 Tim: 2. 8. Hęc enim causa est, cur homines quamvis in precum studio multum temporis consumant, raró tamen aut nunquam votorum compotes fiunt, quòd animum gerunt aut superbum, aut avaritiæ dominatu oppressum, aut impuritatis contagine pollutum, quòdque ætatem ferè omnem in rixis, in fraude, in aliisque vitæ pestibus consumunt.

Secunda precum lex est, quâ secundùm Dei voluntatem orandum esse

dum esse docemur. Providendum enim diligenter, ne ullam rem petere a Deo instituamus, quæ ab illius voluntate dissideat. Cùm porrò non rarò eveniat, ut de Dei voluntate minimè nobis constet, cautè agendum est, ut nimirum quæ exoptamus, ea hac conditione nobis tribui petamus, si Deo ita visum fuerit. Quæ quidem conditio potissimùm in illis rebus, quæ ad temporariam vitam pertinent, locum habere videtur. Quæ enim ad vitam sempiternam, præsertim necessariò spectant, veluti sunt omnes virtutes, omniaque adjumenta, quibus ad viam salutis ingrediendam, studiumque pietatis constanter decurrendum opus est, ea simpliciter omnique exclusa conditione, quæ dubitationem quandam contineat, petenda nobis esse, tum res ipsa indicat, tum Iacobus luculentissimis verbis docet, cùm sapientiam, quæ in rebus adversis æquo animo ferendis maximè elucet, sine ulla dubitatione Deum orare nos jubet. Hanc enim aliasque similes virtutes a Deo etiam atque etiam petendo, nihil ab ipsius voluntate alienum postulabimus; imò planè ex ipsius mandato hoc faciemus. Huc pertinent & illæ preces, quas pro illis, qui ad mortem non peccant; & quas pro Regibus, aliisque qui Magistratum gerunt, Deo adhibere debemus. Eorum porrò quæ a Dei voluntate abhorrent, duo sunt genera. Primum complectitur ea, quę discrepant ab aliquo Dei decreto mandatové, aut ab aliqua re simili. Cum decreto Dei non consensit Samuelis pro Saule precatio; non consentit etiam ea, quę pro iis, qui ad mortem peccant, suscipitur: cum mandato autem divino pugnat illa, quâ non divinæ gloriæ amplificatio, non salutis æternæ possessio, non denique proximi ædificatio, sed nefariæ cupiditatis expletio, sæpeque invidiæ atque odii, quod quis in alterum susceperit, exsaturatio quæritur. Alterum genus ea comprehendit, quæ in rem petentis futura minimè sunt, ideoque a Deo denegantur: veluti est terna illa Pauli oratio, quâ, ut Satanas ab illo discederet, eumque tentare ac percutere desineret, postulavit, quamque ea de causa Dominus minimè audivit, ne sese Paulus propter visionum amplitudinem nimiùm extolleret.

[Iac: 1. 5, 6. — 1 Joh: 5. 16. — 1 Tim: 2. 1, 2. — 1 Sam: 15. 11. & 16. 1. — 1 Ioh: 5. 16. — 2 Cor: 12. 8, 9.]

Tertia orationis conditio hoc a nobis exigit, ut, cum ad Deo supplicandum nos conferimus, nihil dubitemus, quin retentis seduloque custoditis omnibus, quæ hactenus explicavimus, precum legibus, positaque ea, quam petitionibus quibusdam addere debemus, conditione, ea quæ a Deo flagitamus, impetraturi simus. Iacobus enim dicit: *Postulet in fide nihil hæsitans. Qui enim dubitat, fluctui maris similis est, qui a vento movetur, & circumfertur. Non ergo se putet*

[Iac: 1. 6, 7. — ib: ℣ 8.]

se putet is homo quicquam a Deo impetraturum. Quibus verbis Iacobus hanc subjungit rationem, quia ejusmodi homo duplicis sit animi, inque omnibus actionibus suis inconstans. Qui verò tali est animo ac moribus præditus, Deo nequaquam probari potest; nec porrò ipsius preces ab illo audiuntur; cùm, ut quis petita impetret, simplici, constantique animo esse oporteat. Ea verò fides, seu certa animi persvasio, non est prorsus uniusmodi, sed in aliis perfectior, in aliis imperfectior. Alii enim nec de potentia Dei, nec de voluntate omnia illa, quæ petunt, sibi largiendi quicquã dubitant: cujusmodi fide Apostoli v. g. ut miracula ederent, a Deo ac Christo impetrarunt; alii autem ita comparati sunt, ut quamvis de divina voluntate nonnihil dubitent, de ejus tamen facultate omnia, quæ petunt, sibi tribuendi illis sit persvasissimum. Et de Dei quidem voluntate, cum res ab ipso promissas petunt, non ideo addubitant, quòd eum in promissis præstandis non satis constantem suspicentur; sed quòd suæ indignitatis memores, vereantur, ne Deus peccatis ipsorum offensus, opem illis suam deneget; quorum dubitationem, ex Dei timore animiq; modestia quadam profectam, Iacobum in illis, quæ vidimus, verbis reprehendisse atque accusasse, haud quaquam est consentaneum. Quare statuendum est, de illis eum loqui, qui vel de promissorum divinorum fide, vel de potentia ipsius dubitant. Vnde colligitur, eum incassum ad Deum preces fundere, cui de hac illius, vel potentia, vel fide, certum non est. Nam qui eum, quæ postulantur, aut præstare non posse existimat, aut, utut ea promiserit, præstare tamen conditionem propositam implentibus nolle putat, vel saltem dubitat, num ea facere possit, aut ea, qua dictum est, ratione velit, is majestati illius illudit, & sic ejus nomen gravissimè offendit: Quod quidem malum neutiquam metuendum fuerit, si ipsius exploratam habentes, tum fidem, tum omnia nobis tribuendi potestatem, de voluntate ejus nonnihil dubitaverimus. Rex enim aliquis v. g. non perinde offenditur, si ipsius voluntas faciendi, quod quis oret, salvâ fidei ipsius existimatione, in dubium vocetur, ut cùm de ejus potentia aut fide ambigitur. Ex quo fit, ut quamvis hæc persvasio infirmior eâ sit, de qua primùm diximus: tamen ad ritè cumque fructu Deo supplicandum satis magnam vim contineat.

Cap: X. De Christi adoratione.

CAP: X.

Quomodo Deus per Christum colendus sit, & primùm de adoratione Christi.

Priorem

PRiorem rationem ac modum, quo Christus præceptũ de divino cultu auxit atq; amplificavit, exposuimus hactenus. Sequitur ut alterum excutiamus; nimirum quo pacto per Christum summo illi Patri divinum honorem exhibere debeamus. Animadvertendum igitur, dupliciter hoc perficiendum esse, nempe ut tum quatenus Christi discipuli sumus, ex hujus præceptoris nostri præscriptione Deum colamus: tum ipsum Christum divini honoris cultu veneremur. Ac priorem quidem Dei per Christum colendi rationem, nõ solùm idem Christus ad Mosis eadem de re præceptum adjunxit; sed etiam adeò destrictè nobis præfinivit, ut nonnisi hanc Deo gratam acceptamq; esse hoc tempore docuerit; quemadmodum tum
1 Pet: 2. 5. Petrus Apostolus, tum autor Epistolæ ad Hebr: testificatur. Altera
Heb: 13. 15. verò rei ejusdem ratio, vel Christi continet adorationem, vel opis ipsius implorationem: quarum illam a Deo mandatam omnino habemus: hæc ex ipsius, quâ in salutem nostram incumbit, curâ, cum summa omnium rerum potestate conjuncta, evidentissimè colligitur. Quod quidem quale sit, postea docebimus. Hîc enim de Christi adoratione agere instituimus, quæ nihil aliud est, quàm animum aut etiam corpus coram illo demittere ac veluti prosternere, & sic summum ipsius imperium & nostri curam agnoscere, ac quibus possumus modis celebrare. Hoc autem ut multis aliis rationibus fieri consvevit, ita potissimùm, cùm in ipsius gloriam hymnos laudesq; canimus, & sacrum illius cœnę festum agimus. Hoc autem ut faciamus, tum, ut diximus, divino mandato, tum aliis argumentis impellimur. de quibus ut primo loco dicam; quis eum, quem Deus solio suo dignatus est, cuiq; omnia præter seipsum subjecit, ut Angelos, hominesq;, & omnia alia summo imperio complectatur, intimosq; animi nostri sensus teneat; quiq; ut Ecclesiæ caput, oviumq; suarum pastor, salutis nostræ diligentissimam procurationem habet; & ut, dum hîc vivimus, omnibus spiritualibus donis nos locupletat, ita tandem æternâ felicitate donaturus; sibi verò Patriq; suo inobedientes sempiterno supplicio ulturus est; quis, inquam, hunc divino honore dignissimum non existimet, ideoque
Phil: 2. 9, 10. sanctissimo cultu non afficiat? cùm præsertim ipse Spiritus
Iohan: 5. 22. sanctus in hunc finem Christum tanta splendoris dignitatisq; am-
Heb: 1. 6. plitudine illustratum confirmet: ipseq; Deus in futurum mundum eum introducens, ut ab omnibus Angelis adoraretur, imperaverit. Quantò igitur magis nos, eodem divino ipsius imperio, ad id faci-
Psal: 45. 19. endum adstringimur? prę sertim cùm ipsa quoque Ecclesia, quantumvis sub Solomonis ejusdemq; Sponsę typo, Christum sponsum

ſuum adorare jubeatur. Huc accedit, quòd omnia ea ſumma alacritate peragere debemus, quæ Deus gloriæ ſuæ cauſſâ inſtituit. Ex quibus cùm ſit Chriſti adoratio, ex ſumma ipſius amplitudine neceſſariò profluens; quid eſt, quin eam promtiſſimo ſemper animo exequamur? Neq; enim fas eſt arbitrari, nos citra honorem Chriſto exhibendum, Patrem revereri poſſe; cùm, ut ipſe Chriſtus teſtis eſt, *Qui non honorat Filium, nec Patrem honoret.* Hac divinæ voluntatis ſignificatione commoti tum Angeli, tum homines, venerabûdi coram agno, qui occiſus fuerat, procubuiſſe, eiq; gloriam ac honorem tribuiſſe dicuntur. Nec mirum; quandoquidem hunc illi honorem tunc etiam aliqua ex parte habitum fuiſſe conſtat, cùm in tam excelſum ſummę dignitatis atque imperii gradum nondum aſcendiſſet. Cujus rei exempla non pauca apud Evangeliſtas obvia ſunt, quibus ſanè non civili tantummodò, ſed planè divino honoris cultu illum fuiſſe affectum, cuilibet non oſcitanter ea legenti facilè patebit. Erat enim jam revera, pro temporis illius ratione, & Chriſtus, & in forma Dei conſtitutus; quod quidem quale fuerit, ſatis alibi demonſtratur.

Cap: XI. De invocatione Chriſti.

Ioh: 5. 23.

Apoc: 5. 8, 9, 10, 11, 12, 13.

Mat: 8. 2: 9. 18: 14. 33: 15. 25: 28. 9, 17. Ioh: 9. 38.

Matth: 16. 16. Phil: 2. 6.

lib: 5. cap: 10.

Cap: XI.

De Christi *invocatione.*

IAM de Chriſti invocatione, cujus explicationem tandem ingredimur, ita ſtatuimus, ut nos illum, quamvis corpore abſentem, precari, auxiliumq; ipſius implorare, non ſolùm ſummo jure ſemper poſſe, perſvaſum habeamus; ſed ſępè etiam debere, non quidem abſolutâ, verùm ea neceſſitate, quam ſecundùm quid appellant Logici, impulſos, nimirum quoties vel divino ſpiritu ad id faciendum inflammamur; vel fidelium exemplo concitamur; vel imbecillitate noſtra admonemur; vel denique quâcunque aliâ cauſâ adducimur. Exiſtimamus igitur, quæ aliorum quoque omnium, qui Chriſti nomen invocant, ſententia, vel ſaltem praxis eſt ac conſvetudo, nos interdum absque peccato rectà ad ipſum Deum accedere, & preces ad eum dirigere poſſe, ita ut eadem bona a Chriſto tum temporis non petamus, quemadmodum in precationis formula ab ipſo Chriſto nobis pręſcripta fieri videmus. Quare nonnunquam ab invocatione ipſius Chriſti propriè ſic dicta abſtinere nos, ſalvis ipſius pręceptis, poſſe credimus: verumtamen non quòd eum invocare abnuamus, vel non audeamus, (aliter enim Chriſtiano nomine haud ſatis digni meritò exiſtimari poſſemus) ſed quia hujus rei cauſis paulò antè commemoratis deſtituamur. Hinc per-

ſpicuum

vocatione Christi.

spicuum est, nostram de Christi imploratione sententiam duabus assertionibus contineri. Quarum prior est, nos jure invocare Christum semper posse. Altera non semper nos ad id faciendum adstringi. Ac prioris quidem assertionis nostrę indubitata veritas, tum ex ipsius Dei voluntate, quam, Christum nobis regendis atque curandis pręficiendo, declaravit; tum ex ipsius Christi divinique spiritus monitis, quibus ad id faciendum incitamur; tum denique ex sanctissimorum hominum exemplis clarissimè patet. Primò enim, quis sanę mentis homo eum sese invocare posse diffidat, quem Deus infirmitatis nostrę sublevandæ causâ tantopere extulit, tantaq; donavit potestatis amplitudine, ut omnia quibus indigemus, dare nobis possit; tantâ sapientiâ, ut preces nostras, in cœlis licet existés,
Apoc 2. 23. queat audire, ut corda & renes nostros scrutetur, & abdita omnia
1 Cor: 4. 4, 5. penitissimè perspiciat? Quis v. g. a pręfecto id petere dubitet, cujus largiendi potestatem plenissimam eum a rege accepisse sciat? Hęc quidem ratio adeò est evidens, ut vel sola ad hujus rei demonstrationem sufficiat: sed tamen ne ullus cuipiam tergiversandi locus relinquatur, alia quoque adjiciemus. Et quidem, quid de salutaribus monitis dicam, quibus ad auxilium Christi implorandum invitamur? Christus certè haud obscurè ad id faciendum nos horta-
Ioh: 14. 13, 14. tur, dum ita discipulos apud Iohannem alloquitur: *Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio: si quid petieritis in nomine meo, ego faciam.* Etsi enim Christus expressè non dicit, se rogandum a discipulis esse: nihilominus tamen, cum statim subjiciat, idque mox denuo inculcet, sese ea, quæ in nomine suo petierint, facturum; satis indicavit, seipsum quoque rogari, & dona illa a se peti jure posse; & discipulos optimè sibi consulturos, si ad ipsius opem confugerint, & hoc pacto in nomine ejus dona cœlestia petierint: nec contemnendum illud est, quòd & vulgata Bibli-
¶ 14. orum lectio, & Syriacus interpres sic habet: *Si quid petieritis me in nomine meo, ego faciam.* Neque enim voculam *me* temerè, & absque vetustissimi alicujus Gręci Codicis autoritate, in Latinum Syriacumque textum irrepsisse, verisimile est. Quę quidem loquendi formula, quamvis primò aspectu durior aliquantum videatur: tamen si consideretur, *nomen* Christi pro illius potestate, virtute, ac
Ioh: 10 25: 17. 12: dignitate accipi posse, (hanc enim significationem vox *nominis* eti-
Act: 4. 10. am alibi in sac: lit: habet,) facilè apparebit, Christum eo pacto lo-
Ephes: 1. 21. qui potuisse, ut simul & quem rogare conveniret, & quam ob caus-
Phil: 2. 9. sam, discipuli intelligerent: quasi dixisset: Si quid a me ipso, potestate, virtute, dignitateque mea freti atque impulsi petieritis, id ego vobis

go vobis præstabo. Quòd verò idem Christus alibi dicit, *Patrem in suo nomine rogandum esse*, nihil quicquam iis, quę hactenus diximus, adversatur; cum potiùs hac ipsa ratione Patrem precari dici possimus, cùm ipsius Christi auxilium imploramus: quemadmodum etiam a Rege quopiam aliquid petere jurè dici possumus, si ipsius pręfectum rogemus. Cùm enim Rex præfectum ea autoritate donaverit, ut ipsius opem implorantibus subsidio esse possit; efficitur, ut qui pręfectum rogat, ipsum Regem rogare meritò dicatur. Eodem modo & Christus hîc Patrem nos tunc orare innuit, cùm ipsum oramus, sicq; loqui voluit, ut omnib: pateret, nihil de Patris honore detrahi, imò mirum in modum eum amplificari, cùm ad filium confugientes, ejusdem benignitatem auxiliumque experimur; ideoque mox ibidem subjungit: *Vt glorificetur Pater in Filio.* Illa quoq; Christi verba, quę in Ioahnnis Apocalypsi leguntur, satis apertam continent admonitionem, ut ab ipso spirituales opes, quibus destituimur, petamus: *Svadeo tibi*, inquit, *emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos.* Quid porrò de divini illius Autoris consilio existimabimus, qui Christi fideles sic alloquitur: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; sed tentatum per omnia secundùm similitudinem absque peccato. Adeamus igitur ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in oportunum auxilium.* Huc pertinet & illa Pauli hac de re sententia. *Idem est Dominus, dives in omnes, qui invocant eum. Nam quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Quæ verba ad Dei filium, non autem ad ipsius Patrem referenda esse, patet cùm ex universa illa disputatione, quam de fidei Christo adhibitæ justitia Paulus instituerat; tum ex Esaiæ testimonio, de non confundendo illo, qui in Dominum Iesum fiduciam suam collocârit, quod Paulus disputationis suę confirmandæ causa, & paulò superiùs cap. 9. & hîc in eadem orationis suæ complexione adducit. Nec nostræ causæ officit, quòd Ioël, ex quo sententia ista de invocando Domini nomine desumta est, de Patre illam protulerit; cùm novum non sit, Novi Testamenti scriptores, quæ de Patre a Prophetis dicta sunt, ea ad Christum accommodare. Ex his Spiritus Dei monitis, cui, quæso, non pateat, nos jure Christi opem implorare posse?

Ioh: 16. 23. | Ioh: 14. 13. | Apoc: 3. 18. | Heb: 4. 14, 15. | Rom: 10. 12, 13. | Esa: 28. 16. | Rom: 9. v. ult. & cap: 10. 11. | Ioël: 2. 32.

Sed jam quoque eorum nobis exempla videnda sunt, qui summam Christi potentiam considerantes, opem ejus implorarunt. Ea autem sunt duplicia. Quædam enim directas Christi invocationis

formas continent, quędam indirectas. Ac directarum quidem precum exempla rursus vel eorum sunt, qui Christum ante mortem ea orarunt, quæ nonnisi divina potestate præstari poterant: vel illorum, qui hoc post ipsius in cœlos ascensum fecerunt. In priore genere illa sunt: *Domine, adauge nobis fidem. Domine adjuva incredulitatem meam. Domine serva nos, perimus. Miserere nostri Domine fili David.* Iam ad alterum genus quod attinet, prodeant primò quatuor animalia, sanctique illi senes, quos Iohannes testificatur *cecidiße coram agno, singulosq; habuiße citharas & phialas aureas, quæ sunt precationes sanctorum.* Veniant huc quoque omnes, quos nova scriptura testatur, *Christi nomen invocaße;* ex quibus fuerunt illi, quos Paulus vinciendi potestatem a sacerdotum principibus acceperat. Quòd verò nonnulli hac loquendi ratione, non quidem precum fusionem, sed Christi nominis professionem designare contendunt; id nullo argumento ostendi potest; nec si posset, concludendum protinus foret, implorationem auxilii Christi ea phrasi nullo modo contineri. Illud quidem ideò, quòd nec deponens verbum ἐπικαλεῖσθαι in istis scripturæ locis ubique repertum, aliud quippiam præter implorationem denotat; nec phrasis hæc, *invocare nomen alicujus*, sine additione prolata, usquam a divinis scriptoribus absque cultus atque fiduciæ erga invocatum significatione, usurpata legitur. Hoc verò ideò, quia nemo ex animo Iesum esse Christum profiteri potest, quin simul agnoscat, eum, ut Christum, id est, summum Regem, coli ac opem ejus implorari posse. Habentur quidem tum apud Mosen, tum apud Esaiam aliosque locutiones istæ, *Invocari nomen alicujus in aliquo*, sive *super aliquo*: verùm quis non videt, quantum hic dicendi modus ab illo distet, in quo simpliciter & absolutè *nomen alicujus invocari* dicitur? Ille enim loquendi modus de precatione nunquam accipitur: hunc verò accipi solere, nemo potest negare.

Luc: 17. 5. Mar: 9. 24. Mat: 28 25: & 20. 30: Luc: 17 13. Apoc: 5. 8. 1 Cor: 1. 2. Act: 9. 14. 21. 22. 26. Gen: 48. 16. Esa: 4. 1. Dan: 9. 18.

Verùm videamus etiam, quid Stephanus vir divino spiritu plenissimus fecerit: *Et lapidabant*, inquit Lucas, *Stephanum invocantem ac dicentem: Domine Iesu suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamavit voce magnâ, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Quo quidem opis Christi imploratæ exemplo licet nihil possit esse clariùs; tamen non desunt, qui illud eludere conentur. Iam enim verba ista Stephani precationem minimè esse, jam verò preces quidem illis contineri, non tamen id quicquam causam nostram juvare asserunt. Primò igitur eam ob causam precationem esse ne-

Act: 7. 59. 60.

Cap:XI.De invocatione Christi.

esse negant, quòd invocationis vox ambigua sit, possitque de professione nominis Christi intelligi. Verùm quàm frivolum hoc sit, tum ex iis, quæ paulò antè diximus, intelligi potest, tum ex eo patet, quòd *invocandi* verbo nulla hìc vox sit addita, cujus professionem denotare possit, sed simpliciter scriptum extet, Stephanum *invocasse*, & quidem ita, ut dixerit: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum;* quæ oratio apertissima est precatio ad Christum directa, similis illi, qua Christus in cruce pendens Patri spiritum suum commendavit. Luc: 23. 46. Deinde quamvis verba ista apertam precationem complectantur, nostram tamen sententiam nequaquam hinc confirmari dicunt, quòd vel ad Patrem ista oratio sit referenda, vel si ad Christum accommodetur, diversam Stephani a nostra conditionem haudquaquam permittere, ut eum tutò hac in re sequi possimus. Vt igitur priùs, quibus argumentis ad Patrem precationem istam pertinere probent, videamus; primo loco dicunt, istam precandi formulam ab ipso Christo divinisque vatibus nonnisi ad Deum Patrem directam fuisse. Luc: 23. 46. Psal: 31. 6. Atqui cùm Christus sibi ipsi spiritum tradere suum non potuerit, divinique vates Christum præsentem aut exhibitum nondum habuerint, quid, quæso, eorum exempla ad rem faciunt? præsertim cùm jam satis constet, Deum Christo tantam dedisse potestatem, ut, quod antea a solo Patre petebatur, nunc etiam Filius præstare possit. Deinde, vocem *Iesu*, a Luca in gignendi casu usurpari, perindeque esse ajunt, ac si hunc in modum Stephanus locutus fuisset: Tu, qui es Dominus Iesu, &c. Hoc verò falsissimum esse inde constat, quòd Lucas ambiguitatis vitandæ causâ articulum omnino adjunxisset, & non κύριε ἰησοῦ, sed κύριε τοῦ ἰησοῦ scripsisset, præsertim quia nusquam Deus, Iesu Dominus appellatur; Dominum autem Iesum sępissimè appellari comperimus. Neque est, quòd objiciatur, etiam Domini appellationi nullam pecuparam notam præfixam esse, quâ Iesus iste a Patre distingveretur, ut nimirum diceretur Tu, vel, ô Domine Iesu; propterea quòd voces istæ, sive adhibitæ, sive omissæ, nihil prorsus conferunt ad verbbrum sensum immutandum, sed eundem planè efficiunt; cùm præter Christum, quem Stephanus a dextris Dei stantem vidit, alius Iesus intelligi nequeat. Act: 7. 55. 56. Quòd enim quidam asserunt, fieri posse, ut cùm Iesus salvatorem significet, Stephanus ad ipsum Deum sese converterit, quem & Dominũ & Salvatorem esse nemo ignorat; id nimirum & coactum, & futile, atque adeò ridiculum censeri debet. Tametsi enim hoc nomen a servando deducitur: non ta-

men pro communi Salvatoris nomine poni, sed semper viri alicujus proprium esse, ac non rarò ei imponi, qui nihil minùs facit, quàm servat, (quanquam in Christo longè aliter accidit,) compertissimum est.

Verùm ut ad id, quod secundo loco nobis objectum est, accedamus; dabunt fortassis, Stephanum Filio Dei preces istas adhibuisse: nequaquam tamen hoc ipsius factum, propter conditionis diversitatem, omnibus nobis pro communi exemplo atque regula esse debere contendent. Nam & vidisse tunc eum a dextris Dei stantem & eandem ob causam singulare quiddam illi contigisse affirmant, quorum simile nihil hodie nobis accidat. Respondemus igitur, nos nihil singulare, aut, ut sic dixerim, extraordinarium hîc videre, præter istam Christi apparitionem, quæ, ut mox docebimus, haudquaquam tantam parere potest inter nos & Stephanum diversitatem, ut illi Christum propterea invocare licuerit, nobis non liceat. Itaque ipsam Stephani invocationem, de qua agimus, extraordinariam esse pernegamus. Nam & ipsa Christi nostri juvandi potestas, & aliorum divinorum hominum, *ipsum citra talem apparitionem* invocantium exempla, & denique Spiritus Sancti admonitiones, superiùs a nobis adductæ, satis indicant, nihil præter religionis Christianæ ordinem fieri, cùm Christus invocatur; imò Christianum verè non esse, qui sese hoc jure facere posse non agnoscat. Neque enim ideò aliquis invocari, seu auxilium ipsius implorari potest, quia appareat; aut contrà non potest, quia non appareat; cùm licet Deum oculis nostris non videamus, ejus tamen opem imploremus: sed quia, sive præsens, sive absens, sive apparens, sive non apparens, preces nostras audire ac percipere queat, & potestatem habeat id, quod petimus, præstandi. Duabus his rebus positis, preces, quæ ad eum jure merito fundi queant, ponuntur. Iam verò superiùs a nobis demonstratum est, Christo etiam absenti, tum nostras necessitates percipiendi, tum nobis opem ferendi, amplissimam potestatem factam esse.

2 Cor: 12. 8. Pauli quoque terna illa invocatio, quâ Dominum Iesum, ut Satanas ab ipso discederet, rogavit, nonné clarissimum hujus rei exemplum est? Neque enim est, quòd *Domini* nomine alium præter Christum intelligamus; cum illud, quando ei articulus in Græco præfigitur, apud Paulum perpetuò Christum designet, nisi ad vetus Testamentum habeatur respectus, aut ex eo aliquid citetur: & ipse orationis contextus, nonnisi ad Christum preces illas Pauli directas esse, ostendat. Eum enim hîc Paulus invocat, qui ipsi sic respondet:

ſpondet: *Sufficit tibi gratia mea: nam potentia mea in infirmitate perficitur.* Is autem, qui ſic reſpondet, Chriſtus eſt. ſic enim ibidem Paulus ſubjungit: *Libentiſſimè igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me potentia Chriſti.* Quæ ultima verba ad illa ſuperiora, *potentia mea in infirmitate perficitur*, manifeſtam habent relationem. Quòd ſi quis hîc etiam dicere auſit, exemplum Pauli ideò ad nos nequaquam pertinere, quòd Chriſtum tunc, cùm eum invocaret, viderit: reſpondemus, id merum figmentum eſſe, quod nullo prorſus nitatur fundamento; imò cujus contrarium potiùs ex ipſa verborum complexione appareat: ſiquidem ſibi Paulus ſtimulum carni Angelum Satanam, poſt illas viſiones atque apparitiones Domini additum fuiſſe indicat, ne videlicet revelationum multitudine inſoleſceret; a quo ut liberaretur, dicit, ſeſe ter Dominum oraſſe: nec, ſi probari poſſet, Paulum, cùm oraret, Chriſtum vidiſſe, quicquam id ad rem faceret, ut jam in Stephani exemplo oſtenſum eſt. His omnibus etiam illa Iohannis precatio annumeranda eſt: *Veni, Domine Ieſu.*

Cap: XI. De invocatione Christi. ℣ 9.

Apoc: 22. 20.

Iam ad obliquos ſeu indirectos precandi modos nos conferamus. In iis primum locum omnibus ferè Pauli, aliorumque Apoſtolorum ſalutationibus meritò tribuimus, quibus non ſolùm *a Deo Patre*, verùm ſimul etiam *a Ieſu Chriſto gratiam & pacem* eccleſiis precantur. Quod certè perinde eſt, ac ſi Deum Chriſtumq; orarent, ut fidelibus gratiam pacemque h. e. veram felicitatem, conferrent, præſertim cùm jam ſatis conſtet, utrumque vota iſta audire ac percipere. Hoc verò quidam pernegantes, illorum ſeptem ſpirituum inſtantiam afferunt, a quibus Iohannes quoq; gratiam ac pacem fidelibus precatur, hocque ex noſtra ſententia abſurdum effici dicunt, quòd eadem ratione, & ſeptem iſtis ſpiritibus Iohannem preces adhibuiſſe, ſtatuendum foret. Reſpondemus autem, vel ſtatui ab iis, qui iſtud objiciunt, ſpiritus illos perſonas eſſe, de quibus Iohannes perſvaſus eſſet, eos votum iſtud audire ac percipere poſſe; vel id ab iis negari. Si ſtatuunt; quo argumento probabunt, eos a Iohanne tunc verè ac propriè, licet indirectè, rogatos non fuiſſe, & ſic ratione illis convenienti invocatos? Certè, illo poſito, concludendum omnino eſſet, illos Deo ac Chriſto, cujus ſunt ſpiritus, in conferenda gratia ac pace illa, quam ab iis Iohannes Eccleſiis precatur, ita ſubordinatos eſſe, ut ea ab illis quoque peti poſſit: licet iis etiam non compellatis, ea rectè a Deo ac Chriſto, qui per illos eam conferat, impetrari queat. Si verò id, quod diximus, negant; facilè poſſunt videre, diſſimilem hac in

Apoc: 1. 4.

parte illorum spirituum, ac Christi ratione esse; siquidem hanc personā esse omnes nôrunt; & preces eum votaq; nostra percipere, nos ex s. lit. suprà docuimus; nec negare quisquam potest, nisi qui eum judicem omnium factorum, sermonum, ac cogitationum nostrarū esse neget, & sic Christianum se non esse, ac s. literis id apertissimè asserentibus non credere, fateatur. Quare, eo posito, statuendum erit, spiritus hos ipsos impropriè tantùm rogari; propriè autem illū, cujus ii sunt spiritus, quique iis in voto illo Iohannis implendo, h. e. in gratia & pace Ecclesiis conferenda, utatur. Is verò est Deus ac Christus, a quo alibi gratiam & pacem precari Apostolos, nulla spirituum istorum facta mentione, jam vidimus. Hos autem spiritus, ut Dei, ita etiam Christi, cui illi a Deo dati fuerint, esse, ita ut, quod ab iis sive propriè sive impropriè petitur, ab eo propriè peti censendum sit; patet ex eo, quòd alibi apud eundem autorem, Christus septem cornua, & oculos septem habere dicitur, qui sint illi septem Dei spiritus, missi in universam terram. Item alio in loco Christum septem illos Dei spiritus habere, idem scriptor asserit. Instabunt tamen, ideò ex istis precationibus invocationem Christi elici minimè posse, quòd, licèt Patri conjungatur, non eadem tamen ratione gratiam ac pacem conferat, quâ Pater; alioquin inquient, Patri filius per omnia æqualis esset, quod absurdum foret. Nos verò & eadem ratione gratiam ac pacem utrumque conferre, quatenus nimirum uterque virtute atque efficaciâ suâ id præstat; & inde hoc absurdum nequaquam consequi dicimus: cùm hęc nihilominus maneat inæqualitas, quòd Pater a seipso, & ut prima causa, Filius verò a Patre, & ut secunda causa idem efficiat. Huc spectant quoque illæ Paulinarum Epistolarum conclusiones: *Gratia Domini nostri Iesu Christi* [sit] *cum omnibus vobis*, vel *vobiscum*, vel etiam *cum spiritu tuo*, vel *vestro*. Quas ut preces Christo adhibitas minimè fuisse ostendant adversarii, adducunt duos similes, ut ipsis videtur, locos Pauli, veluti sunt: *communicatio Spiritus Sancti cum omnibus vobis*; &, *Charitas mea cum omnibus vobis*. Nos verò respondemus, locos hos illis valde esse dissimiles in eo, de quo hîc quæritur. Nam in priori non optatur, ut spiritus sanctus aliquid agat aut fidelibus communicet; sed ut ipse iis communicetur, nempe a Deo ac Christo, cujus charitatem ac gratiam iisdem precatur Apostolus. Itaque dum iis communicationem spiritûs sancti optat, Deum & Christum tacitè rogat, ut eos tam præstantis doni participes efficiat. At cùm gratiam Christi fidelibus precatur, id petit, ut Christus aliquid, quod ad fidelium bonum pertineat, agat, h. e. ut iis fave-

Rom: 2. 16. 1 Cor: 4. 5. Apoc: 5. 6. c. 3. 1. 2 Cor: 13. 13. 1 Cor: 16. 24.

Cap: XI. De invocatione Christi.

iis faveat, & sic pacem seu felicitatem, quam in epistolarum initiis ab eo fidelibus precatur, tanquam gratiæ illius effectum, iis largiatur. In posteriore autem loco Paulus non charitatem suam Corinthiis, aut aliquid ab ea precatur: sed eam cum illis esse, id est, sese omnes illos diligere in Christo Iesu, sive propter Christum Iesum, significat; ita ut ibi non sit subaudienda vocula *sit*, sed *est*: nisi cum quibusdam velis, Paulum optare, ut ipse a Corinthiis ametur, & sic Corinthios rogare, ut se ament.

Verùm jam illæ Pauli orationes prodeant: *Ipse autem Deus & Pater noster, & Dominus noster Iesus Christus dirigat viam nostrã ad vos.* 1 Thess:3. 11,12. Et: *Ipse Dominus noster Iesus Christus, & Deus Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, cõsoletur corda vestra, & confirmet in omni sermone & opere bono.* 2 Thess:2. 16. Hîc verò illa Iacobi Patriarchæ verba, instantiæ loco adducent: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis;* Gen: 48. 6. quem Angelũ similiter a Iacobo invocatum fuisse consequi ajunt, si superiores Pauli sententiæ in precibus Christo fusis habendæ sint. Atqui sciendum est, ejusmodi verba tunc pro precibus habenda esse, cum constat, illum, ad quem referuntur, ea audire posse: sin verò minùs, non quidem tunc preces alicui adhiberi existimandum est, sed tantùm optari, ut Deus per illum, quem talis locutio respicit, id, de quo agitur, præstet. Quare cum Christum corda & renes scrutari exploratissimum sit, Apoc:2. 23. Angelum verò illum non item; nec aliunde constet, Iacobum arbitratum fuisse, angelum illum præsentem tunc adesse, & votum istud audire; (hoc enim si constaret, nulla esset caussa, cur eum a Iacobo indirectè rogatum, & auxilium ejus imploratum fuisse, negare deberemus:) hinc fit, ut ejusmodi vota Christi respectu precationes meritò dicantur, angeli verò ratione id asseri nequeat; sed perinde censeri queat, ac si Iacobus Deum (quem proximè ante angeli mentionem ibidem alloquitur) precatus esset, ut per eum angelum pueris illis benediceret. Ex his omnibus apertissimum est, nos Christi auxilium implorare, eaque ab illo petere & posse & interdum debere, quæ tum ad futuræ illius, tum ad præsentis vitæ statum pertinent, quantumvis ea tantum difficultatis habeant, ut nonnisi divinâ potentiâ præstari possint, qualia sunt, fidem nostram amplificare, pacem seu felicitatem, eamque cœlestem largiri, spiritum nostrum suscipere, ex capitis periculo, vitæque discrimine nos liberare, itinera fortunare, & id genus alia, quæ quacunque ratione ad regnum ejus spectant.

Sed jam ad alteram sententiæ nostræ partem accedamus, quæ est,

non semper nos ad Christum invocandũ obstringi, vel non absolutam nobis id faciendi necessitatem incumbere. Hîc igitur primò intelligendum est, nos nequaquã eo animo istud asserere, quasi Christum Dominum nostrum parvi pendamus, eiq; debitũ honorem denegemus: sed ut ita honorem Christo debitum ac cõvenientem asseramus, ut de honore Dei Patris, deq; illius prærogativa, nulla fiat diminutio; & sic nos ab illorum calumniis tueamur, qui nos Deum proprio honore suo spoliare, ad Christumq; transferre dicunt. Interim tamen verissimè a nobis dici, hac potissimùm ratione confirmatur: quòd nullum nobis de ipso Christo nominatim rogando præceptum datum est, præceptum, inquam, verum ac propriè sic dictum. Nam alioqui consilia & svasiones, quæ ad id faciendum nos impellant, quæq; accedentibus iis incitamentis, quæ ab initio hujus tractationis enumeravimus, præcepti cujusdam vim habeant, extare, nos ipsi antea ursimus. Istiusmodi autem præceptum, quale diximus, non extare, hinc perspicitur, quòd mandatorum affirmantium ea est natura, ut illos, quibus dantur, semper obstringant, quoties eorum complendorum est occasio, adeò ut nulla eorum observandorum occasio absq; peccato omitti possit: ut quidem in Dei Patris invocatione apparet, quæ cùm mandata nobis omnino sit, efficitur, eam a nobis prætermitti salva religione nunquam posse. Tametsi enim sæpissimè precationis nostræ verba ad Christum, citra expressam Patris mẽtionem convertuntur: tamen cùm Christum, qui Patri subordinatus est, invocãdo, ipsum Patrem invocemus, tunc quoq; mandatum illud exequi meritò dici possumus. Iam, ut ad rem redeamns, cùm Apostolis, aliisq; divinis viris, nec non fidelium cœtibus, nunquam Christi invocandi deesse potuerit occasio, quæ toties offertur, quoties fideles re aliqua ad salutem necessaria indigẽt; interim tamen sæpissimè citra ullum peccatum, Christo non compellato, solum Patrem eos invocasse videamus: consequens est, illos divino mandato ad Christi invocationem obligatos non fuisse, & porrò absoluta quadam necessitate nos id facere minimè teneri. At inquies: si sic res habet, erit Christi invocatio adiaphora, inq; hominum arbitrio posita, ac porrò nullam merentur reprehensionem, qui Christum invocare nolunt, tantumq; illi honorem exhibere abnuunt. Respondemus, & consecutionem istam nihil valere, & Christum invocare recusãtes, Christiano se nomine indignos reddere. Etsi enim nullum Christi invocandi mandatum extare fatemur: tamen non perinde hanc rem adiaphoram esse, inde consequitur, quasi aliquis eam citra peccatum semper negligere, aut, quod

Cap: XI. De invocatione Christi.

quod amplius est, simpliciter recusare, & tanquam illicitam fugere ac detrectare queat: cum cuilibet, qui servari velit, necessarium sit, ejusmodi in Christum fiduciam collocare, ut eum invocare atq; opem ejus implorare, quovis loco ac tempore audeat, & sic, accedēte peculiari aliquo incitamento, reipsa etiam id faciat: cùm, non frustrà divinus spiritus, ut suprà vidimus, Christianos homines ita describat, quòd nomen Iesu Christi invocent, & iis, qui id faciant, salutem polliceatur. Breviter, ea animi inductio ac persvasio quòd Christum invocare liceat, simpliciter est ad salutem necessaria: ipse verò invocandi actus non simpliciter; sed, ut suprà cum Scholis loquuti sumus, secundùm quid, & veluti ex consequenti. Quare hinc nequaquam efficitur, illum, qui Christi opem implorare recusat, reprehendendum non esse: sed illum tantummodo peccato vacare, qui interdum Christum orare prætermittit, dummodo non ideò hoc ab illo fiat, quòd vel nolit, & obstinatè abnuat, vel non audeat. Hoc enim, de quo cum adversariis potissimùm disputamus, neq; nobis, neq; illis adiaphoron est: cùm nos eum, qui Christi potentiam tantam, quanta sufficit ad id, ut invocari jure queat, non agnoscit, illumq; ob causas suprà allatas sese invocare posse, interdum etiam teneri, minimè fatetur, nomine Christiano indignum sese reddere statuamus: adversarii verò citra idololatriæ flagitium, summamq; glorię divinę offensionem, Christum invocari minimè posse affirment.

Sunt tamen nonnulli, qui hac re non satis diligenter considerata, nec suâ, & universali perpetuaq; Ecclesiæ consvetudine satis expensa, Christi invocandi potestatem, quam sanctis literis confirmatam videmus, & necessitatem quandam, ex certis circumstantiis pendentem, in absolutam necessitatem convertant, quatuor potissimùm argumentis adducti. Primò enim putant, quia in Christo fiduciam nostram collocare omnino debemus, pari ratione eum quoq; nobis omnino ac simpliciter invocandum esse; quia hic fidei seu fiduciæ illius sit effectus. Sed animadvertendum illis erat, invocationis actum, non esse ejusmodi fiduciæ in quopiam collocatæ effectum, ut hæc sine illa consistere nequeat; nisi ponatur, præter personam illam, nullam esse aliam, in quam itidem fiducia sit collocanda, & a qua eadem illa bona, quæ desideras, peti queant. At verò præter Christum Deus est, in quo itidem fiducia nobis est ponenda, & a quo omnia, quibus indigemus, bona peti non tantùm possunt, verùm etiam, sive immediatè, sive mediatè, peti debent. Quare nihil prohibet, quominus quis fiduciam in Christum firmam

ſemper collocet, nec tamen eum ſemper, cùm re aliqua indiget, eamq; precibus obtinere cupit, ipſius opem imploret, ſed ad Deum rectà confugiat. Deinde cum Chriſtum pro rege atq; protectore noſtro ſemper agnoſcere debeamus; conſequens eſſe ajunt, ut ſimiliter ad ejus opem ſemper confugere teneamur. Hoc verò eodem modo ſolvitur. Nam ſi ſolus Chriſtus, & non Deus quoq; Rex atq; protector noſter eſſet, ſemper ad eum, cùm ope divina ac protectione indigemus, confugere deberemus: At cum aliter ſeſe res habeat, nihil prohibet, quominus illo interdum omiſſo, hujus opē imploremus. Prӕterea ex neceſſaria perpetuaq; Chriſti adoratione, neceſſariā ejusdem perpetuamq; colligunt invocationem. Verùm non ita neceſſariò ex Chriſti adoratione ejuſdem fluit invocatio, ut illa ſine hac fieri nequeat: cum mentis corporisq; genua Chriſto flectere, ipſiusq; laudes celebrare poſſimus, nihil ab eo petentes: quēadmodum & angeli eum adorant, nihil eum rogantes. Animadvertendū inſuper eſt, non perinde adorationem, ut invocationem, pro tempore occaſioneq; ſuſceptam actionem eſſe: ſed potiùs quādam affectionem, ex conſideratione poteſtatis, quam is habeat, qui adorandus eſt, profectam, perpetuoq; nobis inhærentem. Ex quo fit, ut quamvis eodem tempore, tam Patrem, quàm Filium adorare poſſimus: Chriſtum tamē niſi directis ad ipſum precibus, aut ab ipſomet quippiam optando, invocare nequeamus. Ad extremum haud vero conſentaneum eſſe dicunt, nos in ſalutis noſtrӕ negotio ad quӕdam omnino obſtringi, quibusdā verò non planè teneri: cum omnia pari ratione ad nos pertinere videantur. Nos verò in eo nihil videmus abſurdi, ſi dicatur, alia quædam per ſe ac ſimpliciter eſſe ad ſalutem neceſſaria, alia verò ſecundùm quid, aut per accidens: imò abſurdū eſſe arbitramur, ſi id negetur. Patet id vel in rebus mediis ſeu adiaphoris, quæ per accidens ita fiunt illicitæ, ut charitatis officiū, quod ſanè prorſus eſt ad ſalutem neceſſarium, non ſis facturus, nec glorię divinæ, ut par eſt, conſulturus, niſi ab iis abſtineas, aut contrà ea, a quibus abſtinere cęteroqui poſſes, facias, quemadmodū ſ. literæ ſatis apertè teſtantur. Quid ergo in eo eſt abſurdi, quòd ipſum invocationis Chriſti actum, licet ſupra adiaphora aſſurgat, non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid ad ſalutem neceſſariū eſſe dicimus? Quòd ſi illa tantùm ad ſalutis negotium pertinere velit, quæ per ſe ac ſimpliciter ſunt ad eam neceſſaria; negandum erit hoc ſenſu, actum iſtum ad ſalutis negotium pertinere; & ſtatuendum, firmam tantùm perſvaſionem de eo, quòd Chriſtum invocare liceat, & animi promptitudinem ad id, ſi ita res aliquomodo exigere videatur, faciendū, ad ſa-

Rom:14. 15, & d. uſq; ad 22. 1 Cor:8. 9, & d. 10.31. & d.

ad salutis negotium revera spectare: ipsum verò invocandi Christi actum, ad religionis negotium. Ita enim hæc duo inter se distingvi possunt, ut ad illud ea tantummodo pertinere censeantur, sine quibus fides in Christum, & per eundem in Deum, ejusq; præceptorum obedientia consistere, & porrò sempiterna felicitas haberi nequaquam potest: ad hoc verò, utpote latiùs illo patens, multa quoq; alia spectent, quæ quanquam ad salutem utilia sunt, tamen ad sempiternę salutis adeptionem non necessariò requiruntur; veluti est hæc ipsa, de qua loquimur, Christi invocandi actio: quanquam ad Dei gloriam, ex ipsius erga nos bonitate promanantem, mirum in modum amplificandam, spemq; ac fidem nostram alendam, plurimùm conducit. Quanta enim Deus benignitate hominum genus complexus fuerit, ex eo luculentissimè apparet, quòd principem salutis eorum, non solùm primùm ea mala experiri voluit, quæ experiri necesse est omnes, qui ipsius vestigia persequuntur; sed etiam a mortuis eum excitatum, tanta potestate donavit, ut ipsius opem summâ fiduciâ implorare possint.

Cap: XII.

De secundo Decalogi præcepto.

Secundum Decalogi præceptum est:

Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra; non adorabis ea, neq; coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. In his verbis tum ipsum Dei præceptum, tum præcepti continetur ratio, seu causa, ob quam & hoc, & cætera omnia Dei mandata sint observanda. Spectat autem hoc præceptum, non minùs quàm primum, ad divini cultus rationem: & primùm quidem imaginum confectionem, deinde, & hoc quidem potissimùm, earundem cultum ac venerationem prohibet. In eo autem non id revera agitur, ne imagines pro Diis habeantur ac colantur: (id enim primo præcepto satis jam cautum fuit: cum imago pro Deo haberi nequeat, quin alienus Deus coram Deo vero habeatur:) sed ne ullius, sive veri, sive falsi numinis imago fingatur, nec ullus ei cultus exhibeatur, eum nempe in finem, ut is honor in illud ipsum numen redundet, cujus simulachrum aliqua ratione colatur. Fatentur enim omnes, & res ipsa loquitur, hoc præcepto interdici Ethnicorum idololatriam, ac porrò omnem simulachrorum cultum ei similem. At verò Ethnici Deos suos, quorum i-

imagines fingebant colebantq́; , aut in cœlo, aut in terra, aut in mari, ne de inferis ipsorum Diis nunc quicquam dicam, existere credebant, nec imagine aliqua vel confecta, vel corrupta, illum ipsum, cujus imago esset, Deum, vel confici, vel corrumpi putabant. Quare imagines non pro ipsis Diis habebant aut colebant, sed in iis aut per eas venerabantur numina illa, quorum essent imagines. Quod idem de Israëlitis, in vitulis olim Deum colere se arbitrantibus, statuendum esse, infrà docebimus. Sed ut totius hujus præcepti ratio meliùs constet, ejus verba penitiùs inspiciamus. Primùm igitur ex eo, quòd omnium simulachrorum seu similitudinum atq; imaginum fictione hîc prohibemur, clarissimè patet, nihil referre, sculptané an picta, an quacunq; alia ratione confecta sint signa illa; Ecclesiasq́; Græcas hujus præcepti violationem nequaquam effugere, quæ non sculptas, sed pictas imagines in suis templis habeant. Deinde quod ad res attinet, quarum imagines non sint faciendæ; eas luculenter explicuit Moses alibi, hunc in modum loquens: *Custodite sollicitè animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: ne fortè decepti faciatis vobis aliquam similitudinem, aut imaginem masculi vel fœminæ, similitudinem omnium jumentorum, quæ sunt super terram, aut avium sub cœlo volantium, atq; reptilium, quæ moventur in terra, sive piscium, qui sub terra moventur in aquis: ne fortè elevatis oculis ad cœlum, videas Solem & Lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.* Quo tamen in loco intelligendum est, nequaquam nos omnibus etiam illis prohiberi simulachris, quæ aliquem in communi vita usum habent: veluti sunt illa, quæ vel historiam aliquam ante oculos nostros constituunt, vel quibus herbæ ad medicinam faciendam necessariæ depinguntur, vel quæ ornatum quendam ædibus profanis, aliisq́; rebus extra religionem positis afferunt: sed illis tantùm nobis interdici, quæ quacunq; ratione ad divinum cultum adhibentur. Quod quidem dupliciter fieri consvevit. vel enim eo animo consilioq́; conficiuntur, ut divinus illis cultus instituatur; vel eo pacto, ut hominibus imperitis divini illis honoris tribuendi præbeatur materia. Ac primo quidem modo Aaron, Ieroboamq́; divinum hoc præceptum violarunt, Israëlitisq́; ejusdem violandi causam attulerunt. Ille enim unum, hic verò duos vitulos divinis honoribus afficiendos conflaverat. Altero autem modo tunc in præceptum hoc peccatur, cum Dei aliorumvè imagines in locis publicis, divinoq́; cultui consecratis, statuuntur.

Devt: 4. 16, 17, 18, 19.

Exod: 32. 1, & d. 1 Reg: 12. 28, & d.

Magna siquidem hujus rei vis etiam in loco esse videtur; cùm imagines in locis profanis collocatæ, non ita facilè ad facinus tam detestandum homines excitare soleant. Statua enim, verbi causâ, dum in artificis officina est, nequaquam colitur: quanquam fortasse fieri potest, ut Dei Christiq;, aut virginis Mariæ imaginibus, quantumvis non in templo positis, propter summam, quæ illis inesse putatur, majestatem, divinus honor habeatur: ut facilè appareat, ejusmodi simulachra fieri nequaquam debere. Quid, quòd nimis absurdum est, eum pictura exprimere velle, cujus numen nec sensibus usurpari, nec cogitatione formari potest. Neq; enim is Deus est, qui cum re aliqua sub sensus cadente conferri, formæ ac speciei externæ ratione, possit: cùm & rectæ rationis judicium reclamet, & ipse apud Esaiam alibiq; cum hujusmodi amentiæ autoribus hunc in modum expostulet: *Cui assimilâstis me, & adæquâstis, & comparâstis, & similem fecistis? qui confertis aurum de sacculo, & argentum staterâ ponderatis, conducentes artificem, ut faciat Deum.* Et alibi apud eundem. *Cui similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* Huc pertinent & illa Pauli Apostoli verba: *Genus ergo Dei cum simus, non est existimandum, auro, vel argento, aut lapidi, artis sculpturæ & cogitationibus hominum, numen divinum esse simile.* Huic tamen veritati ab imaginum propugnatoribus variæ Dei visiones opponuntur, quibus is sub humana specie vatibus sese conspiciendum exhibuerit. Inde enim consequi putant, licere nobis Deum certa quadam imagine exprimere, & eandem in templis collocare. Verùm consecutio ea nulla est: cum istiusmodi visionibus Deus nec interdictum suum de imaginibus non fabricandis, nec illius causas sustulerit. Licet quidem Deo seipsum sub imagine, cui velit, exhibere: sed non protinus hominibus licet, eandem imaginem imitando efformare, & quod amplius est, in templis aliisvé locis sacris collocare, omniumq; oculis exponere. Hoc enim pacto occasionem præberi hominibus, honorem illis exhibendi, & ratio docet, & experientia. Quòd si quis dicat, illam saltem ejus interdicti causam, quam posteriori loco attulimus, istis visionibus tolli: cum ex iis pateat, Deum homini assimilari, & sub ejus imagine repræsentari posse: respondemus, ne id quidem rectè concludi: cum Deus, ut vidimus, post illa etiam tempora, quibus sese vatibus sub humana specie ostendit, nihilominus asserat, se nulli rei assimilari posse, eamque ob causam nullam sibi imaginē ponendam esse. Veram enim formam speciemq; suam nulla ratione ab hominibus exprimi posse significat, eamq; longè augustiorem esse, quàm ut ullius rei, quæ sub sensus no-

Esa: 46. 5, 6.

cap: 40. 18.

Act: 17. 29.

Cap: XII. De secundo Decalogi præcepto.

ſus noſtros cadat, ſimulachro referri queat. Quare ne ſua majeſtas aliqua ratione minuatur,atq; apud homines vileſcat,nullum ſibi ſimulachrum vult collocari. At cum Deus ſub humana ſe ſpecie vatibus conſpiciendum præbuit, nequaquam veram ſuam formam illis ea ratione propoſuit, quemadmodum omnes intelligunt: ſed ideo tantùm imaginem eam adhibuit, ut certas quasdam res atque actiones, quas vatibus indicare voluit, eorum oculis aut animis objiceret, & validiùs iis imprimeret. Quæ tamen res ideo majeſtatem ejus non dedecuit, quia, etiamſi ſpecies ejusmodi, membrorum humanorum figuram corporisque habitum aliquo modo referret; ſatis tamen liquet,eam cęteroquin humana ſpecie longè fuiſſe auguſtiorem, & multa circa eam apparere ſolita, quæ nulla humana arte pro dignitate queant exprimi. adde, quòd actiones viventium propriæ in iſtiusmodi ſpeciebus apparuerunt,non minùs, quàm ſi reipſa vixiſſent; imò Deum ipſum vivum ſub illis apparuiſſe dici poteſt: quibus de cauſis tanta videntium animos inceſſit religio, tanta numinis veluti præſentis veneratio, quanta nunquam aliàs major. Quare nihil illæ, quas ſibi ipſi Deus ad breve tempus aptavit, imagines ejus majeſtati apud illos, quibus exhibitæ fuerunt, derogarunt: derogant autem inanima illa,atque ab hominibus, utut ad illarum imitationem quandam, efficta ſimulachra. Vrgent tamen quidam, Deoque inquiunt, in divinis literis omnia ferè conſpicua corporis humani membra eorumque functiones tribui: ideoque nihil prohibere, quóminus pingi ſculpivé poſſit. Atqui ſimiliter nihil hac conſequentia infirmius eſt,cum & metaphorica iſta ſit in Deo membrorum deſcriptio, & nequaquam, ut Deus pingatur, ſed ut quædam ſecundùm captum noſtrum illius proprietates nobis explicentur, inſtituta: quorum hoc cum divino mandato haudquaquam pugnat;illud apertè pugnat: hoc nullum idololatriæ periculum afferre poteſt; illud verò maximum.

Sed ſunt nonnulli,qui, quod ad Deum pingendum attinet, nobiſcum faciant, de quibus eſt Damaſcenus, qui aſſerit, Deum effingere conari, rem cùm inſipientem, tum etiam impiam eſſe; aliorum tamen imagines & ſculpi, & pingi, & in templis collocari absque ſcelere poſſe, audacter affirmat. Hoc enim præceptum, ajunt, nonniſi Dei imaginem excludere: idque vel inde perſpicuum eſſe, quòd ipſius Dei juſſu & Cherubinorum, & boum, & aliarum rerum ſimulachra in templo conſtituta fuerint. Atqui nec ſolam effigiem Dei facere iſto præcepto vetamur, cùm omnes imagines rerum quarumvis in oculos incurrentium commemorentur;nec,quę

afferun-

afferuntur, instantiæ quicquam ad rem pertinent. Ad nostram enim sententiam infringendam non ea in medium producenda erant, quæ ipse Deus quodammodo fecit, cum ea ipsius jussu imperioque facta fuerint: sed quæ homines ex suo capite confecerint, & tamen a Deo fuerint approbata. Deus enim non sibi, sed hominibus eam legem tulit; potuitque eâ salvâ jubere, ut certæ quædam imagines fierent, nec tamen permittere, ut homines pro arbitrio suo aliquas fingerent. Nec est, quòd idem idololatriæ periculum, ex imaginibus ipsius Dei imperio factis gigni quis putet, quod ex humana voluntate inventis nascitur. Primùm enim eas, quæ in tabernaculo constitutæ, ad sui venerationem populum allicere potuissent, non in propatulo collocari, oculisvé omnium exponi voluit. Nam imagines Cherubinorum super arca collocatæ, ne sacerdotibus quidem vulgaribus patebant, cùm in intimis essent adytis positæ, in quæ nonnisi semel quotannis licebat summo sacerdoti ingredi: quòd si transferenda esset arca, tum demum a sacerdotibus involuta cum imaginibus arca, Levitis tradebatur portanda; Num:4. ita ut hi unà cum populo eam nec tangerent, nec viderent: quam ob causam & Bethsemitani, qui eam aspexerant, tam graviter fuêre puniti; & Vza, qui eam attigerat, occisus. Deinde quod ad boum simulachra æneo labro, quod abluendis sacerdotibus destinatum erat, subjecta attinet, eorum positus & usus adeò vilis, ut alia taceam, venerationem iis facilè adimebat. Vnde etiam nuspiam legimus, imagines, quas Deus in templo aut tabernaculo collocari jussit, populo ad idololatriam adeò proclivi, & ejus occasionem facillimè arripienti, hujus peccati ansam præbuisse. Adde, quòd omnino consentaneum sit, Deum ea simulachra, si ad hoc nefandum scelus homines illis abuti animadvertisset, haud aliter aboliturum fuisse, ac æneum serpentem a Mose erectum videmus sublatum, propterea quòd Israëlitæ eum, ad longè alium finem constitutum, religiosè colebant. Quò magis sunt reprehendendi ii, qui ut imagines conficiendas, inque templis statuendas esse probent, ab hoc eodem serpente argumentum ducere non dubitant. Prætérquam enim quòd singulari de causa a Mose Dei jussu, non hominis alicujus voluntate, erectus erat; etiam ipsa ejusdem abolitio omnem rei istius imitationem intercludit. Constat igitur, non solùm Dei, sed omnes etiam alias imagines, quibus divini honores vel tribuuntur, vel etiam per occasionem tribui possunt, nunquam fabricandas, &, si quæ sint fabricatæ, ab iis, in quorum arbitrio situm est eas vel ponere vel tollere, exterminandas; & sic causæ

1 Sam: 6.19.

2 Sam: 6. 6, 7.

4 Reg: 18. 4.

nihil

nihil esse, quin omnium simpliciter simulachra isto præcepto vetari credamus. Id autem magis etiam hinc apparet, quòd hujus mandati scopus alibi expressus is est, ut solus Deus adoretur, ipsiq; soli serviatur. Fluit quippe hoc secundum præceptum aliqua ratione ex primo, quo præter Iehovam nullum Deum habere jubemur. Ex quo fit, ut si mandati istius scopum assequi velimus, non solùm a Dei imagine, sed aliis etiam omnibus simulachris, quibus, aut per quę aliis cultus institui potest, abstinendum nobis sit. Hujusmodi autem eas imagines esse, pro quibus omnium acerrimè hodie propugnatur, argumento est, quòd in templis constitutæ, planeque ad id comparatæ sunt, ut ab hominibus cultu & honore afficiantur. Id quod tanta religione fieri, atque adeò ex illorum institutis fieri debere compertum est, ut nequaquam Catholicus esse credatur, qui imaginibus cultum illum ac venerationem neget. Et tamen nō pauci ex iis, quibuscum disputamus, in angustum compulsi, non dubitant, contra manifestissimam rei istius veritatem, alias, easque frivolas istarum imaginum causas afferre. Nam & sacris ædibus ornatum illas apponere, & idiotarum libros esse asserunt. Quasi verò non magis dehonestamenta domûs Dei, quo nomine ipsi templa sua vocant, existimanda illa sint, quæ divinæ illius voluntati tam apertè repugnant; & non multò majus ædium sacrarum decus atq; ornamentum, in fidelium hominum congressu, in conjunctis piorum precibus, in divini numinis veneratione, in cœlestis veritatis explicatione ac consideratione, in mutuis cohortationibus, in virtutis deniq; sanctimoniæque exercitatione constitutum sit. Quod idem & de laicorum, quos vocant, libris sentiendum est: cum Christi præceptorum promissorumque, aliorumque mysteriorum divinorum explicatio, omni pictura res salutares meliùs depingat, atque ante idiotarum oculos constituat. Hoc pacto Paulus Galatis, licet paulò antè Ethnici & rerum divinarum ignari fuissent, ita Christum ante oculos depinxerat, ut non secùs rem intelligerent, ac si Christus esset in illorum medio crucifixus. Imagines verò atque sculptilia, ut Ieremias & Habacuc testificantur, potiùs doctores sunt vanitatis ac mendacii; ideoque qui illis dant operam, nonnisi a Deo, aut vero ejus cultu, ad cultum simulachrorum deficere discunt. Ipsa verò sanæ mentis ratio dictat, nihil indignius esse, quàm hominem, in quo summus ille Pater divinitatis suæ imaginem impressit, quemque omnium aliarum rerum principem esse voluit, ita se abjicere, ut quæ infinitis partibus ipso sunt inferiora, illis serviat, divinosque honores instituat.

Deut: 6, 13, 14.

Gal: 3. 1.

Ier: 10. 8.
Habac: 2. 18.

Hîc verò

Hîc verò, tunc, quod dicimus, cum veritate conjunctum fore inquient, cùm adoratio ista & cultus in ipsis imaginibus terminatus, & nequaquam in illum, qui imagine repræsentatur, porrectus fuerit, ita ut hic in sua imagine colatur. Atqui isto pacto peccatum hoc excusari nequaquã posse, hinc constat, quòd ab ipso jam initio docuimus, propriũ secundi hujus præcepti scopum nõ esse, cavere, ne imago aliqua pro ipsomet Deo habeatur aut colatur, quod fieret, si quis religiosum cultum imagini exhibitum in ipsa terminari vellet: sed ne per imaginem numen aliquod, ipsumque adeò Deum verum, colere instituamus, arbitrati, ipsi numini nos cultum eum exhibere, quem imagini illius exhibeamus, & in eo demum honorem illum terminari. Id nempe ipsum hîc propriè vetatur, quod illi, qui ita excipiunt, se facere confitentur. Sed ut vanitas istiusmodi exceptionis magis appareat, animadvertendum est, vel ipsius Dei statui imaginem, existimarique illum in ea adorari; aut collocari imagines aliorum, hosque sub imaginum specie religiosè coli posse putari; veluti sunt simulachra sanctorum, qui ex hac vita discesserunt. Iam si prius amplectantur, constat, tantum abesse, ut cultus Deo ad istum modum adhibitus, gratus illi acceptusque sit, ut eum maximè detestetur, eosque, qui ita sese probare illi instituunt, gravissimè puniat. Quam enim aliam ob causam in Israëlitas vindicatum, & Ieroboamum sceleris, quo & se & populum contaminaverat, tum sæpissimè accusatum, tum ob illud gravissimo supplicio affectum fuisse, existimabimus, nisi quòd tum illi, tum hic unà cum populo, sub vitulorum a se conflatorum imagine Deum venerari instituerant? Hoc porrò illos consilio vitulos & fecisse, & coluisse, inde patet, quòd vituli isti Iehovæ vel Dei illius nomine appellantur, qui populum Israëliticum ex Ægyptiaca servitute liberaverit. Et quidem quod ad duos illos vitulos attinet, quos Ieroboam populo colendos obtruserat, constat, eum non nisi hoc spectasse, ut artificio isto populi studium retineret, quod sese amissurum planè providebat, si ex divinæ legis præscripto, ter quotannis religionis ergò Hierosolymam itaret; cùm facilè hoc pacto ad Regem Iudaicum reduci, & sic ipsum deserere, atque adeò interficere potuisset. Quod ne fieret, eidem populo persvasit, nequaquam opus esse, divini cultus gratiâ tantam itineris molestiam sustinere, cum vitulos illos colendo Iehovam ipsum colere possent. Hoc enim nisi illis persvasum fuisset, nunquam Hierosolymam frequentare desiissent. Hîc verò ii, cum quibus disputamus, plurimùm inter se & Israëlitas illos interesse dicunt, propterea, quòd fortè conceди

Exod: 32. 3 Reg: 13.

vid: ib: cap: 13.

Exod: 32. 4, 5. 3 Reg: 12. 28. ibid: ✝ 27.

cedi

cedi possit, Israëlitas sese in vitulis illis Deum verum colere existimâsse: interim tamen adeò stupidos fuisse, ut, perinde atque vitulos, illum corporeum, & porrò rebus creatis similem esse statuerint: se autem nequaquam tanto mentis errore implicatos esse, ut Deum in ipsius imagine venerantes, corpore præditum, cumque simulachro ulla ex parte conferendum esse arbitrentur. Respondemus autem, nec Israëlitas tantâ fuisse dementiâ depravatos ulla ratione probari; nec si probaretur, quicquam id ad adversariorum opinionem stabiliendam afferre momenti. Primò enim, quòd quidam illorum dicit, Israëlitas putasse, Deum verum esse vitulum illum Ægyptiacum, ideoque illi similem vitulum effinxisse, subque ejus forma Deum sese corporeum colere putâsse; id nempe quàm frivolum sit, hominum cordatorum judicium esto. Manifestum enim est, Israëlitas jamtum a Mose & Aarone, Dei patrum suorum notitiâ fuisse instructos, quem non Apis nomine, quo vitulus Ægyptiacus appellabatur: sed *Ero qui ero*; item *Deum Abrahami, Isaaci, & Iacobi*, item *Deum Hebræorum*, ipsius jussu apud eos nuncupârunt; & nequaquam a vitulo illo, qui Ægyptiorum Deus erat, sed ab eo, quem Pharao Ægyptiique ignorabant, sese missos esse, tum affirmabant, tum admirandis operibus demonstrabant. Id quod ex illis Dei verbis, quibus Mosen ad legationem instruit, clarissimè patet: *Hæc dices filiis Israël, Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem & generatione. Vade, & congrega seniores Israël, & dices ad eos: Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, dicēs: Visitans visitavi vos, & vidi omnia, quæ acciderunt vobis in Ægypto*: &c. Et paucis interjectis inquit: *Et audient vocem tuam, ingredierisque tu, & seniores Israël ad regem Ægypti, & dices ad eum: Deus Hebræorum vocavit nos* &c. Quæ verba si cum illis conjungas, quæ ibidem cap: 4.30. habentur, facilè comperies, Israëlitas nullo pacto vitulo illi Ægyptiaco liberationem suam ascripsisse: sed illi, a quo Moses se legatum fuisse dixerat ac confirmaverat. Sic enim ibi scriptum legitur: *Locutusque est Aaron omnia verba Domini, quæ dixerat Dominus ad Mosen: & fecit signa coram populo, & credidit populus: audieruntque quòd visitasset Dominus filios Israël, & quòd respexisset afflictionem illorum, & proni adoraverunt.* Verùm esto, non audiverint Israëlitæ illi quicquam de Deo patrum suorum, & in vitulo ita Deum coluerint, ut eum vitulo similem esse sibi persvaserint; poteritné

Bellarm.

Exod: 3. 14. & seq.

℣ 15. & seqq.

teritne hoc adversariorũ causam juvare, vel idololatriam illorum aliqua saltem ex parte excusare? nullo pacto: quinimò magis culpandi sunt, quòd cùm Deum nec corporeum, nec imaginibus similem esse credant: tamen tanquam si talis esset, ita eum & pingunt & sculpunt, & pictum sculptumque colunt. Nonne satius est, sine ulla tergiversatione huic Dei præcepto morem gerere, quo imaginum fabricatione ac cultu apertissimè prohibemur?

Iam quod ad sanctorum mortuorum imagines attinet; eas similiter nequaquam adorandas colendasvé esse, eodem hoc Dei præcepto docemur. Neque est quod dicant, se non λατρείας honorem, qui non nisi Deo conveniat, sed tantùm δουλείας cultum, qui creaturis etiam conveniat, sanctis deferre, ac porrò nec eorum imagines divino honore afficere. Primùm enim lex hæc divina omnem imaginum cultum ac venerationem penitus prohibet. Deinde ista, quam commenti sunt, λατρείας & δουλείας distinctio vana est, vel certè hîc adhiberi minimè potest. Nam primùm si proprietatem vocum spectes, eadem utriusque significatio est, nec una earum magis, quàm altera, ad Deum, vel ad creaturas spectat. Nam quod ad verbum λατρεύειν attinet, Laurentius Valla ad quartum Matthæi caput annotat, & scriptorum probatissimorum authoritate demonstrat, verbum illud, tam hominibus, quàm Deo serviendi, vim habere. Profert enim in medium quendam Xenophontis locum, ubi maritus, sese animâ uxorem, ne cuipiam serviat, redimere paratum esse dicit: & vicissim uxor, vitâ sese ait maritum liberare velle, ne serviat. ubi verbũ λατρεύειν cum verbo δουλεύειν ita permutatur, ut in eandem sententiam jam hoc, jam illud usurpetur. Quid, quòd & apud LXX. interpretes eæ voces, quæ a verbo λατρεύειν deductæ sunt, servilia opera designant. Cùm enim Moses Israëlitas omni servili opere prohibet, interpretes illi vocem λατρευτὸν usurpant. Quod verò ad verbum δουλεύειν attinet; id non magis designare, rebus creatis, quàm Deo servire, vel ex illis Christi verbis perspicuum est, *Non potestis Deo & mammonæ servire.* patet etiam ex LXX. interpretibus, qui cum de cultu divino sermo est, & in Hebræo vox *serviendi* significationem habens usurpatur, promiscuè usurpant δουλεύειν, aut λατρεύειν. Quare non est ea horum verborum differẽtia, ut λατρεία Deo tantùm conveniat, δουλεία etiam creaturis. Illud libenter fatemur, vocem δουλείας generalem suam vim retinere solere, & non minùs de vulgari ac pro-

vid: Exod: 12. 16. Lev: 23. 7, 8, 21, 25, 35. Num: 28. 18, 25, 26.
Mat: 6. 24.

Q fana, seu

ſana, ſeu mavis, civili ſervitute, quàm de religioſa uſurpari: cùm ipſum verbum λατρεύειν, & nomen λατρείας inde ductum, apud LXX. interpretes, & alios, qui eos in verborum ac phraſium uſu ſequuntur, ſcriptores, de religioſa ſervitute ferè tantùm accipiatur. Verùm cum vox δουλεύειν, aut δουλεία inde ducta, de religioſa ſervitute ſumitur, ut hoc loco fit, ubi de ſanctorum cultu agitur; nullo nec exemplo, nec ratione oſtendi poteſt, ullum eſſe diſcrimen inter λατρείαν & δουλείαν: aut ſi quod eſt, δουλείαν aliquid amplius in ſe continere, quàm λατρείαν: quo pacto plus eſt alicui ſervire, quàm eundem colere. Omnis enim qui alicui ſervit, eundem quoq; colit, vel colere ſaltem debet: at non contrà. hoc honoris tantùm eſt; illud etiam humillimi obſequii ac miniſterii. Quare ſi δουλεία ſeu ſervitus religioſa a λατρεία diſtingvi debet, plus illa, quàm hæc, in ſe complectetur, nec minùs in Dei præceptum peccabitur, ſi creaturæ, cui λατρεία non convenit, δουλεία religioſa tribuatur, quàm ſi λατρεία eidem exhibeatur. Vnde Paulus priſtinam Galatarum idololatriam deſignare volens, ait, eos ſerviiſſe iis, qui naturâ non erant Dii, verbo δουλεύειν utens. Præter ea autem, quæ diximus, illud quoque graviſſimum illorum errorem, qui & ſanctorum mortuorum, & imaginum illis poſitorum cultum defendunt, apertè convincit, quòd in ſignis inaniſſimis illos venerari ſtudent, qui hoc ſe honore affici nequaquam ſentiunt; utpote qui in ſtatu ſint mortuorum, & porrò nequaquam reipſa vivant atque intelligant. Adde quòd, ſi maximè & in vivis eſſent, & hunc ſibi honorem haberi ſentirent, nequaquam hoc fieri vellent. Petrum enim, verbi cauſâ, a Cornelio adorari noluiſſe accepimus, propterea quòd non minùs, quàm Cornelius, homo eſſet. Nec eſt, quod dicas, rationem illam in Petro mortali valuiſſe, non in immortali, ſeu ad cœleſtia gaudia translato. Nam etiamſi tandem Petrus, in mortuorum adhuc numero poſitus, ad cœleſtia gaudia (id quod ſeipſum evertit) fuiſſet tranſlatus: nihilominus tamen ea res non plus haberet ad adorationem ei conciliandam virium, quàm divina muneris, quod in terra ſuſtinebat, auctoritas, cum admirandis illis donis, quibus eum inſtructum fuiſſe omnes novimus, conjuncta; preſertim ſi ea tanta eſſe credatur, quantam illi volunt, cum quibus diſputamus. Certè quia hanc ſibi ſumit Pontifex, ideo, licet diviniſſimis illis donis careat, quæ in Petro cernebantur, a quibusvis eam venerationem, quam Petrus ſibi exhiberi noluit, non modò ad-

Gal: 4. 8.

Act: 10. 25, 26.

dò admittit, sed ab omnibus etiam requirit; eaque illi ab iis, qui eum pro capite suo agnoscunt, tribuitur. Sed præterea, an immortalis non fuit angelus ille, qui, ne eodem a Ioanne cultu afficeretur, recusavit? Quid verò causæ attulit? quòd conservus Iohannis esset, & fratrum ipsius prophetarum, & eorum, qui observant verba libri illius: Deum igitur adoraret. Qua igitur fronte audebimus, vel ad mortuos sanctos, vel ad angelos divinum cultum transferre, nedum eorum imaginibus tribuere? Neque verò hîc ad latriæ duliæq; distinctionem confugere possunt. Nam ne superiora nunc repetamus; quid habet latria præ dulia, quové pacto ab ea distingvitur? num eo, quòd latria postulet, ut eum, quem colis, pro ipsomet Deo habeas, dulia non item? Si hoc, nec Cornelius Petrum, nec Angelum Iohannes latriâ colere voluit; & tamen uterque monitus fuit, ne id, quod facere volebat, faceret, aut facere pergeret. Quid enim? num dices, Iohannem angelum, qui se pro Dei ac Christi ministro apertissimè gerebat, pro ipso Deo habuisse? aut Cornelium tanto stupore mentis oppressum fuisse, ut Petrum non hominem, sed ipsummet Deum esse, sibi persvaderet? Quòd si in eo ipso latriam sitam esse dixeris, quòd quis religiosè, & non civiliter tantùm colatur, & animus aut corpus coram ipso ita demittatur, quemadmodum coram eo tantùm abjiciendus esset, qui in nos sublimem aliquam & humanâ majorem potestatem habet; jam hoc totum in ipsorum dulia, quam sanctis, atque imprimis Mariæ virgini tribuunt, continetur. Quare cùm Cornelius Petro, Iohannes angelo eum exhibere vellet honorem, qui propter nimiam abjectionem, religiosam saperet reverentiam; ideò is rectè a Petro angeloque recusatus fuit. Animadverterunt quippe, periculum esse, ne summo illi Deo aliqua saltem gloriæ particula detraheretur, ad ipsosque per quandam incogitantiam transferretur.

Apoc: 19. 10: & 22. 8, 9.

Vt autem a tam gravi, quod hîc prohibetur, peccato homines planè absterreantur, jam tandem, quanta illi pœna constituta sit, videndum est. Hęc autem illis Dei verbis continetur: *Ego enim sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filiis, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Quo in loco duo ponderanda sunt. Primò enim inquirendum videtur, quî fiat, ut Deus in simulachricolas tam sit severus: Deinde quomodo hæc comminatio cum divina justitia conveniat, animadvertendum est. Vt igitur de Dei severitate, qua in tales utitur, priùs loquar; ipse hoc in loco causam illius apponit, quia nimirum sit *Deus zelotes*, & *fortis:* quasi dicat, peccatum, quod idololatræ in se sus-

cipiunt, tam grave tetrumque est, ut zelotypiam excitet; ideoq; ferri a me nequaquam possit. Cùm enim ego sim Dominus Deus, atque adeò maritus quodammodo tuus, tuque porrò istud in te admittens flagitium, turpissimo te obstringas adulterio; fierine potest, ut ego, qui rivalis sum impatientissimus, in impurissimo tuo facinore conniveam? Vt enim maritus, quò impensiùs uxorem amat, eò magis irritatur, si illa ad rivalem ipsius amandum sese applicet: ita nihil est, quod magis Deum ad iram commoveat, quodque minùs ab illo tolerari possit, quàm cùm homines, quos condidit, quos fovet, quos innumeris beneficiis sibi devincire, arctissimoque amoris vinculo copulare semper studuit, tam turpiter illum deserunt, aliisque cultum, ipsi soli debitum, deferunt. Et hinc quidem crebræ illæ conquestiones nascebantur, quibus Israeliticum populum in idololatriam prolapsum adulterii accusabat. Itaque confirmat hoc loco Deus, se omnino eos, qui idola venerantur, punire velle. Verùm ut idem etiam se facere posse ostendat, addit præterea, se fortem esse; ut facilè appareat, concurrentibus duabus istis causis, nimirum puniendi tum voluntate, tum plenissima facultate, fieri non posse, ut summam istam impietatem relinquat inultam. Vt autem supplicii gravitatem magis exponat, dicit, se visitaturum iniquitatem patrum in filiis, in tertiam & quartam generationem eorum, qui ipsum oderunt. Quod quidem quò rectiùs intelligatur, jam illud videndum est, an ita cum illis, qui præceptum istud violant, agere, divinæ justitiæ sit consentaneum. Videtur enim nimis grave esse, & nihil planè cum divina æquitate conjunctum habere, legique illi, quam Deus sibi ipsi quodammodo imposuit, adversa fronte repugnare; nempe non portandam esse filio patris iniquitatem. Respondemus autem, tum demùm hoc supplicium, quo in istud hominum genus vindicatur, divinæ justitiæ parùm consentaneum fore, cùm de ejusmodi filiis orationem hoc loco haberi ostensum fuerit, qui sceleratorum parentum vestigiis minimè insistunt. Atqui aliter sese rem habere, vel solum Ezechielis modò memoratum testimonium convincit. Quod autem nihilominus Deus iniquitatem patrum in filiis sese visitaturum dicit; intelligendum est, eum in puniendis liberis, non propriorum tantùm, sed & paternorum peccatorum rationem habere velle; & cùm cæteroqui liberis ipsis vel parcere, vel mitiùs cum illis agere posset, severè tamen in eos animadvertere, quòd non tantùm mali fuerint ipsi, sed & ex malis procreati; ut hac ratione simul etiã parentes in liberis quodãmodo puniat. Quòd si ex piis fuissent nati, fieri

Esa: 57. 7. & seqq. Ier: 2. 20. & d. & c. 3. 6, & d. Ezech: 16. 15, & d. Ose: 2. 2, & d. & alibi sæpe.

Ezech: 18. 20.

ti, fieri

Cap: XII. De secundo Decalogi præcepto.

ti, fieri posset, ut tam graves peccatorum suorum pœnas non sentirent; præsertim si non prorsus enormis illorum fuerit malitia. Benefacit enim contrà etiã Deus parentibus piis in liberis. Vnde hoc loco id pietati proponit præmium, ut dicat, se misericordiâ usurum in millesimam eorum generationem, qui ipsum diligunt, ejusque mandata conservant. Hoc autem ita præstare solet Deus, ut piorum liberos ac nepotes variis beneficiis cumulet, præsertim si ii parentum ac majorum suorum virtutem imitentur; & quamvis majores suos non planè referant, atque in pietatis cursu quandoque prolabantur, aut etiam graviter peccent, non tamen ita cum illis agat, ut meriti erant, sed sæpissimè vel ignoscat, vel castigatos atque afflictos tandem misericordiâ complectatur. Quam quidem Dei clementiam, tum in Davidem ejusque posteros extitisse, tum in universam Israëliticam nationem extituram aliquando esse, divinis oraculis luculentissimè docemur. Illud enim quàm præclarum est, ubi Deus Davidem, de ipsius semine verba faciens, hunc in modum alloquitur: *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. Qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum: misericordiam autem meam non auferam ab eo.* Et illud: *Noluit tamen Iehova disperdere Iudam propter David servum suum, sicut promiserat ei, quòd daret ei lucernam, & filiis ejus*, (quantumvis plerumque malis) *cunctis diebus*. Huc spectat, quòd Paulus Israëlitas, quamvis ob gratiæ divinæ contemptum rejectos atque induratos, charos tamen esse asserit, propter ipsorum majores, & aliquando misericordiam assecuturos prædicit.

2 Sam: 7. 14, 15.

2 Reg: 8. 19.

Rom: 11. 28.

Cùm igitur, ut ad rem redeamus, Deus idololatriam tantopere aversetur, tamque vehementer vindicet; cavendum est, ne in tantum peccatum ulla ratione incidamus. Et quidem, quò faciliùs illud effugiamus, non abs re fuerit, paucis verbis, quo pacto idolis imaginibusque religiosus cultus instituatur, exponere. Intelligendum igitur est, totum hoc negotium his Dei verbis exprimi: *Non adorabis, nec coles ea*, seu, ut Hebræa verba sonant, *nec servias illis*. Duobus ergo modis inter se distinctis hoc scelus committitur, nimirum tum adorando, tum serviendo. Ac adoratio quidem simulachris tunc adhibetur, cùm homines religionis ergò coram illis procumbunt, genua flectunt, corpus incurvant. Servitus verò tunc illis tribuitur, cum iisdem sacrificia suffimentaque fiunt, vel cum ornantur, ac vestiuntur, candelæque ardentes ante ea statuuntur, ut hodiè fieri videmus. Servitus enim non in solo honore, qui ad adorationem sufficere potest, sed in ministerio, opere ac labore aliquo consistit.

Ad hoc autem Dei præceptum illud quoque adjungendum est, quod tum Paulus, tum Iohannes nos admonet, nempe ut fugiamus idola, illorumque cultum; ita nempe, ut non solùm idola nequaquam fabricemus, aut colamus; sed etiam tum loca, in quibus ea coluntur, præsertim tunc, cùm cultum illum institui novimus, caveamus; tum ab omnibus, quæ cum illorum cultu conjūctum quippiam habent, aut quacunq; tandem ratione ad illum spectant, abstineamus, ut omnibus hominibus Deoque ipsi clarissimè pateat, quantopere omnia, quæ illi improbantur, aversemur, non solùm quod ex se malum est, sed etiam mali speciem habet, summo studio declinantes.

1 Cor: 10. 14, 20, 21, 28: 1 Ioh: 5. ult.

Cap: XIII.

De tertio Decalogi præcepto.

Non aßumes nomen Domini Dei tui in vanum: quoniam neutiquam impunitum dimittet Dominus eum, qui aßumserit nomen Domini sui in vanum.

HOrum verborum duæ sunt partes: quarum altera interdictionem quandam, altera comminationem continet. Ad interdictionem quod attinet; animadvertendum, tum quid sit *nomen Domini Dei aßumere;* tum quid hoc sit facere *in vanum*. Nomen igitur Domini Dei nostri assumere, nihil hîc aliud est, quàm per illud jurare. Iurare porrò per Dei nomen est, Deum tum dictorum testem, tum mendacii vindicem quodammodo invocare, & sic ejus auctoritatem ad dictorum suorum veritatem confirmandam interponere. Quo in loco primò videmus, Deum Israëlitas juramento nequaquam prohibuisse, dummodò ne illud violarent; & alibi per nomen suum eos jurare jussisse comperimus. Deinde intelligendum est, juramenta propriè sic dicta, Israëlitis olim licita, non nisi per nomen Dei facta fuisse, illudque sive suis literis expressum, sive verbis idem designantibus circumscriptum; quo pacto Iacobus jurat per pavorem Isaaci, id est, ut ex superioribus Iacobi dictis constare potest, per Iehovam, quem Isaacus metuebat; de quo & Esaias hunc in modum loquitur: *Deus sit pavor vester*. Hinc colligitur, juramenta illa, quæ nec expressam, nec aliis vocabulis circumscriptam Dei mentionem continerent, vel impia fuisse, vel non usquequaque propriè juramenta dici potuisse. Impia, ut cùm per Deos alienos jurabatur. qua quidem re Israëlitæ apud Mosen his verbis prohibebantur: *Per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro.* Impropriè verò sic dicta, cùm verbi caussâ

Devt: 6. 13. & 10. 20.

Gen: 31. 53. ibid: ℣ 42.

Esa: 8. 13.

Exod: 23. 13.

Ioseph

Cap: XIII. De tertio Decalogi præcepto.

Ioseph *per vitam Pharaonis* jurat: quale & illud apud Israëlitas valde tritum erat, *Vivit anima tua.* Quanquam hoc ita potest accipi, ut nullum planè juramẽtum, sed tantùm vehementiorem ac constantiorem asseverationem effecisse censeatur. Causa porrò, cur per suum unius nomen juramenta propriè sic dicta concipi vellet Deus, hæc erat, quòd solus & animos hominum mentesq; perspectas haberet, & omnis mendacii ac fraudis acerrimus vindex esset. Iam *Domini Dei sui nomen in vanum assumere*, nihil aliud est, quàm falsum jurare, & sic perjurio sanctissimum Dei nomen violare. *Vanum* enim apud Hebræos id significare, quod falsum fictumque est, ex illis scripturæ testimoniis patet, quibus idem nomen, quod hoc loco vanitatis vocabulo exprimitur, *falsum* ab interpretibus, ita exigente sententiæ perspicuitate, versum est. veluti sunt illa Dei verba: *Non suscipies vocem mendacii, nec junges manum tuam, ut pro impio dicas falsum testimonium.* Item illud, quod in ipsomet decalogo infrà dicitur: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

Gen: 42. 15, 16.

Exod: 23. 1.

Exod: 5. 20.

Sed jam alteram horum verborum partem, nempe comminationem examinemus, quæ sanè gravissima est. Sic enim de seipso Deus loquitur: *Non dimittet Dominus impunitum illum, qui assumserit nomen Domini Dei sui in vanum.* Solet enim Deus pro admirabili sua benignitate atque clementia, peccatorum nonnullorum pœnas a quibusdam hominibus minimè expetere, quia aliquas tamen virtutes in illis elucere videat, vel alias hujus rei causas a nostra intelligentia remotas habeat: perjurium autem tolerare nequaquam potest. Quid enim est, quod magis summum illum omnium rerum moderatorem offendere queat, quàm non solùm sanctissimum illius nomen rei turpissimæ, nempe mendacio, cui semper fuit infensissimus, prætendere, sed etiam per summum contemptum numen ejus divinissimum quasi irridere, horrendumque judicium despicatui ducere? Vt igitur, & quàm sanctum sit Dei nomen, & quantum periculum illis impendeat, quibus illud ludibrio despectuique est, intelligatur, luculentissimis verbis omnibus denunciat, se nequaquam inultos relicturum illos esse, qui tantum scelus in se suscipiunt. Quo tamen in loco animadvertendum est, non nisi de illis juramentis sermonem haberi, quæ nihil continent impietatis, quorumque conservatio in ejus, qui jurat, potestate sita est. Aliter enim præstat juramentum malè juratum, quàm justitiam pietatemque violare; nec tunc est, cur comminatio illa, quæ jusjurandum violanti proposita est, metuatur: sed multò magis

pœna metuenda eſt, ſi non modò auſus fueris rem, quam facere non licebat, juramento adhibito polliceri, ſed etiam impiè promiſſam præſtare. Vt enim Deus juſtiſſimus eſt: ita juramenta iniquitatis vincula eſſe nequaquam vult. Et hanc ob cauſam David rectè, ſi neque pœnæ huic præcepto additæ metu, jusjurandum de interficiendo Nabale reliquit, & intercedente Nabalis uxore Abigail, divinitus ſeſe, ne tantum facinus committeret, impeditum aſſeruit; ut facilè appareat, quàm verum ſit, quod modò diximus, nempe Deum nolle, ut jusjurandum de re iniqua ſuſceptum conſervetur. Quòd ſi eveniat, ut quispiam jurejurando alteri id promiſerit, quod non penitus in ſua poteſtate ſitum erat; & quominus promiſſa perſolvat, ab illis impediatur, a quorum autoritate nutuq; pendet; ſimiliter nulla cauſa eſt, cur eum ob pœnam falſum jurantibus conſtitutam, nihilominus omnino velimus id, quod pollicitus fuerat, præſtare. In quo numero eſt uxor v. g. ac filia, cujus ſi voto juramentoque, ut eſt apud Moſen, pater reclamaret, eo nequaquam tenebatur ampliùs. Neque verò convenit, ut qui in aliena ſunt poteſtate, absque ulla conditione quippiam polliceantur, nedum ut ejusmodi promiſſionem jurejurando confirment.

1 Sam: 25. 22, & d.

Num: 30. 4, & d.

Sed jam ponderemus, quæ huic præcepto Chriſtus addidit. Ea autem duo potiſſimùm ſunt, quorum alterum expreſſum eſt, alterum evidentiſſima ratione adjunctum eſſe convincitur. De priori ſic Chriſtus loquitur: *Dictum eſt antiquis: non pejerabis: ſed reddes Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, omnino ne jurate; neque per cœlum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus; neque per Hieroſolymam, quia Civitas eſt magni regis; neque per caput tuum jurabis, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem ſermo veſter, Eſt, eſt; Non, non. quod autem his abundantius eſt, a malo eſt.* Ex his verbis perſpicuum eſt, ejus rei quam Chriſtus huic mandato adjunxit, ſummam in eo conſiſtere, ut non ſolùm, quemadmodum & Moſes præceperat, nomen Dei in vanum, ſed etiam in id, quod vanum falſumque minimè eſt, aſſumere ne audeamus; cùm Dominus Ieſus luculentiſſimè dicat, *Omnino ne jurate;* non quidem ut omnia ſimpliciter juramenta exterminet; cum videamus, Paulum Apoſtolum, qui ſeſe nobis imitandum propoſuit, non ſemel juraſſe; ſed ut ab iis juramentis, quæ nulla poſtulat neceſſitas, nos penitùs arceat. In antecedentibus enim verbis e Moſe depromtis, quibus ſua Chriſtus ita oppoſuit, ut, quod in illis conceditur, in his prohibeatur; voluntaria revera juramenta, & quidem de rebus futuris ſuſcepta, permittuntur. Vnde facilè

Mat: 5. 33. & d.

Rom: 1. 9. cap: 9. 2. 2 Cor: 1. 23: 11. 31. 1 Theſſ: 7. 5.

Cap: XIII. De tertio Decalogi præcepto.

facilè apparet, Chriſtum in ſequentibus voluntaria juramenta, atque ea inprimis, quæ de futuris rebus ſuſcipiantur, quæque ab aliquo impediri queant, penitus prohibere. Itaque vocem *omnino* non ideo addidiſſe cenſendus eſt, ut quodvis juramentum, ſive voluntarium, ſive neceſſitate quadam nobis impoſitum prohiberet; ſed ut omnibus modis, quibus juramentum ſuſcipi poteſt, in iſto rerum genere, de quo loquitur, nobis interdiceret. Satis enim apparet, verba ſequentia, *neque per cœlum, neque per terram* &c, vocis *omnino* explicationem quandam continere, voluiſſeque Chriſtum omnem jurandi rationem excludere, & pro omnibus rei iſtius modis, pauca hæc exempla ſupponere. Hinc inſuper conſtat, Chriſtum non ſolùm iis nos voluntariis juramentis prohibere, quæ vel expreſſam, vel implicitam Dei continent mentionem; ſed etiam omnes religioſas aſſeverationes, quibus ejus generis res quæpiam commemoretur, quæ ad Deum ejusque honorem ac reverentiam ſpectet, vel in ipſius tantùm poteſtate ſit poſita, quamque, qui jurat, nequaquam flocci pendere, imò ſupplicium quoddam periculumque, ſi fallat, metuere videatur: ut quidem in jurandi formulis a Chriſto hoc loco poſitis fieri conſtat. Quibus eam ob cauſam hanc ſubjungit admonitionem: *Sit ſermo veſter, Eſt, eſt, Non, non.* quaſi dicat, Sermo veſter ſimplex, omnisque jurisjurandi expers ſit. Quòd ſi aſſeverare rem aliquam conſtantiùs aut vehementiùs vultis, pro juramento repetita utimini affirmatione, aut negatione. Cauſæ porrò, cur Chriſtus tanta cum ſollicitudine a juramentis voluntariis nos dehortetur, duæ potiſſimùm ſunt. Prima eſt, ne ſummi illius omnium rerum Domini ſanctiſſimum nomen profanum apud nos habeatur, nevé nimia rei iſtius familiaritate decepti putemus, nos per luſum & jocum cum Deo tanquam ſocio noſtro agere poſſe, utpote quem, cùm libeat, queamus tanquam dictorum noſtrorum teſtem advocare. Altera cauſa eſt, ne ſæpe temereque jurando, in perjurium aliquando maximo noſtro malo incidamus. Ex his omnibus apertiſſimè conſtat, ea juramenta, quibus non voluntate noſtra ſimpliciter, ſed vel a certis perſonis, vel quacunque neceſſitate impulſi, ad rem veriſſimam, & nobis probè cognitam atque exploratam, confirmandam utimur, nequaquam in eorum juramentorum numero eſſe, quibus nos Chriſtus hoc loco prohibet. Ac perſonarum quidem nomine, vel magiſtratum, vel eos intelligimus, quorum in poteſtate vita fortunæque noſtræ poſitæ ſunt. Neceſſitates verò eas dicimus, quæ vel divinâ gloriâ, vel ſalute proximi, vel re quapiam maximè urgente continentur.

Ex quo fit, ut Apostolus minimè culpandus sit, quem gloriæ divinæ amplificandæ, hominumque salutis constituendæ studio impulsum jurasse, ex locis suprà a nobis adductis perspici potest.

Iam ut alterum, quod huic Dei præcepto additum dici potest, videamus; intelligendum est, nos hoc tempore etiam per nomen Christi jurare posse. Quæ quidem res quamvis expressa non sit, adjunctam tamen revera esse, manifesta ratio convincit, quæ hoc subnixa est fundamento: ideò nempe per Dei nomen jurare nos posse, quia is non solùm intimos animi nostri sensus introspiciat, sed etiam in perjurii flagitium gravissimè vindicare queat. Vtriusque autem rei facultatem Christo concessam esse constat; cum & cordium scrutator in divinis literis appelletur, & judex vivorum ac mortuorum constitutus sit. Quo fit, ut qui per illum legitimè jurat, is nihil faciat divinæ voluntati contrarium, vel potiùs cum ea non conjunctissimum.

Apoc: 2. 23. Act: 10. 42.

Cap: XIV.

De quarto Decalogi præcepto.

QVartum Decalogi præceptum de Sabbatho olim Israëlitis traditum erat; estque ceremoniale revera, non morale, ut suprà suo loco ostendimus; & porrò ad Christi disciplinam nihil quicquam pertinet. Quod tamen ea de causa in moralium præceptorum numerum adscriptum esse videtur, quòd Sabbathi observatio symbolum erat ac tessera quædam fœderis inter Deum & Israëlitas, quos a labore atque ergastulo servitutis Ægyptiacæ ad quietem terrenam perduxerat, ut ex sac: literis constat. Quanquam & ea potest subesse ratio, quòd Deus pro summa sua sapientia, etiam decalogum omni imperfectione nequaquam carere, subindicare voluerit; futurumque tempus illud, cum illi multa adderentur: ut quidem a Christo factum esse, partim jam vidimus, partim pleniùs adhuc intelligemus. Sunt qui Dominicum diem, Deo sic ordinante, in Sabbathi locum successisse asserant. Verùm eos falli, ex eo intelligitur, quòd nullum hac de re Dei mandatum extet. Interim tamen ejus celebrationem, in antiquissimo more positam esse minimè diffitemur. Nam etiam Apostolorum ætate eum agitatum in Christi Ecclesia fuisse, certis quibusdam conjecturis assequimur: cùm non solùm primo post sabbathum die, qui a Iohanne dies Dominicus dici videtur, fideles convenisse scriptum legamus; sed etiam nullum post Apostolos tempus nominari possit, quo idem dies agi cœperit. Is igitur mos, quippe, ut diximus, antiquissimus, nequaquam contemnen-

Lib: 2. cap: 15. & lib: 3. c. 29.

vid: Exod: 31. 13, & d. Ezech: 20. 20.

Act: 20. 7. cõf: 1 Cor: 16. 2. Apoc: 1. 10.

contemnendus videtur; non quòd per se religione nos obstringat: sed quia in rebus ejusmodi, offensio proximi vitanda, & aliquid consvetudini, per se non malæ, sed aliqua etiam ex parte utili, dandum est.

Cap: XV.

De quinto Decalogi præcepto.

Quintum præceptum Decalogi hoc est:

Honora Patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

ADhuc prima Legis tabula fuit, in qua, quid Deo debeamus, docemur: sequitur, ut secundam tabulam suis ponderibus examinemus. Hæc igitur ea continet præcepta, quibus officia charitatis, quæ hominibus præstanda sunt, nobis præscribuntur. Ac primum quidem locum parentes sibi vendicant, quorum operâ in vitam ingressi sumus. In hos igitur ut quales nos esse oporteat intelligamus, ista, quæ de illis in decalogo habentur, verba in duas partes distribuemus. Primò enim videndum est, quantam pietatem illis præstare debeamus. Deinde præmium illis, qui officium faciunt, constitutum ponderabimus. Pietas igitur parentibus debita in duabus potissimùm rebus est constituta, quarum altera mens animusque est optimè erga illos affectus: altera verò in ipso amoris effectu consistit. Vt igitur de mente animoque priùs loquamur, eam liberi cogitationem suscipere debent, ut parentes suos singulari honore dignos existiment, certoque sibi persvadeant, honorem, quem illis habent, ipsi Deo haberi, utpote cum hic illorum operâ eos procreaverit, enutriveritque; ut facilè appareat, Deum in honore primum, parentes proximum quodammodo locum obtinere, eosque præcipuo quodam studio minimè colere, non minùs, imò aliqua ratione magis contra officium esse, quàm reges, quàm principes, aliosque his similes debitâ reverentiâ fraudare.

Effectus porrò ex tali mente existentes, vel in verbis consistunt, vel in factis. In verbis quidem ita, ut parentibus non responsemus, non maledicamus, non illudamus, cum illis non rixemur, aut in disceptationis arenam descendamus: sed ut summa in oratione modestia, ingenuus pudor in vultu, reverentia debita in gestu eluceat. Iam quod ad facta attinet, ea vel obedientiâ, vel auxilio parentibus debito continentur. Obedientia autem in omnibus rebus cerni debet, quæ a parentibus nostris, sed non contra officium, nobis præscribuntur. Aliter Deo obedientem esse præstat, quàm injustis paren-

ſtis parentum mandatis parere. Auxilio quoque illis eſſe, honor eſt omnium maximus, & ſine quo nihil valet is, qui verbis vultuque exprimitur; adeò ut qui parentes paupertate preſſos deſerit, cum illis præſidio eſſe poſſit, is ſi vel maximum pietatis ſtudium præ ſe ferat, divinum hac de re mandatum per ſummam impietatem violare dicendus ſit. Hanc enim ob cauſam Chriſtus Phariſæos hoc præceptum Dei irritum feciſſe aſſerit, docentes nimirum, filios parentibus neglectis ac deſtitutis, donaria ad templa conferre poſſe. Honoris autem nomine cultum victumque interdum ſignificari, ex illis Pauli verbis colligitur, quibus Presbyteros duplici honore dignos eſſe aſſerit; ut nimirum abundè vitæ ipſorum neceſſitatibus proſpiciendum eſſe oſtendat, ut ratio ſubjecta docet.

Mat: 15.3. & ſeqq.

1 Tim: 5. 17, 18.

Veniendum nunc eſt ad præmium, quod iis, qui parentes debita pietate proſequuntur, propoſitum eſt; quod quidem in his verbis comprehenditur: *Vt ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Quæ quidem promiſſio, ſi Hebraica verba inſpicias, duplici modo, ex hominum doctiſſimorum ſententia, legi poteſt: nempè vel ſic: *ut prolongentur dies tui in terra, quam Deus tuus dat tibi:* (jam enim tunc quaſi dabat, poſtquam eos ex Ægyptiacis vinculis emiſiſſet:) vel hunc in modum rectè legi putatur: *ut prolongent*, parentes nimirum, *dies tuos*. Vtraque autem lectio eandem ſententiam continet; niſi quòd hæc poſterior inſignem habet emphaſin. Indicat enim, penes parentes quodammodo eſſe vitæ noſtræ productionem, ut nimirum ad illos etiam atque etiam amandos, omnique honoris cultu ſtudioſiſſimè venerandos incendamur. Similis loquendi forma & apud Lucam reperitur, ubi, *Facite*, inquit Chriſtus, *vobis amicos de mammona injuſto; ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Vbi animadvertendum, nequaquam eſſe verborum iſtorum ſenſum, ut pauperes propria quadam vi, in æterna tabernacula nos recepturos intelligamus: ſed ideo ad iſtum modum Dominum Ieſum loqui, quòd illi quodammodo cauſa exiſtunt, ut in ſempiterna tabernacula recipiamur. Eodem igitur pacto & parentes, tunc vitam noſtram prolongare meritò dici poſſunt, cùm ejusdem rei cauſam nobis afferunt: idque vel ob eam rem, quòd Deus honori illis a nobis habito hoc prēmium conſtituit; vel etiam, quia, cùm nobis bene precantur, fit, ut vitâ diuturnâ fruamur. Multum enim virium habet piorum parentum benedictio. Cujus rei exemplum inter alia in Noacho cernimus, qui, quia Semo & Iapheto filiis ſuis benè precatus erat, ideò ſine dubio divinis opibus cumulati fuerunt, hocque præmium pietatis ſuæ,

Luc: 16. 9.

Gen: 9. 25. & d.

quam

Cap: XV. De quinto Decalogi præcepto.

quam parenti præſtiterunt, reportârunt; contrà verò in Chamum ejusq; poſteros, quia patrem deſpicatui duxerat, maledictum contulit; ideoque is divino illo favore excluſus fuit. *Benedictio enim patris*, inquit Eccleſiaſticus, *firmat domos: maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Huc & illud Salomonis ſpectat: *Oculum, qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* Vbi ſanè nihil aliud Salomo illis, qui in auctores vitę ſuę ingrati ſunt, denunciat, quàm fore, ut miſerrimè vitam finiant. Quid, quòd & Deus in lege Moſaicâ publica talibus graviſſimaque conſtituit ſupplicia, ut cuilibet in priſci illius fœderis lectione vel mediocriter verſato apertiſſimum eſt.

cap: 3. 11.
Prov: 30. 17.
Exod: 21. 17.
Levit: 20. 9.
Devt: 21. 18. & d: & cap: 27. 16.

Dicendum nunc de iis eſſet, quæ Chriſtus huic præcepto addiderit. Verùm diligenter licèt inquirentibus, nihil tale occurrit. Niſi fortè ea, quæ de parentum, magiſtratuum, dominorum, maritorum; & contrà ſubditorum, ſervorum, uxorumque officiis, ſacris literis prodita ſunt, huc referri poſſe videantur: quæ tamen magna ex parte, vel in ipſa Lege fuerunt tradita, vel ipſo rationis lumine cognoſcuntur. Ac parentum quidem has eſſe partes docemur, ut liberos ſuos ne irritent, ſed in diſciplina & correptione Domini educent. Tunc autem maximè liberi a parentibus irritari videntur, cùm aut immerentes ab illis puniuntur; aut pœna, quàm culpa, major eſt; aut nihil planè impunitum dimittitur; aut denique illis denegantur ea, quæ æquitas ac charitas naturalis tribuere illis ſvadet ac poſtulat. Ex quo, ut Apoſtolus innuit, animi debilitas abjectioque exiſtit. In diſciplina porrò correptioneque Domini, parentes ita liberos ſuos educare debent, ut eos ad Chriſtianam pietatem inſtituant, id eſt, tum cohortationibus colloquiiſque aſſiduis Chriſti legem illorum animis inculcent, tum Chriſtianarum virtutum exemplis illis præluceant. Similia in Lege habes, quæ ita inter alia præcipit: *Ponite hæc verba in corde & animis veſtris, ſuſpendite ea pro ſigno in manibus, & inter oculos veſtros collocate. Docete filios veſtros, ut ea meditentur, quando ſederis in domo tua, & ambulaveris in via, & accubueris, atque reſurrexeris.*

Epheſ: 6. 4.
Col: 3. 21.
Devt: 11. 19.

Iam ut de reliquis ordinibus paulò antè memoratis agamus; primò inferiorum, id eſt, eorum officia conſiderabimus, qui ſuperioribus ſubjecti ſunt: veluti ſunt ſubditi, ſervi, atque uxores. Ac ſubditorum quidem hæ ſunt partes, ut magiſtratui obtemperent, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam; tributa vectigaliaq; pendant; timorem honoremque ſuperioribus tribuant.

Rom: 13. Tit: 3. 1. 1 Pet: 2. 13, 14, 17.

Ephes: 6. 5. & d.

Servorum officium ab Apostolo his verbis describitur: *Servi obedite Dominis secundùm carnem cum timore ac tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo; non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate: scientes, quòd unusquisque, quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino.*

Ephes: 5. 22. & d. 33 Col: 3. 8.

Vxorum denique partes his præceptionibus continentur: *Vxores, propriis maritis subjectæ estote, sicut Domino: quia maritus caput est uxoris, sicut & Christus caput est Ecclesiæ; & ipse est servator corporis: sed quemadmodum Ecclesia subjecta est Christo: ita etiam uxores propriis maritis in omnibus.* & infrà: *Vxor metuat maritum.*

Sequitur, ut altera ex parte superiorum etiam officia explicemus: veluti sunt magistratus, domini, ac mariti. Ac magistratûs quidem officium in hoc potissimùm consistit, ut autoritatem imperiumq; quod in subditos habet, non a seipso sese habere, sed divinitus sibi datum esse cogitet, ad bonos fovendos, tuendos atque defendendos, malos verò ulciscendos.

Rom: 1. 3. 1 Pet: 2. 14.

Ephes: 6. 9. Col: 4. 1.

Dominorum hoc officium est, ut quod æquum iustumque est, servis præstent, minasque remittant; scientes, & ipsos Dominum in cœlo habere.

Eph: 5. 25. & d 1 Pet: 3. 7. Col: 3. 19.

Maritorum denique munus est, ut uxores suas haud aliter diligant, ac corpora sua, quo pacto & Christus Ecclesiam, quæ corpus illius est, dilexit; easque ut infirmiora vasa honore afficiant, & nullam in eas acerbitatem exerceant. Quo in loco animadvertendum est, de rigore juris, quod tum parentes in liberos, tum domini in servos, tum mariti in uxores olim habebant, sub novo fœdere multum detractum esse. Simili modo & de magistratus Christiani severitate judicandum videtur: quandoquidem tempora Novi Fœderis, tempora gratiæ sunt: cum ipse quoque Deus multum de vindicandi jure, deque severitate remiserit; quippe qui non tam rigidè, ut legis tempore, cum hominibus agat, ut alibi a nobis demonstratum est.

Lib: 3. c. 10. & 12.

Cap: XVI.

De sexto Decalogi præcepto.

Quod sic sonat: *Non occides.*

HOc Dei præceptum duplicem habet considerationem: nimirum quatenus jam ad prisci illius fœderis, jam ad novæ pactionis tempora refertur, latiusque sub Christo, quàm sub Mose, patere intelligitur. Moses enim, cùm populo Israëlitico illud traderet, non

modò

modò ei severitati, quâ in capitalibus suppliciis infligendis magistratus uti deberet, nihil derogavit; sed etiam cædem earum gentium, quarum regiones occupare populum Deus jusserat, uti & Amalecitarum, omnino excipi voluit; cùm eam alibi expressis verbis præceperit. Adde, quòd nec injuriarum atrociorum, ab externo hoste illatarum ultionem, quæ sangvine illius constaret, hac lege prohibuisse censendus est. Quare nil aliud hac lege cavit Moses, quàm ne privato quisquam ausu proximum suum, ad cujus dilectionem secunda Decalogi tabula propriè spectat, vel etiam advenam quempiam, ullumvé earum gentium, cum quibus pacem colere liceret, hominem, ab atrociori injuria abstinentem, vitâ privaret, ejusque sangvinem funderet. Nam ad alios quoque præter Israëlitas, hæc lex extendenda est. Vigebat enim, & semper vigebit ratio illa, quam Deus legi huic tunc apposuerat, cùm eam Noacho omnique ipsius posteritati ferret; nimirum quia homo ad Dei imaginem conditus sit. Quæ quidem tanti apud Deum fuit, ut etiam casu quodam commissum homicidium impunitum discedere noluerit, ut ex illis verbis perspicuum est: *Si rixati fuerint viri, & percußerit quis mulierem prægnantem, & abortum quidem fecerit, ipsa verò vixerit; subjacebit damno, quantum maritus mulieris & arbitri judicaverint: sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima.*

Devt: 7. 1, 2, 24. Exo: 17. 14, 16. Devt: 25. 17, 18, 19.

Gen: 9. 5, 6.

Exod: 21. 22.

Iam ut, quo pacto hoc tempore præceptum istud intelligendum sit, videamus; primò videtur & Christianus magistratus eo ita comprehendi, ut a cæde ac sangvine, ut a bellis sit alienus, nec ea severitate, quâ Moses olim magistratũ uti voluit, supplicia infligat, nec quos servare emendareq; posset, perdat; & sic gladium, quo ad salutem humani generis armatus est, ad ejus perniciem convertat. Etenim Christi temporibus, quæ, ut suprà diximus, tempora gratiæ sunt, non vindicta, non severitas, ut olim; sed gratia, sed benevolentia, sed summa misericordia viget, ab ipsoque Christo repræsentata fuit. Parumné igitur liquet, qui illius sese vestigiis insistere profitetur, eos non modò ab omni crudelitate abesse; sed etiam ab illa severitate, quæ Mosaicæ disciplinæ consentanea est, ad clementiam ac lenitatem deflectere debere? Deinde intelligendum est, id quod suprà docuimus, nullum esse hominem, qui proximus noster censeri non possit aut debeat; & porrò ut Israëlitis olim gentilem suum, utpote proximum, interimere non licebat: ita nunc nobis nemo, cujuscunque sit sive nationis, sive religionis, interimendus sit. Certè si cum omnibus hominibus pacem sectari ac colere debemus, uti expressis verbis præcipiunt sacræ literæ; patet, nullius hominis,

Rom: 12. 18. Hebr: 12. 14.

minis, cujuscunque tandem sit sive gentis, sive religionis, cædem nobis permissam esse, nedum ut Israëlitis olim, præceptam.

Verùm & alia sunt, quæ Christus huic legi adjecit, quibus non solùm nemini manus afferendas esse, sed etiam mentem atque lingvam a proximi nostri ultione ita abstinendam docuit, ut nec illi irascamur, nec per contemptum durioribus illum verbis accipiamus. Et quidem ad iram quod attinet; intelligendum est, Christum hîc nequaquam de simplici ira, sive indignatione sermonem habere, ad quam homines absq; ulciscendi consilio commoveri solent; veluti cùm vel quippiam perperam ab aliquo fit, vel cùm verbis factisque alicujus offendimur. Primò enim Paulus ejusmodi iram nobis concedit, quæ ab ulciscendi consilio absit, eamque per se a peccato sejunctam esse indicat, dum ait: *Irascimini, & nolite peccare.* Interim tamen brevem & moderatam admodum vult esse, ne mentem nostram tam diu occupet, dum sol occidat, & sic diabolo locum relinquat. Neque enim fieri potest, quin indignatione in animis hominum durante, & quasi radices agente, Diabolo ad illos peccato implicandos facillimus aperiatur aditus. Deinde apertissimum est, Christum illo Matthæi loco de ejusmodi ira verba facere, quæ eodem, quod homicidis irrogatur, supplicio vindicanda sit. Luculentissimè enim asserit, eâ occupatos, judicii, id est, æternæ damnationis reos esse. Qualem eam, quam Paulus memorat, minimè esse hinc perspicitur, quòd & permittitur, & peccato opponitur. Tertiò, cuilibet hæc Christi verba attentè consideranti apparet, Christum ejusmodi iram sermone prosequi, quæ internum quoddam sit homicidium, idque tam grave, ut homicidio a Mose interdicto certa ratione æquiparari jurè queat. Qualis non est innoxia illa ira, & ab omni vindictæ, nedum cædis consilio semota: sed ea demum, quæ nocendi voluntas est ac consilium, & vel idem cum odio illo, quod Iohãnes homicidium nominat, vel illi planè affine. Quod quidem odium, tametsi & antea in vitio ponebatur; nunquam tamen tanti sceleris loco numeratum fuisse, ut homicidium meritò appellari posset, inde colligi potest, quòd Moses nullam planè, nedum homicidii pœnam, peccato isti constituit. Christus verò, ut hoc in loco cernimus, & ejusdem instinctu Iohannes, eum, qui fratrem odio prosequitur, vel qui eum non diligit, sempiternis suppliciis mulctandum esse affirmat. Ex quo colligi posse videtur, vocem *temerè* apud Matthæum Christi verbis ab aliquibus, qui ea non bene intellexerant, fuisse appositam; nec de nihilo esse, quòd in vulgata Latina interpretatione vocabulum istud non habetur.

Matth: 5. 21, 22.

Ephes: 4. 26.

1 Ioh: 3. 15.

Credibile enim eſt, inde id factum eſſe, quia illud in quibusdam ſaltem vetuſtis Græcis codicibus repertum non fuerit. Quod idem & magnus ille Eraſmus ſenſiſſe videtur, qui Hieronymum negare ait, vocem iſtam in veris exemplaribus extare. Quod ſi ea vox hîc locum haberet, colligi poſſet, ulciſcendi libidinem Chriſtianis permitti, dummodo ne temerè ſineque cauſa in animo noſtro infixa ſit. Quo quidem quid a Chriſtiana patientia alienius cogitari poteſt? Quid, quòd ejusdem vocabuli additio, Chriſti ſermonem ſua ſpoliat concinnitate, atque elegantiâ? Cùm enim ira, quam iſto in loco Chriſtus ex ſuorum pectoribus extirpatam cupit, magnam cum homicidio conjunctionem habeat, atque adeò internum, ut ſuprà diximus, homicidium ſit; omnino rationi conſentaneum eſt, quemadmodum Moſes externæ occiſioni vocem *temerè* non adjunxit, ita nec Chriſtum internæ eandem appoſuiſſe.

Cap: XVI. De ſexto Decalogi præcepto.

Sed jam videamus, quomodo a verborum aſperitate temperandum nobis ſit, ut ab omni peccato, quod cum homicidio affinitatem aliquam habeat, puri ſimus. Duobus igitur vocabulis Chriſtus totam rei iſtius rationem complexus eſt: quorum primum eſt *Raka*; quo ſine dubio illud genus conviciorum Chriſtus prohibere voluit, quod ita in aliquem jacitur, ut homo vanus, inanis, omnisque virtutis expers nominetur. Deducitur enim vox iſta, tam in Hebraica, quàm Syriaca lingua, quâ Chriſtus tunc utebatur, ab eo verbo, quod vacuum inaneque ſignificat. Alterum eſt vox *ſtulte*, ejusque generis maledictum continet, quo aliquem ſine mente, ſine cerebro, aut pecudum ſimilem eſſe dicimus. Hæc convicia non minorem, quàm ira, ex qua profluunt, cum externo homicidio conjunctionem habent. Vt enim eadem ratione proferuntur, eodemque verborum complexu continentur: ita eâdem pœnâ vindicanda eſſe luculentiſſimè aſſeritur. Quæ pœna, tametſi jam judicium, jam conſeſſus ſive concilium, jam denique gehenna ignis appellatur: nihil tamen eam aliud eſſe, quàm ſempiternam damnationem, inde conſtat, quòd nec Chriſti conſilium fuit, civilium pœnarum, ut verba præſe ferre videntur, ſed divinarum æternarumq; metu nos a peccatis iſtiusmodi abducere; & Paulus Apoſtolus illos, qui in ira, conviciis, ac rixis vitam conſumunt, a cœleſtis patrimonii poſſeſſione excluſum iri affirmat. At dicet quispiam, Apoſtolum de vitiorum iſtorum conſvetudine, Chriſtum verò de uno actu ſermonem habere; idq; tum ex verbo iraſcendi, tum inde conſtare, quòd idem verbum occiſioni a Moſe memoratæ opponitur, quæ certè non interimendi habitum, ſed unum tantummodo a-

Gal: 5. 20. & d.

vid: etiam 1 Cor: 5. 11. & c. 6. 10.

ctum designat; ideoque perperam hinc concludi, de sempiterno interitu Christum orationem habere. Respondemus, consecutionem istam malè constitutam esse; cùm, licet diversa ratione peccata ista a Christo Pauloque explicentur; nihil tamen impediat, quominus eandem pœnam utrique delinquendi modo, diversa ratione denunciatam esse credamus. Promissio namque vitæ æternæ tantum habet pondus, ut meritò absolutissimam requirat obedientiam; & sic unus etiam peccati actus eâ nos spoliaret, si Deus summo nobiscum jure ageret. Intelligendum igitur est, Christum eo pacto idem cum Paulo supplicium commemorare, ut non tam quid omnino futurum sit, indicet, quàm quid jure fieri possit, & quanto in periculo, nisi nos Deus respiciat, etiam tunc versemur, cùm uno actu illius præceptum violamus, nobis ostendat. Paulum autem de eadem pœna ita loqui, ut eam omninò ab hominibus ejusmodi scelerum consvetudine implicatis expetendam esse asserat. Christus enim de reatu tantùm, Paulus autem de ipso pœnæ actu verba facit. Animadvertendum præterea est, cùm hoc præcepto illis prohibeamur conviciis, quæ ex animo vindictæ cupido ortum habent, (quæ quidem sola convicia propriè dici merentur;) nequaquam in hanc culpam illum incidere, qui animo paterno, divinæque gloriæ studio incenso, aut etiam consilio mores alicujus corrigendi, quempiam acriùs objurgat, reprehendit, castigat, & suis delicta ipsius ac scelera nominibus exprimit; maximè si vel potestatem quandam in eum habeat, vel singularem id faciendi auctoritatem. Aliter enim & ipse Christus in hoc mandatum peccasset, qui sępè Pharisæos aliosque adversarios suos acriter reprehendit, durissimisque verbis accepit; nec non suos discipulos tardos stupidosque apellavit; & Paulus gravissimo sese peccato devinxisset, qui Galatas dementes ac stultos nominavit.

vid: inter alia Mat:23 & Luc: 11. Luc: 24. 25. Gal: 3.1,3.

Huic prohibitioni, de vitanda non modò cæde, sed etiam ira ac convicio, valde cognatum illud est, quod de vindicta, quam Moses Israëlitis olim permiserat, non repetenda præcepit Christus. Id autem est ejusmodi, ut intelligamus, homini Christiano non solùm a privata, quâ Moses etiam interdixit, sed publica etiam injuriarum ultione planè abstinendum esse. Hoc autem pacto illud a Christo profertur: *Audistis, quod dictum est: Oculum pro oculo, dentem pro dente: Ego autem dico vobis, ne resistite malo: sed si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi & alteram: & ei, qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicunque te angariabit ad milliare unum, abi cum eo duo.* Credibile

Mat: 5. 38, 39, &c.

est, non

Cap: XVII. De ſeptimo Decalogi præcepto.

eſt, non paucos fuiſſe, qui perinde legem iſtam Moſaicam de talione acceperint, quaſi cuilibet, privatim etiam, injuriam ſibi a quopiam illatam ulciſci liceret, dummodò ne pœna major, quàm culpa eſſet. Erraſſe tamen illos vehementer ex illis manifeſtum eſt, quæ Exod. 21. 24. Levit. 24. 20. Devt. 19. 21. ſcripta leguntur. Quibus teſtimoniis eam legis hujus mentem fuiſſe comprobatur, ut ultio ac vindicta permiſſa fuiſſe ſtatuatur, modò per magiſtratum, non autem propria autoritate fieret. Cui quidem legi Chriſtus ſua verba opponens, omnem non modò privatam, ſed etiam publicam vindictam abrogat; ſuisque præcipit, ut omnes corporis perpeſſiones, quæ alterius maxillæ obverſione ſignificantur; omnemque bonorum jacturam, quæ pallii dimiſſione innuitur; omnem denique moleſtiam, quæ coactione ad unum milliare deſignatur, ita ferant, ut ſimilem denuò injuriam ſubeant potiùs, quàm illatam ſive per ſe, ſive per magiſtratum ulciſcantur. Neque tamen inde colligi poteſt, Chriſtianum hominem omni ſimpliciter ad magiſtratum aditu prohiberi; ſed eo tantùm, qui ad ultionem ac vindictam ſpectet, aut ſpectare queat. Cæteroqui nullum dubium eſſe debet, quin homini Chriſtiano magiſtratus auxilium tunc implorare liceat, cùm verbi causâ, vel defenſione opus eſt, vel cum bonorum, nobis malis artibus vel per vim ereptorum, reſtitutionem quęrimus. Quòd ſi tamen Chriſtiano homini exploratum ſit, defenſionem illam, aut bonorum recuperationem abſque vindicta contingere minimè poſſe, omnia præſtat perdere, quàm tunc ad magiſtratum confugere. Vindicta autē eſt, cùm is, qui læſus eſt, vel præter reſtitutionem damni ſui, vel eâ etiam omiſſâ, id quęrit, ut is, a quo læſus eſt, damnum doloremvé ſuâ cauſſâ ſentiat. Hinc autem perſpicuum eſt, defenſionem, quæ cum ultione nihil habeat conjunctum, ſed ad damnum injuriasque tantummodo propulſandas ſuſcipiatur, Chriſtiano homini conceſſam eſſe. Cavendum tamen diligenter eſt, ne per quandam imprudentiam, dum nos noſtraque defendere cogitamus, in vindictæ crimen incurramus. Perſuaſum enim nobis eſſe debet, omnia perdere, imò mortem etiam oppetere ſatiùs eſſe, quàm ullum Chriſti præceptum violare.

Cap. XVII.

De ſeptimo præcepto.

Non adulterabis.

Eorum, quæ hoc loco explicanda videntur, duo ſunt genera: quorum alterum hujus pręcepti proprium eſt: alterum verò ea

complectitur, quæ propter quandam affinitatem huc referri possunt. In primo genere videndum est, quid ex Legis Mosaicæ sensu fuerit adulterium, & quam ob causam prohibitum. Adulterium igitur nihil aliud est, quàm thori alterius violatio. Quod quidem scelus duplici modo secundùm prisci fœderis rationem committebatur, nempe vel hoc pacto, ut vir seu maritus quispiam cum alterius uxore rem haberet, vel ut uxor præter maritum in cujuscunque alîus complexum veniret, sive is a conjugii vinculo liber, sive matrimonio devinctus esset. Vnde perspicuum est, imparem tunc fuisse viri uxorisque conditionem. Viro quippe & plures uxores, & concubinas habere concedebatur, nec quicquam id cum adulterio conjunctum habere existimabatur, dummodò alterius uxorem non violaret. Vxoris verò longè alia erat ratio, utpote cui, ut diximus, nunquam cum alio præter maritum concumbere licuit, quin statim adulterio sese pollueret. Diversitas etiam conditionis conjugum ex divortio tunc concesso perspicitur. Vtut enim viro quamlibet ob causam, multò magis autem ob commissum adulterium, (quanquam si de eo constaret, morte id facinus a magistratu puniebatur,) uxorem dimmittere licuerit: non tamen vicissim uxori concessum fuit maritum repudiare, quamvis præter ipsam pluribus sese adjungeret. Quæ tamen libertas quantopere & a sanæ mentis ratione abhorreat, & quàm Dei ipsius instituto contraria sit, infrà suo loco docebimus. Nunc verò, quam ob causam adulterium sit interdictum, considerandum nobis est. Hæc autem ea est, quòd Deus charitatem, quâ proximo astricti sumus, nullâ maculâ contaminari, sed ab omni impuritate integram salvamque conservari voluit. Vix autem ulla res esse videtur, quâ gravius proximus offendi possit, quàm si turpissimo stupro lectus illius contaminetur, illaque ei nefariè eripiatur, quam etiam parentibus suis prętulerat. *Deseret enim,* inquit Deus, *homo patrem & matrem suam, uxorique suæ adhærebit.* Cujus quidem rei nomine Nathan vates Davidem acerrimè reprehendit, mirum in modum sceleris istius gravitatem exaggerans. Et quidem huic facinori Deum infensissimum esse, cùm inde perspicuum est, quòd lege sanxit, ut qui eo sese inquinarent, ii truculentissimo mortis genere mulctarentur: tum quòd, licet Davidi hanc tribuerit misericordiam, ut ex eadem lege in eum non animadverterit, non tamen planè impunitum reliquit. Fiebat enim justo illius judicio, ut quod David clàm commiserat, id Absolon filius ei in propatulo redderet; idque tum illius concubinas palàm inque omnium oculis turpissimè constuprando; tum ipsum ex regni possessione

Gen: 2. 24.
2 Sam: 12. 1, & d.
Levit: 20. 10. conf: cũ Devt: 22. 23, 24.
2 Sam: 12. 11, 12. & c. 16. 21.

ſeſſione dejiciendo;tum denique ad necem eum quærendo. Cap: XVII. De ſeptimo Decalogi præcepto.

Sed jam de illis videndum eſt, quæ cum huc propriè non pertineant, tamen propter quandam vicinitatem hîc locum habere videntur. Hæc autem in duo genera diſtribui poſſunt: quorum alterum eos ſive congreſſus, ſive connubia continet, quæ vitæ caſtitatem ac puritatem apertè contaminant: alterum verò ejusmodi complectitur matrimonia, quæ homines a Dei cultu ſtudioque avertendi maximam vim habent. Ac illa quidem, quæ vitæ puritatem commaculant, vel naturalia ſunt, vel contra naturam. Naturalia porrò vel in affinitatem ſangvinisque vinculum committuntur, incœſtûsque nomine appellantut: vel affinitatem quidem aut cognationem non attingunt, deteſtabilia tamen diraque flagitia ſunt. Ac illud quidem interdictum, graviſſimasque pœnas eo obſtrictis conſtitutas eſſe, ex divinis literis apertiſſimum eſt. Hujus verò exemplum graviſſimo ſupplico vindicandi, fuit olim ſtuprum, in quo ſacerdotis filia deprehenderetur, quam quidem vivam comburi Deus juſſerat: necnon ſtuprum virgini viro deſponſatæ illatum in civitate, quæ ut unà cum eo, qui intulerat, lapidibus obrueretur, divina lege ſancitum erat. quibus addatur interdictum de meretricibus ac ſcortatoribus Iſraëlitici generis non ferendis. Iã quod ad ea, quę contra naturam fiunt, attinet; ea ſunt vel maſculorum cum maſculis, vel hominum cum belluis concubitus; quos quidem & prohibuiſſe Deum, & graviſſimis ſuppliciis mulctari voluiſſe, Moſes locupletiſſimus teſtis eſt; quibus addatur etiam congreſſus cum muliere in fluxu menſtruo, iſtiusmodi flagitiis inſertus.

(Levit: 20. 11, 12, 17, 19, & d. — Levit: 21. 9. — Devt: 22. 23, 24. — c. 23, 17. — Levit: 20. 13, 15, 18. — ibid: 18.)

Iam ut de iis matrimoniis agamus, quæ divinum cultum violant, hominesque a Dei ſtudio abſtrahunt; intelligendum eſt, ea potiſſimùm illa fuiſſe, quę Iſraëlitæ cum extraneis nationibus inibant. Quæ quidem ob cauſam jam dictam prohibita fuiſſe, multis ſacrarum literarum teſtimoniis confirmari poteſt. In quibus omnibus hæc eadem appoſita cauſa eſt, nempe ne populus a Deo ſuo ad alienos deos colendos abduceretur. Cujus rei experimentum nimis evidens in Achab apparuit, qui a Iezabella in uxorem ducta circumventus, Baalim coluit, veri Dei cultu ex populo Iſraëlitico, quantum in ipſo fuit, exterminato. Quid verò de Solomone dicam, qui licèt Deum bis in ſomniis ſibi apparentem vidiſſet, eumque in omnibus propitium expertus eſſet, ac præterea omnes Reges admirabili ſapientia longè multumque ſuperaret; ductis tamen in matrimonium uxoribus alienigenis, eâ depravatus fuit dementiâ, ut a Deo ad idolorum falſorumque deorum cultum turpiſſimè defecerit, ſibique

(Exod: 34. 15, 16. — Devt: 7. 3, 4. — 3 Reg: 16 31. — 1 Reg: 11. 2. & d.)

Cap: XVII. De septimo Decalogi præcepto.

rit, sibique & suis posteris maximum malum conflaverit. Cujus rei argumentum illud regni Israëlitici discidium erat, Solomoni vivo adhuc denunciatum, ipso autem mortuo Roboamo filio ejus immissum. Hîc quæres, cur Deus alienigenam mulierem bello captam in uxorem Israëlitis ducere permiserit, si hæc res tantum in se continet mali? Respondemus, illud planè singulare, utpote ex singulari causa ortum fuisse, nempe quia mulier illa maximo labore summoque periculo acquisita erat, & sic valdè consentaneum videbatur, ut ei, a quo ducebatur captiva, quasi laborum periculorumque præmium obtingeret, & eo pacto populus in præliandi officio retineretur. Vnde nequaquam consequitur, tale matrimonium ideo tunc concessum fuisse, quòd cum divina mente congrueret: sed quòd Deus, ut in multis aliis rebus, ita & in hac, populi illius infirmitati indulgere voluerit. Hoc autem ita esse inde perspici potest, quòd iis legibus conditionibusque Deus rem istam concesserat, quę magnam vim haberent ad talem mulierem repudiandam. Nam & caput illam radere jussit, quo nihil fœdius aut turpius; & vestem, in qua comprehensa erat, cujusque ornatu vir ille fortè illectus eam duxerat, mutare, & per integri mensis spacium patrem matremque suam lamentari voluit; & denique non nisi istis peractis viro cum ea jungi, & si minùs placeret, eam liberam dimittere concessit. Has omnes conditiones, quam, quæso, aliam ob causam latas esse putabimus, nisi ut viro isti consilii mutandi præberetur occasio; & porrò apertissimè pateret, ejusmodi connubia non ex mera Dei voluntate fluxisse? Hujus igitur exempli singularitas nequaquam tantam vim habuit, ut universale tolleret mandatum, quod de fugiendis hujusmodi matrimoniis populo illi traditum erat. Intelligendum autem est, præceptum istud divinum eo præcipuè subnixum fuisse fundamento, quòd Deus pro summa sua sapientia, omnem populo illi a sese ad idolorum cultum deficiendi voluit subtrahere materiam. Quòd si autem matrimonia cum externis nationibus inita, hanc præcipuè ob causam prohibita tunc fuerunt, quòd idola colerent; apparet, ne cum illis quidem tunc matrimonia contrahenda fuisse, qui licet ex eodem Israëlitico populo oriundi essent, idolis tamen cultum exhiberent. Quo factum esse videtur, ut postquam Ieroboam Israëlitis, quibus imperabat, idololatriæ causam attulisset; nequaquam licuerit Iudæis Roboamo adhærentibus, cum illis, qui Ieroboamum sequebantur, connubii vinculis sese constringere. Hinc colligitur, omnem cum altero societatem, ex qua morum consequitur depravatio, & a pietatis studio

Deut: 21. 11, 13.

ſtudio averſio, vitandam eſſe; & ſic non ab iis tantùm matrimoniis abſtinendum, per quæ idololatriæ contagione pollui poſſimus: ſed etiam ab illis, quæ in eaſdem cujuſcunque impietatis tenebras nos deprimere valeant, ſedulò nobis cavendum eſſe. Vnde porrò conſtat, nequaquam cum illis etiam connubio nobis coëundum eſſe, qui Antichriſti quidem errores, & ſic etiam idolorum cultum valere juſſerunt, in aliis tamen peccatis perſiſtunt. Nec quicquam ad contrariam ſententiam valet, quòd fieri poſſit, ut ejuſmodi matrimoniorum vinculis idolorum cultor errore liberetur, vel homo flagitiis deditus ad frugem reducatur; cum hoc Dei ſapientiſſimi præceptum ſemper in oculis habendum ſit; & quicquid contra illud, quantumvis optimo conſilio, committitur, id in malis habendum. Mala verò, ut bona eveniant, nequaquam facienda eſſe, & res ipſa docet, & Paulus egregiè monet. Peccant autem in hoc præceptum non ſolùm illi, qui ipſi talibus implicant ſeſe matrimoniis; ſed etiam qui vel autores aliis ad eam rem ſunt, vel qui, cùm conſiliis de ea ſuſceptis ſua autoritate occurrere atque obſiſtere poſſint, connivent tamen in tanto facinore, hominumque interitûs cauſa exiſtunt. Veluti ſunt parentes, qui vel filios in talia matrimonia conjiciunt, vel filias ſuas illis collocant, qui peccatis paulò antè memoratis ſunt contaminati. Quod tamen non niſi ea ex parte a nobis affirmatur, quatenus qui in noſtra ſunt poteſtate, in iiſdem errorum & peccatorum tenebris minimè verſantur. Rom: 3. 8.

Sed jam tempus eſt, ut quæ Chriſtus mandato huic adjunxerit, videamus. Ea igitur duplicis ſunt generis. Quædam enim ad animum etiam hominis ab omni adulterii contagine expurgandum pertinent: quædam verò ad corporis ipſius caſtitatem puritatemq; ſpectant. Primò igitur quæ mentem etiam puram efficere poſſunt, illo Chriſti præcepto continentur, quo uxoris alienę concupiſcentiam prohibet; aſſerens, eum, qui illius cupiditate flagrat, jam illam animo adulteraſſe. Quæ ſua verba cùm Dominus Ieſus Moſis legi de non adulterando latæ, tanquam diverſum quippiam prohibentia appoſuerit; conſtat, alienæ uxoris cupiditatem olim adulterii loco ductam minimè fuiſſe. Adde, quòd alienæ uxoris cupiditas, non hoc, quo adulterium prohibetur, ſed alio ſeparato præcepto interdicatur. Cupiditas porrò, quam hîc Chriſtus vetat, non omnis illa eſt, quæ animum hominis invadit: ſed eſt media quædam inter duas extremas cupiditates conſtituta; quarum altera repentino quodam animi motu continetur, qui ex improviſo per hominis cor pervadit, nequaquam autem ita in eo implicatur, Mat: 5. 28.

ut illi voluntas assensum præbeat; sed statim evanescit, atq; ex animo expellitur. Hanc cupiditatem non solùm peccatū istud non esse, quod Christus hoc in loco vetat, & adulterio accenset; sed etiam peccatum appellari verè non posse, hinc constat, quòd ad verum peccatum committendum, tum voluntatis nostræ assensus requiritur, tum ut rem eam, quæ in peccatis habenda est, vitare in nostra situm sit potestate. Quorum cum neutrum in subita ista cupiditate locum habeat, consequens est, eam in peccatis veris numerandam non esse. Altera extrema alienę mulieris cupiditas est, quâ quis ita in eam inflammatur, ut omnia faciat, quæ ad turpissimum istud facinus committendum requiruntur, adeò ut per illum nihil stet, quominus deliberatissima illius voluntas exitu concludatur, aut etiam eò deventum sit, ut sese, quod animo proposuerat, per errorem ipso actu perficere persvasum habeat, quamvis casu quodam impeditus, revera non perficiat. veluti si quis vel cum uxore sua, vel aliâ quapiam liberâ fœminâ concumbat, credens, se cum alterius uxore concumbere. De quo quidem solo concupiscendi genere hîc sermonem non haberi, inde patet, quòd illud nequaquam simplex, sed cum ipso facinore ita conjunctum est, ut ab eo parum aut nihil differat: Christum autē etiam de simplici quadam cupiditate sermonem habere, argumento est verbum *aspiciendi*, quod tam flagrans desiderium, cumque tanto conatu, qualem descripsimus, conjunctum, haudquaquam denotat. Cupiditas igitur, a qua hoc in loco Christus nos abducit, est desiderium alienæ uxoris, quo quis ita tenetur atque oblectatur, ut de eo explendo cogitationem suscipiat, vel saltem ex ipsa cogitatione impura voluptatem quærat, & animum eâ titillet. Habet enim cupiditas illa gradus suos, quorum licet quilibet adulterium quoddam contineat, quò tamen propiùs quis ad externum adulterii effectum accedit, aut etiam quò longiùs ab eo abest, eò vel graviorem, vel leviorem illius culpam sustinet.

Quia verò impura hæc cupiditas externis quibusdam rebus excitatur, fovetur atque alitur: ideo Christus adversus earum vim nos porrò munit, easque nobis tradit præceptiones, quæ libidinum incitamenta a nobis propulsent. Primò igitur libidinoso nos aspectu prohibet illis verbis: *Qui aspexerit mulierem ad concupiscendum eam, iam adulteravit eam in corde suo. Si verò oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, ac projice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Quæ quidem verba hanc sententiam continent; præstare (Mat: 5, 28, 29.)

nimirum

Cap: XVII. De septimo Decalogi præcepto.

nimirum oculos a mulieris alienæ aspectu adeò remotos habere, ut eos tibi eruisse quodammodo & abjecisse dici possis, quàm eam intuendo animum cupiditate incendere, & adulterio quodam contaminare, ex quo fiat, ut in gehennam, quæ adulterii merces est, conjiciaris. Quòd autem non utrumque, sed alterum tantùm oculum, eumque dextrum nominat, &, si peccandi nobis occasionem præbiturus sit, eruendum potiùs & abjiciendum esse ait: id partim ideò ab eo fieri existimandum est, quòd oratio elegantior sit, si unius tantùm membri, quàm si plurium amissio, *totius corporis* conservationi opponatur: partim verò eam ob causam, ut potiùs charissimam quamque rem, qualis est oculus dexter, qui sinistro aliqua ratione videtur esse charior, perdendum esse ostendat, quàm tanto cum periculo alienam mulierem aspectemus.

Eadem ratio & sermonis impuri atque obscœni est, quem Christus per Paulum nobis prohibet. Nam & animi impuri argumentum est, & sæpe fit, ut mentem alioqui purissimam miserandum in modum depravet, & ad omne libidinum genus meditandum impellat. Quod quantopere ab animo Christiano abhorreat, qui totus in vitæ castitate ac sanctimonia, rerumque divinarum contemplatione defixus esse, qui ædificare, ut sac. literæ loquuntur, omnes, corrumpere neminem debet, quivis facilè videt. Itaque omnis verborum obscœnitas vitanda nobis ita est, ut nec ipsi eâ utamur, nec utentibus aures præbeamus. Corrumpunt enim, inquit idem Apostolus alibi, bonos mores colloquia prava.

Ephes: 4. 29. & 5. 4.

1 Cor: 15. 33.

Huc & alienæ uxoris, aut cujusvis alterius fœminæ contrectatio, quę impuram libidinosamq; cogitationē in nobis excitatura esset, pertinet, quam Christus illis verbis interdicit: *Si dextra manus tua scandalizat te, amputa eam, & projice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus mittatur in gehennam.* Quod quidem Christi pronunciatum, tametsi ad alia etiam nos docenda alicubi adhibitum fuisse credibile est: tamen si materia, de qua in loco nostro agitur, ponderetur, perspicuum est, Christum, ut oculorum aspectum planè a muliere aliena removendum potiùs esse, quàm in flagitium perniciemque sempiternam incidamus, asserit: ita & manum dextram amputandam, id est, vel minimam contrectationem planè vitandam docet, si sceleris vel animo concipiendi, vel opere perficiendi causam nobis sit allatura.

Mat: 5. 30.

& cap: 18. 8.

& Mar: 9. 43.

Ad hunc autem locum non immeritò referri possunt & comessationes, a Christo & Apostolis interdictæ: partim quidem, quia eodem cum

 dem cum

dem cum libidinibus genere continentur, atque ad belluinas corporis voluptates ſpectant; partim verò, quia libidinum & impurarum cupiditatum ſolent eſſe cauſſæ. Eſt autem comeſſatio in ſacris literis interdicta nihil aliud, quàm ejusmodi cibi potusque uſus, qui eò revera ſpectat, ut corpus noſtrum voluptate titilletur, non verò ut vires illius reficiantur, ac valetudo conſervetur. Vſus verò hujusmodi nimius eſt ac immoderatus; & porrò, ut nihil in omni vita moderatum efficere poteſt; ita hominum animis maximum turpiſſimarum cupiditatum affert incendium. Sapientiſſimè igitur ipſe filius Dei hunc in modum ſuos alloquitur: *Cavete, ne fortè obruantur animi veſtri crapulâ & ebrietate, & huius vitæ curis, atque ita vos nec opinantes illa dies opprimat.* Paulus autem ita inter alia, quæ apud ipſum hac de re habentur, præcipit: *Vt in die, honeſtè ambulemus; non in comeßationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & laſciviis;* & mox: *carnis curam ne gerite ad concupiſcentiam.* Voluit quippe Deus, nos a luxuria abducendo, tum aliis ſceleribus, quæ ex ea naſcuntur, obviam ire, tum præcipuè libidinum faces extingvere. Quare eum vitæ fruendæ modum nobis præſcripſit, qui neceſſitates noſtras minimè excedat, quique ad nefarias cupiditates refrænandas, ad preces Deo ritè adhibendas, ad animos denique noſtros in rerum cœleſtium meditationem erigendos, ſit accommodatus. Ad eam autem rem perutile videtur, interdum corpori noſtro nonnihil denegare eorum, quæ ad illius conſervationem requiruntur, ut nimirum, quoad ejus fieri poteſt, a cibo potioneque abſtineamus. Quæ quidem res jeiunii nomine a divinis autoribus exprimitur; commendaturque tum ab ipſo Chriſto, tum ab Apoſtolis; non quidem ut planè ad ſalutem neceſſarium eſſe ſtatuatur; ſed ut ejus religionem ad ea, de quibus paulò antè mentionem fecimus, ritè perficienda mirum in modum conducere exiſtimemus. Quorum illud ideò a nobis commemoratur, ne protinus ſcelere illum ſeſe adſtringere putemus, qui, quòd valetudinis eſt imbecillioris, a cibo potuque abſtinere non poteſt. Hoc verò ea re ſubjunximus, ut iejunium multò magis noſtris his, quàm priſcis illis ſub veteri fœdere temporibus convenire intelligamus: cùm in vetuſto illo fœdere, nec precum religio lege ſancita fuerit: nec tanta caſtitas ſanctimoniaque vitæ ab illius ætatis hominibus fuerit exacta, quantâ præditum eum eſſe oportet, qui ad ſempiternam vitam aſpirare cupit. Quanquam haud ſanè diffitemur, iejunia olim viguiſſe: ſed iſtud tantùm aſſerimus, ea hodie magis videri obſervanda. & hanc quidem ob rem Apoſtolos, aliosque homines divinos

Marginal references: Luc: 21. 34. — Rom: 13. 13, 14. — Mat: 6. 18: 17. 21. 1 Cor: 7. 5. — Act: 13. 2, 3. c. 14. 23. 2 Cor: 6. 5. 11. 17.

divinos non ſemel iejunâſſe legimus. Vt autem magis rem iſtam explicemus; intelligendum eſt, duplicia eſſe jejunia, privata nimirum, & publica. Privata ſunt, quibus ſinguli ſeorſim utuntur. Publica, quæ publicè, cumque conſenſu omnium ſuſcipiuntur. Vtrumque porrò jejuniorum genus ferè eoſdem fines ſibi propoſitos habet, nimirum ut vel aliquid exoremus, ſive illud ad divinam gloriam amplificandam, ſive ad aliquam Eccleſiam juvandam, periculisque eripiendam, ſive ad proximum noſtrum quacunque ratione ſublevandum, ſive denique ad nos ipſos divino aliquo munere afficiendos ſpectet; vel ut ad res divinas peragendas magis appoſiti ſimus. Atque etiam alius jejunii finis eſt, quem ſuprà ad hoc præceptum maximè ſpectare diximus, nempe qui in domanda cupiditate conſiſtit. Verùm hic non tam in publicis, quàm in privatis jejuniis locum habet: cùm publica jejunia promiſcuè & communiter omnibus indicantur, ſive cupiditatum compreſſione illis opus ſit, ſive non. Adde quòd, cùm publicum inſtituitur jejunium, multi eſſe poſſunt, qui per valetudinis naturæve imbecillitatem a cibo abſtinere nequeant. Conſtat igitur, ut eò revertamur, unde egreſſi ſumus, magnam hodie a nobis requiri continentiam; quam ut tueri poſſimus, & immoderatus ciborum potionumque uſus nobis interdicitur, & jejunium, ut vidimus, nobis commendatur. Quanto ergo mentis errore ducuntur illi, qui otia, qui jocos, qui luſus, ſaltationes, aliaſque continentiæ peſtes, nequaquam in vetitis numerandas eſſe ajunt, iisque ſeſe oblectare nihil verentur? Cùm enim iſta omnia ad excitandas libidines magnam vim habere, ipſaque libidine nos prohiberi conſtet; quomodo, quæſo, quæ hujus cauſam nobis afferunt, in prohibitis minimè habenda ſunt? Quid, quòd ea etiam prohibita cenſenda ſunt, quæ prohibitis ſunt ſimilia; utpote ad rerum interdictarum genus ſpectantia. Cùm enim Paulus omnia carnalium operum genera, propter illorum multitudinem, enumerando percenſere non poſſet, & ideo paucis rem perſtringere neceſſe haberet, his verbis ſententiam finivit, *Et his ſimilia.* Huc accedit, quòd vanæ actiones, verborum vanitatem vel ſuperent, vel ſaltem æquent. Cùm igitur hac prohibeamur, quid tandem de illis exiſtimabimus? Neque enim protinus a prohibitorum numero excludenda ea ſunt, quæ expreſſis literis non vetantur: cùm ſatis ſit, hoc implicita quadam ratione fieri.

Gal: 5. 21.

Mat: 12. 36. Epheſ: 4. 29. & 5. 4.

Vt igitur tandem hanc explicationis noſtræ partem concludamus; animadvertendum eſt, omnia iſta, quæ vel expreſsè, vel implicitè nobis interdicta eſſe hactenus diximus, id eſt, & comeſſationes, & ca-

Cap: XVII. De septimo Decalogi præcepto.

nes,& eas comitantia,hæc nimirum, quæ modò enumeravimus, olim Israëlitis indulta fuisse; quia tunc, nec ad cœlestia assiduè contemplanda, abductis animis a rebus terrestribus, incitabantur; nec tantam illis vitæ continentiam atque castitatem Deus imperabat; nec denique,ut suprà etiam diximus,in assiduo precum studio versari jubebantur. Hodie autem, cum contrà a nobis fieri oporteat; evenit, ut quæ olim in peccatis non habebantur, quævé pœnâ in lege propositâ non coërcebantur, gravissima sæpè peccata existimanda sint. Quanquam autem ista olim etiam prohibita fuisse multi censent: tamen secùs sese rem habere facilè constabit, si illud testimonium justis ponderibus examinabimus, quod opinionis istius confirmandæ causâ in medium afferri solet. Extat autem locus iste

Esa: 5. 11.

apud Esaiam vatem, qui hunc in modum loquitur: *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam,& potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis: cithara,& lyra,& tympanum, & tibia, & vinum in conviviis vestris,& opus Domini non respicitis,nec opera manuum ejus con-*

ibid: ℣ 22.

sideratis. Item: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum,& viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Quo in loco animadvertendum est, nequaquam simpliciter comessationes ebrietatemque prohiberi; sic enim & usum quoque musicorum instrumentorum interdictum tunc fuisse, præsertim in conviviis, concludendum esset, quod nemo, ut arbitramur, concesserit. Ex ea igitur parte comessationes illæ aqud Esaiam vituperantur, quatenus comessatores illi, ut ibidem dicitur, voluptatibus penitus immersi, opus Dei non respexerunt, & opera manuum ejus non considerârunt, adeoque Deo metum non præstiterunt, nec illi, qui omnium bonorum fons origoque est, ut par erat, gratias egerunt. Adde quòd, si maximè vates istos, quos alloquebatur, rebus hîc memoratis prohibuisset; non tamen protinus ad omnes omnium temporum Israëlitas id spectaret: cùm quæ Israëlitas generatim omnes devincirent, nequaquam ex vatibus, sed ex fœdere cum omnibus per Mosen facto petenda fuerint.

Hactenus ea exposuimus, quæ ad mentis etiam castitatem tuendam, huic Mosis præcepto addita sunt, aut ob affinitatem quandam huc referri jure possunt. Sequitur, ut ea videamus, quæ ad ipsum corpus ab impuritate integrum conservandum pertinent. Primò igitur statuendum est, omnes generatim loquendo libidinũ

1 Cor: 6. 9. Gal: 5. 19. Ephes: 5. 3, 5.

expletiones, quæ extra matrimonii vinculum fiunt, interdictas ita esse,ut qui illis sese contaminât,contaminareq; pergunt, a cœlestis regni possessione arceâtur:veluti est scortatio,& alia hujus generis

flagitia.

Cap: XVII. De septimo Decalogi præcepto.

flagitia. Deinde speciatim omnes eas vetamur turpitudines, quibus matrimonii puritas, ad novum fœdus respectu habito, violari potest. Hoc autem duplici ratione fieri constat; quarum prior, cum intra matrimonii limites sese contineat, in matrimonii tamen puritatem haud leviter peccat, nimirum connubii usus immoderatus. Neque enim ita uxori operam dare homo Christianus debet, ut mundanorum hominum more, aliquam felicitatis partem in venerea voluptate constituat; sed ut necessitati serviat, scelusque vitet. Quod ita, ut dicimus, esse, Paulus non obscurè docet, cùm, qui uxores habent, eos ita sese gerere jubet, ac si non haberent: quo pacto & qui plorant, eos perinde esse vult, ac si non plorarent; & qui gaudent, ac si non gauderent; & qui emunt, ac si non tenerent; & qui utuntur hoc mundo, ac si non utantur. Quibus verbis sine dubio Apostolus id agit, ut nos a rerum istarum abusu abducat, taciteq; moneat, minimè rationi consentaneum esse, ut quibus sempiternæ felicitatis exploratissima spes ostensa est, ii in fluxis momentaneisq; voluptatibus beatæ vitæ partem contineri existiment. 1 Cor: 7. 29.

Sed jam alteram matrimonii violandi rationem, quæ matrimonii vinculum vel penitus, vel aliquo modo convellit, perpendamus. Hæc autem rursus vel in divortiis non legitimis, vel in plurium uxorum, ut ita dicam, habitione constituta est. Ac de divortiis quidem Christus hæc facit verba: *Audistis quòd dictum est: Qui uxorem suam repudiabit, det ei libellum divortii. Ego verò vobis dico: Qui uxorem suam repudiat (exceptâ stupri causâ,) in causa est, ut ea adulteret; & qui repudiatam ducit, adulterat.* Hinc perspicuum est, istam uxoris dimissionem planè irritam esse; & porrò uxorem repudiatam nequaquam cessare uxorem ejus esse, a quo sine adulterii culpa repudiata est. Quam quidem doctrinam suam Christus ex divini instituti ratione deduxit. Ab instituto enim Dei rem istam planè abhorrere Christus luculenter ostendit, ab initio non ita fuisse asserens; sed Deum ab ipso principio ita marem fœminamque creâsse, ut duo essent caro una. Quod quidem institutum Dei constare non potest, si uxorem ob quamvis causam dimittere licet. Cùm enim hîc arctissima duorum conjunctio declaretur; certè quælibet causa eam dirimere minimè potest; cùm nihil tanto necessitudinis vinculo magis contrarium esse possit. Quòd tamen non exigua divino huic instituto vis illata fuit, Deo quasi connivente; id ad Iudæorum obstinationem revocandum esse Christus ait. Quid, quòd ipsi etiam Pharisæi animadvertisse videantur, divortia ejusmodi, qualia inter Iudæos usitata essent, non injuriâ reprehendi posse. Dicuntur

Mat: 5. 31.

Mat: 19. 3. Mar: 10. 2.

cuntur enim Christum tunc tentasse, cùm ex eo quæsiverunt, an uxorem qualibet de causa dimittere liceret. Vnde colligitur, eos Domini hac de re sententiam exquirere voluisse, ut quicquid tandem diceret, ejus accusandi materiam haberent; ac proinde rationem in promtu habuisse, quâ viderentur rectè Dominum reprehensuri, & erroris eum cōvicturi, si id, quod passim fieret, licere affirmasset.

1 Cor: 7. 15. Hîc verò dicet fortasse aliquis, Paulum uxoris dimissionem approbâsse; quinimò & hoc addet, rem ipsam efflagitare, ut, si uxor ad matrimonii societatem ab ipso statim initio prorsus inepta sit, eam dimittere liceat; propterea quòd hæc connubii præcipua causa esse videatur; ideoque hoc vinculo soluto, matrimonium constare minimè possit. Hîc respondemus, istos casus nihil cum hoc Christi præcepto de non dimittenda uxore commune habere. Dimissio enim, quam Christus oratione complectitur, veri & legitimi aliàs matrimonii dissolutio est, a pura mariti voluntate pendens, qui, licèt uxore frui possit, renuit tamen eamque contemnit. Atqui ea matrimonii dissolutio, de qua Paulus agit, nequaquam a viri profluit voluntate, sed ab uxoris protervitate, propter religionis diversitatem cum viro ætatem agere nolentis. Ea verò disjunctio, quæ oritur ex rei ad matrimonii vinculum necessariæ defectu, qui ab ipso societatis illius initio extiterit, nec divortium verè appellari potest, cum nec societas antegressa pro vero matrimonio fuerit habenda; nec a pura viri voluntate pendet.

Iam ut ad illud, quod altero loco propositum nobis erat, veniamus; intelligendum est, plures uxores citra adulterii flagitium habere nemini licere. Id quod tum ex Christi testimonio paulò antè adducto, tum ex aliis sanctarum literarum oraculis manifestum est. Ac Christi quidem testimonio, duobus modis res ista comprobatur. Primò enim Deum ab initio marem & fœminam ita condidisse ait, ut duo essent in carnem unam. Quod sanè fieri nullo pacto potest, si plures unâ uxores habere licet. Vt enim duo in carnem unam sint, non solùm duo, & non plures esse oportet, sed etiam necesse est, ut vir totus minimeque in diversas quasi partes distractus, tanto vinculo cum uxore sua conjunctus sit, ut unum corpus esse meritò dici possint. Voluit quippe Deus hanc viri cum conjuge copulationem arctissimam esse, quę sanè nonnisi inter duos consistere potest. Pluribus enim adhærere, est partim huic, partim illi, nulli autem totum addictum esse. Adde, quòd Deus ab ipso initio, ut Christus eodem sermone docet, non plures creaverit fœminas, & Adamo adjunxerit; sed unam tantùm uni: cùm tamen

Mat: 19. 3.

tunc lon-

tunc longè major videatur fuisse causa, plures uxores eidem parenti nostro, ex quo tota hominum natio propagari debebat, adjungendi, ut nimirum tantò citiùs humanum genus multiplicaretur, & totum terrarum orbem compleret; id quod jam abunde præstitum est. Quòd si ergo tunc Deus unam unius mariti uxorem esse voluit; idem multò magis hodie eum velle intelligendum est. Alter modus probandi, plures uxores habere nequaquam hodie concessum esse, ex ea sermonis Christi particula petitur, quâ asserit, eum, qui uxore aliam ob caussam, quàm ob adulterium, dimissâ, aliam duxerit, adulterium committere. Id enim dici non posset, si plures simul uxores habere liceret. Nam si plures simul uxores habere licet, adulter haudquaquam censendus est, qui sive retenta, sive dimissa uxore una, ducit aliam. Dimissio quidem uxoris erit illegitima, idque non minùs antè, quam post repetitas nuptias: sed virum nequaquam efficiet adulterum. At si statuas, plures simul uxores sine adulterii crimine duci haberivé non posse; rectè asseretur, eum, qui illegitimè uxorem dimiserit, & aliam duxerit, mœchari. quandoquidem ea, quam dimisit, uxor ejus esse non desiit. Sed & alia ejusdem rei, ut diximus, testimonia extant, ex quibus illud Pauli omnium luculentissimum est. *Uxor sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Quod quidem a vero alienissimum est, si plures uxores habere licet; cùm sic nequaquam uxor sui viri corporis potestatem haberet, utpote cujus usum ipse pro arbitratu suo jam huic, jam illi mulieri concedere posset. Ex his, quæ diximus, simul colligitur etiam, eum adulterii scelere se obligare, qui cùm uxorem habeat, cum alia, quantumvis liberâ & matrimonii lege solutâ, concumbit. Vir enim in novo fœdere hactenus æquali ac pari cum uxore jure, quemadmodum vidimus, tenetur, ut non solùm uxor, sed etiam vir sui corporis potestatem minimè habeat; id quod contrà olim fiebat, cùm vir sui corporis absolutus quodammodo dominus esset. Ex quo constat, virum hodiè haud aliter adulterare, si cum alia, præter uxorem, rem habeat, ac olim uxor adulterio sese obstringebat, quæ in ullius extra maritum complexum veniebat.

Mat: 19. 9.

1 Cor: 7. 4.

Hæc omnia, quæ dicta a nobis hoc loco sunt, ad maritos præcipuè spectant. Itaque operæ pretium est, ea etiam oratione nostra complecti, quæ ad uxores in officio retinendas pertinent. Animadvertendum igitur est, imparem ratione divortii viri uxorisq; conditionem, quam olim fuisse diximus, non solùm & hodie salvam integramque manere, ut nimirum uxori cum viro, quantumvis of-

Cap: XVII. De septimo Decalogi præcepto. ficium deſerente, divortium facere non liceat: ſed etiam ne ſimplex quidem a viro ſeparatio conceſſa ſit. Paulus enim non ſe, ſed

1 Cor: 7. 10, 11. Dominum imperare aſſerit, ut mulier a viro non ſeparetur. Quòd ſi tamen fortè contingat, ut ab eo ſeparetur, ne hoc ſuum peccatum graviori ſcelere cumulet, ſed innupta maneat; vel cum viro in gratiam redeat, omneſque illius moleſtias devoret potiùs, quàm alteri nubendo adulterium committat. Quòd ſi non uxoris revera, ſed mariti vitio fiat, ut cum illo habitare non poſſit; jam iſta ſegregatio non ab ejus voluntate proficiſcitur, ſed ex ipſius rei defectu erumpit; ideoque verè proprieque divortium, ſi innupta maneat, appellari non poteſt; nec porrò ad præſentem quæſtionem pertinet.

Hîc non abs re fuerit, præſertim tanta nobis data occaſione, pauca de cœlibatu dicere. Eſt autem cœlibatus nihil aliud, quàm vita, quæ extra matrimonium traducitur. Qua de cauſa tam viri uxoribus carentes, quàm mulieres viris deſtitutæ cœlibes nominantur. Qui quidem vitæ ſtatus per ſe conſideratus laudabilis valdeque u-

1 Cor: 7. 1. tilis eſt. Ideoque Apoſtolus bonum eſſe aſſerit, mulierem non tangere: reſpectu tamen ad diverſas hominum, quantum ad rem propoſitam pertinet, qualitates, variaque illis conceſſa munera, habito, intelligendum eſt, eum aliis quidem non exigua commoda afferre, aliis verò pernicioſum eſſe. Conſtat enim, quoſdam ita eſſe comparatos, ut extra conjugii vinculum puram caſtamque vitam ducere queant; quibusdam verò hoc conceſſum non eſſe; uti tum res ipſa, tum Chriſtus Paulusque teſtificantur. Ille enim, cùm diſcipuli ex ſermone ipſius de divortio collegiſſent, non eſſe utile du-

Mat: 19. 12. cere uxorem, ſubjicit: *Non omnes capiunt ſermonem hunc, ſed quibus*

1 Cor: 7. 7. *datum eſt*: & paulò poſt iterum: *Qui poteſt capere* (inquit) *capiat.* Hic verò: *velim omnes homines eſſe, ut & ipſe ſum: ſed unus quisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ita, alius autem ita.* Ex quo fit, ut illis prioribus hic vitæ ſtatus utilis admodum; his verò funeſtus ſit. Vt igitur de illis, qui ad cœlibatum ſunt apti, ſimulque de ejusdem utilitate primò dicamus; intelligendum eſt, etiamſi plura ſint eorum, qui in cœlibatu vivunt, genera, eos tamen vel ſolos laudem ex ea re mereri, qui ſemetipſos, ut Chriſtus loquitur, caſtrarunt propter regnum Dei, hoc eſt, qui vitæ æternæ ſtudio, tanquam ſi caſtrati ſint, ita ab omni voluptate ejus, de quo loquimur, generis, quamvis aliàs licitâ, ſeſe abſtinent. Nam qui cum naturâ ad matrimonium apti ſint, tantam tamen vim, beatæ immortalitatis amore incenſi, ſibi ipſis inferunt, ut omnem libidinis ardorem

prorſus

Cap: XVII. De ſeptimo Decalogi præcepto.

prorſus extingvant;eorum ſingularis virtus hac in re mirum in modum elucet. Id quod de illis, qui naturâ ſunt abſtinentes, dici non poteſt; cùm quæ naturalia ſunt, nullum virtutis contineant argumentum. At hujusmodi continentiam inprimis a Paulo commendari, ſatis ex eo conſtat,quòd eam potiſſimùm ob cauſam cœlibes Chriſtianos vivere cupiat, ut ad Domino ſerviendum ſint aptiores; eosque, qui præſtare id queant, ad id faciendum non obſcurè hortetur. Dices fortè: quo pacto autem ea res donum Dei rectè nominabitur,quæ ſummis conatibus laboribusque immenſis comparatur? Reſpondeo,vel non ipſum cœlibatum, ſeu perpetuam ab omni voluptate ejus, de quo loquimur, generis abſtinentiam, ab Apoſtolo donum Dei appellari,ſed vires,quas quiſpiam ad tantam rem præſtandam a Deo acceperit accipiatvé; vel ſi ipſa abſtinentia ita ab Apoſtolo fuit deſignata, id ideò rectè fieri,quòd Deus ita laborantibus auxilium fert, ut, quod quærunt, aſſequi poſſint; adeò ut ipſa illa continentia, divina ope acquiſita, meritò Dei donum nuncupari queat. Quam quidem Dei gratiam illi nequaquam aſſequuntur,qui non omni ſtudio,Dei ope implorata,in eam curam incumbunt, uti caſtitatem ſanctiſſimè tueantur. Apertiſſimum namque eſt, Deum ordinariè beneficia ſua nonniſi in eos conferre, qui omni ſtudio laboreque ea appetunt. *Petite*, enim, inquit Chriſtus, *& dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis.*

ibid: ℣ 32. & d.

Mat: 7. 7.

Veniendum nunc eſt ad utilitates, quas ex caſto cœlibatu emergere innuimus. Eæ igitur vel omnium temporum communes ſunt, vel certorum temporum propriæ. Ac communes quidem hæ eſſe videntur: quòd nimirum primò cœlibes calamitates tantas, quantas, qui matrimonio ſunt implicati, ſuſtineant neceſſe eſt, in carne ſua non experiuntur. veluti eſt cura liberorum, rei domeſticæ ſolicitudo, aliæque ſimiles moleſtiæ, quæ huic ſtatui adhærent. Ex hac cœlibatûs utilitate manat deinde altera. Nam cum ii, qui hoc ſtatu conſtricti minimè ſunt,ſine cura (nimirum hujus mundi) ſint, ut Apoſtolus ait, quia videlicet minimè neceſſe habeant ea, quæ ad uxoris, liberorum, familiæque victum ac cultum pertinent, proſpicere; ideo ad res divinas curandas, quo pacto nimirum Domino placeant, benè appoſiti ſunt: cum huic uni rei invigilare, curamque ſuam impendere perpetuò queant.

1 Cor: 7. 32, & d.

Iam ut eas perpendamus utilitates, quæ certorum temporum propriæ ſunt;intelligi facilè poteſt, tunc maximè prodeſſe in cœlibatu vivere, cum perſecutiones inſtant. Facilè enim fieri poteſt, ut imminentibus rebus adverſis, ii, qui matrimonii vinculo adſtricti

sunt, uxoris liberorumque amore, & earum rerum, quibus vita illorum indiget, retinendarum cupiditate, ab ardente religionis studio, a libera fidei confessione avocentur, imò ad veritatem cœlestem religionemque penitùs abjiciendam adducantur: cui periculo cœlibes non ita sunt obnoxii. Quòd si etiam fixum immotumq; animo sedeat, omnia illa, licèt cæteroqui charissima, veritati pietatique postponere, & quidvis potiùs pati, quàm ut Deum offendas: facilè tamen est videre, cœlibes minùs, quàm eos, qui in conjugio vivunt, molestiæ ac doloris tum temporis sentire: id quod non postremæ utilitatis loco habendum esse, nemo non videt.

Sequitur, ut de his posterioribus videamus, quibus suprà cœlibatum funestum propterea esse diximus, quòd munere extra conjugium purè casteque vivendi destituantur. Quod quidem ut quale sit intelligamus, duo potissimùm hoc in loco consideranda sunt. Primò enim videndum est, quî fiat, ut isti hoc Dei donum non habeant. Deinde, quanta ex hujusmodi hominum cœlibatu mala exoriri possint, ponderandum. Ac causa quidem, cur dono isto careant, ubi a natura ipsa discesseris, hæc potissimùm est, quòd, ut ex suprà dictis facilè colligi potest, vel nihil quicquam, vel minùs, quàm necesse erat, de eo assequendo laborant; idque tum eam ob causam, quòd una ex parte difficile admodum, ne dicam, impossibile esse, si rei ipsius naturam spectes, judicant, tantam vim sibi ipsis afferre: ex altera verò parte sese ad tantam continentiam per se non obstringi intelligunt; quippe quæ tantùm ab illis exigi videatur, qui ad summam perfectionem adspirant; cùm divinum spiritum
1. Cor. 7. 35.
nequaquam eis laqueum injicere, sed, nullo peccati, & ideo nec damnationis metu proposito, matrimonii libertatem ipsis concedere, animadvertant. Vt igitur illi priores cœlibatum matrimonio propter causas enumeratas præferendum, suadente Apostolo, existimant: ita & hi matrimonium cœlibatui præponendum statuunt: idq; ut ad alterum hoc loco a nobis propositum veniamus, propter mala, quæ ex cœlibatu eorum, qui continentiæ munere a Deo donati non sunt, existant necesse est. Primò enim necesse est homines, qui, cum castitatis donum non possideant, cœlibatum tamen eligunt, uri, id est, libidine æstuare, illiusque stimulis vehementer exagitari, & inquietos reddi: unde ferè fit, ut laxatis cupiditatis habenis, nihil cogitent, nihilq; spirent, præter turpissimas libidinum expletiones. Quæ quidem etiamsi casu aliquo obstante in actum non erumpant, pro ipso tamen facto eas apud Deum haberi suprà docuimus. Adde, quòd fieri nequaquã posse videtur, qui isti frequentissi-

quentissimè ipso facto scortationis adulteriique flagitium comittant, aut alio aliquo impuræ voluptatis genere sese contaminent, tanta nimirum cupiditatis vi in illis existente, ut, quemadmodum Paulus loquitur, sese continere nequeant. qua de causa Apostolus: *Bonum est,* inquit, *mulierem non tangere: propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat.* Et paulò pòst haud obscurè indicat, etiam illos, qui in matrimonio vivunt, si diutiùs, propter certas causas ibidem allatas, ab ejusdem usu abstineant, a Diabolo tentari posse propter suam incontinentiam. Istis verò peccatis qui tenentur irretiti, a sempiterna felicitate excluduntur. Quantum ergo in eorum, qui tanto numero per complura secula continentiam sunt professi, hodieq; profitentur, cœlibatu ponendum sit, aliorum judicium esto.

1 Cor: 7. 1, 2.

v 5.

Cap: XVIII.

De octavo Decalogi præcepto, Non furtum facies.

Cap: XVIII. De octavo Decalogi præcepto.

VT hoc præceptum rectè intelligatur, duo animadvertenda sunt. Nam & quid sit furtum, & quam ob rem eo prohibeamur, videndum est. Quod ad prius attinet; vulgo etiam notum est, furtum propriè dictum esse interversionem seu ablationem rei alienę, inscio & invito ejus domino factam. Et istud est, quod hoc præcepto propriè interdicitur. Veruntamen propter similitudinem quandam revocari huc posse videntur etiam alii modi, quibus commoda aliena intervertuntur, in Lege prohibiti. Sunt autem ii duplices. Vel enim directè commoda aliena intervertũtur, vel obliquè. Directè, cùm aperta quadam vi res alienæ auferuntur. Obliquè, cùm quispiã malis artibus sub recti specie suis alterũ bonis defraudat. quod cùm pluribus modis fieri possit, duo tamen potissimùm sunt, quos Deus olim prohibuit. Primus consistit in contractibus, nimirum in vendendo, emendo, conducendo, locando, & aliis his similib: de quorum aliquibus Levit: 19. 35. Devt: 25. 14. scriptum legimus. Secundus continet usuram, seu fœnus, quo Deus Israëlitas prohibuerat, ne sese invicem (nam ab extraneis id exigere licebat) exhaurirent, atq; ut ita loquamur, morderent. Moses enim iis in locis, in quibus usuram prohibet, ferè utitur ejusmodi voce, quæ morsum quendam significat, ut videre est Exod: 22. 25. Levit: 25. 36, 37. Devt: 23. 36, 37. Quare cum hæc Dei mens in fœnore prohibendo fuerit; facilè est intelligere, quid hac in parte Christianis liceat, vel non liceat. Omne enim usuræ genus, quo proximus revera læditur atque mor-

detur, in vetitis habendum eſt: quod tale non eſt, per ſe licitum cenſendum: præſertim ſi a fratre paupere, qui liberalitate noſtra ſublevandus eſt potiùs, quàm ullâ uſurâ gravandus, non exigatur. Animadvertendum enim eſt, Deum fœnore a paupere fratre exigendo nominatim interdixiſſe, duobus prioribus in locis a nobis paulò antè adductis. Pauper autem ille cenſendus eſt, qui rebus ad victum neceſſariis deſtituitur, vel ſaltem ægrè per ſeipſum vitam tolerat. Hic exiguo licèt fœnore morderi lædique facilè poteſt. At ſi quis rebus ad vitam honeſtè ac liberaliter ſuſtentandam inſtructus, res tamen meliores ac lautiores quærat; vel eas, quas habet opes, ultra veram neceſſitatem retinere cupiat; is nec pauper exiſtimandus eſt, nec protinus læditur ac mordetur, ſi partem aliquam lucri, quod ex ære alieno capit, creditori pendat: imò ipſe potiùs in creditorem injurius videretur, ſi ei æquam lucri partem negaret. Hujusmodi ergo ex pecunia credita fructus Chriſtianis per ſe nequaquam illicitus cenſeri debet; reſpondetque aliquo modo ei lucro, quod ex ſocietate percipitur iſtiusmodi, in quam alter pecuniam, alter operam ſuam ac laborem confert, quod ipſis inter ſe Iſraëlitis interdictum fuiſſe, nemo facilè conceſſerit. Cavendum autem eſt, ne id, quod uſuræ nomine exigitur, eo lucro, quod ex juſta ſocietate petitur, ſit iniquius, & ſic præceptum divinum, de fratre fœnore non opprimendo violetur. Quod quidem tunc ferè fit, cùm aut morem conſvetudinemque civilem in accipiendo pecuniæ creditæ fructu excedimus; vel cùm eum, cui pecuniam concedimus, nihil lucri, imò jacturam nullâ ſuâ culpâ facere conſtat, ita premimus, ut non ſolùm de ſumma nihil ei remittamus, (quod quidem ſi id res illius exigant, noſtræ autem ferant, meritò a nobis fieret,) ſed inſuper etiam, quaſi plurimum lucraretur, uſuram ab illo integram extorqueamus. Vtrobique enim morſum quendam fieri, nemo non videt. Quòd ſi quis illis Chriſti verbis omnem pecuniæ mutuæ fructum interdictum eſſe putet, quibus mutuum dare jubemur, nihil inde ſperantes; is non parùm errat. Agit enim ibi Chriſtus, ut contextus ipſe convincit, non de uſura tantùm, ſed de ipſo etiā pecuniæ creditę capite, ſeu ſorte, quam, generatim loquendo, exigere licere nemo negat. Non enim de libero prorſus cum altero contractu, veluti hoc pecuniæ negotium eſt, loquitur; ſed de re quodammodo coacta, quam nimirum, quantumvis inviti, potiùs tamen, quàm in majus malum incidamus, ſuſcipere debeamus. Docet quippe eo in loco, quomodo nos adverſus inimicos gerere debeamus; interque alia oſtendit, noſtrarum partium eſſe, potiùs,

Luc: 6. 35.

quàm

quàm ut illos irritemus,& ſic illis quidem occaſionem præbeamus injuriæ inferendæ, nobis verò reponendæ, etiam pecuniam mutuam illis dare, licet nulla ſpes ſit, eos aliquando reddituros: cùm & ipſe Deus,cujus filii ſumus, ingratis etiam & malis benignè faciat.

Cap:XVIII. De octavo Decalogi præcepto.

Cauſa porrò, cur Deus legem de furto non committendo,deque commodis proximi nullo modo intervertendis tulerit, eſt, quòd ut ipſe juſtus eſt, ita nihil ab hominibus vult fieri, quod non ſit cum juſtitia conjunctiſſimum. Quid verò magis contra juſtitiam eſt, quàm ea, quæ proximi noſtri ſunt, in rem noſtram convertere? Cum juſtitia in ſuum cuique tribuendo conſtituta ſit. viget autem vel inprimis in hoc præcepto, ejusque quaſi fundamentum eſt.

Sed jam ea cognoſcenda ſunt nobis,quæ Chriſtus huic præcepto adjunxit. Intelligendum igitur eſt,Chriſtum velle,ut ea omnia, quæ honeſtiſſimo etiam pacto comparata a nobis ſunt, vitæ tamen noſtrę neceſſitates ſuperant, non noſtra, ſed aliorum eſſe cenſeamus: quod ut faciamus, charitatis in N. Fœdere nobis præſcriptæ ſummo jure admonemur. Quod quidem ne a nobis violaretur, Chriſtus ipſiusque Apoſtoli ſummopere laboraverunt, tum avaritiæ crimen, tum luxum omnem ſeverè notando; quæ res duæ, cæteroquin a ſe invicem longiſſimè diſtantes, in eo tamen conveniunt, qnòd liberalitatem pauperibus debitam impediãt, quanquam non ſemper æqualiter. Nos de utraque hîc nonnihil diſſeremus.

Primò igitur ad avaritiam quod attinet; tum quid ea ſit, tum quot in partes diſtribuatur, advertendum eſt. Vt porrò quid ſit intelligamus, illa Chriſti admonitio nobis ponderanda eſt: *Videte*, inquit, *& cavete ab avaritia: quia non in abundantia cujusquam vita ejus eſt, ex his quæ poſſidet*; nec non illa verba Pauli animo agitanda ſunt: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus. Qui autem volunt diteſcere, incidunt in tentationem & laqueum, inque multas inſanas ac noxias cupiditates, quæ homines in perniciem interitumque demergunt. Radix enim omnium malorum eſt avaritia.* Quo loco docemur, avaritiam eſſe voluntatem, ſeu mavis, cupiditatem diteſcendi, ac plura vitę commoda, quàm ad ejus conſervationem opus eſt, habendi. quod etiam πλεονεξίας vocabulum, quod plura habendi ſignificationem habet, indicat. Cupiditas autem intelligitur ejusmodi, quæ non ita ſit moderata caſtigataque, ut in animum & ſua ſorte contentum, & in beneficentiam admodum propenſum, adde etiam plenum fiduciâ erga Deum, & ardenti religionis ſtudio incenſum cadat. Vitæ verò conſervatio, cujus in iſta avaritiæ deſcriptione mentionem fecimus, non unius tantummodò hominis,

Luc: 12. 15.

1 Tim: 6. 8, 9.

sed omnium, qui ad illum respiciunt, utpote uxoris, liberorum, familięq; sustentatione continetur: ita ut tũ demum avaritię culpa in aliquem meritò conferatur, cùm iis, quæ ad omnem illius familiam alendam pertinent, minimè contentus, plura cupit, eaque sollicitè vel quærit, vel asservat, nec, cum opus est, in pauperes erogat. Sunt enim, ut ad id, quod secundo loco de avaritia dicere proposuimus, accedamus, duæ illius partes: quarum altera in quærendis opibus, altera in retinendis sita est. Cùm verò sub Vete: Fœdere magna bonorum terrenorum copia Israelitis, tanquam pietatis ipsorum merces, promissa fuerit, ut suo loco a nobis est demonstratum, nec tam profusa in omnes beneficentia præcepta; facilè est intelligere, in utroque genere longè plus illis, quàm hodie Christianis licuisse. Itaque modò quis ab omni fraude atque injuria abstineret, & certa illa benignitatis genera, quæ Lege sunt definita, non omitteret, in immensum etiam opes cumulare ac recondere permissum erat. Quòd enim Esaias de illis conqueritur, qui domum domui, agrum agro adjungebant; nequaquam ita intelligendum est, quasi hoc simpliciter facere nefas tunc fuerit: sed quòd hoc per aliorum injuriã fieri divinus vates animadverterit; uti ex pręcedentibus, quibus hæc veluti exempli loco subjiciuntur, perspici potest. Hodie autem, postquam sempiterna nobis ac cœlestia bona sunt promissa, & interdictus mundi, atque eorum, quæ in mundo sunt, amor; contrà verò ardens atque assiduum religionis studium, summa in omnes charitas præcepta; & thesauros colligere vetamur, & apertè monemur, ut ea etiam, quæ possidemus, vendamus, atque in beneficentiam convertamus. Ita enim ait Christus: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam.* Quæ tamẽ Christi verba non ita sunt accipienda, ac si nobis omnino præciperet, ut omnibus simul divẽditis, universam pecuniam, & quidem statim, in pauperes erogemus: cum & res ipsa, & sacræ literæ satis apertè moneant, licere nobis ea retinere, quæ ad vitam honestè ac sine molestia traducendam sunt necessaria. Neque verò Christus omnes possessiones cõmemorat, sed possessiones indefinitè; eas nimirum intelligens, quibus ipsimet ad vitam sustentandam non indigemus. quas quidem, si in verborum ipsius scopum animum intendamus, tunc vendi præcipit, cùm, nisi id fiat, in pauperes benefici esse non possumus. Quòd si absque possessionum venditione, pauperibus debitum officium persolvere possumus; intelligendum nihilominus est, omnes superantium bonorum fructus, in illorum usus insumendos esse. Hoc enim perinde quodammodò erit, quasi opes illas vendidissemus;

Lib: 2. c. 19.

Esa: 5. 8.

Luc: 12. 33.

diſſemus; cùm illis jam non ut noſtris,ſed tanquam alienis utamur. ne dicam, hoc in rem pauperum magis futurum eſſe; cum ſic benignitas noſtra exhauriri non poſſit. Si autem quiſpiam illud, quod ſupereſt,ideò in pauperes erogandum eſſe neget, quòd futuri temporis habendam eſſe rationem exiſtimet:poſſe enim multa incidere, in quæ ſumptus fieri oporteat: veluti eſt liberorum educatio,filiarum elocatio, totaque adeò futura, tum noſtra, tum eorum, qui ad nos reſpiciunt,vivendi ratio: Reſpondemus, futurum hujus ſeculi tempus eſſe duplex. aliud enim eſt proximè futurum, & quodammodo præſens appellari poteſt: aliud verò eſt longè futurum, de quo, an unquam venturum ſit, dubitari poteſt; cùm utrùm nos noſtrique ad illud vitam producturi ſimus, planè incertum ſit. Si igitur ad proximè futurum tempus reſpectus habeatur; non dubitamus, quin liceat Chriſtiano homini parare ea, quæ ſuppeditent ad cultum, & ad victum,& ſibi, & liberis. Hoc enim nequaquam de illo, quod ſuperat, faciet; cùm quæ ad nos noſtroſque ſpectant curandos, ea ſupereſſe minimè dicantur. Secùs autem de tempore longè futuro judicandum eſt. Neque enim Chriſtianus homo, rerum ad hanc vitam ſpectantium ratione, tam longè in poſterùm proſpicere debet:idque tum propter cauſam ſuperiùs memoratam, tum quia illius officium eſt, in Deo omnem ſpem fiduciamque locatam habere, qui ipſi & omnibus illius poſteris, modò ne officium prodant, ſemper ſeſe adfuturum eſſe promittit, ut præter multa alia divina teſtimonia, Autor Epiſtolæ ad Hebræos luculentiſſimè docet: *Sit*, inquit, *vitæ ratio ab avaritia aliena, contenti præſentibus. Ipſe enim dixit, Non te deſeram, neque derelinquam; ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor; neque timebo, quid faciat mihi homo.* Et Chriſtus in eandem ſententiam ſic ſuos alloquitur: *ne ſitis ſolliciti in craſtinum. craſtinus enim dies ſollicitus erit de rebus ſuis. Satis eſt ſua cuique diei malitia.* Vbi ſine dubio per diem craſtinum, tempus illud longè futurum intelligendum eſt. Chriſtus enim pro ſua in nos charitate, vult nos ſine anxiferis curis, præſertim ſupervacaneis ferè & inutilibus, eſſe, quales ſunt, quæ de longè ſecuturo tempore ſuſcipiuntur; cùm præſens hoc tempus ſatis curarum afflictionumque habeat. Adde quòd, niſi Chriſtum audiverimus, non ſolùm ſine ullo fructu, ſed etiam cum ſempiternæ ſalutis detrimento, in ejuſmodi curis verſabimur. Nam hoc pacto reſtricti, contra Chriſti diſciplinam erimus, & pauperes officio debito defraudabimus, & ſic benefaciendi tempus per ſummam ſtultiam effluere ſinemus, immemores divini illius moniti: *dum tempus habemus,*

Heb: 13. 5, 6.

Mat: 6. ult.

Gal: 6. 10.

mus, benefaciamus omnibus; maximè autem domesticis fidei. Hoc enim si fecerimus, tum demum fiet, ut æterna illa mercede, iis constitutâ, qui in præclaris actionibus versantur, minimè excludamur.

Hîc res ipsa quodammodo nos admonere videtur, ut de Eleemosyna paulò explicatiùs dicamus. Est autem eleemosyna, si vim verbi spectes, misericordiæ exercitium; ut intelligamus, nos beneficentiam in miseriâ oppressos, animo ad commiserationem propenso conferre debere. Aliter enim vix aut ne vix quidem, quantavis apud aliquem beneficia posita, nomine isto digna existimanda sunt, nec ad præmium a Deo obtinendum, ejusque favorem homini conciliandum valent: cùm Paulus eum, qui charitatis expers sit, si vel omnes facultates suas in pauperes alendos eroget, nihil tamen esse asserat. Eleemosyna igitur a Christo nobis præscripta, est beneficium, eo, quo diximus, animo in pauperes de facultatibus nostris collatum. qua in re quàm longè debeamus progredi, jam superiùs dictum est. Cùm verò hoc loco dicatur, eleemosynam tribuendam pauperibus esse; providendum est, ne in illos hanc conferamus gratiam, qui verè pauperes nequaquam sunt. Multi enim sunt, qui mendicitate delectati, cùm laborando victum quærere possint, aliis, qui verè sunt pauperes, beneficentiam istam per summam injuriam præripiant. Quod ne fiat, inquirere convenit, qui homines verè in egestate sint; ut nec ipsi in eleemosyna conferenda erremus, & sic vera beneficentiæ laude privemur; nec egentibus hominibus injuriam faciamus, id quod illis quodammodò debebatur, in alios erogando; nec denique istis, qui egestatem simulant, ad turpissimum otium aperiamus fenestram. Quos quidem notans Apostolus, beneficentiâ istâ prohibendos ait, hunc in modum loquens: *Cùm essemus apud vos, hoc vobis edicebamus, si quis operari nollet, eum ne comedere quidem debere. Audimus enim, quosdam apud vos ambulare inordinatè, & nihil operari, sed supervacanea agere. Iis autem, qui ejusmodi sunt, edicimus, eosque per Dominum nostrum Iesum Christum hortamur, ut quietè operantes, sibi victum quærant.* Item: *quòd si quis non obtemperat dictis nostris per Epistolam eum notate, & ab ejus commercio abstinete, ut eum pudeat.* Illi porrò, apud quos rectè beneficia ista ponuntur, vel valetudinarii sunt, aut ægroti, vel membris capti, vel senio confecti, vel qui in assiduis quidem laboribus versantur, non tamen uxori, liberisque alendis sunt pares; vel quibus ratio se suosque sustentandi, quam aliàs libenter amplecterentur, deest; vel denique qui quamcunque aliam ob causam ad hoc faciendum sunt inepti. In hos igitur liberales

1 Cor: 13. 3.

2 Thess: 3. 10. & d.

Cap: XVIII. De octavo Decalogi præcepto.

rales esse debemus, sive ex eorum numero sint, qui ad Christi disciplinam se contulerunt, sive minimè: cùm ejus simus filii, qui & malos & bonos benignitáte sua complectitur; ideoque hanc ipsius perfectionem imitari a Christo jubeamur. Qua tamen in re is delectus habendus est, ut, quemadmodum ex Paulo superiùs monuimus, maximè fidei domesticos beneficiis afficiamus. Hi enim Christi personam sustinent, qui sibi tunc a nobis benefieri prędicat, cùm de fidelibus bene meremur. Mat: 5. 45, 48. Luc: 6. 35, 36. Gal: 6. 10. Mat: 25. 40, 45.

Ex iis autem, quæ diximus, facilè apparet, quomodo intelligenda sint verba Pauli, cùm loco antea citato præcipit, ut, dum tempus habemus, *omnibus* benefaciamus. Omnes enim eos intelligit, qui benignitate aliena revera egent, qualescunque ii aliàs sint, fideles, infideles, noti, ignoti, amici, inimici. Obstringimur autem hoc Apostoli præcepto, quoties ejusmodi se offert benefaciendi occasio, modò eæ sint facultates nostræ, ut de illis absque insigni nostra domesticorumq; nostrorum injuria, pauperibus benignè facere possimus. Illa etiam Christi verba, *Omni petenti da*, nequaquam simpliciter prolata ab ipso sunt, nempe ut promiscuè communiterque omnibus, etiam ope nostra non indigentibus, dandum esse intelligamus, idque tum, cùm eis tutò beneficium negare possumus: sed vel idem hujus præcepti est sensus, qui Paulini modò a nobis explicati; vel subaudiendum est, potiùs, quàm petita negando petentem irritemus, & quasi ad nos injuriâ aliquâ afficiendos provocemus. Quam quidem istis verbis sententiam contineri, ex aliis in eodem verborum contextu pronunciatis colligi potest. Ad extremum, quod suprà diximus, eleemosynam de illo, quod nobis superat, pauperibus tribuendam esse; id quidem ad ordinariam generatimque consideratam beneficentiam referendum est: potest tamen incidere ejusmodi casus, isque extraordinarius, ut nisi subitò proximum nostrum extremè laborantem, etiam illo juvemus, quod nobis nō superest, sed quo ipsimet indigemus, is funditus pereat. Tūc igitur nequaquam committendum est, ut pro quo vitam etiam profundere, si opus sit, debemus, eum in tāta calamitate deseramus. Luc: 6. 30.

His igitur, quæ ad eleemosynæ definitionem spectabant, ita constitutis; consequens esse videtur, ut eam in privatam & publicam distingvamus. Privata est, quæ a singulis separatim exercetur, non adhibitis in societatem cæteris ejusdem Ecclesiæ aut communitatis membris. Quod quidem benignè agendi genus, licet Christus maximè, atque adeò solum laudare nobisque commendare videatur, dum monet, ne benignitatem in hominum conspectu exerceamus, Mat: 6. 1, & d.

erceamus, ut ita nos illis ostentemus;itemque,ut nobis liberalitate in quempiam utentibus,nesciat sinistra,quid faciat dextra, id est, ut rem eam quàm maximè dissimulemus atque occultemus: Animadvertendum tamen est, ista non publicæ eleemosynæ, cujus quispiam alios quoque cogatur habere conscios, si ea absque ulla ambitione exerceatur, opponi, sed vanæ tantùm,ut verba ipsa satis apertè indicant, ostentationi, ad pietatis ac liberalitatis laudem aucupandam comparatæ. Hanc ergo ut in quovis benignitatis genere vitemus, præcipit Christus; ac porrò ut, quatenus res ipsa patitur, liberalitatem nostram occultemus, monet; ne dum gloriolam venamur aliquam, mercede ea nos privemus, quam alioqui fuissemus a Deo reportaturi.

Publica eleemosyna est, quæ publicè, seu a toto Ecclesiæ aut communitatis alicujus corpore exercetur, quam non modò licitam, sed & necessariam interdum esse inde patet, quòd alioquin eorum, qui aliena ope indigent, usibus ac necessitatibus satis prospici non possit. Quare si ea non ex ambitione ac gloriæ alicujus cupiditate, sed ex sincero proximi amore,ejusque juvandi studio proficiscatur, nullum est dubium, quin & Deo sit gratissima, & eam exercentibus maximè salutaris. quod idem etiam de illis beneficiis statuendum est, quæ licet privata sint, occultari tamen vix ac ne vix quidem possunt. In universum autem tanta beneficentiæ, si

Prov: 15. 27. 16. 6. ea ritè colatur, apud Deum vis est, ut & Solomo asserat, misericordiâ ac fide, seu veritate, purgari peccata, & iniquitatem redimi; &

Dan: 4. 24. Daniel Nabuchodonosori svadeat, ut peccata sua redimat eleemosynis,& iniquitates suas benignitate in pauperes. Adde,quòd & Petrus ait, charitatem, quæ per beneficentiam inprimis exercetur, operturam peccatorum multitudinem. Sed quid multis opus? cum

Mat: 25. 34. & d. ipse Christus affirmet, se in adventu suo, justos quidem, ob præstita beneficentię opera, in cœlestis regni possessionem; injustos verò atque impios,ob eadem neglecta, in ignem æternum esse missurum. Quod tamen nequaquam ex ea parte dicitur, quasi eleemosyna per se sufficientem salutis causam afferat: sed intelligendum est, reliquas etiam virtutes charitati aut beneficentiæ adjunctas esse debere: interim tamen singularem quandam in charitate ac beneficentia vim esse ad efficiendum, ut nobis peccata ex divina benignitate remittantur,&cœleste regnum donetur.Quòd si tamen alicubi benignitatis studio per se considerato,multorum peccatorum condonationem ascribi volumus; intelligendum erit, Deum hominibus, quamvis a vera r eligione ac pietate alienis, dummodò in

liberalitate ſeſe exerceant, multas pœnas temporarias remittere, & hujus vitæ commodis eos ornare. Liberatio autem a pœna æterna, vitaque ſempiterna, nemini ſine fide viva,& omni bonorum operum genere fœcunda, ex Dei decreto contingit.

Cap: XVIII. De octavo Decalogi præcepto.

Ad benignitatem autem pertinet etiam hoſpitalitas, quam divinus ſpiritus ſummopere nobis commendat. Paulus enim hæc de illa verba facit: *hoſpitalitatem ſectamini:* Petrus autem: *Eſte*, inquit, *alii in alios hoſpitales ſine murmurationibus*. Et divinus ille Autor: *Hoſpitalitatis memoriam ne deponite. Per hanc enim nonnulli inſcienter angelos hoſpitio exceperunt.* Quid, quòd & ipſe Chriſtus ſe hoſpitem aliquando fuiſſe,& a ſuis hoſpitio tunc acceptum dicet,cùm ii minimos etiam illius fratres exceperunt. Hinc conſequitur, hoſpitalitatem a Chriſto nobis præſcriptam ejusmodi eſſe virtutem, quâ fiat, ut homines egenos ac famelicos, atque inprimis Chriſti cauſſâ extorres & in exilium pulſos, vel Chriſti negotium agentes, & ejus rei gratiâ peregrè profectos, vel denique alios quoscunque Chriſtianos, quia Chriſtiani ſint, cùm id uſus exigit, humaniter tum excipias, tum tractes. Quamquam enim hoſpitalitas etiam erga alios homines exerceri a nobis poteſt, imò ſæpe etiam debet; poſtulante id vel propinquitatis, vel amicitiæ, vel ipſius humanitatis, quâ omnibus hominibus devincti ſumus, jure; præſertim tunc, cùm ii hoc humanitatis officio aliqua ratione indigent, quod hominibus etiam opulentis peregrè proficiſcentibus contingere poteſt: tamen non hæc potiſſimùm nobis a Chriſto & Apoſtolis commendatur hoſpitalitas, ſed illa, quam paulò antè deſcripſimus. Illa verò hoſpites ad comeſſationes ac compotationes invitandi conſvetudo, quæ vulgò hoſpitalitatis nomen aſſumit, longè a Chriſtianis hominibus arcenda eſt. Huic enim non modò nullum eſt præmium apud Deum propoſitum, ſed pœna etiam conſtituta. Quin etiam illud cavendum eſt, ne ſponte noſtra eos invitemus aut convivio excipiamus homines, quos ad temulētiam adeò pronos eſſe novimus, ut non facilè intra ſobrietatis ac modeſtiæ limites ſeſe continere queant: ne gulæ atque intemperantiæ ipſorum ſervire, multaque & audire, & videre cogamur, a quibus hominis Chriſtiani animus abhorrere debet; ut alia incommoda, quæ conſequi inde facillimè poſſunt, nunc taceamus. Ad hoſpitalitatis autem, de qua nos agimus, legem, illa Chriſti verba ſpectant: *Cùm*, inquit, *prandium cœnamvé facis, ne vocato amicos, nec fratres, nec cognatos, nec vicinos, nec divites, ne illi te vicisſim invitent: ſed cùm convivium celebras, voca pauperes, mutilos, claudos, cœcos; & felix eris, quoniam*

Rom: 12. 13. 1 Pet: 4. 9. Heb: 13. 2. Mat: 25. 35. Luc: 14. 12.

quoniam illi te remunerare nequeunt. reddetur enim tibi in resurrectione justorum. Quod tamen, ut vel ex suprà dictis constat, non ita intelligendum esse arbitramur, quasi non nisi pauperes unquam invitare liceat: sed hanc sententiam verba ista continere videntur: si sponte tua convivium instruis, ut Deo rem gratam facias, pauperes tantùm invitato: alioqui mercedem a Deo non es accepturus.

Iam ut, qua ratione hospes, præsertim Christianus, accipiendus nobis sit, videamus; intelligendum est, necessitati atque indigentiæ illius pro facultatibus serviendum esse, & ex eo, quænám ei officia præstare conveniat, quàm diu in ædibus fovendus alendusque sit, æstimandum. Quare si exulem v. g. domo excipias, nec quisquam præter te sit, qui ei necessaria humanitatis officia exhibere aut possit, aut velit, tu verò ei rei sufficere possis; nequaquam satis est, semel atque iterum cibo ac potione illius famem sitimque depellere, aut etiam, ut unam alteramque noctem in ædibus tuis traducat, concedere: sed cùm nec habeat unde vivat, nec ubi pedem ponat; nonné & ipsa res, & jus charitatis postulat, ut eum nequaquam tam subitò domo tua exire permittas, sed tam diu, quàm diu opus est, eum retineas, omnibusque, quantum in te est, officiis augeas? Ad ea officia lotio illa pedum hominum sanctorum seu Christianorum pertinet, quam Apostolus in illis requirit viduis, quæ ali ab Ecclesia debeant. 1 Tim: 5. 10.

Sed jam tandem ad luxum, quem alteram beneficentiæ pestem esse suprà diximus, accedamus. Ejus autem duæ potissimùm sunt formæ, quarum altera in comessatione, mensaque conquisitissimis cibis extructa cernitur: altera verò in iis rebus, quæ ad vitæ fastum potissimùm spectant; quanquam huc etiam non raro magnificæ referuntur epulæ. Etsi enim de comessatione, quatenus libidinis ministra est, suprà egimus: tamen & hoc loco, quatenus benignitatem exhaurit, paucissimis verbis commemoranda est. Statuendum igitur est, homini Christiano ita cibo potioneque utendum esse, ut plus, quàm naturæ ac valetudinis ratio postulat, nequaquam capiat; nec præpostera illa, cujus mentionem paulò antè fecimus, hospitalitate illis, qui mediocri cibo potioneq; contenti esse possent, luxuriæ causam afferat. Vt enim alias istius frugalitatis ac temperantiæ, quæ etiam propter seipsam colenda est, causas reticeam; omne id, quod hoc in genere præter naturæ ac valetudinis necessitatem, tum in nos ipsos, tum in alios impenditur, id pauperibus, quibus id ex Christi lege debetur, eripitur. Nec tamen hoc loco simpliciter omnibus paulò svavioribus aut delicatioribus cibis nos

cap: præced.

prohiberi exiſtimandum eſt: cum valetudini, quæ nonnunquam exquiſitiorem victum poſtulat, ſerviendum eſſe conſtet; dummodo gula luxusque abſit. Quanquam ſi periculum eſt, ne in luxuriæ ſuſpicionem alicui venias, præſtat interdum etiam in valetudinem paulò inclementiorem eſſe, quàm aliis ſcandali materiam præbere. Multò autem magis lautiori cibi potusque uſu abſtinendum illis eſt, qui eâ ſunt naturâ valetudineque præditi, ut ſimpliciori victu absque ullo incommodo uti poſſint. Aliter enim eos & temperantiæ limites transgredi, & reſtrictiores eſſe in pauperes neceſſe eſt. Plura de comeſſatione dicendi hîc locus non eſt, cùm ſuprà de ea ſatis dictum ſit.

Sequitur igitur, ut de vitæ *faſtu*, iisq; rebus, quæ ad eum ſpectant, ſermonem inſtituamus. Is autem nihil aliud eſt, quàm immoderatũ honoris ſtudium. Quod cum per ſe Chriſtianæ modeſtiæ maximè contrarium eſt, tum ad pauperes injuriâ afficiendos magnam vim habet. Nam qui ambitioni deditus eſt, illum & de veſtium luxu, & equorum famulorumque magnifico apparatu, & rebus aliis his ſimilibus laborare oportet; & ſic non ſolùm ab illis virtutibus, quæ Chriſtianam vitam maximè conſtituunt, (modeſtiâ nimirũ, temperantiâ, & frugalitate,) abeſſe, ſed etiã indigentibus, quę illorum propria cenſeri debent, adimere. Quod tamen nequaquam tunc fieri exiſtimandum eſt, cùm neceſſitas quædam exigit, ut homo Chriſtianus ordinarium vitæ cultum nonnihil excedat, & ea quoque ratione dignitatem ſuam tueatur: præſertim tum, cùm vel gloria divina, vel aliorum ſalus atque incolumitas agitur, cui, ſi dignitatem noſtram tueamur, patrocinium aliquod præſtare poſſimus. Extra hos tamen ſimilesque caſus, etiam contemptu aliquo propoſito, vitæ modeſtia atque temperantia ſemper tuenda eſt nobis, majorque tum religionis, tum virtutum ſuprà memoratarum, atque imprimis beneficentiæ ratio habenda, quàm contemptûs. Is enim, quamquam nimio quodam neglectu ac ſordibus provocandus non eſt: non ſemper tamen etiam fugiendus eſt; ſed tunc, ut diximus, cùm vel Dei gloria, vel ardua res aliqua agitur. Vnde colligitur, falſiſſimam illorum opinionem eſſe, qui, ut quis maximè opibus præſtat, ita vel veſtium ſplendore, vel famulorum, quorum nullus niſi ad oſtentationem quandam ſit uſus, abundantiâ, reliquis eum antecellere debere exiſtimant: cùm non niſi ob eam cauſam in ampliore fortuna quiſpiam collocatus ſit, ut eos, qui ab opibus ſunt inferiores, liberalitate pauperibus debita ſuperet. Aliter enim dubium

bium non eſt, quin ea, quæ divino jure aliorum ſunt, in ſuum uſum transferat, & beneficentiæ præmio ſeipſum defraudet.

Cap: XIX.

De nono Decalogi præcepto,

Non dices contra proximum tuum falſum teſtimonium.

AD hoc præceptum rectè intelligendum, primò videbimus, quo ſenſu per Moſen traditum fuerit: deinde quàm latè pateat ſub Chriſto. Ac Moſes quidem nonniſi ea falſa teſtimonia prohibuiſſe videtur, quæ proximum vel in vitæ, vel fortunarum, vel honoris diſcrimen adducunt. Quod quidem dupliciter fieri poteſt: cùm nimirum vel coram magiſtratu in falſum crimē quiſpiam vocatur; ad quod falſorum teſtimoniorum genus præcipuè videtur reſpexiſſe Moſes; vel apud alios etiā ipſius nomen falſò defertur. In quo genere ſunt omnes calumniæ, obtrectationes, ſuſurrationes, quibus proximi fama violatur, ipſeq́; in periculum aliquod adducitur. Ex quo conſequitur, alia mendacia hoc genere minimè comprehenſa, non usquequaque a Moſe interdicta fuiſſe. quin etiam quædam ſunt, quæ vulgò officioſa mendacia ſolent appellari, quæ cum ad injuriam alterius non ſpectent, interim tamen prodeſſe cuipiam non parùm queant, pro illicitis nunquam fuere habita, nec a nobis habentur; præſertim ſi videantur neceſſitate quadam expreſſa, & ad quempiam vel periculo, vel damno non exiguo liberandum pertineant; modò omne abſit juramentum, aut quippiam ſimile, quod ad divini nominis contumeliam ſpectare poſſit. Neque enim ullius hominis damnum aut periculum perjurio, aut aliâ aliquâ divini nominis contumeliâ redimendum eſt. Atque ad hoc innoxium mendaciorum genus pertinet illud obſtetricum Ægyptiacarum, quo Iudæorum infantes ſervabant; & illud factum Rachabæ, quæ per mendacium exploratores illos a morte vindicavit: & Micholis prudentia, quæ mendacio maritum conſervavit: & denique Ionâthani pietas, qui ſimili ratione ac viâ Davidem de manibus Sauli liberavit. Alterius autem generis ſunt ſermones parabolici, in quibus aliquid factum narratur, quod factum non eſt; idque eum in finem, ut homines vel ad rerum divinarum notitiam inſtituantur, vel ad præclara facta incitentur, vel alia quapiam ratione erudiantur. Sermones enim hi figurati potiùs atque allegorici cenſendi ſunt; qui ſi cæteroqui ſint honeſti, liciti prorſus ſunt; & licèt res, quæ apertè narratur, conficta ſit; ſententia tamen vera, & rei apertè narratæ ſimilis, verbis illis ſubeſt. Tales ſunt plurimæ Chriſti parabolæ: talis etiam

Exod: 1. 19. Ioſ: 2. 4, 5. 1 Sam: 19. 17. cap: 20. 6, 28, 29.

etiam est illa Nathani vatis, quâ adulterium a Davide commissum, homicidio etiam auctum, exaggerat. Ad figuratos etiam sermones pertinent illa verba, quibus olim Michæas Propheta Achabi animum explorare instituebat, hunc in modum loquens: *Ite, Deus est vobiscum*. Ironia enim est, quâ voluit ea ex Rege elicere verba, quæ sibi illius coarguendi materiam præberent. Huc referendi sunt omnes sermones hyperbolici, omnesq; allegoriæ, quæ in sacris voluminibus frequenter occurrunt. Tam enim figurato, quàm proprio loquendi genere, vera sententia exprimi potest. ut frustra sint illi, qui istiusmodi in sacris literis dicendi figuras reperiri, contra manifestam veritatem negant, verentes scilicet, ne mendacium illis ea ratione impingatur.

Cap: X X. De decimo Decalogi præcepto.

2 Sam: 12. 1. & d.

1 Reg: 22. 15.

Explicuimus hucusque, quæ mendacii genera Moses prohibuerit, quæ secùs. Restat nunc explicandum, quid huic præcepto in Christi doctrina adjectum censeri queat. Istud autem est, quòd Christus etiam illud mendacii genus, quod temerè profertur, & ex levitate quadam animi proficiscitur, etiamsi alteri non noceat, prohibuerit: cui adjungi possunt eæ, quæ in gestu factoque aliquo consistunt, simulationes dissimulationesque, frustra sineque justa causa susceptę: & si quæ sunt similia. Quæ quidem a Christiani hominis gravitate prorsus abhorrent, nec ei conveniunt, qui veritatis esse debet tenacissimus.

Inprimis autem huc referri debent damnationes iudiciaque illa, quibus apud Matthæum Christus nos prohibet: ubi quidem non de publicis privatisque judiciis legitimè factis: sed de illis sermonem esse, quæ ab ira, odio, aut malignitate quadam animi, vel saltem ex charitatis quodam defectu proficiscuntur, res ipsa satis monet. Eo peccati genere se obstringunt, quicunque in deteriorem partem rapiunt, quod in meliorem accipere possent, ac nimis rigidi alienorum sunt morum ac factorum censores. Matth: 7.

Cap: XX.

De decimo Decalogi præcepto.

Non concupisces domum proximi tui; nec concupisces uxorem illius, nec servum, nec ancillam, nec bovem, nec asinum, nec omnia, quæ illius sunt.

HOc præcepto Deus duorum peccatorum suprà prohibitorum, nimirum furti & adulterii fontem atque originem extirpare instituit. Interdicit enim hoc loco cupiditatem nefariam, ex qua utrumque flagitium nascitur. Concupiscere quippe alterius uxorem, at-

Cap: X X. De decimo Decalogi præcepto.

rem, atque bona aliena, hoc loco eſt, id animo agitare, deliberataque voluntate in id incumbere, ut quocunque tandem pacto illis perfrui poſſis. Neutra tamen concupiſcentia, vel furti, vel adulterii loco olim numerabatur. Qua de cauſa & ſeparatum hoc de concupiſcentia earum rerum, circa quas furtum & adulterium verſantur, præceptum traditum eſt. Quod quidem ideò ſuperioribus additum eſſe videtur, quòd, ut ſanæ mentis ratio dictat, quæ habere minimè convenit, ea nec concupiſcere licet, iiſque inhiare.

Huic autem præcepto in novo fœdere hoc adjunctum eſſe videtur, ut non ſolùm ardenti incitatoque ſtudio ea, quæ proximi noſtri ſunt, minimè appetamus; ſed ne ſimplicem quidem de iis ad nos pertrahendis cogitationem, quæ animis noſtris fortè obrepere poſſit, foveamus, câve nos oblectemus ac veluti titillemus: ſed potiùs, ſimul ac in animum noſtrum illabitur, ilicò ei obſiſtamus, & eam haud ſecùs ac funeſtiſſimam peſtem ejiciamus.

Ex hoc autem ultimo decalogi præcepto, quemadmodum & ex aliis innumeris, quæ apud Moſen ſcripta leguntur, perſpicuum eſt, bonorum diſtinctionem olim ſub Lege maximè viguiſſe; & porrò nullam talem apud gentem Iſraëliticam eorum fuiſſe communionem, qualem hodie quidam adinvenerunt, ſibique ſervandam exiſtimant, qui ea de cauſa Communiſtæ appellantur. Quinimò jus proprietatis, quod unusquisque habeat, adeò ſalvum ratumque eſſe Deum voluiſſe intelligimus, ut proximi bona non ſolùm minimè ad ſe rapere, ſed ne concupiſcere quidem cuipiam liceret. Quod præceptum cùm Chriſtus adeò non abrogaverit, ut etiam aliqua ratione auxerit; apparet, eum nulla lege bonorum communionem introduxiſſe, eorundemque diſtinctionem abrogaſſe. Errant autem ii, quos diximus, non leviter, dum ut charitatis legem inviolatam ſervemus, neceſſe eſſe ajunt, ut bonorum diſtinctione ſublata, omnia noſtra divendamus, inque commune conferamus. Manifeſtũ quippe eſt, & Iſraëlitas charitatis lege obſtrictos fuiſſe: quippe cùm illis Deus, ut proximum ſicut ſeipſos diligerent, diſertiſſimis verbis præceperit; & tamen, ut modò docuimus, propria poſſidere, citra ullam talem communionem, jurè potuerunt: ut facilè appareat, proximi dilectionem abſque iſta communitate conſiſtere poſſe. Dicet quiſpiam, hodie majorem perfectioremque charitatem a nobis requiri, quàm olim ab Iſraëlitis. Rectè ſanè. at ne hinc quidem omnium venditio communioque colligitur: cùm ſatis is in exercenda charitate Iſraëlitas ſuperet, qui non ſolùm amico, ſed inimico etiam benignè facit; omneque quod ipſi ſupereſt,

in pauperes

in pauperes erogare paratus est, atque adeò, cùm opus est, erogat: quorum neutro gens Israëlitica obstringebatur. Adde, quòd charitas, quæ in beneficentiæ ac liberalitatis studio maximè consistit, id potiùs exigit, ut aliquid habeas tuum, unde in pauperes benignus esse possis: eamque ipsam ob causam Apostolus eos, qui antea furati fuerant, ampliùs furari vetat, contrà verò manibus suis, quod bonum est, laborare jubet, ut habeant, unde tribuant indigenti. Quo in loco verba ista, *ut habeant*, consideranda sunt: quippe ex quibus evidentissimè colligitur, non solùm habere sua prohibitum minimè esse; sed etiam eos, qui non habent, curare debere, ut habeant, unde & se alere sustentareque, & pauperibus benefacere possint. Ex quo intelligitur, omnium bonorum venditionem, inque commune collationem, etiamsi tum, cùm fit, charitatis aliquod argumentum contineat; (quamquam ejus vis quodammodo perit, ubi nemo, nisi hac lege, in Ecclesiæ societatem recipitur:) tamen in posterum beneficentiæ privatæ usum tollere, ipsamque adeò charitatem valdè imminuere. Quomodo enim verbi causâ, qui nihil habet proprium, esurienti, sitientique cibum potumque præbebit, aut nudum vestiet, aut hospitem excipiet? Dices, hoc ipsius nomine a senioribus, quibus hæc cura demandata sit, fieri posse. Respondeo autem, hominem Christianum, ardentem bonorum operum sectatorem sese præstare debere, & ideo omnium excellentissimo modo, ut alias virtutes, ita & beneficentiam exercere; ut nimirum singularis erga proximum amor in ea eluceat. Cùm igitur per alios, quippiam egentibus tribuere, si non tuo, sed illorum id fiat arbitrio, multò frigidius sit, quàm si ipse animo hilari amoreque incenso de tuo illis largiare; quis non videt, eam ipsam ob causam, multò satius esse, te quod tuum est possidere? ut nimirum secundùm Pauli doctrinam, prout destinâsti in corde tuo, pauperibus auxilio esse possis. Id quod in communione a quibusdam excogitata fieri nequit. Neque verò usquam scriptum legimus, Christianos propria bonorum suorum possessione prohibitos fuisse, aut eos, qui proprias suas facultates tenebant, ejus rei nomine fuisse reprehensos. Quinimò ex multis Apostolorum sermonibus, aliisque circumstantiis haud obscurè intelligitur, planè unicuique sua possidere liberum fuisse, ut cuilibet in Actis Apostolorum, aliisque eorundem scriptis vel mediocriter versato, apertissimum est. Ex quo apparet, stante bonorum proprietate, charitatem Christianam optimè consistere posse. At inquient: *Charitas non quærit sua*, ut Apostolus testificatur. Certè: at particula *sua* apud Apostolum, non ad faculta-

Ephes: 4. 28.

2 Cor: 9. 7.

1 Cor: 13. 5.

tes, aut necessaria hujus vitæ subsidia spectat: sed ad ea, quibus carere absque detrimento nostro possumus, absque alterius autem detrimento, aut scandalo, vel quærere, vel usurpare non possumus; complectiturque imprimis gloriam, & voluptates corporis, per se quidem licitas, sed cum offensione infirmiorum conjunctas. Simile huic est illud ejusdem Apostoli pronunciatum: *Non quæ vestra sunt singuli spectate, sed etiam ea quæ sunt aliorum quilibet.* Vbi de non abutendo donis spiritualibus ad nostram gloriam aliorumque contemptum aut offensionem, sed ea in alienos potiùs usus convertendo, sermonem esse, ipse verborum contextus indicat. Quò & comparatio Ecclesiæ Christi, cum diversis unius corporis membris referenda est: quippe quæ similiter, non tam bonorum terrestrium, quàm donorum spiritualium quandam veluti communionem nobis ob oculos ponit, eoque ab Apostolo adhibita est, ut, qui divinis muneribus sunt ornati, non ad propriam gloriam, sed ad universæ Ecclesię utilitatem ea convertant; aliique alios non contemnant, sed debito honore afficiant: ut cuilibet totum illud caput legenti perspicuum esse potest. Non negamus tamen, ut jam innuimus, eò quoque pertinere illam comparationem, ut alii aliorum indigentię succurramus, & in usus fratrum necessarios liberaliter de nostro erogemus. Hoc enim pacto ea, quæ dominii jure nostra sunt, usu quodammodò fiunt communia. & hæc demum Christianis hominibus digna communio est. Hîc verò, qui diversum sentiunt, urgebunt nos tum mandatis, quę Christus hac de re dederit, tum piorum hominum exemplis. Ad mandata enim quod attinet, primò illud afferent, quod Luc. 12. 33. scriptum legitur hunc in modum: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam.* Verùm ut isti, quod volunt, obtineant, tum de omnibus possessionibus simpliciter vendendis Christum hîc loqui, tum ex eo necessariò consequi istam, quam fingunt, communitatem, probandum illis est. Ac illud quidem eos facere non posse, jam suprà in octavi præcepti explicatione demonstravimus, ad quam lectorem remittimus. Hoc verò alterum consequens minimè esse, res ipsa evincit: cùm nemo non videat, aliud esse dare eleemosynam, aliud res suas in commune conferre, & ejusmodi cum aliis inire societatem, ut & tu illorum, & illi tuis utantur fruanturque facultatibus; quo pacto facilè fieri potest, ut longè plus etiam lucreris, quàm perdas. Sed fortasse id, quod priori loco diximus, non esse nimirum intelligendum, omnes protinus facultates esse vendendas, & pauperibus dandas, aliis s. scripturæ testimoniis refutari, suamque sententiam confirmari existimabunt.

Phil: 2. 4.

1 Cor: 12. 12.

bunt. Proferent enim in medium illa Christi verba: *Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus;* & illa ejusdem, quibus indicat, nos omnia vendere debere, ut regnum cœlorum, quod margaritæ ac thesauri est instar, emamus; & denique ista, quibus adolescentem opulentum monuit, ut omnia sua bona venderet, & daret pauperibus. Sed in primo loco *renunciare* non significat vendere, aut jus dominii reipsa abdicare, simul ac Christi discipulus fieri velis: cum isto loco per ea, quæ possidemus, non tantùm facultates nostræ, sed etiam anima seu vita nostra, & homines nobis conjunctissimi, ut parentes, fratres, sorores, uxor, liberi, intelligantur, ut superiora indicant, ad quę comprobanda hæc subjunguntur. sed *renunciare* isto loco est, animo res omnes quodammodo abdicare, & pro suis adeò non habere, ut paratus sis Christi causâ ea deserere, ac penitus relinquere. Idem revera indicatur in altero loco, in quo regni cęlorum adipiscendi causâ omnia nos vendere debere, parabolico sermone indicatur. Quod ad tertium locum attinet, is speciale monitum continet, ad animum adolescentis illius explorandum & in apertum producendum, adhibitum: quo pacto Deus olim Abrahamum speciali mandato de mactando sacrificandoque filio tentavit, quamque fidelis esset, tum ipse expertus est, tum toti mundo patefecit. Fuisse autem præceptum istud adolescenti huic a Christo datum, si modò, ut consentaneum est, propriè accipi debet, planè singulare, ex eo percipitur, quòd plurimi Christianorum absque ulla, ut suprà ostendimus, reprehensione bona sua tenuêre. Quid, quòd Apostoli ab illis, qui hujus temporis aut seculi, seu mavis, mundanas divitias possident, nihil ampliùs requirunt, quàm ut ne sublimè sapiant, nevé spem ponant in divitiis incertis, sed in Deo vivo, qui præbet nobis omnia copiosè ad fruendum; ut benè agant, divites fiant in bonis operibus, ad dandum communicandumque sint faciles, thesaurizentque sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam illam ęternam. Verùm esto, (quod tamen nullo pacto concedimus) obstringat id Christi monitum, adolescenti illi datum, omnes in universum Christianos; num protinus communitas ista eo comprobabitur? Nequaquam: quippe cùm non solùm nulla hîc ejus mentio fiat; sed longè etiam aliter bona vendita in usum pauperum transferri possint, quàm communitati isti serviendo. Adde, quòd id ad eum modum, quem isti urgent, fieri non potest. quandoquidem qui pecuniam in commune conferunt, id ita faciunt, ut & ipsi communionis participes sint; & porrò tanta

Luc: 14.33.
Mat: 13, 44, 46.
Luc: 18. 22.
vid: Luc: 14. 26.
Gen: 22.
1 Tim: 6. 17.

tum suorum, tum alienorum bonorum parte perfruantur, quanta illis ad vitæ cultum opus est. Quomodo igitur omnia, quæ vendiderunt, pauperibus eos dare rectè vereque dici potest? ut nihil dicam, non omnes verè pauperes esse, qui communitate ista comprehenduntur; cum singuli ferè, quod habent, in eam comportent, & labore assiduo rem augeant; & porrò pauperum nomine censeri vix ac ne vix quidem possint. Eodem modo ad omnia eorumdem hominum argumenta, ex iis Christi mandatis ducta, quibus pauperibus benignè faciendum præcipit, respondendum est, ea nimirum citra communionem istam præstari posse, atque adeò debere. Hîc verò, ut mandatis istis nos ad communionem impelli doceant, Ecclesiæ Hierosolymitanæ exemplum proferunt, de qua sic scriptum
Act: 2. 44. extat: *Omnes qui credebant, erant pariter*, (seu *unà*) *& habebant omnia communia; possessiones & substantias vendebant, & dividebant*
Act: 4. 32. *illa omnibus, prout cuique opus erat.* Item: *Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia.* Respondemus primò, hoc Hierosolymitanum factum, illud non esse, quod urgent ii, cum quibus hîc disputamus; cùm hîc nequaquam scriptum extet, eos omnes planè possessiones vendidisse, nullâ sibi relictâ: sed indefinitè dicatur, eos possessiones substantiasq;
Act: 4. 34. vendidisse. Adde, quòd domos eos retinuisse, & ideò non omnia,
Act: 2. 45. quæ habebant, vendidisse, ex eo colligitur, quòd, teste eodem Lu-
& 46. ca, domatim panem fregerunt, id est, Dominicam cœnam celebrârunt. Quòd verò nihilominus domos agrosque vendidisse dicuntur, id, si modò veracem Dei spiritum, sibi ipsi contradicere nolis, de iis domibus agrisque intelligendum est, qui illis supererant, seu quibus carere poterant. Atqui, inquient, Barnabas, teste Luca, unum
Act: 4. 36, 37. agrum habuit, & tamen eum vendidit, pretiumque ante pedes Apostolorum posuit. Respondeo, ex verbis Lucæ non constare, illum præter agrum istum nihil habuisse, puta pecuniam, aut domum, aliaque ad vivendum necessaria. Verùm esto: nihil præter agrum habuerit Barnabas, (quod tamen probari non potest,) & porrò hoc ipsius factum singulare quiddam sit; quid, quæso, hoc ad alios, quos domos retinuisse jam ostendimus, generatim ad omnia planè, quæ habuerunt, vendenda adstringendos, virium habere
Act: 4. 46. potuit? Iamquòd illi, de quibus Lucas loquitur, & unà fuerunt, & cibum cum gaudio ceperunt, id similiter communionem istam, de qua disputamus, nequaquam constituit: cùm & dies noctesque eos unà fuisse, & sic etiam in una eademque domo dormitasse, (ut ii, qui communistæ dicuntur, faciunt) ex istis divinis testimoniis e-

vinci

vinci minimè possit; & insuper longè alia ratione unà esse non solùm potuerint, sed etiam reipsa fuerint; idque tum in templo unanimiter, ut testatur Lucas, perdurando; tum domatim (& sic non in certa quadam domo) panem frangendo, cibumque cum gaudio capiendo; non intermittendo & alia pietatis exercitia, in doctrinis cohortationibusque constituta. Quod quidem cum communione ista nihil conjunctum habere, imò absque ea commodissimè & factum fuisse, & etiamnum a piis fieri, satis clarum est. Iam quòd neminem, quæ possidebat, sua esse dixisse, sed omnia illis communia fuisse, Lucas ait; id quoque communionem istam nequaquam confirmat: propterea quòd disertissimè hîc asseritur, Christianos illos ea, quæ possidebant, non quæ vendiderant, sua esse non dixisse; quia communem eorum usum omnibus Christianis esse voluerũt, quo pacto olim fuit dictum, Amicorum omnia communia esse. Quo quidem dicto possessionum proprietates minimè exterminari, sed officiorum studiorumque vicissitudines commendari, palàm est. Nihil igitur prohibet, quominus omnia Hierosolymitanis illis communia fuisse, neminemque, quæ possidebat, sua nominasse intelligamus, quòd non sibi tantummodò, sed & aliis, maximè autem pauperibus sese illa habere, & perinde possidere, quasi non possiderent, ostendere voluerint; non pro dominis facultatum suarum, sed pro dispensatoribus se gerendo. Act: 4. 32.

Satis, ut videtur, ostendimus, istos, contra quos disputamus, ex Hierosolymitana Ecclesia nullum communionis suæ exemplum petere posse: cum multum inter hos illosque ea in re, de qua agitur, intersit. Verùm, quò magis istorum error coarguatur, demus sanè, illam Christi Ecclesiam eandem planè cum his communitatem servasse: num protinus consequens fuerit, eam ad hoc faciendum lege quadam generatim Christianis imposita adstrictam fuisse? Nequaquam verò. Contrarium enim ex iis apparet verbis, quibus Petrus, Ananiam ob fraudem commissam reprehendens, utitur: *Nonne*, inquit, *manens* (prædium) *tibi manebat, & venditum in tua potestate erat?* unde liquet, licuisse ei vel prædium ipsum, vel pretium integrum sibi servare. Deinde si lex ejusmodi unquam fuisset, non solùm Hierosolymitanam; sed universam etiam Christi Ecclesiam, ubivis terrarum degentem obstrinxisset. Id quod contrà esse, ex eo apparet, quòd non solùm nulla alia Ecclesia proferri possit, quæ Hierosolymitanos ea in re fuerit imitata, aut quia id non fecerit, in reprehensionem quandam incurrerit; sed etiam, ut suprà dixi, omnes earum Ecclesiarum circumstantiæ, Apostolorumque Act: 5. 3[illegible]

rumque sermones, longè aliter sese rem habere, evidentissimè demonstrant. Et quidem, ut alia jam suprà memorata hoc loco reticeamus, unus Ecclesiæ Corinthianæ, quantùm ad hanc rem attinet, status, maximo argumento esse debet, nullam legem istius communitatis ei impositam fuisse. Nam & domos proprias Corinthios habuisse, ubi comederent biberentque, Paulus testatur, & de pauperibus Hierosolymitanis sublevandis non seniores, qui communitati, ut apud istos fieri solet, præsint, sed singulos universosque admonet, ut unusquisque illorum primo quoque die hebdomadis apud se deponat, prout ei res bene successerit, ne tum demum collectæ fiant, cùm venerit. Item: ut unusquisque, prout destinavit in corde suo, agat, non ex necessitate, aut tristitia. Hilarem, inquit, datorem diligit Deus. Hæc omnia an hodiernam communitatem redoleant, cordatorum esto judicium.

1 Cor: 11. 20.

1 Cor: 16. 2, 3.

2 Cor: 9. 2.

Afferuntur ab illis multa alia, quæ quia & infirma per se sunt, & his, quæ diximus, bene perceptis, facillimè dilui possunt, sciens volensque prætereo: nisi illud fortè aliquid ponderis habere existimes, quòd Christus se non habere, ubi caput reclinet, asserit. Atqui ad id, quod volunt, concludendum, non satis est, ostendere, Christum certum habitandi locum minimè habuisse: sed etiam in ejusmodi communitatem sese dedisse, quam isti urgent, probandum est. Id verò tantum abest ut probari possit, ut etiam hoc ipsum, quod ad probandum affertur, id penitus convellat, & eos, qui hoc communionis genus sequuntur, Christo hac in parte admodum dissimiles esse ostendat. Quomodo enim, qui in loco certo cum aliis habitat, & communibus fruitur bonis, non habet ubi caput reclinet? Vnde apparet, illos, cum quibus nobis res est, ista Christi conditione statuve nec sese tueri, nec alios hoc ipsius exemplo in suam sententiam pertrahere posse. Non sequitur præterea, Christum nihil proprium habuisse, nimirum pecuniam, aut tale quid; quia propter Evãgelium jam hîc jam illic prædicandum, & propter ingratorum malevolorumq; hominum odia, nullam certam stabilemq; sedem habuit. Nec tandem, si maximè utroq; caruisset, idem omnino & nos sequi oporteret; cùm hoc nos facere nunquam iusserit. Hîc verò, postquam sibi omnia illa causæ suæ præsidia erepta esse animadverterint, ad hoc tandem quasi asylum confugient, ut, si sempiternæ felicitatis communione frui aliquando cogitamus, absurdissimum esse asserant, nos istarum, ut ita dicam, quisquiliarum communitatem refugere. Sed non animadvertunt, longè diversam esse hac in parte cœlestis illius felicitatis, & terrestrium bonorum

Matt: 8. 20.

norum rationem. Nam quominus futurum illud bonum omnibus fidelibus ex omni parte commune sit,nihil impedire poterit. At ejusmodi terrenorum bonorum communitatem, qualem illi volunt, impediunt multa, &, ne ea instituatur, prohibent; adeò quidem, ut generatim loquendo, haud paulò rectiùs ii faciant, qui eâ non utuntur, quàm qui utuntur. Interea tamen nos veram ac laudabilem terrenarum opum communionem nequaquam rejicimus, nimirum eam, quæ facit, ut quæ proprietate nostra sunt, usu quodammodò fiant communia, dum nostra aliis hilari animo impertimus, & in pauperes sublevandos atque alendos liberaliter impendimus. Cui communioni, cùm ista certorum hominum communitas, ut suprà demonstravimus, magna ex parte adversetur; quippe quæ & officiorum vicissitudinem, & liberam exque hilari in pauperes animo profectam beneficentiam vel tollit, vel enervat;dum eam repudiamus, nequaquam in istam,quam dicunt, absurditatem incidimus; nisi volumus, omnes Christianos, qui Apostolorum ætate propriis bonis usi fuêre, absurditatis istius incusare; quod nec ipsum Christum Apostolosque fecisse, satis jam suprà a nobis demonstratum est.

His Decalogi pręceptis ita consideratis,haud alienum fuerit hoc loco Dei animadvertere sapientiam, quæ in pulcherrimo eorum ordine elucet. Quem quidem ordinem si invertas, ita ut ab ultimo præcepto initium facias, & usque ad primum, singula suis ponderibus examinando, pervenias,comperies, singulas virtutes in hac divina lege nobis præscriptas, alias ab aliis gradibus quibusdam superari, & quò longiùs quæque a primo præcepto abest, eò perfectiorem esse. Majorem enim in proximum charitatem declaro, si ipsius uxorem opesque ne concupisco quidem, quàm si reipsa illi nullam injuriam infero. Majorem item,si ne falsum quidem de illo testimonium dixero, quàm si ipsius facultatibus manus non inferam. Majorem etiam,si bona illius minimè ad me rapio,quàm si ab uxore illius abstineam.Item,si ne uxorem quidem illius attingere cogito,ne dum ipsum interficere. Sic si alios homines nullâ afficiam injuriâ, nedum parentes, quorum operâ in hanc lucem prodii. Item, si ne Sabbathum quidem olim Israëlita quispiam violare voluit,nedum pejerare; & ne pejerare quidem,nedum Dei cultum ad inania simulachra transferre, vel quod caput est, plures uno Deos habere, majorem in Deum pietatem declarabat.

Quòd si recto ordine progrediaris,& a primo præcepto exorsus ad ultimum usq; pergas, intelliges, scelera hac divina lege prohibita

hibita alia aliis esse detestabiliora. Gravius enim peccatum est, Deos plures habere, quàm fabricare colereque imagines. Fieri namq; potest, ut qui hoc facit, interim unum tantùm esse credat Deum. Et imaginibus cultum exhibere, gravius esse videtur, quàm Dei nomen in vanum usurpare, seu falsum jurare; quia idolis faciendis colendisque, honor Deo debitus tollitur, & ad res alias transfertur, quod non fit falso jurando. Falsum porrò jurare gravius est, quàm Sabbathum non observare: & hoc rursum gravius tunc erat, quàm parentes debito honore non afficere: cum illud ad Dei injuriam & contemtum spectare censeretur. & parentes contemnere gravius est, quàm quemvis alium debitâ benevolentiâ fraudare, & nominatim quidem parricidium simplici homicidio longè est scelestius: cùm qui nos genuerunt, multò chariores nobis esse debeant, quàm quivis alius. & homicidio sese obligare magis capitale scelus est, quàm adulterare: cum per hoc honor quidem adimatur, & amor ac fides conjugalis lædatur, per illud autem vita. Et adulterium furto gravius est: cùm honor, amorque personarum nobis conjunctissimarum, ac fides, bonis fortunę longè pręstet. Et furti se astringere eatenus saltem gravius est, quàm falsum testimonium in aliquem dicere, quòd illud proximo semper noceat: hoc verò nec semper, nec necessariò. Et idipsum deniq; gravius existimandum est, quàm teneri cupiditate, vel uxoris, vel aliarum rerum proximi nostri; quandoquidem mēdacium in proximum dicere eidem plurimum officere potest: ea verò, quæ illius sunt, concupiscere, per seipsum ei nocere non potest, licet ad damnum ejus res spectet.

Cap: XXI.

De Christi præceptis seorsim traditis.

SEquitur tandem, ut ea Christi præcepta explicemus, quæ seorsim suis tradidit. Quæ quidem vel moralia, vel ceremonialia sunt. Ac moralia quidem tria potissimùm numerantur: quorum primum nostri ipsius pręscribit abnegationem: alterum ad crucis afflictionumque tolerantiam nos instituit: tertium denique Christi nos docet vestigia persequi.

Abnegatio nostrimet, eam designat vitæ nostræ mutationem, quâ fiat, ut propemodum a nobis ipsis discesisse, & nosmetipsos, quod quidem ad carnem attinet, odio prosequi videamur. Cùm enim nonnisi illis delectari nostrum sit officium, quæ apud Deum pondus aliquod habent: Deo autem tantùm magni sint, quæ non fluxa atque momentanea, sed solida sempiternaque sunt; consequens

Cap: XXI. De moralib: Christi preceptis seorsim traditis.

quens est, ut & nos ipsos, qui pulvis & umbra sumus, contemnamus; & sic omnibus cupiditatibus nostris, utpote inanibus, terrenis ac futilibus, abjectis, totam mentem studiumque omne in Deum dirigamus; nihil interim cogitantes, quid de nostra fama generisque nobilitate, quid de opibus fortunisque nostris, quid de corpore, quidque de hac vita nostra futurum sit: nedum ut vel inani gloriæ comparandæ, vel opibus congerendis, vel denique voluptatibus operam nostram dicemus. Quinimo si nobis ipsis penitus valediximus, omnes etiam carnalis erga nosmetipsos amoris radices ita ex animis nostris evulserimus necesse est, ut nulla voluptatum, divitiarumque, ac mundanæ gloriæ occasione, quâ plærumque animi hominum, quales sint, explorantur, titillari, nedum ab officio deduci possimus. Hinc colligitur, eos nequaquam seipsos abnegâsse, qui Christianum nomen usurpant illi quidem, pietatemque ac sanctimoniam præseferunt, & dum materiâ sibiipsis indulgendi destituuntur, omnia mundana egregiè contemnere videntur; ut primùm verò rerum istarum occasio datur, nequaquam eam prætermittunt, imò mordicus tenent. Ad quantum autem singularissimæ pietatis fastigium is ascenderit, qui seipsum abnegavit, nemo non intelligit. Qui enim hac, qua diximus, ratione seipsum destituit, is facilè reliqua duo Christi præcepta exequi poterit, de quibus nunc dicemus. Primò enim crucem quotidie nullo negotio feret, id est, singulis diebus omnia acerba, veluti est infamia, injuria, fortunarum spoliatio, exilium, verbera, mors deniq; truculentissima, subire paratus erit; quippe qui jam eo præditus sit animo, ut omnia, quæ illi eripiuntur, bona pro nihilo reputet, & sese meliore, quàm Dominus ac Magister ipsius fuerit, fortunâ dignum esse minimè judicet. Adde, quòd eum, qui bona hæc terrena contemsit omnia, iisque valedixit, certam exploratamque bonorum cœlestium spem habere necesse est. Neque enim bona hæc contemnere, nisi spe non dubia meliorum possumus. Quare, qui sibiipsi renunciavit, spe tantorum bonorum confirmatus, non solùm omnia adversa levissima ducet, sed etiam in illis gloriabitur; intelligens nimirum, illis premi & quotidie exerceri in rem suam maximè esse, ut ex illis Apostoli verbis perspicuum est: *Gloriamur in calamitatibus, illud scientes, quòd calamitas patientiam parit: patientia probationem: probatio spem. Spes autem non pudefacit, quòd Dei amore perfusi sunt animi nostri per spiritum sanctum nobis datum.* Quibus verbis hæc continetur sententia: tanta est vis justificationis nostræ, quam per fidem adipiscimur, (ejus enim rei fructus isto loco enumerat Apostolus,) ut non Rom. 5. 3. & 4.

ut non solùm in spe gloriæ futuræ Dei, sed etiam in afflictionibus gloriari possimus. Tantum quippe abest, ut afflictiones statum nostrum convellant, ut etiam ad felicitatem sempiternam nobis prosint: propterea, quòd afflictiones patientiam in nobis, qui fidem Christo habemus, quodammodo pariunt, eamque in apertum proferunt. Nisi enim insectationes variæ, exercendæ patientiæ occasionem materiamque nobis præberent, nunquam sese opere ipso probaret, atque in actum exiret, utut patiendi animus non deesset; nec eo nos animo esse præditos appareret. Occasio quippe, omnium tum virtutum, tum vitiorum intus latentium, exploratrix quædam est; tumque maximè intelligitur, quo quisque sit animo, cùm vel ad præclaras actiones, vel ad sceleris impuritatem datur ansa. Ex patientia porrò probatio exoritur. Nam & suam ipsius fidem virtutemque homo explorat; & Deo suam probat constantiam; & denique quanti a Deo fiat, hoc experimento cognoscit, quòd non solùm tam arduam sibi ab illo provinciam imponi videt, ut nimirum constantiâ suâ ipsius gloriam amplificet; sed etiam in rebus adversis, sæpeque adeò desperatis, admirabile ipsius auxilium, incredibilem bonitatem, summamque fidelitatem nunquam non experitur. Atque hinc exploratissima spes erumpit, nempè certò futurum esse, ut in cœlestis hæreditatis possessione constituamur. Si enim qui nihil in vita degustant adversi, dummodò Christo fidem adjungant, inque eo spem suam collocent, vitam sempiternam assecuturi sunt; quid de illis existimandum nobis est, qui pro tuenda justitia tot insuper mala, tot ærumnas, tot calamitates perferunt? In hanc autem spem per spiritum sanctum excitati sumus; utpote quo de summa erga nos charitate Dei abundè nobis persvasum est.

Iam ut de Christi imitatione dicamus; intelligendum est, nostrarum partium esse, ut quoad ejus fieri potest, omnem vitam nostram ad illius imaginem effingamus. Quod quidem tunc fiet, cùm ipsius sequemur cogitationes, sermones, & facta. Ad cogitata enim quod attinet; constat, Christũ non solùm nihil impurum, terrenum, Deové contrarium unquam animo concepisse: sed etiam ea semper mente contemplatum fuisse, quæ sancta, quæ cœlestia, quæ divina erant. Eodem pacto igitur & nos, tum animum ab omni impuritatis cogitatione perpurgatum, a rerum terrestrium atque fluxarum studio abstractum, ab omnium, quæ Deo improbantur, meditatione abductum habere convenit; tum de virtute, de justitia, de bonis sempiternis atque cœlestibus, denique de omnibus, quæ Deo probari exploratum habemus, assiduam diligentissimamque cogitatio-

Cap: XXI. De moralib: Christi preceptis seorsim traditis.

cogitationem suscipere, omnemque adeò mentem in futura illa Republica nostra defigere, eam sitienter appetere, eam unam cogitare, par est. Quod si fecerimus, facilè etiam Christi sermones imitabimur. Ex abundantia enim cordis os loquetur. Quid autem in omni Christi sermone aut obscœnum fuit, aut profanum; contrà verò non sanctissimum, non gravissimum, non verissimum, non denique & summum Dei spirans amorem, & ardentissimum futuræ felicitatis desiderium? Quin igitur ejus vestigiis insistimus, lingvamque nostram ab omni sermonis futilitate, obscœnitate, spurcitie, vanitate, mendacio, obtrectandi denique ac maledicendi studio continemus, & ea sermonibus nostris celebramus, quæ pura, quæ honesta, quæ sancta sint, quæ ad homines divinarum rerum notitiâ instruendos valeant, quæ divinam gloriam amplificent, quæ fidem spemque nostram, quæ denique ardentissimam sempiternæ beatitatis cupiditatem exprimant? (Mat: 12. 34.)

Iam quid de Christi *factis* dicam? Nullum certè reperies, in quo summa sanctitas, summa justitia, summa & perfectissima omnibusque suis numeris absoluta obedientia, quam Deo debebat, non eluceret. Nullum unquam vel minimum sceleris actum commisit, nedum ullam peccandi consvetudinem habuerit; contrà omnia fecit, quæ incredibilis in Deum fiduciæ & amoris, inauditæ tam in inimicos, quàm in amicos charitatis, insolitæ prorsus mansvetudinis, humilitatis, patientiæ denique argumenta continebant; quæ hoc loco fusiùs persequi supervacaneum est, cum superiùs ea sint a nobis explicata, ex quibus hæc intelligi satis possunt. Illud igitur potiùs hoc loco agendum est, ut nos ad illius imitationem exuscitemus; nihil interim morantes illorum sententiam, qui contra apertissima sac: literarum testimonia Christi vestigia persequi nos posse negant: sed ipsius tum hoc in loco, tum alibi de sese imitando mandatum nobis traditum firmissimè tenentes, omninoque persvasum habentes, eum pro summa sua sapientia atque justitia, nequaquam ea nobis imperare, quæ præstare nullo pacto possimus. (Matth: 10. 38. 11. 29: 16. 24: Ioh: 12. 26: 13. 15, 34: 15. 10, 12. & d.) Qua de causa & Apostoli Christum nobis induendum, id est, ipsius vitam moresque imitandos, itaq; nobis ambulandum esse docent, ut ipse ambulavit: & Christum pro nobis passum esse, nobisque exemplum reliquisse, ut ejus insistamus vestigiis. (Rom: 13. 14. 1 Ioh: 2. 6. 1 Pet: 2. 21.) Quid quòd & Paulum, & Thessalonicenses Christum imitatos fuisse apertissimè scriptum legimus. (1 Cor: 11. 1. 1 Thess: 1. 6.)

Verùm eos, qui Christum imitari nos posse negant, illud decepisse videtur, quòd imitationis naturam non satis intellexerunt; arbitrantes

arbitrantes nimirum, imitari idem esse, quod planè exprimere; & sic non similem alicui sese ea in re, qua de agitur, sed omnino parem, atque adeò eundem præstare. Quod sanè fallissimum esse, cuilibet intelligenti homini facilè patet: cùm ut rectè aliquem imitari dicamur, satis sit, nos easdem cum illo, quem sequimur, qualitates habere, quantumvis eæ haud paulò prçstantiore ratione ab illo possideantur. Ex quo fit, ut, qui ideo nos Christum imitari posse negant, quòd is vel summus ille Deus sit, aut certè quòd nos tum propter nascendi modum divinissimum, tum propter singularissimam vitç puritatem & sanctimoniam, longè multumque superet, illi rationes malè subducant: præterquam quòd priores illi unum errorem altero accumulent. Quòd enim Christus summus ille Deus dicitur, id & magno errore implicatum est, ut suo loco docebimus; & si vel verissimũ esset, nihil ad Christi imitationem excludendam momenti afferret. Nam & ipsum Deum imitari nos debere, tũ Christus, tum Apostoli luculentissimè docent. Si igitur ipsius summi Dei majestas ejus imitationem non impedit; quid, quçso, præstantissimus Christi nascendi modus ad hanc rẽ ponderis afferre potest? Nisi fortè singularissimam Christi sanctitatem, secundo loco a nobis commemoratam, ex ea generandi ratione ortum habere, & propter istam singularitatem imitabilem minimè esse volumus. Hîc fatemur quidem, Christum singularissimâ vitæ innocentiâ & sanctitate præditum fuisse, atq; adeò divinissima quadam ratione a summo illo salutis nostræ architecto, ab omni scelerum contagione integrum fuisse conservatum: verùm non protinus hoc ad singularissimam illius nativitatem referendum est; cùm citra eam hoc cõmodissimè divinâ potentiâ fieri potuerit, & sine dubio factum sit: nec, si hoc ad ortus illius dignitatem revocetur, statim consequens fuerit, nos Christi integritatem ac sanctimoniam sequi nequaquam posse, ut ex iis, quæ hactenus diximus, perspicuum est. quinimò quicquid hac in parte fecit Deus, id ideò fecisse censendus est, ut viam salutis per eum nobis ostenderet, & nos, ut eum sequi, & per ejus vestigia incedere vellemus, hoc pacto permoveret. Nequaquam verò consentaneum est, Deum, cùm id ageret, tanta Christi voluntatem necessitate astrinxisse, ut nonnisi ea cogitare, expetere, molirique ulla ratione posset, quæ recta, quæ decora, quæ sanctitati omni ex parte consentanea essent: sed eum potestati suæ relictum tanto spiritus sui præsidio sepsisse atque confirmasse, tanto divinæ sapientiæ lumine illustrasse, tanto denique virtutis studio incendisse, ut liberrima voluntate cùm esset, semper tamen ad summam

Lib: 5. c 9. & d.

Mat: 5. 45, 48. Luc: 6. 35, 36. Eph: 5. 1. 1 Pet: 1. 15, 16.

1 Ioh: 1. 7.

mam vitæ ſanctimoniam, quàm ad peccatum inclinare maluerit. Nihil enim divinæ ſapientiæ magis congruum erat, quàm omni ratione providere, ne via ſalutis per Chriſtum monſtranda deſperari poſſet. Quod quidem incommodum haud omni ex parte vitari potuiſſet, ſi Chriſtus omni libertate ita fuiſſet orbatus, ut nihil prorſus cogitare, nihil conari, nihil efficere potuiſſet, quod non eſſet cum ſumma virtutis excellentia conjunctum. Sic enim maxima eſſet inter nos & illum diſſimilitudo: cum nos & libero voluntatis arbitrio præditi ſimus, & ipſorum ſenſuum vi ad voluptates, & res cæteras, quæ carni ſunt gratæ, & cum peccato aliquo conjunctæ, rapiamur. Quæ quidem diſſimilitudo, ut animos noſtros maxima Chriſti imitandi deſperatione frangeret, deque ſuo ſtatu prorſus dejiceret: ita nihil eſt, quod majorem vim mentes noſtras ad optimam ſpem erigendi habeat, quàm planè perſvaſum habere, Chriſto libertatem arbitrii ereptam haudquaquam fuiſſe, eiq; non minùs, quàm nobis, ad ſumma pietatis officia præſtanda divino auxilio opus fuiſſe. Hoc enim firmiter conſtituto, haud facilè nobis in mentem veniet dubitare, quin ſimiles evadere duci noſtro, divina ope accedente poſſimus; & quin is, qui duci noſtro in re tam ardua opē auxiliumq; tulit, nobis quoq;, quos illius veſtigia perſequi juſſit, nequaquam ſit defuturus. Quòd ſi dicas, plura Deum Chriſto ad ſanctitatem colendam adjumenta dediſſe, quàm nobis; reſpondebimus, plus etiam Deum ab illo requiſiviſſe, quàm a nobis. Quemadmodum enim non par, ſed ſimile nobis cum Chriſto auxilium ferre conſtituit: ita etiam non parem, ſed ſimilem a nobis pietatem atque obedientiam exigere decrevit.

Cap: XXII. De Cœna Domini.

Cap. XXII.

De ceremonialibus Chriſti præceptis, & quidem de ſacra ejus Cœna.

ADhuc Moralia Chriſti præcepta fuerunt: ſequitur ut de Ceremonialibus agamus. Vnum autem tantummodo datum a Chriſto nobis eſt, nimirum Cœnæ ipſius ſanctiſſimæ religioſa celebratio. Quam quidem aliquid habere oportet eximium, utpote a Chriſto, qui omnes alioqui ceremonias exterminavit, inſtitutam, fideliumque nationi traditam. Quam ut rectiſſimè intelligamus, tum de nominibus quibus inſignitur, tum de re ipſa iſtis nominibus expreſſa diſſeremus. Nomina autem, quibus hæc ceremonia inſignitur, alia divinis literis conſignata, alia verò non expreſſa quidem ſunt, ſed tamen cum illis conveniunt, ideoque a piis hominibus

nibus jam olim fuerunt usurpata. Ac priora quidem hæc tria numerari solent: Cœna Dominica, mensa Domini, & fractio panis. Et Cœna quidem Dominica ea re appellatur, quòd ab ipso Domino Iesu Christo, peractâ ultimâ cum discipulis ante mortem cœnâ, instituta præceptaque est, pertinetque non ad profanum aliquem usum, sed ad ipsius Domini commemorationem perpetuamq; charitatis ipsius in morte nobis præstitæ laudem ac honorem. Qua quidem appellatione admonemur, ut actionem istam nequaquam profanam ducamus, idque vel eam negligendo, vel infra nostra negotia ponendo, vel denique debita animi devotione ac religione minimè peragendo. Mensa autem Domini eam ob causam dicitur, quòd non modò tunc, cùm Dominus eam primùm instituit, Discipuli unà cum ipso ad mensam accubuerint; sed etiam postmodum cum Apostoli, tum Ecclesiæ Christi idem factitârint, ut ex hoc Pauli testimonio perspicuum est: *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Quòd verò non simpliciter mensa, sed mensa Domini appellatur, id, ut paulò antè jam indicavimus, ideo fit, ut eã a reliquis mensis profanis plurimùm differre intelligamus. Appellatur & fractio panis per synecdochicam dicendi figuram. Nam & ab ipso Domino, & ab hunc sequentibus Apostolis Ecclesiisque panis frangebatur, ut & Christi perpessiones, morsque truculentissima, quã miserandum in modum quasi frangebatur, & arctissimum fraternitatis nostræ vinculum, per unius panis fracti distributionem ac participationem quodammodò repræsentaretur. De Cœna porrò Domini, & nequaquam de vulgari aliqua panis fractione in istis Actorum, ad quos respicimus, locis sermonem haberi, inde perspicitur, quòd in eadem verborum complexione res ad religionem spectantes commemorantur, veluti est Apostolorum doctrina, & precum studium. Nec nihili faciendum videtur, quòd tum Latinus, tum Syriacus interpres, de priore testimonio idem planè statuunt, dum ille legit, *eos durasse in communicatione fractionis panis:* hic verò sic habet: *Et communicabant in precibus, & fractione Eucharistiæ.*

1 Cor: 11. 21.

Act: 2. 42, 46. & 20. 7. Matth: 26. 26. 1 Cor: 10. 16. item 11. 24.

d. l. Act: 2. & c. 20.

Illa autem vera hujus actionis nomina, quæ a piis viris inventa sunt, quatuor potissimùm numerantur, nempe Eucharistia, Synaxis, Sacra mensa, & Memoria Domini.

Et Eucharistia quidem, jam inde ab Ecclesiæ primordiis, ceremonia ista rectissimè dicta est, quòd eam celebrando, Deo Christóque solennes agimus gratias, pro incredibili utriusque in nos amore, quem ille, filium unigenitum nostræ salutis constituendæ causâ acer-

acerbissimæ morti subjiciendo; hic verò voluntariè, ut nobis prodesset, eandem mortem subeundo, declaravit. Cap: XXII. De Cœna Domini.

Synaxis, seu quod idem planè est, fidelium hominum in unum locum congregatio, ea de causa nominatur, quòd ad eam solenni quadam religione celebrandam, homines Christi disciplinæ addicti confluere solent.

Sacra mensa autem ideo a veteribus dicebatur, ut a mensis profanis distingveretur, & simul innueretur, panem vinumque in hac Christi Cœna appositum, non vulgarem, sed sanctum quendam cibum sanctamque potionem esse, ac cum singulari quadam religione usurpandum. Hæc appellatio non multùm differt ab ea, quâ Mensa Domini vocatur.

Iam Domini memoria nequaquam ea de causa nominabatur, quòd Christum Dominum ejusque mortem subinde nobis ipsis, qui eam celebramus, in memoriam redigat, ut infrà docebimus: sed quia est ritus a Christo ideo institutus, ut perpetua ipsius memoria inter homines vigeat.

Hæ sunt Cœnæ Dominicæ appellationes, quæ partim literis divinis sunt consignatæ; partim non solùm illis sunt consentaneæ, sed etiam verum istius rei usum illustrant. Verùm cum Sathanas sanctissimæ huic actioni eversionem afferre institueret, alias adhuc istius ceremoniæ appellationes induxit, iis, quas recensuimus, vel obliteratis, vel vero illorum significatu ex memoria hominum magna ex parte deleto.

Nomina porrò præter veram hujus ceremoniæ rationem inducta, ut de iis quoq; nonnihil dicamus, quatuor potissimùm sunt: nimirum, Sacramentum altaris, Sacramentum corporis Christi, Sacrificium corporis ac sangvinis Christi, & Missa. Hæc enim nomina nec rei nominatæ naturam explicant, nec quicquam cum ea conjunctum habent. Quod enim ad primum, nempe Sacramenti altaris vocabulum attinet, illud huic actioni minimè convenire inde perspicitur, quòd nec sacramenti definitio, quam illi ipsi constituunt, qui ritum hunc isto modo appellant, ei competat, nec ullum ad hanc ceremoniam requiratur altare. Volunt enim illi, qui Sacramenti nomine abusi, ad ritus quosdam sacros id transtulerunt, Sacramenta non signa tantummodo, sed etiam obsignationes confirmationesque divinæ gratiæ, atque adeò ejusdem in nos conferendæ instrumenta quædam esse. Id quod a vero Cœnæ Dominicæ usu planè abhorret: quippe quæ nec ullam nobis Dei gratiam donet, nec obsignet; sed jam donatæ obsignationem adumbret, & ideo sit

instituta

instituta, ut ista Dei benignitas solenni commemoratione ac gratiarum actione celebretur. Altaris quoque vocabulum nullum hîc locum habere potest; cùm vel solo mensæ vocabulo excludatur; nec Deo res istæ, quibus hic ritus continetur, offerendæ sint, ut suo loco demonstrabitur. Altaria autem solis sacrificiis destinata esse nemo ignorat.

Hinc satis constat, nec alteram appellationem, nimirum Sacramentum corporis Christi, veram esse. Si enim hæc actio ne sacramentum quidem est, quo pacto, quæso, corporis Christi sacramentum erit?

Iam ad tertiam appellationem, nempe corporis sangvinisque Christi sacrificium, quod attinet; eam certè falsissimam esse hinc intelligitur, quòd illam rem continet, quæ & verum Cœnæ Dominicæ scopum prorsus tollit, ut suo loco videbimus; & divinis oraculis planè repugnat. Negant enim sacra volumina, Christi corporis oblationem iterari posse; idque tum propter summam sacrificii istius perfectionem, tum quia Christum sæpius pati occidique oporteret; negant, plures præter ipsum Christum existere ejusmodi Sacerdotes, qui hoc munus administrent; negant denique Christi corpus in terris offerri posse.

Atque hinc perspicuum est, nec ultimum ceremoniæ istius nomen, nimirum Missæ vocabulum, prout hodie usurpatur, cum veritate conjunctum esse. Missam enim Christi corporis sanguinisque oblationem pro vivis ac mortuis libatam nominant, licet vox ista nihil minus, quàm istud, significare videatur: qua de re plura dicere nihil attinet.

Iam ut ad rem ipsam accedamus; intelligendum est, Cœnam Domini nihil aliud esse, quàm actionem sacram, quæ fractione ac comestione panis, & potione e poculo, a Christi fidelibus perficitur, ab ipso Christo institutam, in solennem perpetuamque ipsius mortis, perque hanc testatæ erga nos charitatis commemorationem ac celebrationem. Quo in loco, præter alia multa jam a nobis explicata, tria potissimùm consideranda proponuntur. Primò enim docemur, hanc sacram actionem a Christo institutam præceptamq; esse. Deinde, quo pacto hæc actio sit administranda, ostenditur. Tertiò, quis ejus sit scopus, monstratur; simulque docetur, quales illos esse oporteat, qui ritè ac convenienter ad hanc sacram mensam accumbere volunt. Ac ad primum quod attinet; apertissimum est, Christum de hac ceremonia universale perpetuumq; mandatum Ecclesiæ dedisse; cum & disertissimis verbis discipulos

suos

suos eam facere jusserit in sui commemorationem; & Apostolus Paulus explicatiùs ea de re loquens, sese illam a Domino acceptam Corinthiis tradidisse asserat, ut nimirum tum panem fractum comedendo, tum bibendo e poculo, Christum commemorarent, seu ut ipse sese explicat, mortem Domini annunciarent. Id quòd perpetuò in Christi Ecclesia usque ad ipsius adventum fieri debere, ibidem luculentissimè docet. Sunt tamen, qui hoc Christi mandatum eludere conentur, verbumque ποιεῖτε, quo Christus discipulos alloquens est usus, ita interpretentur, ut non *facite*, sed *facitis* significare asserant. Atqui hanc Christi verborum interpretationem cõsistere non posse, ex eo apparet, quòd hæc commemoratio, Christivé mortis annunciatio, tunc fieri non poterat. Res quippe commemoranda, nimirum mors Christi, nondum extabat. Atqui commemoratio, quæ Græcè est ἀνάμνησις, rei est præteritæ, non futuræ. Apparet igitur, Christum de re futura orationem habere, ideoque non *facitis*, sed *facite* (in posterum scilicet) dixisse, idque, ut Paulus a Christo edoctus addit, donec Dominus veniat. Adde, quòd Apostoli, antequam hæc a Christo dicerentur, adhuc nescirent, quorsum ea ceremonia pertineret, quemvé in finem instituenda esset. Quare non poterat Christus affirmare, illos ista jam facere in sui commemorationem; sed edocere eos debebat, quem in finem ea facere deberent, & ut in posterum facerent, mandare atque præcipere. Hîc verò, esto sanè, inquiet aliquis, mandaverit hoc Christus fieri; num ideò consequens fuerit, hoc ipsius præcepto universam Ecclesiam obstrictam esse, & non potiùs solos Apostolos; quippe quibus solis ceremoniam istam tunc tradiderit? Hîc respondemus, si ex eo, quòd solis Apostolis primùm tradita fuerit, argumentum ducatur, consecutionem istam vitiosissimam esse: Christus solos Apostolos ad suam Cœnam tunc admisit, eamque illis tradidit: Ergo nonnisi Apostolis præcepta est. cum fieri possit, ut aliquid solis Apostolis primùm fuerit traditum, quod tamen non ad solos Apostolos, sed ad alios etiam spectaverit. veluti illud est, quòd assumptis duodecim, unaque cum illis Hierosolymam iter faciens, suas afflictiones, mortem, & resurrectionem eis prænunciat. Quam quidem rem ad reliquos omnes ipsius discipulos pertinuisse, nemo arbitror negabit. Adde, quòd interdum tres tantùm suos discipulos illis rebus interesse voluit, quæ itidem ad alios spectabant: veluti fuit illa ipsius glorificatio in monte facta, cumque Elia Moseque de ipsius morte colloquium, & divinæ illius vocis de

Cap: XXII. De Cœna Domini.

1 Cor: 11. 23.

ỳ 26.

Mat: 20. 17, & d.

Mat: 17. 1, & d.

cœlo factæ auditio: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: hunc audite.* Causa autem hujus rei hæc esse videtur, quòd Christus Apostolos singulariter ad laborum itinerumque societatem elegerat, illisque omnium primò divina mysteria credere instituerat, ut ea postea reliquis, quippe ipsius legati, annunciarent. Id quod ut reliquis in rebus præstiterunt, ita & in hoc ipso negotio factum ab illis esse, ex Luca satis apparet, dum discipulos, qui ab iis de religione Christiana instituti fuerant, aut etiamnum instituebantur, domatim panem fregisse, eaque in re perseverasse, alibi autem, ad idem faciendum convenisse, ait. Quod quidem non de profano communique ciborum usu, sed de cœna Dominica accipiendum esse, suprà ostendimus. Hanc autem rem discipulis illis per Apostolos traditam fuisse, res ipsa ostendit; cum, uti jam indicavimus, horum cohortationibus, aliisq; factis ad Christi disciplinam amplexandam perducti, & in ea instituti fuerint. In quam sententiam Paulus, qui similiter Apostolus fuit, sese ceremoniam istam a Domino accepisse, Ecclesiæque Corinthianæ tradidisse ait. Huc accedit, quòd ipse cœnæ Dominicæ finis ac scopus, de quo infrà suo loco dicemus, magno argumento est, eam non Apostolis tantùm præceptam fuisse, sed toti Ecclesiæ Christi: cum Christi commemoratio, ejusque mortis annunciatio omnibus conveniat. Ex quo intelligitur, Apostolos tunc mensæ Domini accumbentes, totius Ecclesiæ personam sustinuisse.

a I. Act: 2. 42, 46. c. 20. 7.

1 Cor: 11. 23.

Verùm & cum illis agendum est paucis, qui ideò nos ad istam ceremoniam aliquo Christi mandato adstringi negant, quòd Paulus ejus usum in fidelium libera voluntate arbitrioque positam esse, illis verbis docere videatur: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis.* Atqui animadvertendum est, Apostolum nequaquam dicere, nobis Cœnâ Domini liberum esse uti, vel non uti: sed docere, quid faciamus, quotiescunque eam ex Christi præcepto celebramus; nimirum nos Christi mortem annunciare. Vt facilè appareat, libertatem, quam Apostolus innuere videtur, non in ceremonia ista vel conservanda, vel negligenda sitam esse: (alioqui sibi ipsi adversaretur, qui ceremoniam istam a Domino acceptam, Corinthiis, & porrò aliis etiam Ecclesiis, his similibus, tradidisse asserat, ut ad Christi usque adventum in fidelium cœtibus vigeret:) sed si de libertate, quæ in hujus ritus celebratione cernatur, quippiam ex his Pauli verbis colligi potest, eam in temporis, quo celebrari debeat, electione consistere censendum est. Neque enim omnia præcepta, præsertim affirmantia, ad certum

tempus adstricta sunt. Quapropter statuendum erit, significare voluisse Apostolum, in Ecclesiæ arbitrio positum esse, tempus, quo sacram hanc actionem peragi expediat, eligere.

Iam ad alterum, nimirum istius ceremoniæ celebrandæ modum, quod attinet; intelligendū est, eorum, quæ hîc fieri debent, duo esse genera: quædam enim spectant ad actionis istius rationem omnibus suis numeris ac partibus absolvendam, ita ut sine iis, vel penitus tollatur, vel mutiletur; quædam verò minimè. Ac illa quidem Christi fidelium in unum locum convocatione ac congressu, panisque fractione ac comestione, nec non bibitione e poculo continentur. Quare vel uno istorum mutato aut sublato, ceremoniam hanc vel penitus tolli, vel mutilari, necesse est; veluti est, quòd pontificii sacerdotes soli in Missa panem & vinum, ut ipsi ajunt, Deo offerunt, vel quòd calicem populo non præbent, qui tamen pars est Eucharistiæ a Christo institutæ dimidia. id quod tum per se unicuique liquet, tum ex eo cerni potest, quòd ejusdem cœnæ summa in Christi mortis repræsentatione consistit. Cùm igitur Christi mors cruenta fuerit, ideoque non solùm corporis ipsius contusione ac crucifixione, quam fractionis nomine Paulus effert, sed etiam sanguinis effusione contineatur; consequens est, panem tantùm, calice prætermisso, qui sanguinem Christi effusum repræsentat, comedere, nequaquam satis esse ad Christi mortem repræsentandam; & sic Pontificios Dominicam cœnam seu Eucharistiam, ejusque legitimum usum, jure sibi tribuere minimè posse. Nec quicquam illis movemur commentis, quibus totum Christum in utraque specie contineri, totamque sacramenti rationem in una inveniri asseritur, ita ut haud major ex utriusque, quàm unius speciei sumtione, hauriatur utilitas. Apertissimè enim hîc pro concessis sumuntur ea, quæ a vero alienissima sunt; nimirum Christum sub panis vinique specie realiter, quod dicunt, existere; & ejusdem corpus verè proprieque in sacra cœna comedi, sangvinemque bibi; maximumque nos ex cœnæ Dominicæ celebratione fructum percipere potiùs, quàm pro jam percepto, Deo Christoque gratias agere. Id quod cum Christi mente veroque ritûs istius fine apertissimè pugnare, partim jam demonstratum est, partim luculentiùs adhuc demonstrabitur. Quin potiùs ex eo, quòd Christus non modò panem edi, sed etiam e poculo bibi voluit, & Paulus utriusque rei ad Corinthios scribens mentionem facit, concludunt, fieri non posse, ut Christus realiter sub utraque, ut vocant, specie subsistat: siquidem aliàs alterutra supervacanea prorsus esset, ut ipsimet judi- (1 Cor: 11. 26.)

cant, dum alteram populo Christiano negant; nec minùs hæc ratio in sacerdotibus, quàm in populo valeret.

Ea porrò, quæ ad actionis istius essentiam extrinsecus accedunt, vel doctrinæ sunt, quibus, quorsum illud pertineat, quod Christi imperio perficimus, erudimur; vel cohortationes, quibus ad mortem Christi pro nobis susceptam, ad summam tum ipsius Christi, tum Dei erga nos charitatem, quæ ea in re eluxit, religiosè celebrandam, ad fraternam, quam eâdem ceremoniâ profitemur, conjunctionem ac dilectionem colendam, aliaque pietatis officia incitamur. Quòd si ista prætermittantur, non exiguam quidem de conveniente huic actioni ornatu ac dignitate decessionem fieri necesse est: ipsa tamen rei summa salva integraque permanet.

Iam ut ea videamus, quæ cum ipsa Cœnæ Dominicæ essentia nihil conjunctum habent; hoc primò intelligendum est, illa propter hanc ipsam causam indifferentia seu adiaphora meritò appellari posse, utpote quæ pro personarum, temporum, atque locorum circumstantiis, vel retineri, vel omitti, vel etiam mutari possint, absque ulla vel sacræ hujus actionis eversione, vel decoris ei convenietis neglectu. Ea autem quinque potissimùm sunt, quorum primum temporis ratione continetur; de qua dupliciter agemus. primò enim videndum est, an ideò vesperi omnino, ut Veterum nonnulli existimârunt, vel etiam noctu Cœna Domini celebranda sit, quòd Christus tali tempore eam constituit. Dicimus autem, id consequens nequaquam esse: cùm quod tunc Christus fecit, si tempus illud respicias, propter Paschalis agni esum, cui Eucharistiæ institutionem subjicere voluit, fecerit. Lege enim sancitum erat, ut agnus Paschalis, inter duas vesperas immolaretur, ac noctu comederetur. Deinde quæri potest, an certo omnino die, aut diei hora, hæc actio sit peragenda? Respondemus autem, minimè ita esse; cum nullum nobis a Domino Iesu præceptum traditum sit, quo de certa die, certavé hora ritus istius celebrandi erudiremur; Paulusque satis habuerit dicere, *Quotiescunque comederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis.* Ex quo, ut suprà diximus, colligi posse videtur, in arbitrio Ecclesiæ positum esse, tempus huic ritui accommodatum eligere.

Exod: 12. 8.

Alterum est, quòd Christus sedendo, cumque discipulis suis ad mensam accumbēdo, sacram istam cœnam peregit. Quem quidem ritum ad longum tempus in Ecclesia durasse credibile est, & hodie etiam a nobis retinetur; ita tamen, ut minimè illos damnemus, qui stando, quàm sedendo, ceremoniam istam administrare malunt; dummo-

Cap. XXII. De Cœna Domini.

dummodo absit omnis idololatriæ species.

Tertium est, quòd Dominus pane azymo secundùm Legem fuerit usus; vino autem puro, & aquâ nequaquam mixto, usum fuisse consentaneum est. Quæ quidem res cum cœnæ Dominicæ essentiâ minimè contineatur, non ita nos obstrictos tenet, quin qualiscunque panis, & qualecunque vinum haberi potest, tali utamur. Imò si cujuspiam natura vinum respuat, nihil vetare existimem, quominus aquâ is utatur: cum sic de Cœnę Dominicæ summa nihil detrahatur.

Quartum est, quòd viri denudatis capitibus ceremoniæ istius religionem conficere solent. Quę quidem res, tametsi ad vitandum scandalum, ex contemptûs suspicione profectum, magnam vim habet: si tamen altera ex parte justæ sint causæ, cur caput tegatur, satis fuerit, in ipso initio illud aperiendo, reverentiæ atque honoris significationem dare.

Quintum certi cujusdam hominis electionem continet, nimirum Ecclesiæ pastoris, qui reliquis cœnam Domini dispenset: quæ sanè res *adiaphora* est; cum neque a Christo nobis imperata sit; nec ulla dari causa possit, cur omnino fieri debeat. Quod tamen non perinde a nobis dicitur, quasi hanc rem ab Ecclesiæ ministro commodissimùm administrari negemus: cum apud nos hoc omnino fiat; tum quia simile quippiam in prima hujus ritus institutione factum est; tum quia hoc pacto τὸ εὐσχημον, seu decorum, cujus Paulus in Ecclesia rationem haberi vult, observari omnium facillimè potest: sed ut religionis puritas ab omnibus superstitionibus vindicetur. Administretur igitur hoc sacrum negotium per Ecclesiæ ministrum, non quidem necessitatis, sed ordinis causâ: hac tamen cautione adhibita, ne quis putet, ministrum ea in re Christi personam atque auctoritatem sustinere, illiusque loco hoc facere, & actioni huic vim ac dignitatem quandam conciliare. Nam proprius actionis hujus finis, quem commemorationem Christi, seu annunciationem mortis ipsius esse mox docebimus, nullam ejusmodi sive vim, sive dignitatem postulat: & cum actio frangendi panem, non obscurè ipsis Christi fidelibus generatim in sac: literis tribuatur; apparet, ministrum Ecclesiæ in frangendo pane eorundem vices obire. Cujus rei gratiâ providendum verbi divini ministro est, ne unquam per oblivionem a pane & vino abstineat; ne videatur Christi ipsius munus obire velle, qui ipse cœnâ illâ usus non fuit, sed reliquis eam tantùm dispensavit. dd. 1. Act: 2, & 20.

Sequitur, ut in quem finem Christus hanc suam Cœnam instituerit, videamus. Luculentissimè autem tum ipse, tum Paulus Apostolus docet, hoc consilio id ab eo esse factum, ut ipsum, quatenus nimirum passus mortuusq; pro nobis est, commemoremus, seu atrocem illam atq; violentam ipsius mortem annunciemus. Annunciamus autem, dum non modò pane fracto corpus Christi fractum, seu excarnificatum ac crucifixum, potu autem, qui poculo continetur, sangvinem Christi pro nobis fusum adumbramus, omnibusq; ante oculos mortem Christi cruentam ponimus; verùm etiam, dum panem illum edendo, atque e poculo bibendo, palàm testamur atque profitemur, nos corpus Christi fractum ac crucifixum pro animæ cibo, sangvinem fusum pro potu habere, quo ad vitam spiritualem ac sempiternam perinde alamur ac confirmemur, ac cibo potuque corpora nostra ad vitam terrenam ac temporalem sustentantur. non quidem quòd in hac tantùm sacra actione Christi carnem & sangvinem spiritualiter edamus ac bibamus; multò autem minùs, quòd id fiat earum rerum vi, quæ in sacro hoc ritu nobis exhibentur: sed quòd pia mortis Christi meditatione, & vera in eum fide id perficiatur, ac porrò etiam extra hunc ritum a nobis fiat, quamdiu meditatio illa, ac fides inde cōcepta, in animis nostris viget. Et hæc quidem, quam explicuimus, mortis Christi annunciatio, proprius est, atque adeò unicus Cœnæ Dominicæ finis, cum quo ita conjuncta est illa corporis & sangvinis Christi communicatio, cujus ad Corinthios scribens mentionem facit Apostolus, ut partim in annunciatione illa contineatur, partim ex illa resultet. Communicatio enim ista corporis & sangvinis Christi duo in se complectitur: primò, quòd hac ceremoniâ profitemur, nos ea, quâ dictum est, ratione corpus Christi edere, & sangvinem ejus bibere, & sic eorum bonorum, quæ morte sua cruenta Christus nobis peperit, h. e. remissionis peccatorum, & vitæ sempiternæ, quam spe certa in hoc seculo veluti præcipimus, esse participes. Vox enim Participationis eo modo hîc sumitur, quo paulò pòst eodem loco ait Apostolus, Israëlitas, qui victimas comedant, participes altaris esse, h. e. profiteri ac declarare, se religionis ac cultus illius, qui in altari peragitur, esse participes; & eos, qui comedant victimas idolis immolatas, participes dæmoniorum fieri, h. e. profiteri, vel indicare, se cum illis aliquid habere commune, & ad illos pertinere. Deinde istud quoque in hac participatione corporis & sangvinis Christi continetur, quòd hanc ceremoniam peragendo testificamur, nos unius corporis membra esse, &, quemadmodum de uno pane comedimus

Marginal notes: Luc: 22. 19. 1 Cor: 11. 24, 25, 26. — 1 Cor: 10. 16. — Ibid: ℣ 18. — ℣ 21. — Vid. ib: ℣ 17.

medimus, ita nos omnes unum Christi corpus mysticum constituere; ac proinde instar membrorum unius corporis, alios aliorum curam habere, & nequaquam alios ab aliis contemni atque negligi debere.

Quo in loco simul animadvertendum est, quales illos, quibusque moribus esse oporteat, qui ritè actionem istam perficere cogitant. Cùm igitur hîc, ut vidimus, profiteamur, nos corporis & sangvinis Christi, eorumque bonorum, quæ morte sua cruenta Christus nobis peperit, esse participes; res ipsa postulat, ut ista bona, quatenus ea in hoc seculum cadunt, possideamus. possidere autem non possumus, nisi fiduciâ in ipso positâ, mandatis ipsius pro viribus pareamus. deinde, ut ad hanc ipsam ceremoniam, eam adferamus religionem ac devotionem, ut summa cum animi demissione Deo ac Christo pro tanto beneficio gratias agamus, nec quicquam committamus, quod contemtum aliquem *sacræ hujus actionis*, ipsiusque adeò corporis ac *sanguinis Christi*, cujus memoria hîc celebratur, sapiat. *Ideo præcipit* Apostolus, ut nos ipsos probemus, seu probatos *exhibeamus*: id quod ii faciunt, qui istis, quas diximus, rebus *instructi* sunt. Neque enim probandi verbum apud Apostolum nudam quandam factorum nostrorum explorationem denotat: sed talem, quâ fiat, ut actiones tuas Deo approbare studeas. Aliàs ea nequaquam ejusmodi est, ut propterea dignè de sacro hoc pane edere, & e poculo Domini bibere censendus sis, quemadmodum de iis statuit Apostolus, qui seipsos probant. Quàm necessarium autem sit, ut quisque seipsum probet, & porrò dignè, h. e. ita, ut hujus sacræ actionis ratio postulat, de pane hoc edat, & e poculo bibat, inde facilè perspicitur, quòd Paulus indignè cœnâ Domini fruentes, corporis sangvinisque Christi reos esse asserit, id est, reos violati ac contemti corporis & sangvinis Christi; eosdemque judicium, h. e. *supplicium* ac pœnam, sibiipsis comedere ac bibere affirmat. Dum enim illotis, quod dicitur, manibus illotové pectore ad mensam Domini, non secùs atque ad vulgarem mensam, accedunt, sacramque hanc actionem profanant; ipsum Christi corpus ac sangvinem, qui istic adumbratur, & ad cujus memoriam tota actio instituta est, contemnere & ignominiâ quadam afficere, ac, quantum in ipsis est, profanare proculcareq; censendi sunt. Præterea nihil magis divini numinis odium in homines incendit, quàm pietas fallax, inque inani simulatione constituta, quâ sese illi tegunt, qui, cum in aliquo turpitudinis genere versentur, sacram tamen mensam adire non dubitant: præsertim si ab eo desistere seriò non cogitent, nec porrò ab

1 Cor: 11. 28.

1 Cor: 11. 27. & 29.

eo desistant. Quod sanè facinus audax capitaleque est; cum isti non solùm propria reclamante conscientia, sed etiam Deo, qui hominum animos factaque intuetur, & justissimo judicio omnia ponderat, contrarium vidente; nec tantùm Deo, sed sæpè etiam hominibus illorum impietatem perspectam habentibus, studium tamen religionis gloriæque divinæ fallaciter assumere audeant. Hi igitur, quin judicium sibi comedant ac bibant, gravissimasque pœnas luant, fieri non potest. De his enim vel imprimis dici debet, eos corpus Domini non dijudicare, nec, uti dignum erat, æstimare, dum sic sacrum istud convivium accedunt, quasi profanum quippiam sit, ab omnique religione sejunctum: cum qui profanis utitur cibis ac potionibus, quamvis flagitiis sit coopertus, nullam tamen in eo ipso, quòd cibum capiat, & vires corporis eo pacto reficiat, culpam committat: sacro autem pane vesci, sacrumque vinum bibere, homo sceleratus, quin se peccato contaminet, & Christum ad iram provocet, nequaquam potest. Corpus igitur Domini dijudicandũ est, itaque hæc actio ponderanda, ut nequaquam ad gulæ satisfaciendum hîc conveniri existimemus, sed ut Christi passiones mortemque cruentam adumbrantes, eam publicè celebremus, & tum ipsi Christo, tum Deo, cujus voluntate Christus pro nobis mortuus est, dignas agamus gratias; nosque illi, qui aliquando eum in modum tractatus fuit, toto animo adhærere profiteamur. De judicio autem illo, quod indignè ad sacram mensam accumbentibus, non propter alia peccata, in quibus fortè hæreant, sed propter hoc ipsum, quòd indignè de pane edant, & e poculo Domini bibant, comminatur Apostolus, ita statuimus, per id non sempiternam damnationem nominatim, sed supplicium in genere intelligendum esse: præsertim cum Apostolus eo in loco, non consvetudinis tantùm ea in re peccandi, sed singulorum etiam actuum rationem habeat. Patet id, quod diximus, ex eo, quòd Apostolus exemplo ipsorum Corinthiorum id illustrans, statim addat: *Propterea inter vos multi sunt* ℣ 30. *infirmi atque ægroti, & obdormiscunt multi. Si enim nos ipsos dijudicaremus, non judicaremur a Domino.* ubi vides, judicii istius nomine comprehendi infirmitates corporis, mortemque temporaneam. Dum enim ait, multos *obdormiscere*, satis indicat, haudquaquam esse necesse ut statuamus, eos æternùm perituros. Novi enim fœderis scriptores de hominibus, quos æterno exitio omnino destinatos esse censent, nuspiam ajunt, eos obdormiscere, vel obdormivisse. Eódem pertinent sequentia, ubi ait Apostolus: *Dum judicamur a Domino, castigamur, ne cum mundo damnemur.*

Ea, quæ

Cap: XXII. De Cœna Domini.

Ea,quæ hucusque diximus, ſufficere poterant ad rationem ſacræ hujus ceremoniæ intelligendam, niſi ea graviſſimorum errorum tenebris fuiſſet ab aliis involuta. Multi enim, cum nec Chriſti verba, quibus in ſacri hujus ritus inſtitutione uſus eſt, nec Pauli de eadem ceremonia loquentis dicta juſtis momentis examinarent, in duo errorum genera funeſtiſſima inciderunt, quorum alterum falſas eorum continet interpretationes, alterum confictos cœnæ Dominicę fines complectitur. Primò igitur in hoc conveniunt omnes, qui illa Chriſti verba, *Hoc eſt corpus meum*, &, *Hic eſt ſangvis meus*, falsò interpretantur, ut ſtatuant, eum in Cœna ſua revera corpus ſuum comedendum, ſangvinemque bibendum dediſſe. Qui error hoc ſolo repelli poteſt, quòd nequaquam in eum finem, uti vidimus, hic ritus eſt inſtitutus, ut aliquid ex eo reportemus, ſed ut jam antea acceptum beneficium commemoremus, & pro illo publicas ſolennesque Deo ac Chriſto gratias agamus. Deinde ſpeciatim animadvertendum, hoc erroris genus triplici modo committi, & ſic triplicem hominum ſectam conſtituere. Primò enim ſunt, qui horum Chriſti verborum eam vim eſſe exiſtiment, ut ſimul ac a ſacerdote proferuntur, ſtatim panis in Chriſti corpus, & vinum in ejusdem ſangvinem convertatur. Quam quidem ſententiam & monſtroſam, & a verò alieniſſimam eſſe, aliquot argumentis demonſtrabimus, quorum hoc primum eſto: Si vera hæc opinio eſt, nonniſi ex Chriſti verbis conſtare poteſt; idque vel quia illis exprimitur, vel quia vi conſecutionis ex illis conficitur. At prius verum nequaquam eſt: quia nec Chriſtus dicit, panem converti, aut transſubſtantiari, ſed ſimpliciter dicit: *Hoc eſt corpus meum;* qua quidem locutione, non panē corpus fieri, ſed eſſe ſignificatur: & vox *hoc* vel non ad panem, ſed ad actionem totam referenda eſt; vel ſaltem non de pane ſimpliciter, ſed quā frangitur, eſt accipiēda. Conſecutionis quoque vi ſententiam iſtam ex Chriſti verbis effici nequaquam poſſe inde conſtat, quòd præter ea, quę de his Chriſti verbis modò diximus, longè verior eorum interpretatio, tum ex ſimilibus ſacrarum literarum teſtimoniis, tum ex communi omnium linguarum conſvetudine peti poteſt, atque adeò debet, ut nimirum corpus Chriſti adumbrari, figurari, ſignificarique denotent. Omnibus enim hominibus, doctis, indoctis, ipſisque adeò pueris familiare eſt, figuram appellare nomine illius ipſius rei, cujus eſt figura: unde imagines quasvis, earum rerum nominibus vulgò inſignimus, quarum ſunt imagines. Quid apud eos, quibuscum hîc diſputamus, familiarius eſt, quàm Chriſti crucifixi imaginem, Chriſtum crucifixum, aut

passionem ipsius appellare? Quod ad sac. literarum consvetudinem attinet, inter alia illustre cernimus hujus loquendi modi exemplū apud Ezechielem vatem, cujus consideratio plurimum huic dispu-tationi nostræ luminis afferre potest, ubi hunc in modum Deus Prophetam alloquitur: *Et tu fili hominis, sume tibi gladium acutum, radentem pilos, eumque sumptum duces per caput tuum, & per barbam tuam: & aßumes tibi stateram ponderis, & divides eos: tertiam partem igni combures in medio civitatis, juxta completionem dierum obsidionis: & assumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu ejus: tertiam verò aliam disperges in ventum, & gladium nudabis post eos. Et sumes inde parvum numerum, & ligabis eos in summitate pallii tui. Et ex eis rursum tolles, & projicies eos in medio ignis, & combures eos igni: & ex eis egredietur ignis in omnem domum Israël. Hæc dicit Dominus Deus: Hoc est Hierusalem: in medio gentium posui eam,* &c. &c. Quo in loco nemo non videt, figuræ tribui rei ipsius nomen, cùm dicitur, *Hoc est Hierusalem;* ac præterea non solos pilos Hierosolymam nominari, sed omne id, quod de pilis fiebat, nihilq; aliud hîc dici, quàm isto pilorum negotio adumbrari, quid primo quoq; tempore de Hierosolyma futurum esset, ut cuilibet totum illud caput diligenter legenti facilè patebit. Eodem igitur modo & Christus, ut quid mox de suo corpore sangvineq; futurum esset, discipulis quodammodo repræsentaret, atq; ante oculos constitueret, acceptum panem fregit, illisque comedendum dedit, hoc suum esse corpus asserens, quod nimirum mox, ut apud Paulum habetur, frangendum pro nobis erat. Sic & vinum calici infusum ad bibendum illis porrigens, sangvinem suum mox profusum iri significavit. Vbi animadvertendum, id quod de pane tanquam de re adumbrante verè proprieq; dicitur, nonnisi per quandam dicendi figuram rei adumbratę tribui. Panem enim frangi propriissimè dicitur, at minùs propriè idem Christi corpori assignatur, utpote quod non fractum revera, sed verberibus cæsum, clavis lanceâque perfossum, in cruce distentum, cruciatibus intolerandis afflictum fuit: contrà autem, quod verè proprieque sangvini tribuitur, nimirum profusio, id ad vinum nonnisi impropriè referri potest; utpote quod propriè loquendo non profunditur, sed infunditur.

Ezech: 5. 1, & d.

Alterum argumentum, quo Transsubstantiationis commentum refellitur, est, quòd Paulus sacram Domini Cœnam diligentissimè explicans, luculenter admodum docet, panem in ipso etiam ejus usu panem permanere, cùm his verbis utitur: *Panem, quem frangimus, nonne est communicatio corporis Christi?* Item: *Quoties hoc pane*

1 Cor: 10. 16. & 11, 26, 27, 28.

pane vescimini,&c. Itẽ & illud: *Quisquis indignè panẽ hunc comedit*,&c. Sed quid opus est verbis, cum rei istius veritas ipsis etiam sensibus pateat? Panis enim nonnisi panem,& vinum nonnisi vinum sapit,oculisq; exhibet. Nec nos quicquam movet,quòd sapor accidens sit: cùm proprium accidens sine proprio suo subjecto consistere nequeat; & porrò, ubi panis & vini proprius sapor est, ibi panem & vinum existere necesse sit. Adde, quòd panis iste, quem transubstantiari asserunt, nutriendi vim habeat, quod idem & de vino judicandum est, &, ipsis etiam testibus, putrescat, a vermibusq; consumatur, quorum nullum in accidentia convenire manifestum est: ut necesse sit subjectum illis subesse, in quod istiusmodi affectiones cadant,quod sanè non corpus Christi, sed panis & vinum est. Tertium argumentum est, quòd tum Christus,tum Paulus apertissimè illud corpus Christi nominant, quod tunc frangendum erat, nunc verò ut fractum olim, & sic passionibus mortique obnoxium a nobis consideratur: id verò Christum nunc minimè habere, nos suprà satis docuimus. Adde quòd, etiamsi id haberet, nihilominus tamen id pluribus in locis uno eodemque tempore existere non posset. qua de re in secundæ sententiæ refutatione plura dicentur. vid: lib. 3. c. 19. & 35.

Verùm instant isti, Paulumque dicere ajunt, eos, qui pane hoc vescuntur, exque poculo hoc bibunt indignè, reos esse corporis & sanguinis Christi: hoc autem fieri non posse,nisi panis vinumq; realiter, quod ajunt,Christi corpus sanguisque existat. Atqui quis est, cui, quàm inepta hæc sit consecutio, clarissimè non pateat? cum corporis sangvinisque Christi reus quispiam esse possit, quamvis nec ejus corpus revera comedat, nec sangvinem propriè bibat; præsertim cùm hoc loco Paulus luculentissimè dicat,hoc fieri,non ipsum corpus Christi comedendo,nec sangvinem bibendo, sed comedendo pane, bibendoque ex poculo; satis esse innuens ad aliquem corporis sangvinisque Domini reum faciendum, si is illis rebus abutatur, per quas Dominus corporis sui afflictiones sanguinisque profusionem adumbrare voluit:cùm,ut suprà explicuimus, contumelia hæc in ipsum Christi corpus ac sangvinem redundet. 1 Cor: 11. 27.

Altera hominum secta, qui in Christi verborum explicatione errant, ea est, quæ licèt istam panis & vini transsubstantiationem derideat: tamen ab ea non procul discedens, in, cum, & sub pane Christi corpus realiter adesse comedique asserit. Quod quidem quàm a vero sit alienum, non solùm ex superioribus quibusdam argumentis, sed etiam hinc patet, quòd & nusquam scriptum legitur, & illis,quæ divinis literis cõsignata sunt, apertissimè repugnat.

Luculentis-

Luculentissimè enim divinus spiritus testificatur, *eum oportere cœlo capi, usque ad tempora instaurationis omnium.* Ex quo fit, ut ante ea tempora corpus illius de cœlo subinde detrahi, panique alligari atque includi non possit; nisi fortè verum ipsius corpus, veris suis proprietatibus constans, simul unoque tempore in pluribus locis esse volumus, quod planè absurdum, exque eorum numero est, quę fieri non possunt. Atqui, inquiunt, Deum & hoc effecisse inde constare, quòd Christus Paulo Damascum eunti fuerit visus. Cum autem Christum cœlo capi oporteat usque ad diem illum novissimum; consequens esse ajunt, Christum & in cœlis extitisse, & simul etiam Paulo in terris apparuisse; quod fieri nequaquam possit, nisi simul & in cœlis & in terris existat. Respondemus autem, nequaquam necesse esse, ut Christus corporaliter Paulo apparuerit: cum hoc per visionem & fieri potuisse, & factum esse constet. Apertè enim Paulus eadem de re verba faciens dicit: *Non fui rebellis cœlesti visioni.* Cui simile & illud est, quòd Lucas asserit, Dominum Paulo astitisse noctu, dixisseque: *Confide Paule* &c. Quod qua ratione factum, ex iis intelligi potest, quæ Lucas alibi his verbis scribit: *Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: ne time, sed loquere.* Hinc apparet, adversarios ita argumentantes, ne hilum quidem proficere. Nec mirum, cum id, quod ipsi evincere conantur, sit unum ex iis, quæ suâ naturâ fieri nequeunt. Atqui apud omnes rerum intelligentes constat, Deum ea tantùm omnia posse, quæ suâ naturâ fieri possunt, nullamque contradictionem involvunt.

Act: 3. 21.

Act: 26. 19.

Act: 23. 11.

Act: 18. 9.

Verùm esto, demus sanè hoc, quo de agitur, ex eorum numero esse, quæ a Deo fieri possunt: nihil tamen hoc ad rem propositam momenti afferet, nisi etiam ostendatur, Deum id facere velle. Atqui, inquies, velle Deum, ut Christus simul & semel sit in pluribus locis, ex illo Christi promisso intelligitur, quo sese suis usq; ad consummationem seculi adfuturum confirmat. Verùm eo loco Christus sese suis corporaliter adfuturum nequaquam pollicetur; sed sese illis gratiâ, ope, virtuteque sua non defuturum promittit. Vnde non aliis, quàm discipulis suis, præsentiam illam suam pollicetur.

Mat: 28. 20.

Tertius error eorum est, qui Christi corpus sangvinemque revera quidem in sacra cœna a nobis comedi bibique existimant: verùm non corporali, sed spirituali ratione hoc a nobis fieri affirmant. Cujus quidem opinionis falsitas vel hoc uno convincitur, quòd non solùm Christi verbis nequaquam continetur; sed etiam cum sanæ mentis ratione pugnat, quæ dictat, fieri non posse, ut Christi

corpus tanto intervallo a nobis disjunctum, in Cœna revera comedamus. Idcircò & ille ipse, qui sententiæ istius autor est, fatetur, se hoc mysterium nec mente percipere, nec linguâ explicare posse. Illud quidem libenter fatemur, divinas literas spiritalem nobis Christi corporis manducationem sangvinisque potionem commendare: verùm hæc nec ea est, quam illi, cùm quibus hîc agimus, urgent, nec Cœnæ Dominicæ propria est. Ac istorum quidem hanc sententiam minimè esse, inde perspicitur, quòd manducatio a Christo nobis commendata prorsus figurata est, nec reali quadam ipsius corporis ac sangvinis Christi sumtione continetur, quemadmodum illa, quam a quibusdam excogitatam diximus: sed est attentissima Christi mortis consideratio, ex qua tantum spei fideique concipiamus, ut haud aliter ac cibo potuque confirmati, ad omnes præclaras actiones, a Christo præscriptas, administrandas atq; conficiendas apti simus. Quam quidem rem, ut diximus, cœnæ Dominicæ haudquaquam esse propriam, primò inde constat, quòd qui eâ, quâ apud Iohannem docetur, ratione Christi corpus comedit, sangvinemque bibit, is sine ulla dubitatione conditionevé sempiternam felicitatem consecutus esse eodem loco dicitur. De iis autem, qui sacrâ illâ Cœnâ fruuntur, idem affirmari nequaquam potest; cum multi ex illis sine dubio cœlesti patrimonio sint excludendi. Quod enim alii asserunt, Christi verba, quibus corpus suum comedentibus sangvinemque bibentibus vitam æternam pollicetur, cum hac conditione accipienda esse, si ritè comedatur ac bibatur, in eo pro concesso sumunt, manducationem illam potionemque, quam Christus oratione complectitur, posse & ritè & non ritè fieri: cùm potiùs ex eo, quòd tam disertè, verbis etiam repetitis, vita sempiterna ei adscribitur, concludi debeat, eam nonnisi ritè fieri posse, & ideo conditioni isti sive exceptioni nullum esse locum. Adde, quòd cœna Domini, quantumvis conditione ista conservata, homines in vitæ æternæ possessione non constituat: cùm non ad æternam vitam parandam, sed ad Christi mortem, eo, quo docuimus, pacto annunciandam, instituta sit. Valet igitur conditio ista, si nimirum ritè manducetur bibaturque ad pœnam, quæ sanctissimi hujus instituti violatoribus constituta est, vitandam: sed non ad sempiternam salutem consequendam, non, inquam, magis, quàm alterius alicujus mandati divini observatio. Deinde & hoc argumento demonstrari potest, Christum de comestione panis ac vini Eucharistici in illo Iohannis loco nequaquam loqui, quòd ibi comedere ac bibere est in Christum credere, seu mavis, ex diligenti ejus

Cap: XXII. De Cœna Domini.

Calvinus Inst: l. 4. c. 17. sect: 7. 10. & 32.
Ioh: 6, 51. & d.

ibid: ℣ 54, 56, 57, 58.

ti ejus rei, quæ comedenda aut bibenda dicitur, consideratione fidem in ipsum concipere. Totus enim in eo est Christus, ut doceat, Iudeæos, in se credere debere. sed quia in hunc sermonem delapsus erat occasione illius panis, quo eos miraculosè antea paverat, ideò se panem cœlitus datum ac vivificum appellat, & metaphoram hanc longiùs persequens, fidem in se, vel considerationem doctrinæ factorumq; suorum, ex qua fides nascitur, comestionis nomine exprimit, & postea, cum potûs mentionem facit, etiam bibitionis. quam ob causam eundem fructum, quem fidei in se collocatæ non semel in hoc sermone adscribit, comestioni sui, aut comestioni carnis, & bibitioni sangvinis sui, aliquoties adscribit.

Bellarminus. Sed excipiunt hoc loco quidam ex Pontificiis, qui in isto Iohannis loco Christum de Eucharistia omnino loqui contendunt, &
ꝟ 52. in illis verbis, *Et panis, quem ego dabo, caro mea est*, de alio pane, quàm de quo antea egerat, sermonem esse ajunt. Sed id primùm argumentum nostrum non labefactat. Nam etiamsi detur, alium hunc esse panem ab eo, de quo superiùs agitur: non sequitur tamen, alio prorsus modo hunc, alio illum comedi; illum spiritualiter, hunc carnaliter, seu ore corporis: ac proinde hunc posteriorem nonnisi de pane eucharistico accipi posse: imò potiùs comestionis rationem eâdem esse apparet, nempe spiritualem, utut panis ipse sit diversus. præsertim cum Christus murmurantibus ea de re Iudæis,
ꝟ 61. & duritiem ejus sermonis accusantibus dicat, Carnem nonprodesse quicquam: verba, quæ loquatur iis, spiritum esse. Deinde incertum est, de alio panis genere in illis Christi verbis sermonem haberi. Colligere id illi solent ex particula *et* verbis istis præfixa; maximè autem, quia ex græco sic legatur: *Et panis autem, quem ego dabo, caro mea est*. Hinc, inquam, concludunt, cum Christus vocabulo *autem* non contentus, vocem *et* in principio adjunxerit, ad alium panem eum transiisse. Atqui animadvertere debebant, particulam *et* sequente *autem* redundare posse, ut apparet ex simili loquendi mo-
1 Ioh: 1. 3. do, qui apud eundem Iohannem extat: *Et communio autem vestra cum Patre & filio ejus Iesu Christo*. quod perinde valet, ac si dixisset: communio autem vestra est cum Patre & Filio &c. Itaque ad hunc modum verba illa Christi possunt accipi, ac si dictum esset: Quod me panem vitæ nomino, id ideo a me fieri intelligendum est, quòd corpus meum eam in rem insumturus sum, quæ hominibus sempiternæ felicitatis fructum paritura est. Quemadmodum enim panis terrestris ad conservandam terrestrem hominum vitam maximam vim habet: ita corpus meum, quatenus ego illud morti obtulero,

æternæ vitæ causam hominibus afferet. Hoc igitur vobis confirmo, vestram salutem planè desperatam esse, nisi ex corporis mei occisione mihi fidem habendi atque obtemperandi causam arripiatis. Quod si nihilominus indicatam a Christo volumus aliquam hujus panis a superiore differentiam; statuendum est, in superioribus Christum sese appellasse panem ratione doctrinæ suæ variis miraculis confirmatæ: hîc potissimùm ratione cruentæ mortis.

Ex his ita constitutis tertium assertionis nostræ argumentum nascitur, nempe Christum eodem in loco de Cœna sua nullum verbum facere. Cœna enim Domini, ut suprà demonstravimus, ab uno homine rite celebrari nequaquam potest; at Christi corpus eâ, quâ diximus, ratione comedere, sangvinemque bibere, quilibet solus potest.

Hactenus quomodo in Christi verborum, quæ de pane poculoque habuit, interpretatione multi errent, vidimus: sequitur, ut falsos Cœnæ Dominicæ fines examinemus. Hi autem quatuor potissimùm sunt. *Quidam enim in hunc finem eam institutam esse volunt, ut promissionis gratiæ, fideique nostræ quædam obsignatio esset.* Hoc autem quàm sit falsum, ex eo potest perspici, quòd tantò digniùs, tantoque rectiùs unusquisque ad mensam Domini accedit, quantò majori firmiorique fide est præditus: tantò autem (hac quidem in parte) indigniùs, quantò infirmiori: cum hîc pro fide jam nobis per Christi mortem facta atque confirmata, tum Christo, tum summo salutis nostræ autori Deo gratias agamus. Vnde colligitur, illos, qui cœnam Domini aspectabile verbum esse asserunt, quo Deus confirmet obsignetque promissa sua, toto cœlo errare. Si namque ita esset, certè alicubi apud divinos autores scriptum extaret; nec non apertè, qua ratione tantam rem ceremonia ista perficeret, divinis literis consignatum esset. Atqui non tantùm utrumque altissimo silentio suppressum est; verùm contrà etiam videmus, nequaquam eam actionis illius vim esse, ut tam admirabiles effectus producere possit. Nihil enim continet miraculi, nihil quod humanas vires superet, nihil quod vulgaris hominis etiam ope perfici nequeat; nihil denique eorum habet, quibus Deus ad sua promissa confirmanda uti solet. Qua de causa & illi, qui panem comedunt, vinumque bibunt, non solùm nihil sibi obsignari sentiunt, sed etiam ne adumbrari quidem: cum ipsi ii sint, qui aliis ea adumbrent, quæ sese divinâ gratiâ consecutos esse profitentur. Huc accedit, quòd Dominica cœna nulli divino promisso adjuncta est, ut quidem omnino fieri oportuit, si, ut fidem nostram obsignaret,

constituta

constituta fuisset. Nam quòd quidam dicunt, in cœna Dominica promitti corpus & sangvinem Christi, falsissimum est: cum ista non promittantur, sed, ut ipsi volunt, dentur, modo tamen, ut isti loquuntur, sacramentali. Adde, quòd necesse est, aliud esse id, quod promittitur, aliud id, quo promissio ejusdem rei obsignatur. At illi volunt, corpore & sangvine Christi sacramentaliter sumto confirmari divinam promissionem, ipsamque adeò fidem nostram. Quare aliud quippiã esse necesse est, quod promissum sit, & quod fide illa, quam usu Cœnæ Dominicæ confirmari ajunt, apprehendatur. Hîc verò eandem esse Cœnæ Dominicæ vim asserent, quæ olim fuit circumcisionis; & cum hęc sigillum appellata fuerit, idem & de Cœna Domini sentiendum esse contendent. Respondemus autem, non solùm nullo argumento doceri, eandem Cœnæ Dominicæ cum circumcisione rationem esse, sed etiam circumcisionem, quãtumvis sigillum nominatam, non alicujus divini promissi, sed justitiæ fidei, quâ Abrahamus, antequam circumcideretur, donatus fuerat, obsignationem fuisse: quâ postea Deus Abrahamum unà cum universa illius posteritate notare voluit, ab omnibusque aliis terrę nationibus discriminare, ut perpetuò omnibus constaret, quanto tum ipsum, tum omnes ex eo natos prosequeretur amore. Hoc autem amore gentem illam nequaquam complexus fuisset, nec, quod consequens est, hanc illi notam apposuisset, nisi Abraham antè illi confisus, & sic fide justitiam consecutus fuisset.

Rom: 4.11.

Alter finis scopusque Cœnæ Dominicę affictus est, quòd propterea eam institutam esse multi arbitrantur, ut mors Christi nobis, qui hunc ritum celebramus, in memoriam redigatur, inducti nimirum illis Christi verbis: *Hoc facite in mei commemorationem.* Quia enim hîc habetur vox ἀνάμνησις, idcirco recordationem Christi mortis hîc fieri statuunt. Atqui hæc vox non tantùm recordationem, sed etiam commemorationem significat: nec usquam fortassis alibi in N. Testam. extat, præterquam apud divinum illum Epistolæ ad Hebræos autorem, qui posteriori, non priori significatu, hac voce utitur, dum ita loquitur: *In ipsis commemoratio fit quotannis peccatorum* &c. Constat igitur in hoc loco nostro vocem istam commemorationis vocabulo reddi posse, quod prædicationis solennis vim habet. Debere autem omnino id fieri, ipsa Cœnæ Dominicæ natura convincit, quæ efflagitat, ut, si quis dignè sacrâ mensâ uti velit, is jam antea Christi mortem non solùm firmissimâ memoriâ custodiat, sed ejus etiam fructum, tum in mente animoque infixum habeat, tum præclaris actionibus exprimat; eaque mente

Hebr: 10.3.

ad sacram

Cap: XXII. De Cœna Domini.

ad ſacram menſam accedat, ut Deo ac Chriſto pro tanto beneficio, quod probè agnoſcat, ſentiat, ac memoriâ teneat, dignas agat gratias: tantum abeſt, ut ex ceremoniæ demum iſtius uſu tantæ rei ſit petenda recordatio.

Nec ſecùs de illorum ſententia judicandum eſt, qui ideo Cœnam Dominicam inſtitutam eſſe perſvaſum habent, ut ex ipſius uſu condonationem peccatorum conſequamur. Cujus quidem opinionis ſuę magnum argumentum illis Chriſti verbis contineri exiſtimant, quibus calicem novum Teſtamentum eſſe docet in ſuo ſangvine, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. Verùm quis non videt, peccatorum remiſſionis mentionem, non ad ipſum calicem, nec ad totam Domini Cœnam, ſed ad effuſionem Chriſti ſangvinis, qui vino in poculum infuſo hauſtoque adumbratur, iſtis in verbis referri? Quare hic finis non Cœnæ Dominicæ, ſed cruentæ Chriſti mortis eſt.

Quartus error eorum eſt, qui Dominum in Cœna ſua conſtituenda hoc ſpectaſſe ajunt, ut ea eſſet ſolenne quoddam corporis ſangvinisque ipſius ſacrificium, quod pro vivis ac mortuis fieret. Quod quidem inaniſſimum commentum eſſe, duobus modis convincemus; nimirum tum noſtra argumenta in medium proferendo, tum ea, quæ à ſententiæ iſtius patronis excogitata ſunt, refellendo. Primò igitur ipſum Domini conſilium, quod in Cœna iſta inſtituenda ſecutus eſt, quodq;, ut aliquoties jam a nobis dictum eſt, tum ipſe, tum Paulus pleniſſimè expreſſit, evidentiſſimè demonſtrat, nihil minùs eum cogitaſſe, quàm corporis ſangvinisque ſui hoſtiam conſtituere. Cum enim unum tantùm hîc videamus Cœnæ Dominicæ ſcopum finemque ante oculos noſtros conſtitutum eſſe, nimirum Chriſti commemorationem, ſive mortis ejusdem annunciationem: quæ audacia eſt, in re tanta, præter omnem rationem, & præter Chriſti mentem, illud ſtatuere, quod & per ſe abſurdiſſimum eſt, & nihil planè cum negotio, quod hîc agitur, conjunctum habet? Nihilominus tamen hoc ſuum commentum ipſius Chriſti verbis ſtabiliri ajunt. Primò enim, cùm Dominus dicit, *hoc facite*, perinde valere aſſerunt, quaſi dixiſſet, hoc offerte, ſive ſacrificate. Sed præterquam quòd hæc vox nusquam in ſacris literis *ſacrificandi*, vel *offerendi* ſignificationem habet: falſam eſſe hanc interpretationem, ipſe verborum contextus convincit, qui illud *facere*, panem fractum comedere, & e poculo bibere eſſe planiſſimè docet. Ad id enim refertur, quod antea in eadem hiſtoria fuit expreſſum ac præceptum. Id autem fuerat expreſſum, quod diximus.

ſacrificii, quod Chriſtus tunc obtulerit, nulla planè fit mentio. Quare non hoc, ſed illud, in ſui commemorationem Chriſtus facere nos jubet. quod etiam clariſſimè ex iſtis Pauli verbis, quibus illa Chriſti explicat, patet: *quotiescunque* (non quidem, ut iſti volunt, ſacrificaveritis, ſed) *comederitis de pane iſto, & ex calice biberitis, mortem Domini annunciatis.* Fruſtra igitur nonnulli laborant, ut alibi verbum *facere*, ſacrificandi ſignificationem habere demonſtrent: cum hoc in loco longè ſecùs rem ſeſe habere manifeſtum ſit. Quòd autem dicunt, Dominum diſcipulos ſuos idem juſſiſſe facere, quod & ipſe fecerat, idq; indicari pronomine *hoc;* id etiamſi concedatur, nihil illorum cauſam juvat, ſed potiùs labefactat, ac penitus convellit: cum Chriſtus nec panem vinumque, nec, ut iſti volunt, ſub panis vinique ſpecie ſeipſum obtulerit, ſed panem fractum diſcipulis ſuis comedendum, vinumque bibendum dederit. Hîc verò inquient: Chriſtum his uti verbis, *pro vobis datur, frangitur, effunditur*, quæ cum præſentem actionem declarent, nihilque cum comedendo aut bibendo conjunctum habeant; hinc neceſſariò conſequi ajunt, eam illis vim ineſſe, ut dari aliquid Deo in ſacrificium ſignificent. Atqui quàm inepta iſta ſit conſecutio, nemo intelligens non videt: cum verba iſta, quamvis in præſenti tempore poſita, mox tamen futuram Chriſti mortem, uſitatiſſimâ dicendi figurâ, ſignificet. quod vel ſola *effundendi* vox monere unumquemque poteſt, quæ effuſionem ſangvinis Chriſti in paſſione ac morte factam apertiſſimè denotat; & Pauli teſtimonium, qui ait, hac ceremoniâ mortem Domini annunciari, quod haudquaquam fieret, ſi verba illa ad futuram Chriſti mortem non referrentur, ſed præſentem actionem denotarent.

1 Cor: 11. 26.

Bellarm.

Alterum noſtrum argumentum eſt, quòd Chriſti corporis oblatio non in terris, ſed in cœlis perficitur, per ipſius Chriſti in Dei conſpectu apparitionem. *Si enim in terra eſſet*, inquit Autor ille divinus, *ne ſacerdos quidem eßet:* id quod dici nequaquam poſſet, ſi Chriſtus ſeipſum tunc, cum Euchariſtiam inſtitueret, Deo obtuliſſet, & nunc etiam ſubinde per manus ſacerdotum in terris offerretur. Cur enim, ſi in terris & a ſeipſo, & ab aliis offerri poteſt, ſacerdos eſſe non poſſet, ſi in terris eſſet? Adde, quòd neceſſe eſſet, ſi Chriſtus a ſacerdotibus in terris offerretur, ipſum etiamnum in terris eſſe; id quod autor divinus negat, aſſerens, eum ſacerdotem non fore, ſi in terris eſſet. Quòd enim ajunt, hæc verba, *ſi eßet in terra*, perinde intelligenda eſſe, quaſi dixerit: Si hoſtia immolanda eſſet aliquid terrenum; vanitatis plenum eſt: cùm iſtam ſuam interpretationem

Heb: 8. 3.

terpretationem a verbis ipsis planè recedentem, nec ullo probent argumento; nec consequentia Autoris divini verba ullum explicationi huic locum relinquant. Nam & ex eadem rationis complexione perspicuum est, ibi nequaquam de qualitate hostiæ offerendæ, sed de loco, seu tabernaculo, in quo Christus sacerdotio fungatur, hostiamque suam offerat, verba fieri: & verba ista, *Si foret in terra*, tum ad illa antecedentia respectum habent, *Minister sanctuarii, & veri tabernaculi, quod fixit Dominus, & non homo;* tum ad mox sequentia, quibus apertissima tabernaculi terreni, veri illius umbræ, cui ministrârint sacerdotes legales, mentio fit. Quid, quòd idem autor sequente capite multò clariùs eandem rem explicans asserit, *Christum in majus perfectiusque tabernaculum, non manibus factum, id est, non hujus creationis, nec per sangvinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sangvinem, semel intrâsse in sancta, adeptum æternam redemptionem.* Qualia autem sint sancta ista, postmodum exponit clariùs his verbis: *Christus non ingressus est in sancta manu facta, quæ sunt figura verorum, sed in ipsum cœlum, ut nunc appareat in conspectu Dei pro nobis*, h. e. ut suprà dixerat, ut seipsum pro nobis offerat. Illi verò, ut causam suam constituant, hunc in modum argumentantur: Aut oblatio, quæ fit in cœlo, est propriè dictum sacrificium; aut solùm impropriè & figuratè. At primum falsum est: quod & nos facilè concesserimus, imò planè urgemus. Hinc autem rursus ajunt necessariò consequi, verum Christi sacrificium in terris offerri: alioqui Christum non esse propriè sacerdotem; quod est, inquiunt, absurdissimum, & contra manifestas scripturas. Nos verò nec absurdum hoc esse, nec cum divinis literis ullo modo pugnare, statuimus: cùm, ut suo loco demonstratum a nobis est, sacra volumina haud obscurè Christùm impropriè sacerdotem esse ac dici doceant, dum illi ea tribuunt, quæ cum sacerdotio propriè dicto convenire nequaquam possunt, nimirum omnem in cœlo terraq; potestatem datam illi esse. Sacerdotis quippè propriè sic appellati officium est, pro hominibus interpellare, & remissionem peccatorum illis ab alio impetrare: quod quidem propriè acceptum a regia Christi majestate, summoque in omnes res imperio, planè abhorret: ut facilè appareat, multò magis absurdum sacrisque literis contrarium esse, propriè dictum Christi sacrificium confingere.

℣ 2. ℣ 5. Heb: 9. 11, 12. ℣ 24. Mat: 28. 18.

Tertium nostrum argumentum est, quòd ex divinis literis constat, Christi oblationem, quam semel suscepit, propter suam perfectionem iterari nec debere, nec posse. Cum igitur Missam, ut isti

volunt, crebrò iterari oporteat; parumné apertum eſt, eam Chriſti oblationem minimè eſſe; & ſic falſò hoc ſibi ſacrificulos arrogare, quòd Chriſtum in miſſa offerant. Hujus autem argumenti vim illi declinare volentes, cruentam Chriſti oblationem ab incruenta diſtingvunt, & incruentam tantùm repeti, cruentam unicam eſſe contendũt. Atqui animadvertendum eſt primùm, eam Chriſti oblationem, quam unam eſſe D. Auctor ad Hebr. aſſerit, incruentam revera eſſe, licet non niſi præcedente ſangvinis fuſione perfici potuerit. ſiquidem eam oblationem in cœlis peragi docet, ubi ſangvinis fuſioni nullus eſt locus. Itaque dum incruentam Chriſti oblationem ſæpius repeti volunt, id ipſum affirmant, quod divinus ſpiritus negat. Deinde in hac oblationis cruentæ & incruentæ diſtinctione id ipſum pro conceſſo ſumitur, quod controverſum eſt, imò quod falſum eſſe ſacræ literæ eſſe pronunciant. Nam qui oblationem Chriſti expiatoriam, de qua Auctor Epiſt. ad Hebręos agit, aliam cruentam, aliam incruẽtam facit, is eo ipſo plures Chriſti oblationes, contra manifeſta divini Auctoris verba conſtituit. Et ratio, ob quam D. Auctor unam tantùm Chriſti oblationem conſtituit, nullam iſti diſtinctioni locum relinquit. Tam enim valet ad excludendas plures oblationes Chriſti expiatorias diverſi generis, quales eſſent cruenta & incruenta, quàm ad plures ejusdem generis. Ratio enim, cur ſemel tantùm pro nobis oblatus fuerit Chriſtus, hæc eſt, quòd una ejus oblatio ad omnes in perpetuum expiandos ſufficiat. Vbi autem una ſufficit oblatio, pluribus ſanè opus non eſt. Ita autem rem ſeſe habere, ex illis D. Autoris verbis patet, qui poſtquam aſſeruiſſet, *nos eſſe ſanctificatos per oblationem Chriſti ſemel factam*, addit: *& omnis quidem ſacerdos adſtat quotidie miniſtrans, & easdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam auferre poßunt peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius. Vna enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*, h. e. quotquot unquam expiandi erunt, eos una illa oblatione ab omni labe repurgavit. Quid ergo alia oblatione Chriſti expiatoria eſt opus? Quòdſi alia oblatio, ſive cruenta, ſive incruenta, ei ſuccedere deberet, ea prioris argueret imperfectionem, & efficaciæ defectum. Quòd autem iſti Chriſti mortem cruentam, oblationem appellant; id nimirum, ſi expiatorium intelligant ſacrificium, & quidem perfectum, de quo Auctor Epiſt. ad Heb. agit, a vero alieniſſimum eſt; ut & ſuo loco docuimus, & ex iis, quę paulò antè diviniſſimi illius autoris teſtimonio comprobavimus,

cap: 10, 11, & d.

lib: 3. cap: 18.

bavimus, clarissimè patet. Is enim negat, Christum, si in terris degat, sacerdotem esse, nedum seipsum offerre. Vt autem hoc facere posset, in cœleste tabernaculum ei ingrediendum fuisse, clarissimis verbis docet. Valde igitur ridiculum est, quòd isti erroris sui stabiliendi causâ, illa ejusdem autoris verba in medium afferunt: *Omnis pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur. unde necesse est & hunc habere quod offerat.* Etenim ut ex toto orationis contextu apparet, istic Christum in cœlis esse, & ibi Deo pro nobis offerre docetur: qui cœli ibidem sanctum tabernaculumque nominantur, quod fixit Deus, & non homo, cujusque Christus administer ibidem appellatur, id est, in quo sacrificat, omniaque administrat: hoc quippe est tabernaculi ministrum esse. Sensus autem horum D. Autoris verborum hic est: Quemadmodum pontifices terreni habeant necesse est, quod in terris offerant: ita & hic cœlestis pontifex habeat oportet, quod in cœlis libet. Sed ajunt, ex illis verbis consequi, Christum assiduè aliquid offerre, alioquin ex mente auctoris divini, Pontificem æternum non fore. Verùm si id illi volunt, Christi oblationem assiduè repeti, quemadmodum Eucharistia subinde & absolvitur, & repetitur; id planè contra D. Auctoris est mentem, nec ex illius verbis ullo modo consequitur. Si verò id tantùm volunt, Christum in illa oblatione, quæ unica est, ac semel tantùm cœpta, adhuc versari, perpetuoque versaturum; verum quidem est: sed id ad oblationem, quæ in Eucharistia infinities repetatur, nihil quicquam pertinet: cum id de oblatione cœlesti, quam ipsemet Christus perficit, dici & possit & debeat.

Hebr: 8. 4.
ib: ℣ 3.
℣ 2.

Argumenta adversariorum.

Sed jam tempus est, ut videamus, quibus argumentis hæc divina veritas oppugnetur, contrariaque sententia fulciatur. Et quoniam Bellarminus hac ætate in controversiis istis tractandis omnium felicissimus habetur; placet, ut illius potissimùm ratiocinationes examinemus, eas præsertim, quas e divinis voluminibus elicere studuit. Nihil enim ea attinet refellere argumenta, quæ ex Patrum scriptis ab eo afferuntur: cùm si, quæ ex sacris literis ducit, ea id, quod probare instituit, minimè concludere ostenderimus, hoc ipso & omnia Patrum testimonia nihil habere ponderis facilè convicturi simus. Non solùm enim ipsi Patres plus sibi, quàm scriptis divinis, fidei haberi nolunt: sed etiamsi maximè vellent, nequaquam tamen id facere cogeremur. Nam in rebus divinis, vel totius orbis consensus, nequaquam tantam vim habet, ut ea nobis per-

suadere possit, quæ præterquam quòd apud divinos autores minimè reperiuntur, illorum etiam scriptis repugnant.

Primò igitur ea videbimus testimonia, quæ ex Vetere, tum quæ ex novo Testamento depromuntur. Ex V. T. illud primò adducit Bellarminus, quod apud Mosen scriptum legitur, idque hoc modo exprimit: *Melchizedech rex Salem protulit panem & vinum: erat enim sacerdos Dei altissimi.* Hoc, inquit, a viris divinis ita ad Christum accommodatur, ut non solùm Melchizedecum Christi typum imaginemque gessisse asserant, quippe quod & in Aarone cernatur: sed etiam ut Christus non secundùm Aaronis, verùm Melchizedeci ordinem, sacerdotem factum esse confirment. Hic primùm dicimus: etsi viri divini Melchizedecum Christi typum atque imaginem gessisse, & Christum secundùm illius, non Aaronis ordinem sacerdotem factum esse confirment: nuspiam tamen id, quod de pane & vino a Melchizedeco aliquando prolato in sacra historia legitur, ad Christum accommodari: imò in cap. 7. Hebr. in quo uno loco comparatio inter Christum & Melchizedecum ratione sacerdotii prolixè explicatur, nullam prorsus ejus rei fieri mentionem; cum cætera, quæ in historia illa de Melchizedeco narrantur, satis accuratè, quamquam brevibus verbis, recenseantur. Id autem haudquaquam fieri debuisset, si in prolatione illa panis & vini pars aliqua comparationis inter Christum & Melchizedecum ratione sacerdotii, & quidem præcipua, ut Bellarminus censet, consisteret. Sed videamus, quid ex his, quæ modò vidimus, porrò deducat. Nondum enim sacrificium missæ stabilitum videmus. Atqui, inquit, cùm Aaronis sacrificium cruentum, Melchizedeci verò incruentum fuerit, utpote panem & vinum offerentis; cumque sub specie panis & vini Christi corpus sangvinemque figuraverit, & Christus secundùm illius ordinem sacerdos constitutus sit; consequens esse, ut in panis vinique specie incruentum sacrificium instituere Christi fuerit officium; idque non solum vi ordinis, sed etiam ratione typi; ac proinde cùm Eucharistiam institueret, panem vinumque sacrificâsse. Atqui primùm neutiquam probari potest, Melchizedecum incruentum sacrificium obtulisse, cùm panem vinumq; proferret: multò autem minùs planum fieri potest, eum panem vinumque offerendo, Christi corpus sangvinemque figurâsse: cum aliud sit offerre, aliud proferre panem & vinum. Proferre enim potuit, &, ut Iosephus etiam docet, omnino protulit ad reficiendum Abrahamum sociosque ejus. Sed ait, panem & vinum prolatum fuisse ad offerendum. Ejus enim rei hanc rationem ab ipso Spiritu sancto

Gen. 14. 4, 18.

ſancto appoſitam eſſe, quia nimirum Melchizedecus ſacerdos fuerit Dei altiſſimi. Ex quo neceſſariò conſequi dicit, hoc ab ipſo in ſacrificium factum fuiſſe. Atqui ex Hebræo minimè apparet, eam ob cauſam dictum, Melchizedecum fuiſſe ſacerdotem Dei altiſſimi, ut conſtaret, cur is panem & vinum protuliſſet. Neque enim in Hebræo legitur, *Erat enim ſacerdos Dei altiſſimi;* ſed, *Et erat ſacerdos Deo altiſſimo:* neque parentheſi ea verba ſunt includenda, & a ſequentibus divellenda. Sic enim locus integer in Hebræo legitur: *Et Melchizedec rex Salem attulit* (vel *protulit) panem & vinum: & ipſe* (erat) *ſacerdos Deo altiſſimo: & benedixit ei, ac dixit* &c. Verba nempe illa, *& erat ſacerdos Deo altiſſimo,* ideo afferuntur, ut oſtendatur, cur Melchiſedecus Abrahamo, tanto Dei amico, qui promiſſiones ſingulares a Deo acceperat, benedixerit, quemadmodum ex Epiſtola ad Hebræos patet. Et hic quidem, quem diximus, iſtorum verborum ſenſus, in magnis Bibliis Rob: Steph: egregiis verbis expreſſus eſt: *Porrò Melchizedecus Rex Salem protulit panem & vinum, & ipſe, cum eßet ſacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei.* Occurrit autem hoc loco Bellarminus, huicque ſententiæ noſtræ illud obſtare aſſerit, quòd & Abrahamus Sacerdos fuerit, ideoque Melchizedecum, non quatenus ſacerdotis perſonam ſuſtinuit, ei bene precatum fuiſſe, ſed quatenus Rex, & ea re Abrahamo dignitatis claritate præſtantior fuit: cùm majores minoribus benedicere ſoleant. Non ſolùm enim ſacerdotum eſſe bene alicui precari, ſed regum etiam, inde perſpici ait, quòd Salomon, quòd Ioſua, quòd alii divini populi principes illi benedixerunt. Atqui hîc nihil agit Bellarminus. Nam primùm Auctori Epiſt. ad Heb. repugnat, qui benedictionem illam Melchizedeci inter actus ſacerdotales commemorat. Nam ut Melchizedecum Leviticis ſacerdotibus prꝍſtantiorem fuiſſe doceat, & porrò Chriſtum quoque, qui ſecundùm illius ordinem ſacerdos factus ſit, iis longè antecellere demonſtret, primùm actus quoſdam commemorat, unde ſacerdotum Leviticorum præſtantia æſtimari poterat, nempe decimarum a populo Iſraëlitico acceptionem, & decimationem; & utraque in re Melchizedecum illis præſtitiſſe docet. ſatis apertè oſtendens, ſe benedictionem etiam Melchizedecianam actibus ſacerdotalibus annumerare. Deinde quod ad Abrahamum attinet, nuſquam eum divinus Spiritus tanto decorat titulo, ut Dei altiſſimi ſacerdotem eum nominet, quantumvis eum Deo ſacrificâſſe minimè negemus. Intelligendum quippe eſt, hunc titulum non in quemlibet, quantumvis Deo libantem, ſed in eum convenire, cui ſingulari Dei volun- Hebr:7. 6, 7.

 tate hæ

tate hæ partes datæ ſunt,qualem Melchizedecum fuiſſe nemo non intelligit. Quòd verò & reges aliique hominibus bene precati fuerunt, id minimè vetat, quominus hoc maximè ad ſacerdotes pertinuerit; utpote quibus Deus ſingulari quadam ratione hoc benedicendi officium impoſuerat, eorumque benedictionem ratam fore promiſerat. Hîc verò nondum quieſcens Bellarminus dicit, nusquam ſacrificii, quod Melchizedecus obtulerit, mentionem fieri, niſi hoc in loco fieri velimus. Hoc autem Spiritus ſancti officium omnino fuiſſe ait, ut quia Melchizedecum Dei altiſſimi ſacerdotem nominavit, ejusdem quoque ſacrificium nobis ob oculos poneret: cùm ſacerdotiū ad ſacrificium ordinetur,ſacrificioq; ignorato,ſacerdotium ignorari neceſſe ſit. Nos verò conſecutionem iſtam peſſimè conſtitutam eſſe dicimus: cùm ut altiſſimi Dei ſacerdos quispiam nominetur, nequaquam neceſſe ſit, totam ipſius ſacerdotii rationem explicari; ſatisque ſit,vel unum factum commemorari, quod ad Sacerdotis pertinet officium; veluti hoc loco eſt benedictio: præſertim ſi ei, qui eum hoc titulo ornat, nequaquam propoſitum ſit, totam rei iſtius tractationem ingredi; ſed per ejus occaſionem unum aliquod ipſius factum lectori ante oculos conſtituere. Adde, quòd tunc temporis ſine dubio notiſſimum fuit, quæ ſacerdotis divini partes eſſent: ideoque ſacerdote cognito, ſacrificium etiam minimè memoratum cognoſcitur. At, inquit Bellarminus, nullum planè panis vinique uſum oſtendi poſſe, niſi in ſacrificium ceſſerunt; illisque,qui ad reficiendum Abrahamum ſociosque ejus hæc a Melchizedeco prolata eſſe ajunt, Abrahamum nihil illis indiguiſſe reſpondet, utpote qui ex prælio magna cum prę da rediiſſet.Quàm verò inanis iſta ſit exceptio hinc patet,quòd, ut alia multa, quæ hîc dici poſſent,omittam, nihil prohibuit, quominus Melchizedecus vir tantus, Abrahamo etiam minimè indigenti, de via tamen defeſſo, humanitatem benevolentiamque, ut tunc conſvetudine comparatum erat, præſtaret. Neque enim neceſſe erat, ut qui in aliquem hoſpitalis eſſe vellet, is curioſè inquireret, an ille, quem complectebatur, beneficio indigeret nec ne; cum ſatis eſſet, quanti illum faceret, quacunque tandem ratione oſtendere. Verùm, ut ſuprà jam indicavimus, Melchizedecum panem vinumq; nequaquā ſacrificâſſe, nec porrò ea in re Chriſti,qui ſimiliter panem vinumque in cœna obtulerit,typum geſſiſſe, inde clariſſimè intelligitur, quòd diviniſſimus ille autor, Chriſti ſacerdotium cum Melchizedeci ſacerdotio comparans, benedictionis quidem, quâ Abrahamo fauſta precatus eſt, meminit: panis verò

Num: 6, 27. (margin, beside "cendi officium impoſuerat")

Hebr: 7. (margin, beside "clariſſimè intelligitur")

ac vini nullam mentionem fecit. Quem nodum Bellarminus ita solvere conatur, ut primariam hujus omissionis causam eam esse asserat, quòd panis viniq; oblationem commemorare ad Apostoli propositum minimè faciebat. Volebat enim, inquit, idem ex Melchizedeco ostendere Christi excellentiam supra Leviticos sacerdotes. Sed nihil hîc proficit Bellarminus. Primùm quia non solùm præstantiam Christi supra Leviticos sacerdotes ex Melchizedeco demonstrare voluit divinus autor, sed simplicirer etiam ab iis diversitatem; ut exinde postmodum ostenderet, Aaronicum sacerdotium unà cum lege Mosaica, quâ populus ad illud fuerat adstrictus, hoc sacerdote novo constituto fuisse sublatum: uti ex v. 11. & seqq. liquidò apparet. Atq; hac de causa illud etiam commemorat, quòd Christus non ex Levitica, sed Iudaica tribu, de qua nihil, quod quidem ad sacerdotium spectet, Moses scripserit, ortus fuerit: præcipuè autem illud, quòd secundùm ordinem seu similitudinem Melchizedeci fuerit constitutus: quæ similitudo qua in re potissimùm sita sit explicans, ait: *qui non secundùm legem mandati carnalis* (id est, mandati illius de sacerdotibus constituendis, in quo carnis habebatur ratio) *factus est*, (nempe sacerdos:) *sed secundùm vim vitæ indissolubilis. Testatur enim, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchizedech;* apertè indicans, similitudinem Christi cum Melchizedeco, & sic dissimilitudinem a Leviticis sacerdotibus, in eo præcipuè esse sitam, quòd uterque æternùm fuerit sacerdos: licet illa æternitas sacerdotii Melchizedeciani, imago tantùm & umbra quædam fuerit æternitatis sacerdotii Christi. Quare omnia, quæ ad dissimilitudinem ordinis Melchizedeciani ab ordine Aaronico pertinent, ad institutum Autoris faciunt. Quòd si ergo conficta ista panis viniq́ue oblatio ad ordinem istum Melchizedecianum, ejusq́ue ab Aaronico dissimilitudinem constituendam pertinuisset; nequaquam homo tam divinus, tamq́ue fidelis cœlestium mysteriorum interpres, eam silentio involvisset; multò autem minùs, si eam præcipuè ob causam Christus secundùm ordinem Melchisedeci sacerdos dictus fuisset. Deinde ratio Bellarmini pro nobis contra ipsum militat. Ait enim, propositum fuisse D. Auctori ex Melchisedeco ostendere Christi supra Leviticos sacerdotes excellentiam. At quodnam est universæ illius demonstrationis fundamentum? nonne illud, quòd Christus sit sacerdos secundùm ordinem Melchizedeci? Certè non aliud. Quod ergo ad declarãdum hoc fundamentum maximè pertinebat, quomodo ad propositum Auctoris minimè faciebat? Atqui id ex Bellarmini sententia est illa ℣ 17.

panis ac vini oblatio. Cur igitur ea, si sententia ipsius vera est, ne verbo quidem fuit commemorata? Sed enim aliam causam Bellarminus affert, cur idem divinus auctor panis vinique mentionem omiserit, nempe, inquit, ne cogeretur explicare mysterium Eucharistiæ, quod altius erat, quàm ut ab illis tunc capi posset. Hæc autem ratio frivola admodum est. Nam nec cum vero conjunctum est id, quod hîc ponitur; nec si verum esset, legitimam efficeret consequentiam. Illud ideo, quòd Epistola ista ad homines Christianos scripta est, quibus doctrina de Eucharistia, a Domino Iesu primò traditâ, ab Apostolis inculcatâ, ab ipsismet denique frequenter celebratâ, nequaquam nova inauditaque, & porrò altior, quàm pro illorum captu, esse potuit. Quòd si Bellarminus putat, eam de Eucharistia doctrinam, quæ hodie ab ipsis tantopere urgetur, non ausum fuisse D. Auctorem Hebræis proponere, tanquam captu ipsorum altiorem; apparet, eam tunc Ecclesiis illis Christi incognitam fuisse; ac proinde, nisi contra manifestam veritatem statuere velimus, Eucharistiæ ritum, & verborum institutionis sensum illis prorsus incognitum fuisse; necesse est aliam tunc ea de re in Ecclesia Christi valuisse sententiam. Hoc verò alterum eam ob causam asserimus, quòd si hoc mysterium vel maxima esset implicatum difficultate; nequaquam tamen silentio prætereundum fuit. primò enim illud Christi præceptum continet, quod ritè exequi atque conservare usque ad ultimum illum diem omnes, qui ipsius nomen usurpant, debere, Paulus luculentissimè testificatur. Deinde cùm Autor iste diligentissimè divini istius sacerdotii rationem explicare voluerit; nequaquam, ut istam effugeret difficultatem, illud præterire debuit, quod, ut Bellarmino placet, sacerdotii istius, quo de agitur, executionem continet, atque in oculis hominum constituit. Quid quòd, si dicendum quod res est, ea omnia, quæ hic divinus autor de vero, non autem ficto isto sacrificio disserit, multò majore obscuritate sunt involuta, quàm disciplina, quæ de Euchastico ritu tradita nobis est: non tamen eum difficultate ista deterritum fuisse videmus, ne, quem cœperat cursum, eum teneret. Satis igitur constare arbitramur, istam difficultatis rationem nihil ad rem facere, nec unquam viros divinos ea homines propter ipsorum ruditatem celare voluisse, quibus obedientia divinis præceptionibus debita contineretur. Qua de causa ipse Christus Apostolis, quantumvis valdè adhuc rerum cœlestium imperitis, Eucharistiam proponere, celebrandamque tradere non dubitavit. Et Apostoli Christo jam excitato a mortuis, inque divinæ majestatis

solio collocato, inter Iudæos adhuc degentes, omnibus qui sese ad Christum conferebant, nulla difficultatis ratione habita, ceremoniam istam sanctè conservandam tradebant, ut testis est Lucas, qui eos panem domatim fregisse ait, qua de re suprà. Ex quo fit, ut frustra Bellarminus Chrysostomi & Theophylacti autoritatem nobis opponat, qui ad fideles quidem Epistolam divini illius Auctoris missam fuisse concedant: non tamen ad solos fideles. Hoc quippe ad rem nihil facit, sive hoc, quod hîc dicitur, verum est, sive non. Si enim, ut diximus, ea, quæ difficiliora erant, non dubitavit Autor iste Epistolâ suâ comprehendere; quid tandem de cœna Dominica existimandum nobis est? Adde, quòd parùm fideliter munus suum administrâsset, si in hominum infidelium gratiam, illos, qui fideles erant, tantam rem celare cogitâsset. Vrget nihilominus Bellarminus, ipsumque hunc Autorem fateri dicit, se aliquid de Melchizedeco omisisse: hoc autem nonnisi panis vinique oblationem esse ait: cum omnia (hac tantùm excepta) quæ apud Mosen de Melchizedeco commemorantur, exposuerit. Hinc igitur colligit Bellarminus, *scriptorem istum propter imbecillum Iudæorum captum eam præteriisse.* Quam quidem suam opinionem quò confirmatiorem efficiat, Autoris istius hæc verba in medium adfert: *de quo (Melchizedech) grandis nobis sermo & ininterpretabilis ad dicendum; quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* Hîc primùm dicimus, Bellarminum audacter admodum facere, qui nomen Melchizedeci infarciat. Si enim illud hoc loco subaudiendum esse contendit, nulla ratione nititur: cùm verba ista *de quo*, non ad Melchizedecum, sed ad totum Christi sacerdotium referenda sint. Adde, quòd nequaquam Autor hic confitetur, se aliquid prætermittere, sive de Melchizedeco, sive de quacunque alia vel re, vel persona sermonem esse volumus. Non enim dicit, *grandis nobis sermo eßet:* sed simpliciter: *grandis nobis sermo:* & res ipsa convincit, ut mox patebit, non verbum *eßet*, sed *est* subaudiendum esse, ut sensus sit: sunt mihi adhuc multa dicenda, eaque explicatu difficilia, de Christi sacerdotio. Nec obstat, quòd statim subjungit: *quoniam segnes facti estis.* Hoc enim non eo animo ab illo dicitur, quasi grandi isto sermone jam uti nolit: sed ut partim difficultatis istius causam ad eorum segnitiem referat; partim ut eos, ad animi tarditatem ejiciendam, diligentiusque auscultandum exuscitet, ut nimirum non semper infantium more lacte ali postulent, sed ut solidioribus cibis uti adsvescant, hoc est, ut omissis Christi sermonis rudimentis, ad perfectionem tendant. Hanc admonitionem suam autor ille per totum epistolam

Act: 2. 42, 46.

Hebr: 5. 11.

epistolæ suæ sextum caput producit, & tandem illorum animis egregiè præparatis, grandem illum sermonem ingreditur, deque Christi sacerdotio copiosè plenissimeque explicat.

Secundum Bellarmini argumentum ex agni Paschalis ceremonia ductum est. Hanc enim expressam Cœnæ Dominicæ figuram gessisse ait: & quia immolatio victimæ Deo oblatæ fuerit; consequens esse asserit, ut simili modo & de Eucharistiæ celebratione judicemus. Nos verò argumentationis istius fundamentum haud admittimus. Quod tamen cum adversarius aliquot rationibus firmare nitatur; videamus sanè, quàm feliciter hæc illi res succedat. Primò igitur inde ejus veritatem patere ait, quòd Paulus agnum pro nobis immolatum, Christum esse testatur. (1 Cor. 5. 7.) Verùm hoc pacto non Cœnæ Domini, sed Christi pro nobis immolati, agnum illum imaginem gessisse docemur. Bellarminus, ut quacunque tandem ratione verba ista Pauli ad Eucharistiam detorqueat, probationis loco affert id, quod & falsum est, & hoc ipso loco in controversiam venit. Ait enim ex Evangelio constare, Apostolos ante Christi passionem manducasse Christi carnem in novissima Cœna, & proinde verum agnum Paschalem comedisse, ad ejusque epulas Apostolum nos hortari his verbis: *Itaque epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.* Hinc colligit, immolationem tunc præcessisse: cum agnus priùs immoletur, postea comedatur. Qua ratiocinatione nihil poterat excogitari vanius. Falsum enim est, ex Evangelio constare, Apostolos in novissima Cœna Christi carnem comedisse, ut suo loco demonstratum est. Falsum est, Christi carnem in ultima Cœna immolatam fuisse: cum post illam Cœnam demum illud factum esse liquidissimò constet. Falsum est denique, Paulum ad ejus epulas nos hortari verbis a Bellarmino adductis: cùm apertè non azymos Cœnæ Dominicæ, aut etiam carnis Christi, sed azymos sinceritatis ac veritatis, fermento malitiæ ac nequitię oppositos memoret; totoque illo loco nihil aliud agat, quàm per quandam dicendi figuram, ad agni illius Paschalis celebrationem alludens, nos adhortetur, ut omnibus vitiis, veteris fermenti nomine significatis, prorsus abjectis, pietatis studium, quod novę conspersionis nomine intelligit, amplectamur, in eoque diligentissimè versemur; propterea quòd Pascha nostrum immolatum sit. Quemadmodum igitur Israëlitæ olim dies illos festos ita agitabant, ut, dum quidem durabant, a fermento abstinerent, azymisque vescerentur: ita & nos, dum quidem nostrum istud festum durat, (durat autem per universum vitæ tempus) ab omni criminis contagione,

tum

tum animum, tum corpus purum conservare, inque ardentissimo sanctimoniç studio ætatem consumere debemus.

Altera Bellarmini ratio est, quòd ex Evangelio constare asserit, Dominum statim post agni Paschalis celebrationem instituisse Eucharistiam, ut ostenderet, se novâ ceremoniâ finem imponere veteri. Quæ quidem consecutio primùm & vitiosa est, & divinæ veritati adversa. Vitiosa, quia nihil vetat, quominus manente vetere ceremonia, hæc altera illi opposita fuisse dici possit. At, inquit Bellarminus, id magnum rei istius, quam asserit, argumentum continere, quòd statim hanc ceremoniam illi subjunxit, nec in aliud tempus actionem istam rejecit. In quo quidem ridiculum sese præbet, cum jam aliud tempus huic rei accommodatum non restiterit: sed confestim ab illa cœna surgendum, afflictionumque ac mortis hora subeunda fuerit. Divinæ autem veritati ideò istam argumentationem repugnare diximus, quòd nondum tum Christus ad eum dignitatis gradum pervenerat, ut veteres Dei leges abrogare posset. Sustinebat quippe adhuc propheticum officium, cujus tanta non erat autoritas, ut ei propterea leges ceremoniales abrogare liceret: cùm ea res, ut suprà demonstravimus, regii ipsius muneris propria esset. Deinde etiamsi Christus hac ceremonia finem voluisset imponere veteri; non sequeretur tamen, ideò id factum, quòd hæc illius esset typus: sed quòd typus esset ejus rei, quam jamjam sequuturam Christus Eucharistico ritu instituto adumbrabat, cui tanquã corpori umbra illa cedere debebat. ea verò est mors ipsius cruenta, seu facta pro nobis immolatio.

Tertia ratio est, quòd Christus eodem tempore suam Cœnam instituerit, quo agnus Paschalis immolari solebat, nempè decimoquarto mensis die ad vesperam. Hinc enim effici Bellarminus asserit, illam agni ceremoniam cœnæ Dominicæ figuram extitisse. Atqui nullum consecutionis istius vinculum apparet: cum nihil prohibeat, quominus diversorum generum res eodem tempore evenire possint, quamvis neque altera adumbret alteram, neque hæc in illius locum reponatur. Adde, quòd planè ex accidente evenisse necesse est, ut quo die Christus Pascha ex Legis prçscripto celebravit, eo etiam Cœnæ suæ ceremoniam constitueret, nimirum quatenus in idem tempus ipsius inciderunt afflictiones morsque truculenta. Hæc enim Christus paulò antè, quàm exitu complerentur, discipulis suis repræsentare, idemque in posterum ab illis fieri voluit.

Sed jam videamus quartam Bellarmini rationem. Agnus, inquit,

Cœna Domini.

quit, immolabatur in memoriam transitûs Domini & liberationis populi ex Ægypto: & Eucharistia celebratur in memoriam transitûs Domini per passionem ex hoc mundo ad Patrem,&nostræ liberationis de potestate Satanæ, quæ per ipsam Christi mortem facta est. Hîc respondemus, tantum abesse, ut quæ a Bellarmino hoc loco commemorantur, efficiant, ut agni Paschalis celebratio cœnæ Dominicæ figuram gerat, ut ne plenam quidem inter utrumque similitudinem constituant. Quamvis enim in hoc similitudinem agnoscamus,quòd utrobique liberatio quędam celebratur:in transitu tamen magnam dissimilitudinem esse nemo non videt. Quid enim transitus ille, qui domuum Israëliticarum in puniendo quædam præteritio erat, cum illo Iesu Christi transitu, qui cõmigratione ex hoc mundo in cœlum continebatur,commune habere potuit? Adde quòd,si vel perfectissimam hæc inter se similitudinem habere ostendisset: non protinus tamen alterum alterius figuram gessisse demonstrâsset.Vt enim omnis typus seu figura similitudo quędam sit: non tamen contrà omnis similitudo in typis sive figuris habenda est. Vt enim secundùm sacræ scripturæ consvetudinem, res vel persona aliqua ritè alterius rei aut personæ typus seu figura dici possit, duo potissimùm requiri videtur: primò ut ad hoc ipsum divinitus sit designata: deinde ut sese ad rem figuratam habeat,tanquam umbra ad corpus. qua de causa typi figuræque apud divinos autores umbræ etiam nominantur. Vnde colligitur, rem figuratam solidius quippiam continere, quàm figuram sive typum; & quod consequens est, ceremoniam externam, alterius externæ ceremoniæ figuram sive umbram gerere non posse: cùm una umbra non alteri umbræ, sed corpori opponatur. Ostendat igitur Bellarminus, agni Paschalis ceremoniam ad figurandam Eucharistiam institutam fuisse: ostendat, Eucharistiæ celebrationem non itidem ceremoniam, sed reale quiddam, seu illius umbræ corpus extitisse; & vincet. Itaque constat, ut diximus, non omnem similitudinem seu figuram typum esse. Vt enim similia quæpiam rectè dicantur, nec Dei ordinatione, nec futurę rei tanquam per umbram figuratione opus est: cum absque his rectę rationis judicium, animadversa rerum duarum vel plurium eadem qualitate, aut ratione,earum collationem constituere possit: quemadmodum vel ex parabolis a Christo usurpatis apparere potest; & ex aliis similitudinibus, quas sacræ literę plurimis in locis usurpant,nulla habita ratione ejus,quòd rerum,quæ inter se comparantur,una sit alterius typus. Idem & de Eucharistia agnoque Paschali sentiendum est, quę in eo sunt similia, quòd

Col:1.17. Heb:8. 5. &10. 1.

Cap: XXII. De Cœna Domini.

lia, quòd quemadmodum Israëlitæ festum illum diem agentes, celebrabant memoriam liberationis illius a cęde primogenitorum,& emissionis e vinculis Ægyptiacis: ita Christiani per cœnæ Dominicæ ceremoniam solenniter commemorant Christi illam mortem truculentissimam, quâ ex peccati Diabolique servitute in filiorum Dei libertatem vindicati,& ab æterno interitu liberati sunt: nec tamen hinc consequitur, illam hujus typum gessisse, id est,eo consilio institutam, ut hanc figuraret. Simile est, quod multi dicunt, quemadmodum olim per circumcisionem homines in Dei populum adscribebantur: ita Apostolos post Christi in cœlos ascensum, per baptismum homines recepisse in numerum Christianorum. Quod fortasse rectè dici potest, propter quandam utriusque similitudinem: nec tamen circumcisio baptismi figura seu typus ritè nominabitur.

Quinta Bellarmini ratio hæc est: Agnus, inquit,immolabatur, ut manducaretur, & esset quasi viaticum peregrinorum &c. & Eucharistia quid est aliud, quàm refectio & viaticum peregrinantium ad veram ac cœlestem patriam? Sed falsum hoc esse inde constat, quòd, ut suprà demonstravimus, non in eum finem Cœna Domini instituta est, ut ex ea aliquid reportemus: sed ut pro jam acceptis beneficiis Deo gratias agamus, ut quidem Bellarminus, vel ex ipso Eucharistiæ vocabulo toties a se usurpato, addiscere potuit. Nihil de hac refectione & viatico peregrinantium ad cœlestem patriam Christus, nihil Apostoli testantur, qui rem tam salutarem, tam necessariam, nequaquam fuissent prætermissuri,sed identidem inculcaturi.

Sexta Bellarmini ratio est:Vt agnus Paschalis non poterat manducari, nisi a circumcisis, mundis, & in Hierusalem: ita Eucharistia non potest sumi nisi a baptizatis, & mundis, & intra Catholicam Ecclesiam existentibus.Nos verò hoc totum facilè concesserimus, præsertim si de vero baptismo, qui veram affert mundiciem ac pietatem,sermo habeatur: verùm,ut in quartæ rationis examinatione diximus, non hoc demonstrandum Bellarmino erat, utrobique nimirum simile quiddam fieri, sed illud hujus fuisse figuram seu typum.

Verùm esto,tulerit sanè illa agni ceremonia figuram Eucharistię, quanquam hoc repugnare veritati nobis persuasissimum est: num continuò id inde conficietur, quod vult Bellarminus,nempe Christi corpus in Cœna omnino immolari? nequaquam. cùm minimè necesse sit,rem figuratã in omnibus, etiam minimis partibus, cum

re figu-

re figurante convenire. Satis quippe est, hanc illi in re præcipua, & de qua potissimùm agitur, respondere. Nisi ergo typorum leges suprà memoratæ reclamarent, & solius habenda foret ratio similitudinis; ad id, ut agnus Paschalis Cœnæ Dominicæ figura esse posset, illud sufficeret, quòd utrobique solennis quædam gratiarum actio fiat, illic pro liberatione ex Ægypto, hîc pro redemptione ex vinculis peccati & mortis.

Tertium argumentum Bellarminus ex fœderis antiqui percussione ducit. Quia enim illud solenni sacrificio & sangvinis aspersione sancitum fuit his verbis: *Hic est sangvis testamenti, quod mandavit ad vos Dominus*: idcirco cum Christus Eucharistiam instituens, iisdem verbis usus fuerit: *Hic calix est novum testamentum in sangvine meo*, & sic novum Testamentum in cœna constituerit; consequens esse ait, completam esse in Eucharistia figuram illam; & proinde quemadmodum sangvis testamenti veteris fuerit sangvis victimæ jam immolatæ, & verè ac propriè sacrificatæ: ita etiam sangvinem novi testamenti esse sangvinem victimæ jam immolatæ ac sacrificatæ, nempe Christi. Christum ergo ipsum fuisse victimã in Eucharistia immolatam & sacrificatam. Hęc Bellarmini ratiocinatio multis modis vitiosa est: primò enim falsum est, Christum in Eucharistia novum testamentum fecisse: cum illud jam antè constitutum seu propositum hominibus fuerit, & in Eucharistia nonnisi ejusdem confirmatio morte Christi facta commemoretur. Falsum similiter est, Christum iisdem verbis uti, quibus Moses usus fuerat: cum aliud sit dicere: *Hic est sangvis testamenti, quod mandavit vobis Dominus*, aliud: *Hic calix est novum testamentum in sangvine meo, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum*. Nec solùm literis syllabisque ista inter se differunt, sed etiam diversissimas continent sententias. Etenim Moses sangvinem, quo conspergebat populum, sangvinem testamenti vocat, h. e. sangvinem quo testamentum sanciatur: at enunciationis Christi subjectum non sangvis est, sed calix; & de eo in illis, quæ ex Luca & Paulo citantur, verbis non dicitur, quòd sit sangvis testamenti, sed quòd sit testamentum in sangvine. Quòd si dicat Bellarminus Calicis nomine sangvinem Christi intelligendum esse, quia continens pro contento ponatur; in poculo autem contineatur sangvis Christi: ut alia nũc omittam, falsitatem ejus sententiæ prædicatum enunciationis Christi satis evincit. Is enim ut vidimus, dicit, calicem esse testamentum novum in sangvine suo. At quis dixerit, sangvinem Christi esse testamentum novum in sangvine Christi? Præterea illud quoque sententiæ

Exo: 24. 8. Heb: 9. 20.

Luc: 22. 20. 1 Cor: 11. 25.

diversitatem, quæ est inter verba Mosis & Christi, ostendit, quòd Moses de sanguine loquebatur jam fuso: Christi autem sangvis nondum fusus erat, sed mox ad confirmationem Novi fœderis fundendus. Falsum igitur & tertium illud est, quod hinc Bellarminus colligit, nimirum Christum in Eucharistia oblatum fuisse. Imò si sangvis ipsius nondum fusus fuit, ut sanè nõ fuit; quomodo, quæso, sacrificari Christus potuit? cum offerri ac sacrificari res animata, nisi antecedente mactatione seu immolatione, nequeat. Priscam deniq; illam sangvinis aspersionem, quod itidem asserit Bellarminus, figuram gessisse bibitionis e poculo Eucharistico, tuncq; impletã fuisse, cùm Christus illis de poculo verbis uteretur; nulla ratione probari potest; quamvis ejus futuram impletionem tunc adumbratam fuisse, minimè negaverimus. Quantò igitur satius fuisset, Bellarminũ unà cum suis in ea mentem intendere, quæ ipse divinus spiritus hac de re loquitur, qui aspersionem sangvinis Christi, Legali illi seu Mosaicæ respondentem, quatenus ipsius Christi actio quædam est, non in porrectione poculi Eucharistici, sed in morte ipsius collocat, hunc in modum loquens: *Et ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est. Vnde nec primum quidem sine sangvine dedicatum est. Lecto enim omni mandato Legis a Mose universo populo, accipiens sangvinem vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit, dicens: Hic sangvis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.* Ex his verbis intelligi potest, aspersionem sangvinis rem ejusmodi esse, quâ fœdus jam penitus confirmetur, & vim suam ac robur accipiat. unde porrò consequitur, eam in Cœna fieri non potuisse. Alioquin fœdus seu testamentum novum, testatore adhuc vivo valuisset, seu vim ac robur suum habuisset, contra apertissima D. Auctoris verba, qui Testamentum in mortuis confirmatum, seu firmum esse dicit, quia nondum valeat, dum vivit is, qui testatus est. Atqui, inquit Bellarminus, omnis testator sui juris est, aliquidque præcipiat oportet. Cum igitur Christus in morte constitutus, nec sui compos fuerit, nec porrò quicquam præcipere potuerit; consequens esse ait, ut in Eucharistia eum Fœdus novum fecisse statuamus. At verò, mi homo, non in morte illum testamentum fecisse

Y dicimus;

Cap: XXII. De Cœna Domini.

Heb: 9. 15, 16.

dicimus; confirmasse autem morte, planè asserimus. Nec quia in morte fœdus non percusserit, sequitur, eum hoc in Cœna fecisse. Tempus enim fuit ante Cœnam, cùm & præcepta traderet, & promissa faceret, factaque tum summâ vitæ innocentiâ ac sanctimomoniâ, tum inauditis miraculis confirmaret. Quibus in rebus maxima ex parte Novi fœderis rationem constitutam esse, quivis facilè intelligere potest. Hinc constat, hunc nostrum testatorem, cùm negotii istius administrationem susciperet, sui juris fuisse, nihilque ad totius rei perfectionem defuisse, præter truculentissimæ mortis perpessionem. Hanc quippe omnia consecutura erant, quæ ad novum hoc fœdus planè corroborandum pertinebant, id est, quę nos in firmissimam spem vitæ ętenrnę adipiscendæ, si dictis illius pareremus, excitare poterant. Cujus quidem rei adumbrationem in Cœna Domini contineri, haud diffitemur. Pro nobis autem facit Bellarm:, dum negat responderi posse, Christi sangvinem in Cœna fuisse sangvinem victimæ futuræ in cruce; propterea quòd in Exodo priùs immolata est victima, deinde populus sangvine aspersus. Item, non priùs sangvinem haberi posse, quàm victima immoletur. Hinc enim apparet, sangvinem Christi revera in Cœna non fuisse haustum aut sparsum. Quandoquidem immolatio tunc nulla præcesserat. Siquidem immolatio nil est aliud, quàm *mactatio*, sacrificii offerendi causâ facta. Mactatio autẽ tunc nulla antecesserat. Quòd si Bellarminus per immolationem intelligat oblationem corporis Christi incruentam; non modò a proprietate vocabuli discedit, nec meminit, ante oblationem cujusque rei animatæ, debere mactationem ejusdem præcedere: sed etiam ridiculus est, dum nullam rationem pati ait, ut sangvis ante hujusmodi immolationem habeatur; quasi verò post incruentam oblationem, quam nulla sangvinis fusio antecesserit, magis possit haberi sangvis, quàm antè; cum is æquè in victimæ corpore maneat post oblationem illam, atque antea. Quid porrò hujusmodi immolatio commune habet cum immolatione victimæ, a Mose in sanciendo fœdere cæsæ, præsertim quod attinet ad sangvinem, qui post eam immolationem hauriatur aut spargatur. Et nihilominus Bellarminus ista ad Cœnæ Domini administrationem applicat his verbis: In figura veteris testamenti tria inveniuntur. Primò promulgatio Legis coram populo: secundò immolatio victimæ: tertiò aspersio sanguinis, & manducatio victimæ. Hanc figuram dicit Christum implevisse: primum, cùm ait: *Hoc est præceptum meum*: & tertium, cùm ait: *Comedite & bibite*: secundam autem, inquit, rem, nimirum victimæ immolationem, omissam.

omissam esse quis credat? Sed vix digna hæc sunt ulla refutatione. Primò enim, non tunc primùm Christus novum fœdus promulgavit, cùm Cœnam institueret, ut paulò antè docuimus. Adde, quòd verba Christi a Bellarmino prolata, *hoc est præceptum meum*, fœderis promulgationem minimè complectuntur; cum fœdus non uno aliquo mandato, sed omnibus præceptis; nec his solùm, verùm promissis etiam contineatur. Deinde nec ullam in Cœna Domini cernimus aspersionem: cum aliud sit comedere panem, bibereq; vinum in poculum infusum, aliud sangvine aspergi. Cùm igitur nec primum, nec tertium hîc locum habeat; quis secundum huc pertinere dicat? quippe cujus ne tenuissimum quidem hîc appareat vestigium, nedum aperta ejus mentio fiat.

Quarti argumenti loco aliquot prophetarum vaticinationes affert. quarum prima extat 1. Reg. cap. 2. 35. ubi Vates sacerdotium Heli prædicit cessaturum, & surrecturum novum sacerdotem coram Christo Dei omnibus diebus. Hinc colligit Bellarminus, Christum offerri in missa a sacrificis. Egregiam verò consequentiam! Sed benè habet. Ipse enim Bellarminus solvit hunc nodum satis alioquin expeditum. Inquit enim, hanc vaticinationem in Samuele, vel in Sadoc impletam esse. Nam Samuel successit Heli: & deinde Salomon ejecit Abiathar, qui descendebat de familia Heli, & constituit pro eo Sadoc: & addit scriptura, id factum esse ut impleretur verbum Dei contra Heli in Silo. Nos igitur hac responsione contenti, utpote ex sacris fontibus haustâ, nihil ea moramur, quæ postmodum ex Augustino affert, quæ ejusmodi sunt, ut partim responsionem nostram confirment, dum fatetur, vaticinium illud in Samuele vel in Sadoc impletum esse; partim nulla ratione nitantur, dum addit, id impletum in illis fuisse, quatenus gesserint figuram Christianorum sacerdotum; præsertim cum summus, de quo ibi præcipuè sermo est, sacerdos, nonnisi Christi summi sacerdotis figuram gesserit; nec quicquam constet, illos, quatenus Heli successerunt, Christi aut Christianorum sacerdotum Aaronicis succedentium gessisse typum. Et denique, etiamsi hoc totum concedatur; an non alia sunt Christianorum spiritualia sacrificia? ut nihil sit necesse missæ sacrificium ideo confingere. 3 Reg: 2. 26, 27.

Alterum vaticinium est apud Salomonem, de Sapientia hunc in modum loquentem: *Sapientia*, inquit, *ædificavit sibi domum, & immolavit victimas suas; miscuit vinum, & posuit mensam suam.* Verùm quid hoc cum vestra missa conjunctum habet? Cum sole meridiano clarius sit, Salomonem sapientiæ per prosopopœiam quandam Prov: 9. 1, 2.

hæc omnia tribuere, totumque hunc sermonem esse allegoricum; ita ut nihil aliud significetur, quàm sapientiæ ingentia commoda ac fructus jucundissimos omnium oculis esse expositos, qui vim habeant magnam ad ejus cultum alliciendi: perinde ac si constructa domo magnifica, victimisque cæsis, ac convivio opipare parato, omnes homines ad epulas suas invitaret. Quid autem ineptius, quàm missæ sacrificium hinc velle exprimere?

cap: 66. 21. Tertium apud Esaiam extat hoc pacto: *Et assumam ex eis sacerdotes & Levitas, dicit Dominus.* Cui simile esse Bellarminus ait illud Hieremiæ: Hier: 33. 17. *Non interibit de Davide vir, qui sedeat super thronum Israël, & de Sacerdotibus, & de Levitis, non interibit vir a facie mea, qui offerat holocautomata.* Respondemus autem, neutrum testimonium missæ sacrificium comprobare. Ac prius quidem aut propriè de populo Israëlitico loquitur, ex quo Deus sese Levitas sacerdotesque assumturum esse dicit, ut quidem ex ipsa verborum complexione patere videtur: (paulò antè enim de fratribus Israëlitarum ex cunctis gentibus adducendis sermo habetur; & mox subjunguntur hæc verba: *& assumam ex eis Sacerdotes & Levitas:*) aut verba ista figuratè mysticeque de illis fieri statuendum est, quos suo tempore Deus ex omnibus populis per Christum sibi adjuncturus erat. 1 Pet: 2. 5, 9. Apocal: 1. 6. c. 5. 10: 20. 6. Eos enim regale sanctumque sacerdotium, vel Reges & sacerdotes Christi operâ factos esse, divinus spiritus luculentissimè testificatur; ut nimirum Levitarum instar obtinentes, non solùm electissimus ipsius populus essent; sed etiam spiritualia, ipsique accepta sacrificia per Christum facerent. Eodem planè modo de altero, nempe Hieremiæ testimonio, existimandum est, nimirum vel propriè illud de sacerdotibus ac Levitis agere, a munere suo nunquam removendis, dum quidem Politia illa Iudaica duraret, legesque ceremoniales locum haberent: vel mysticè de Christianis, qui, ut dictum est, spirituales hostias nunquam non offerunt. Verùm in quemcunque tandem sensum vaticinationes istæ accipiantur, nihil, quod ad missæ sacrificium pertineat, elici ex illis potest: cum nec sacrifici isti propriè loquendo sese Levitas dicere audeant; nec sacrificium, quod facere conantur, spirituale sit, sed, ut Bellarminus pugnat, propriè sic appellatum; nec tandem ullo sacrarum literarum fundamento nitatur.

Malach: 1. 10, 11. Quarta vaticinatio apud Malachiam extat: *Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sanctificatur & offertur nomini meo*

oblatio

oblatio munda. Qui quidem locus, quid cum miſſæ ſacrificio commune habeat, non video: cum hîc nihil quicquam dicatur, unde vel leviſſima de illo conjectura capi poſſit: contrà verò inter omnes conſtet, ipſa nimirum ratione ſvadente, hîc novi Fœderis ſacrificia commemorari. Si igitur diligentiſſimè in omnia Chriſtiani populi ſacrificia animum intenderis, nullum proprium, quale miſſam eſſe iſti contendunt, ſed ſpiritualia omnia illis præſcripta eſſe comperies, nimirum legalibus illis ſacrificiis olim, utpote horum figuris, deſignata: veluti eſt [a] gratiarum actio ac laudes Deo redditæ; [b] beneficentia, [c] aliaq; inſignia charitatis opera; & denique [d] totius vitæ ſanctitas. Hujusmodi enim ſacrificia in ſac: literis [e] opponi ſolent illis externis ac corporalibus, & iis anteferri. Reſpondent autem ea, atque inprimis gratiarum actio, & divini nominis celebratio, ſacrificiis pacificis, atque euchariſticis: quanquam ea, quæ ad remiſſionem peccatorum a Deo impetrandam magis referuntur, expiatoriis reſpondent: quo in genere ſunt inprimis, [f] cor contritum & coram Deo demiſſum, peccati conſcientiâ, dolore, ſuppliciorum divinorum metu, ac miſericordiæ ipſius deſiderio anxium, indeque [g] profectæ preces & lachrymæ, [h] peccatorum coram Deo confeſſio, [i] cæteraque pœnitentis animi ſigna; miſericordia erga lapſos, afflictos, pauperes. Hujusmodi enim rebus ad miſericordiam ac peccatorum remiſſionem flectitur Deus. Nam quod Bellarminus ait, ea tantùm in veteribus ſcriptis per typos & ritus externos deſcribi, quæ tunc in uſu non erant; id non eſt ſimpliciter admittendum. Nam & David ſacrificii nomine deſcribit ſpiritum afflictum, cor contritum & humiliatum: cum tamen de eo loquatur, quid ipſe Deo pro peccato ſuo offerat, & offerre porrò velit. Ieremias c. 4. 4. ad reſipiſcentiam & vitæ correctionem Iudæos vocans, jubet eos circumcidi Domino: quod ſtatim explicat, dum jubet auferre præputia cordium. Elegantiſſimè enim res internæ ac ſpirituales, per externas ac corporales, ſimilitudinem quandam cum iis habentes, deſcribuntur. Quòd ſi ea, quæ tunc fiebant, ad cultum quendam ſpiritualem pertinentia, licèt imperfecta adhuc, per res illas externas deſcribuntur: multò magis res ſpirituales ſub Chriſto longè pleniùs ac perfectiùs extituras, eo modo deſcribi cenſendum eſt. Eſt autem res ex eo quoque manifeſta, quòd Petrus non ad certum tantùm quoddam Chriſtianorum genus, ſed ad quosvis promiſcuè ſcribens, eos ſacerdotium, h. e. veluti ſacerdotum quoddam collegium vocat, eosque ad ſpirituales hoſtias per Chriſtum Deo offerendas vocatos eſſe indicat, & Moſis verba, de populo Iſraëlitico olim

1 Pet: 7. 5.
a Heb. 13. 15.
b ibid: ℣ 16.
c Phil: 4. 18. Epheſ: 5. 2.
d Rom: 12. 1.
e 1 Sam. 15. 22. Pſal: 40. 7. & d. & 50. 18, 19, 21. Eſa: 1. 11. & d. conf: cum ℣ 16. & ſeqq. Oſ: 6. 6. Mat: 9. 13. Eccl: 4. 17.
f d. l. Pſal: 51. 18, 19. Act: 3. 19.
g Pſal: 32. 6. Eſa: 55. 6, 7.
h d. Pſal. 32. 5. 1 Ioh: 1. 9.
i Ion: 2. 24. Prov: 16. 6. Dan 4. 24. Matth: 6. 14. Iac: 2. 13. d. l. Pſal: 51.
1 Pet: 2. 5, 9.
Exod: 19, 6.

olim pronunciata, ad eosdem accommodat, dum eos sacerdotium regium vocat. Atqui Christiani homines promiscuè sumti, ipsis adversariis fatentibus, non ideo dicuntur sacerdotes, quòd missam celebrent, & sacrificium corporale proprieque sic dictum offerant: hoc enim certorum tantùm hominum volunt esse proprium: sed quòd, ut ipse Petri locus ostendit, spirituales hostias offerant Deo, quas tamen in usu jam olim fuisse, Bellarminus hoc loco contendit. Ex quo apparet, in verbis Mosis a Petro ad Christianos accommodatis, si mysticè sumantur, describi per typum id, quod aliqua ratione jam tum in usu fuit, sed perfectiori ratione erat sub novo fœdere exiturum. Sed animadvertendum prętcrea est, spiritualia propria quodammodo censeri novi fœderis, corporalia atque externa veteris: non quidem quòd nulla prorsus sub veteri fœdere extiterint spiritualia, sive opera hominum, sive dona divinitùs data respicias; sed quòd & pauca, & imperfecta, adeò quidem, ut collata cum iis, quæ sub novo extiterunt, propemodum evanescant. Quare hoc pacto admittere dictum Bellarmini, quod hucusque examinavimus, possemus: sed simul etiam negare, illa, quæ nos apud Malachiam oblationis nomine intelligimus, sub veteri fœdere extitisse, præsertim inter gentes extraneas, de quibus ibi propriè sermo est. Nam nec veri Dei cultus in omni loco inter gentes extraneas vigebat; nec, qui inter Iudæos vigebat, spiritualis censeri debebat; nec tanta vitæ integritas morumque sanctitas, quantam hodie præscripsit Christus, tum temporis præcipiebatur, multò autem minùs exercebatur. Quæ verò argumenta Bellarminus ducit ex voce *munda*, nomini *oblationis* apud Malachiam addita, ea nullam adversus nostram sententiam vim habent. Nil enim dubitamus, quin & singula piorum hominum opera, ex Dei præscripto præstita, & tota illorum vita, quam Christo agnito, ad ejus nutum componunt, verè ac propriè munda puraque dici queat; licèt eam impura vita, cujus sordes jam abluit Deus, aliquando pręcesserit; & aliquid etiamnum labis eorum pietati interdum aspergatur, cujus tamen Deus rationem habere non vult; utpote qui ex eo, quod ut plurimùm fit, non ex eo, quod nonnunquam ex fragilitate humana intervenit, vitæ integritatem ac puritatem æstimat. Neque enim protinus purum id esse definit, quod ad summum puritatis gradum non pervenit: quemadmodum ex sacris literis planum est, quæ puritatem, seu, quod perinde est, integritatem ac sanctitatem vitæ, justitiæque laudem iis quoque tribuunt, qui pro viribus Dei præceptis obtemperant, etiamsi nonnunquam ex imbecillitate labantur.

Psal: 18. 21, & d. 24. 4: 36. 16, & d. 119. 1. & d. Ephes: 1. 4.

bantur.

bantur. Neq; est, quod Bellarminus dicat, Malachiam loqui de oblatione, quæ pollui nulla ratione possit: opera autem nostra pollui posse. Nihil enim aliud dicit Malachias, quàm oblationem illam mundam esse vel fore: quòd autem non possit non esse munda, de eo nullum apud ipsum extat indicium. Quanquam si oblationis nomine non simpliciter opera hominum, sed opera secundùm Dei & Christi præscriptum perfecta intelligas; ea non magis pollui, quàm mala fieri queunt, seu talia, quæ divinis mandatis sint adversa. Col: 1. 22. Iac: 1. 27. 2 Pet: 3. 14. 1 Ioh: 3. 3. 1 Thes: 5. 23. Luc: 1. 6, 75. 2 Cor: 7. 1. 1 Pet: 1. 15, 16. 1 Ioh: 3. 8.

Instat Bellarminus, & duobus adhuc argumentis suam de Malachiæ loco sententiam adstruere conatur. Ac prius quidem hujusmodi est: Nomen Dei per Sacerdotes fuit contemptum, per Gentium verò oblationem glorificatum fuit. Atqui sacerdotes illi Deum offendebant in publico & visibili sacrificio. Ergo & gloria Dei apud gentes nasci debuit ex publico visibilique sacrificio. Nos verò totum hoc facilè concesserimus, nec tamen missam istam hinc colligi posse concedimus. Quòd enim Bellarminus Dei gloriam, quæ ex spiritualibus hostiis nostris resultat, privatam tantummodo esse dicit, vehementer errat: cum hic cultus Deo publicè etiam, idque non in uno loco, sed in toto terrarum orbe adhibendus sit, quemadmodum tum Christus, tum Paulus luculentissimè docet. Quid enim? annon publicè solenniterque Deus invocatur, adoratur, eique gratiæ aguntur in Ecclesiis Christi? Charitatis etiam officia nónne in publicis locis exerceri possunt & solent, per mutuas cohortationes, orationes, doctrinas, auxilia mutua, quibus fides, multis etiam aliis virtutibus munita, quasi publicatur, inque apertum producitur? Quid est, quod Christus ait, Lucere debere lucem nostram coram hominibus, ut videant bona nostra opera, & glorificent Patrem nostrum in cœlis? Ioh: 4. 21. usque ad 25. 1 Tim: 2. 8. Mat: 5. 16.

Posterius argumentum ducit Bellarminus ex oppositione Sacerdotum. Malachias, inquit, non opponit omnes Christianos omni populo Iudaico: sed certos homines, propriè succedentes in sacerdotio, illis sacerdotibus. Ergo non loquitur de sacrificio spirituali, quod ab omnibus Christianis offerri solet: sed de sacrificio propriè dicto, quod a solis veris sacerdotibus offerri potest. Hujus argumenti antecedens bipartitum, & neutra pars planè vera est. Quod enim ad priorem attinet; quid prohibet, quominus vatem sub sacerdotum nomine tacitè totum populum reprehendisse intelligamus? Quamvis enim oblationes illæ per Sacerdotum manus administrarentur: non tamen id sine populo factum fuisse apparet, utpote qui pollutas illas victimas ad offerendum tradebat. Nihil

igitur absurdi continet, populum Christianum universæ Israëlitarum nationi, & sic etiam sacerdotibus illis oppositum intelligere. Altera quoque pars quomodo a Bellarmino probari possit, non video: cum, ut sacerdotes sacerdotibus opponantur, non necesse sit, utrosque propriè dictos sacerdotes esse. satis quippe est, alteros spiritualiter hoc officio fungi: veluti sunt omnes, qui Christo se addixerunt. Bellarminus tamen, ut utrobique de propriè dictis sacerdotibus sermonem esse demonstret, illa verba repetit: *Offeretur nomini meo oblatio munda*. Et ut eam nonnisi a propriè dictis sacerdotibus offerendam esse doceat, adducit ex eodem vate hæc verba:
Mal: 3. 3. *Purgabit filios Levi, & colabit æs, quasi aurum & argentum, & erunt offerentes Domino sacrificium in justitia*. Hîc antequam testimonium istud excutiamus, operę pretium est hoc loco notare duplicem Bellarmini errorem. Primò enim, Levitas, ut sacrificium in justitia offerre possent, purgandos colandosq; fuisse docet Propheta. Ex quo consequitur, illorum oblationem non esse mundam, nec Deo gratam accidere, nisi priùs ipsimet purgentur atq; colentur. Quod quidem iis, quę suprà Bellarminus dixerat, planè adversatur. Dixerat enim, oblationem istam ex se generaliterq; mundam esse, nec sacrificorum malitiâ immūdam effici. Deinde in sua de purgatorio disputatione, his Prophetæ verbis, in quibus de purgandis Levi filiis agitur, ad quandam purgatoriam pœnam demonstrandam usus est. Quod quidem quomodo cum isto missæ sacrificio conveniat, non video; nisi fortè eos, quos hoc in loco Levitas nominat, postquam purgatorio igne fuerint repurgati ac colati, atque adeò post mortem suam, missas offerre existimandum est. Quî ergo hoc loco ad missæ sacrificium ea verba audet referre? Verùm ut ad ratiunculam Bellarmini respondeamus; dicimus, Levitarum nomine nationem Christianam intelligendum esse. Hanc enim Deus filii sui sangvine purgavit, & ad sibi debitum cultum adhibendum aptam reddidit.
Apoc: 1. 5, 6. Vnde de Christo, per quem id Deus fecit, ita legimus: *qui dilexit nos, & abluit nos a peccatis nostris in sangvine suo, & fecit nos reges & sacerdotes Deo & Patri suo*. Quod cum ita sit in promtu, ut res disputatione non egeat; fatendum est, ipsum eventum istam Malachiæ vaticinationem nobis explicare: & porrò nequaquam necesse esse, ut aliunde verborum ipsius sententiam exquiramus. Verùm Bellarminus ideò omnes Christianos per filios Levi intelligendos esse negat, quòd hi unam tantùm populi partem constituebant: & ideò non totam Christianorum nationem, sed aliquam ejus partem illis respondere, nimirum eos, qui verè proprieque sunt sacerdotes,

sacrificiaque

ſacrificiaque vera ac propria offerunt. Hæc autem Bellarmini reſponſio tunc demùm locum habebit, cùm Chriſtianum populum ita diviſum demonſtraverit, ut alii ſint ſacerdotes propriè dicti, propriaque ſacrificia facientes; alii verò ſint ſpirituales, ſpiritualesque victimas offerentes. Quod quidem ſi fecerit, illud inter ſpirituales ſecularesq; homines diſcrimen, ab illis ſæpè inculcatum, convellet; & ſic, non ſe cum ſui ordinis hominibus ſpiritualem eſſe convincet: ſed communem Chriſtianorum hominum plebem hoc titulo ornabit. Tum igitur, cum carnales ceremoniæ, carnaliaque ſacrificia eſſent divina lege conſtituta, iſtiusmodi erat inter Iſraëlitas diſcrimen, ut alii ſacerdotes eſſent, alii non eſſent: nunc, poſtquam illa ſunt abrogata, & ſpiritualia in eorum locum ſubſtituta, quæ omnibus Chriſtianis communia ſunt, diſcrimen iſtud ſublatum eſt. Vnde efficitur, filiorum Levi nomine, hoc in loco omnes in univerſum fideles Chriſti intelligendos eſſe. Non ſumus neſcii, alios in Chriſti Eccleſia eſſe, qui divinam illius diſciplinam proponant; alios etiam, qui ſeſe illis auditores præbeant: ſed aliud eſt, docendi audiendique munere inter ſe diſtingvi, utpote divinorum donorum varietate ex ſe hoc diſcrimen conſtituente: aliud verò in re omnium communi, veluti ſunt ſacrificia Chriſtianorum propria, alios ab aliis diſcriminari. Nihil quidem prohibet, quominus, ut olim ſub Lege alii alios victimarum multitudine ac præſtantiâ ſuperare poterant, ita etiam nunc ſpiritualium victimarum copiâ & excellentiâ alii alios antecellant: ſed ut diverſi prorſus generis ſacrificia offerant, alii ſpiritualia, alii corporalia, id religionis Chriſtianæ natura non patitur: ac proinde nec illud, ut alii ſint ſacerdotes propriè dicti, alii impropriè. Illud inter ſacerdotes novi Fœderis manſit diſcrimen, quod olim cernebatur inter ſacerdotes legales, ut nimirum unus eſſet ſummus, cæteri inferiores. Sic enim & nunc eſt unus Pontifex ſummus, cęteri ſacerdotes illo ſunt inferiores. Summus Pontifex unà cum anniverſario ſuo ſacrificio Chriſtum Dominum adumbrabat, qui ſemel in cœleſte tabernaculum ingreſſus, perpetuam ſalutis noſtræ procurationem habet. Minores verò ſacerdotes, quotidie ſacrificantes, omnium Chriſtianorum, & illorum victimæ, ſpiritualium ſacrificiorum, quæ hi aſſiduè faciunt, umbram imaginemque gerebant. Atque ut ita ſeſe rem habere planè conſtet, non alienum fuerit, egregium illud diviniſſimi autoris teſtimonium in medium afferre, ex quo univerſum Chriſtianum populum in locum veterum ſacerdotum & Levitarum ſucceſſiſſe docemur, ſimulque admonemur, non carnalia, ſed ſpiritualia eſſe

ſacrificia noſtra: *Habemus*, inquit, *altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt. Quorum enim animalium infertur ſangvis pro peccato in ſancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra.* Quæ quidem verba, ſi cum illis, quæ paulò antè ab Autore iſto dicta ſunt, conjungantur, hanc continere ſententiam patebit: Chriſtianos nequaquam in cibis divini cultus rationem collocare debere: idque inde conſtare, quòd, cùm tabernaculo ſerviant, id eſt, ſacerdotum munere fungantur, illis hac in parte ſimiles, qui olim quotidiana in tabernaculo miniſteria obibant, edere tamen de victima pro nobis oblata iis non liceat. propterea quòd tale nunc eſt factum ſacrificium, (quod Altaris nomine per quandā metonymiam iſto in loco exprimitur) de quo illis, qui ſerviunt tabernaculo, ſeu ſacerdotibus, comedere fas non eſt. Vt enim olim, ſummo pōtifice cum ſangvine mactatę victimæ tabernaculum ingrediente, nullo pacto ſacerdotibus pecudis jugulatæ carne veſci licebat: id quod cæteroquin ad complendam penitus ſacrificiorum plærorumque ceremoniam pertinebat: ita & nunc Chriſtianis nequaquam iſtiuſmodi ciborum religione Deus colendus eſt: quandoquidem Pontifex noſter Ieſus Chriſtus per cruentam mortem in cœleſte ſacrarium ingreſſus eſt. Potuitné novi Fœderis ſacerdotum ordo, a divino iſto Autore luculentiùs oſtendi? Et porrò, poteſtné ullus reperiri intelligens homo, qui non videat, ſacerdotum a reliquo Chriſtianorum numero ſejunctionem nullum locum habere?

Heb: 13. 10.

Eſa: 19. 21. Quintus locus apud Eſaiam extat: *Cognoſcent*, inquit, *Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in muneribus & hoſtiis.* Hîc tametſi haud inviti Ægyptiorum nomine Gentiles eſſe intelligendos concedimus: miſſam tamen hinc rectè colligi pernegamus: cùm, ut hactenus demonſtravimus, nonniſi ſpirituales oblationes a Chriſtianis ritè libari poſſint. Nec obſtat, quòd altare in certo loco, ut vult Bellarminus, id eſt, in medio Ægypti collocatum iri prædictum eſt: cùm nequaquam neceſſe ſit, altare lapideum ligneumvé,

v. 19. vel ex quacunque alia materia confectum, hoc loco cogitare, ut ex ſuperiori teſtimonio conſtat, quo & nobis altare eſſe divinus autor comprobat. Nec quod dicit vates, *Altare Domini in medio Ægypti futurum*, certi cujusdam loci, ut Bellarmino placet, ſignificationem habeat neceſſe eſt: cùm hæc locutio ſæpiſſimè apud Hebræos perinde valeat, quaſi ſimpliciter in loco illo, cujus ſit mentio, vel inter aliquos, quippiam geratur. quo pacto Deus Abrahamo dicit:

Gen: 18. 26. *Si repereto in Sodomis quinquaginta viros juſtos in medio civitatis,*

parcam toti loco propter eos. Et filii Het eundem Abrahamum hunc in modum, ut est in Hebræo, alloquuntur: *Princeps Dei es in medio nostri*, id est, inter nos, vel apud nos, ut habet Vetus Interpres, c. 23. 6.
Huc & illa Baptistæ pertinent verba: *In medio vestrûm stat, quem vos non nôstis*, id est, inter vos versatur. Quòd si verba illa propriè accipienda essent, unum aliquod altare in medio omninm terrarum, quas incolunt Gentes extraneæ, extare oporteret, quod ab omnibus præcipua quadam religione coleretur ac celebraretur, & de eo solo Prophetam vaticinari necesse esset. Iohan: 1. 26.

Sextus locus apud Danielem extat, ubi Antichristum juge sacrificium aboliturum prædicitur. Hinc enim colligit Bellarminus, in Ecclesia sacrificium juge propriè intellectum vigere, duraturumque usque ad Antichristi adventum. Atqui consecutio ista nihil habet momenti: cum, ut hactenus a nobis dictum est, nullum in Novo fœdere propriè dictum sacrificium præscriptum sit; ideoque per juge sacrificium nonnisi cultus divinus a Christo nobis traditus intelligi possit. Quem quidem ab Antichristo eversum fuisse, ipse rerum eventus apertè convincit. Dan: 8. 11, & 12. & c. 12. 11.

Sequitur, ut ea testimonia ponderemus, quæ ex N.T. in medium proferri solent. Ea autem tria potissimùm sunt. Primum est apud Iohannem, ubi Christus hunc in modum loquitur: *Venit hora, & nunc est, quando neque in hoc monte, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem.* Et paucis interjectis: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Ergo, inquit Bellarminus, est sacrificium missæ. Quam quidem consecutionem hoc pacto probare nititur. Hoc enim, inquit, in loco per adorationem non intelligitur quævis adoratio, sed solennis & publica per sacrificium propriè dictum. Hoc autem tribus argumentis confirmare instituit: primum ducit ex illa quæstione, quam mulier Samaritana de schismate Iudæorum proposuerat, quod quidem erat circa locum publicorum ac propriè sic dictorum sacrificiorum. Alterum elicit ex adorationis novitate, quam in Christi verbis cernimus. Tertium indè sumit, quòd Christus de publica externaque adoratione loquatur. Sed totam hanc Bellarmini argumentationem nihili faciendam esse, ex eo quivis colligere ac perspicere potest, quòd si de adoratione ea sermo esset, quę fiat per oblationem sacrificii missæ, ea nonnisi sacrificulis competeret, qui soli, ut ipsemet urget, sacrificium istud offerunt, nulla ejusmodi ad eam rem cæterorum Christianorum opera interveniente, qualis olim sæpe interveniebat, cùm privati etiam sacrificia adducerent, ac per sacerdo- Ioh: 4. 21.

tum manus offerrent. Atqui fatetur Bellarminus, id quod etiam ex ipsius Christi verbis liquidò apparet, adorationem hanc omnibus veris Christianis esse communem, & verorum adoratorum nomine omnes veros Christianos intelligi. Deinde hujusmodi sacrificium, quod Bellarminus ex his verbis exprimere nititur, huic ipsi adorationi, quam Christus hîc describit, prorsus adversatur. Missæ enim sacrificium corporale est, externum, ceremoniale, quod manuum operâ, certis quibusdam ritibus Deo offertur, & altari indiget. Atqui Christus adorationem hanc omnibus rebus sacrificiisq; corporalibus, externis, ac ceremonialibus opponit, dum ait, eam in spiritu & veritate fieri debere, id est, ut ipse Bellarminus explicat, sacrificio spirituali & vero, non carnali & typico, ut Iudæi faciebant. Opponitur enim, inquit, spiritus carni, & veritas figuræ. Nam quòd Bellarminus Eucharistiæ sacrificium, quod ipse spiritualibus sacrificiis toties opposuerat, spirituale nominat, quia per spiritum sanctum & verba consecrationis efficiatur, id non modò falsum, & ipsius dictis contrarium, sed & ridiculum est. carnale enim sacrificium est sacrificium corporeum, quod ipsis manibus elevatur, ac Deo offertur: quale illud est, quod ipsi confinxerunt. Verba autem consecrationis, quid cum spiritu habent commune? Quod verò ad rationes attinet, quibus argumenti sui consecutionem stabilire nititur, respondemus: agi quidem eo in loco de solenni etiam ac publico Dei cultu, vel, si ita placet, de adoratione, quæ per sacrificia fiat; & mulierem, quæ illam quæstionem moverat, nonnisi de externo, seu carnali & ceremoniali cultu cogitasse, loquutamque esse: sed Christum, ut ex ipsius verbis patet, a carnali numinis divini cultu ad spiritualem, a ceremoniali & umbratili ad verum, &, ut ita dicam, realem solidumque, sermonem sapienter traduxisse, & significasse, solennem etiam Dei cultum atque adorationem, quæ per sacrificia fiat, jam porrò certo loco alligatum non fore: quandoquidem veri adoratores seu cultores Dei, non victimis carnalibus, quæ nonnisi in loco ad eam rem divinitus sacrato, ritè ac legitimè offerri possint, Deum sint in posterum honoraturi, sed sacrificiis spiritualibus, quæ nullius loci religionem aut celebritatem desiderent. Et hactenus adorationis rationem innovatum iri, id quod in secunda Bellarmini ratione urgetur, Christus indicat. Neque verò quicquam in eo absurdi est, quòd Christus a cultu carnali ad spiritualem, a propriè sic dicto ad figuratum, sermonem suum deflexit. Idem enim in eodem capite facit aliquoties: primùm in voce *aquæ*, cum eadem muliere loquens: deinde in voce *cibi*; ac deniqne

¥ 10. & d.
¥ 33. & d.

denique *messis*, cum discipulis suis sermonem miscens: licet sciret, eos, cum quibus loqueretur, propriè voces istas accipere. idem fecit inf. cap. *6.* in voce *cibi* ac *panis*. Tertia Bellarmini ratio multis etiam modis vitiosa est. Dominum ait sine dubio loqui de adoratione externa, publica & solenni; non de interna & privata. Sed quid prohibet de utraque simul loqui? Quæstio Samaritanæ, quam hîc iterum urget, non prohibet, privatam etiam atque internam intelligi: sed prohibet solam intelligi. Neque verò illa tantùm, sed & hæc successit ei, quæ nonnisi in templo Hierosolymitano legitimè fiebat. nam ibi privata quoque offerenda erant sacrificia. At (inquit porrò) adoratio simplex, & sacrificia impropriè dicta, possunt omnia privatim fieri, & sępe sola mente. quasi verò missa quoque privatim fieri nequeat: quanquam non sola mente: quemadmodum nec laudes divini numinis, & cætera sacrificia seu actiones, quæ corde simul & ore, *aut alio quocunque ministerio corporis accedente perficiuntur*. Quare *nihil est*, quod *infert*: Dominum non de istis loqui, *sed de vero, externo*, & publico *sacrificio*, quod aut nullum sit, aut Eucharistia. Quid enim? an publicæ preces, gratiarum *actiones*, eleemosynæ, & similia, non sunt vera, (hoc est minimè typica) externa, & publica sacrificia, ut proinde missæ sacrificio sublato nullum aliud restet? ℣ 35. & d. ℣ 27.32. & d.

Alterum novi Testamenti testimonium illis Lucæ verbis continetur: *Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit Spiritus S.: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Hinc Bellarminus sacrificium missæ colligit. quàm rectè verò, imò quàm ineptè, hinc facilè constat, quòd licet de ministerio publico oratio habeatur, nequaquam tamen consequens est, illud missam esse: cùm multi, ut ex parte jam vidimus, Deo publicè serviendi modi sint; ideoq; nihil vetet, quominus alia ratione, quàm per commentitium missæ sacrificium ministrâsse intelligantur. Ministrare enim potuerunt Domino, partim docendo populum Christianum, & eum Deo hac ratione consecrando; de quo ministerii genere Paulus eadem utitur voce, quâ hîc usus est Lucas; partim precibus ac gratiarum actionibus, quas victimas semper, sed in publicis Ecclesiæ conventibus maximè Deo offerendas esse, ex sacris literis didicimus, Ecclesiæ præeundo. Nec quicquam Bellarminum juvat vox *jejunantes*, quæ ministerio illi fuerit adjuncta. Quid enim prohibet, quominus ista jejunantes fecerint? Imò cum Eucharistia sine comestione ac bibitione ex Christi instituto minimè fiat; eam tunc haudquaquam celebratam fuisse credendum est: cum jejunium apud

Act: 13, 2. Rom: 15.16. Phil: 2, 17.

1 Cor: 10. 14, 15, &c.

um apud veteres ejusmodi esset ab omni cibo ac potu abstinentia, ut ne gustarent quidem quicquam.

Tertius locus novæ scripturæ est apud Paulũ, quem hoc pacto citat: *Fugite ab idolorum cultura. Vt prudentibus loquor; vos ipsi judicate quod dico. Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sangvinis Christi est? & panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est? Quoniã unus panis & unũ corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus. Videte Israël secundùm carnem; nónne qui edũt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? dico quòd idolis immolatũ sit aliquid, aut quòd idolum sit aliquid? Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Nõ potestis mensæ Domini participes eße, & mensæ dæmoniorum.* Ex his Pauli verbis Bellarminus tria argumenta elicit. Primum est: Mensa Domini comparatur cum altari Gentilium & Hebræorum. Ergo & mensa Domini est altare; & sic Eucharistia est sacrificium. Quę quidem consequentia falsissima est: cùm ut aliquid cum altero rectè cõparetur, nequaquã necesse sit, ut per omnia cum illo conveniat, satisq́; sit, ea in re utriusque convenientiam esse, de qua agitur. Iam ad mensam Domini quod attinet, tum ipsa vox mensæ, tum tota verborum complexio satis indicat, nequaquam hîc mensam Domini oblationis ratione habita cum altaribus comparari: sed respectu comestionis ac participationis, ad quam nequaquam necesse est, ut mensa Domini sit altare, & sic Eucharistia sacrificium. Satis quippe est, eos, qui ad sacram mensam accumbunt, hoc ipso facto declarare, se omnium eorum participes esse, quorum gratiâ Christus mortem oppetiit, communiaque cum illis habere sacra, qui ad eandem Domini mensam accedunt. Quemadmodum & illi, qui apud Israëlitas comedebant hostias, hoc ipso ostendebant, se eorum sacrorum participes esse. Similiter & de iis judicandum est, qui illis vescebantur victimis, quæ idolis libatæ erant, nimirum eos hoc faciendo, consortium dæmoniorum professos fuisse.

Alterum argumentum hujusmodi est: Apostolus apertissimè dicit, ita nos fideles sumere de mensa Domini corpus & sangvinem Domini, ut sumunt Iudæi hostias, & Gentiles idolothyta ex suis altaribus seu mensis. Quæ comparatio inepta sit necesse est, & perperàm ab Apostolo adducta, si Eucharistia non est sacrificium Deo immolatum, sicut cibi illi Gentilium & Iudæorum sunt sacrificia Deo vel idolis immolata. Hęc ille. Atqui, mi homo, Paulus ad istum modum

modum non loquitur. dixit enim: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſangvinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt?* id eſt, nónne hoc ipſo profitemur, nos corporis & ſangvinis Chriſti participes eſſe: quo pacto illi, qui idolothyta comedunt, participes, ſeu ſocii fiunt dæmoniorum, hoc eſt, conſortium ſe cum iis habere profitentur. Quòd autem de menſa Domini ipſum illius corpus & ſangvinem ſumamus, hoc nuſpiam dixit Apoſtolus: ac præterea inde nondum ſequeretur, Euchariſtiam, ut ipſe loquitur, eſſe ſacrificium Deo immolatum: cum ſatis ſit, rem eam cum idolothytis conferri ratione ſumtionis ac participationis, nulla immolationis ac oblationis, quę tum fiat, habita ratione.

Tertium argumentum hanc ſententiam continet: qui comedit idolothyta, is idolorum altaris fit particeps, cumque illis ſocietatem facit, qui idolis ſacrificant. Ergo etiam is, qui Euchariſtiam manducat, fit particeps altaris Domini: & porrò Domini menſa altare eſt, in quo ſacrificium offertur. aliter enim comparatio inepta eſſet. Hoc argumentum idem ferè eſt cum ſuperioribus duobus; ideoque eodem modo, quo & illa, diluendum. Ipſa enim ſanæ mentis ratio convincit, nequaquam neceſſe eſſe, ut per Domini menſam altare propterea intelligamus, quòd gentiles altaribus uſi, conjunctionem & inter ſe & cum idolis teſtarentur. quandoquidem Chriſtiani, cùm menſæ Domini fiunt participes, non minùs ſuam & cum Chriſto, & inter ſe communionem conjunctionemque teſtari poſſunt, etiamſi menſa illa altare non ſit, nec in ea quicquam offeratur: quàm Ethnici tum, cùm ab altaribus acceptas victimas ederent: quemadmodum ex iis conſtare poteſt, quæ ſuprà de participatione corporis & ſangvinis Domini diximus.

Cap: XXIII.

De peccato in Religionem Chriſtianam.

Cap: XXIII. De peccato in religionem Chriſtianam.

POſtquam jam de divina voluntate ſatis, ut videtur, explicavimus, conſequens eſt, ut de peccatis illis agamus, quæ in eam cōmittuntur; & eorum hominum ſtatum conſideremus, qui Chriſti religione imbuti, flagitiis ſeſe obſtringunt. Peccatum igitur in religionem Chriſtianam eſt, quicquid cum ejus præceptis & analogia pugnat. Hinc efficitur, peccatum iſtud duplex eſſe: aliud, quod cum Chriſti pręceptis penitus pugnat; aliud, quod cum analogia tantùm ſanctiſſimæ ipſius diſciplinæ non convenit. Præcepta porrò, alia affirmantia, alia negantia ſunt: quorum illa prætermittendo, hæc faciendo

ciendo violantur. Sive igitur hoc, sive illud fiat, peccatum committitur. Vnde vulgò alia peccata omissionis, alia commissionis dicuntur. Omissionis, cùm bonum, quod præcipitur, non fit: Commissionis, cùm malum, quod prohibetur, fit. quæ divisio iis etiam peccatis communis est, quæ cum analogia tantùm religionis Christianæ pugnant. Iam enim, verbi causâ, is peccat, qui cùm, ut proximus diligatur, præceptum sit, eum non diligit, quàm qui, cum, ne quem injuriâ afficiamus, prohibitum sit, afficit tamen alterum injuriâ; & id genus alia. Ex quo fit, ut neque in dextram, neque in sinistram declinandum sit illis, qui peccatum vitare cupiunt: id est, nec quæ mandata sunt, prætermittenda, nec quæ interdicta sunt, facienda. Vtrumque autem vel uno alterové actu fit, vel habitu committitur. Vnus altervé peccandi actus est, cùm semel atque iterum in Christi præcepta delinquitur. Veluti si quis semel atque iterum in ebrietatis vitium incurrat, aut charitatis officium negligat. Habitus autem peccandi ex crebris peccatorum actibus conflatus est, nilque est aliud, quàm peccandi consuetudo. Quæ quidem variè a divinis autoribus exprimitur. Iam enim simplici verbo
1 Ioh: 3. 6, 9. Peccandi effertur; ut cùm in Christo manentes, ex Deoque nati
Heb: 3. 17. non peccare dicuntur; & cùm Deus illis infensus fuisse dicitur, qui peccaverant, id est, in peccatis contumaciter permanserant. Iam verò idem peccandi habitus locutione Peccatum faciendi expli-
1 Ioh: 3. 8. catur. ut cùm illi ex Diabolo esse dicuntur, qui peccatum faciunt.
1 Ioh: 3. 10. Iam rursus, qui ita vitam instituunt, justitiam non facere dicuntur, id est, justitiæ seu pietati operam non dare, eamque non colere.
Ioh: 8. 34. Iam etiam servi peccati, subque eo venundati dicuntur; propterea
Rom: 6. 20: 7. 14. quòd ei ita indulgent, ac si ejus forent mancipia, nec se ab ejus vin-
Rom: 8. 1, 12, 13. culis expedire nôrunt. Iam denique non secundùm spiritum, sed secundùm carnem ambulare dicuntur. Quæ quidem loquendi forma, cum Apostolo Paulo usitata, nec tamen omnibus perspecta sit, & insuper ipsius explicatio toti huic nostræ disputationi lucis plurimum afferre possit; non alienum hoc loco fuerit, ita eam excutere, ut, tum quid carnis spiritusque nomine hîc significetur, tum quid sit secundùm carnem spiritumque ambulare, planissimè explicemus. Primò igitur Carnis nomine Apostolus vel appetitum in carne seu corpore nostro habitantem, in eoque se exerentem intelligit, vel ipsum quidem corpus, sed quatenus appetitu hoc præditum est, ejusque vi agitatur ac commovetur. Impellit autem appetitus ferè ad turpia, utpote sensibus corporis jucundiora: contrà retrahit ab honestis, utpote carni molestis, vel saltem nullam ei

voluptatem adferentibus. Hinc actiones turpes ab Apostolo Actiones corporis, aut Opera carnis nominantur. Cap: XXIII. De peccato in religionem Christianam.

Iam Spiritûs nomine hoc loco intelligitur, vel mens hominis, Christi disciplinâ informata atque illustrata; vel ipsa Christi doctrina, seu vis quædam illius, mentem ac voluntatem hominis informans, eamque afficiens; cui sese illa Dei virtus adjungere solet, quæ Spiritus S. in sac. literis appellatur, quæq; eâdem spiritus voce, unà cum illa Evangelii Christi vi, comprehendi nonnunquã solet. Quia verò disciplina Evangelica ad omnem virtutem ac pietatem homines impellit, eodemq; studio eorum animos Spiritus sanctus accendit; ideo virtutes Christianorum hominum, ex eo fonte manantes, fructus spiritus appellantur. Iam ut, quid secundùm carnem, quidq; secundùm spiritum ambulare sit, explicemus; intelligendum est, primò secundùm carnem ambulare nihil aliud esse, quàm aut semper aut plærumq; appetitui obtemperare, vel saltem tale flagitium committere, quod nonnisi in eum cadat, in quo appetitus rationi dominatur. Et *illi* quidem habitu peccati vel unius, vel plurium tenentur: *hi* habitus improbitatem ac turpitudinem facto æquant. Neque verò is tantùm peccati habitu teneri censendus est, qui ejusdem generis peccata subinde repetit; sed etiam is, qui nunc hoc, nunc illud delicti genus committendo, consvetudine peccati teneri jure dici potest. Secundùm spiritum verò ambulare est, aut semper, aut saltem plærumque id facere, quod Christiana disciplina, quâ mens nostra illustrata est, dictat atque præscribit; seu omni peccati habitu ac consvetudine, omnique ejusmodi scelere vacare, quod in hominem vero Dei timore præditum cadere nequeat: contrà verò omnium Christianarum virtutum usum atque consvetudinem habere. Ad hunc autem sanctimoniæ gradum omnes ex Deo natos pervenisse, Iohannes luculentissimè testificatur, qui illos nec peccare, nec peccare posse, id est, nullius peccati consvetudine implicatos teneri, nec teneri posse, quamdiu nimirum Dei filii sunt, asserit. Animadvertendum enim est, non protinus illum secundùm spiritum minimè ambulare dici posse, qui in unũ atq; alterum peccãdi actum, vel per imprudentiam, vel per fragilitatem humanam labitur; nec id esse apud divinos scriptores peccare aut peccatum facere, cum negatur, Dei filios peccare, vel peccatum facere posse. Hoc enim ut vites, satis est, te nec in peccato ullo perseverare, nec tale quippiam committere, quod te vero Dei timore non esse præditum argueret. Apparet igitur, peccandi habitum multò immaniorem esse, quàm peccati actum; cùm ille (ut alias hu-

Rom: 8. 13. Gal: 5. 19.

Gal: 5. 22. Eph: 5. 9.

1 Ioh: 3. 9.

jus rei cauſas in alium locum rejiciamus) hominem denomines, quod hic facere non ſolet: niſi ejusmodi actus intelligamus, quibus propter magnam facinoris atrocitatem, quantumvis habitus non ſint, graviſſimæ pœnæ inſtitutæ ſunt, veluti eſt proditio, homicidium, adulterium, aliaque ſimilia. Inter eos autem peccatorum actus, qui habitibus quibusdam comparari, & hominem denominare poſſunt, eminet blaſphemia in Spiritum ſanctum, quæ nec in hoc, neque in futuro ſeculo remittenda eſſe dicitur. Ea verò eſt, cùm quis contra ſuam ipſius conſcientiam, & ſic non per errorem, ſed per malitiam, divinum illum ſpiritum, diabolum, aut impurum ſpiritum appellare non dubitat, vel agnitam veritatem negat & impugnat. Ac illud quidem Phariſæos & ſcribas quosdam feciſſe, Evangeliſtæ teſtificantur. Qui Phariſæi ac ſcribæ, quamvis nequaquam ignorare poſſent, Ieſum divino ſpiritu dæmonia expellere, aliaque portenta edere: invidiâ tamen mirum in modum excæcati, ſpiritu im̃mundo eum præditum eſſe, & per Beelzebub diabolorum principem, ejicere dæmonia ajebant. Si enim per ignorantiam hæc verba emiſiſſent, non quidem verè ac propriè blaſphemaſſent; cùm ad blaſphemandum aliquam rem ejusdem requiri videatur notitia: ſed in ſpiritum ſanctum peccaſſent; quod etiam rei, qua de agitur, ignoratione fieri poſſe, compertum eſt. Hæc igitur Spiritus ſancti blaſphemia quamvis uno actu perficiatur: tamen ob ſummam ſceleris iſtius immanitatem, non minùs quispiam blaſphemus dici poteſt, ſi ſemel ſeſe illo obſtringat, quàm ſi idem ſæpius concipiat. Hoc verò alterum, nimirum agnitę veritatis abnegationem eodem genere contineri, ex illis apparere videtur, quæ apud Lucam eadem de re ſcripta leguntur.

Mat:12. 31.32. conf:cum ℣ 24. Mar: 3. 29, 30. conf:cum ℣ 22.

Id. II. apud Mat: & Marc.

Luc:12. 10, 11.

His ita conſtitutis, diſtribuenda rurſus ſunt omnia, quæ ab initio definivimus, peccata, in Venialia & Mortalia. Venialia dicuntur, quibus Deus æternæ mortis pœnam non conſtituit, adeò ut vitâ æternâ per ſe neminem privent. Ea verò vel in uno actu conſiſtunt; vel habitum quidem complectuntur, non tamen ejusmodi, qui religionis pietatisque naturæ prorſus adverſetur: nempe quia aliquid tantùm indecori, non autem veram turpitudinem in ſe contineant; ac præterea non datâ operâ, ſed vel naturali quadam inclinatione, vel quacunque aliâ virium humanarum fragilitate, ob quam occaſionibus invitantibus difficulter reſiſti queat, committantur: veluti ſunt innoxii, & a verborum obſcænitate ſejuncti joci, riſus, ludi, & his ſimilia. Quòd ſi tamen homo de induſtria vitiis iſtis det operam, in illis non immeritò poteſt haberi, qui ſecundùm carnem

vitam

Cap: XXIII. De peccato in religionem Christianam.

vitam suam instituunt; cùm qui ita se gerit, is non solùm carni nequaquam resistat, sed datâ operâ ejus imperio pareat; & tantò quidem magis, quantò longiùs, vel ob ætatem, vel ob munus ac personam, quam gerit, ab ejusmodi vitiis abesse deberet. Neque enim in hominem verè Christianum cadit, inanissimæ vanitati, sed cœlesti potiùs gravitati unicè studere: cùm ea sit futuræ felicitatis præstantia, ut qui ejus cupiunt esse participes, ii nulli labori parcere debeant, quò ab omni futilitate sese puros ac integros conservent. Atqui, inquiet quispiam, qua fronte tu jocos ludosque in peccatis venialibus numerare audes; cùm Christus etiam otiosi verbi nobis rationem reddendam esse asserat? Respondeo, hæc Christi verba continere tacitam conditionem, nempe si Deus summo jure nobiscum agere velit. Aliter enim plurimos in fidei studio perpetuò versantes, & porrò nequaquam secundùm carnem, sed secundùm spiritum ambulantes, propter istas fragilitates cœlesti hæreditate excludi statuendum foret, & fidei justificatio, quæ divinâ clementiâ, non autem operum perfectione nititur, consistere nequaquam posset. Mat: 12: 36.

Iam quod ad peccata mortalia attinet; animadvertendum est, ea illa esse, quibus mortis æternæ pœna est a Deo constituta, licèt interim fieri possit, ut quibusdam ex illis, non quidem per se, sed per accidens venia tribuatur, quatenus nimirum homines illis polluti resipiscunt, Deusque eam ipsam ob causam, peccata ista pro sua clementia iis condonat. Quod quò rectiùs intelligatur, dividenda sunt peccata mortalia in ea, quæ suâ quidem naturâ, non tamen necessariò, & in ea, quæ & naturâ & necessariò mortem afferunt. Ac illa quidem ejusmodi peccatorum habitus sunt, ut ab eis quispiam discedere, eorumque veniam assequi possit. Qui habitus rursus in duo genera distribuuntur. Vel enim ejusmodi sunt, ut faciliùs abjici; vel ejus generis, ut difficulter admodum excuti queant, ideoque pauci admodum reperiantur, qui illis excussis divinam clementiam experiantur. Ac illa quidem ab eo hominum genere suscipi solent, quod, licet Christi nomen usurpet, ejusq; disciplinâ imbutum sit, nondum tamen eò usque in pietatis itinere progressum est, ut a peccandi consvetudine sese removeat, inque sanctimoniæ studium toto impetu incumbat: in quo genere illi sunt, quos Iohannes hunc in modum alloquitur: *Filioli, hæc scribo vobis ne peccetis. quòd si quis peccet,* (sic enim legendum est,) id est, si quis nondum sese ex peccatorum vinculis ita expediverit, ut vitam ex Christi lege componat, *advocatum habemus apud Patrem, Iesum* 1 Ioh: 2. 1.

Christum justum, Id est, poterit talis homo, si Christo se totum tradat, ipsius curâ atque ope ex peccatorum vinculis emitti, & porrò etiam eorundem veniam consequi, & æternùm servari.

Iam ut ad hoc alterum peccati genus veniamus, quod difficulter admodum, ut diximus, removere a se homines possunt; intelligendum est, illud eos peccatorũ habitus continere, quibus qui jam ita sese Christo addixerunt, ut vitam etiam corrigerent, implicantur. de quibus loquitur Petrus: *si postquam effugerunt inquinamenta mundi, per cognitionem Domini & servatoris Iesu Christi, his autem rursus implicati vincuntur; facta illis sunt postrema deteriora prioribus. Melius enim erat ipsis non cognovisse viam justitiæ, quàm postquam cognoverunt, reverti a tradito ipsis sancto mandato.* Quem locum confer cum illis Christi verbis Matth: 12. 43. & seqq. Quomodo autem posterior ejusmodi hominum conditio deterior esset priore, si æquè facilè peccata excutere, & sic eorundem veniam consequi possent, atque antea? Propterea autem fit, ut non perinde facilè, atque antea, id præstare queant, partim quòd in illis religio Christiana, utpote jam aliqua ratione ab iis proculcata atque contemta, vim tantam, quantam antea, habere nequeat; partim quòd Deus hominibus adeò ingratis, & singularissimâ suâ beneficentiâ tam malè utentibus, opem suam meritò subtrahat, & beneficia illis sua eripiat. Nam, ut ait D. Auctor Epistolæ ad Hebr: *Terra, quæ bibit pluviam, quâ sæpè rigatur, & parit herbas utiles illis, propter quos etiam colitur, accipit benedictionem a Deo; ea verò quæ profert spinas & tribulos, reproba est, & maledictioni vicina, cujus finis est ad combustionem.* Itaque ad hoc hominum genus non immeritò referre possis illa ejusdem Autoris verba, ad quorum confirmationem ista, quæ modò adduximus, subjiciuntur: *Impossibile est*, inquit, *ut qui semel collustrati, cœleste donum gustârunt, & participes facti sunt spiritus sancti, præclarumque Dei verbum, & ævi futuri virtutes gustârunt, & tamen relabuntur, ii iterum vitæ correctione renoventur.* Impossibile autem id dicitur, non Deo, cui omnia possibilia; sed hominibus. Tacitè enim ponitur, Deum id efficere jam ampliùs non velle: non quòd nunquam velit, sed quòd non soleat. Cæteroquin enim Autor hic divinus de iis ipsis, quos in istiusmodi hominum censu non obscurè collocat, ait, se quippiam de iis sperare meliùs, & cum salute conjunctius: propterea quòd nondum pristinam in Christianos homines charitatem deseruissent. Est enim discrimen aliquod hac in parte constituendum inter eos, qui longiùs a Christiana pietate secesserunt, & inter eos, qui aliquantò propiùs adhuc ab ea absunt.

2 Pet: 2. 20. & d.

Cap: 6. 7, 8.

Ibid.

V. 9, 10.

Mitiùs

Mitiùs enim de illis ſentiendum eſt, qui non deſtinato ac pertinaci animi conſilio, ſed factis ferè tantùm a pietate deficiunt, quique quantumvis peccatorum conſvetudine denuò implicati ſunt, tamen de reſipiſcendo quandoque cogitant. Cujus rei argumentum eſt, quòd Iohannes pro hujusmodi hominibus Deo preces nos adhibere poſſe, Deumque precibus noſtris commotum, vitam illis conceſſurum aſſerit, id eſt, pro incredibili ſua benignitate illis, niſi ſibi ipſis deeſſe velint, ad veram pœnitentiam, atque adeò ad vitam ſempiternam, aditum patefacturum eſſe confirmat. Cap:XXIII. De peccato in religionem Chriſtianam. 1 Ioh: 5. 16.

Sequitur ut de illis peccatis mortalibus explicemus, quæ & naturâ ſuâ, & neceſſariò mortem afferunt. Intelligendum igitur eſt, eorum duo eſſe genera. Quorum primum eſt, cum quis ſalutarem veritatem agnitam probeque perceptam, datâ operâ omnibusque viribus oppugnat. Hoc enim ejusmodi peccatum eſt, quod excelſo brachio perque ſummam ſuperbiam committi, ideoque omni venia excludi, in divinis literis videmus. Qua de cauſa illis, qui per ignorantiam cœleſti veritati ſeſe oppoſuerant, Deo quidem preces adhibitas fuiſſe ſcriptum legimus; at pro iſtis, qui ſcientes volentesque ſeſe hoc ſcelere conſtrinxerant, factum id aliquando fuiſſe, vel fieri debere, nullo ſacro teſtimonio docemur. Animadvertendum autem eſt, hîc non de uno eoque ſubito rei iſtius actu, ſed de habitu, vel actu quodam ex deſtinata animi malitia profecto orationem fieri. Videtur enim fieri poſſe, ut ſi quis ſubito aliquo affectu abreptus, unum aliquod alterumque verbum contra divinam veritatem emittat, ſtatim tamen ad ſe redeat, & dolore propter admiſſum ſcelus perculſus, nunquam in illud relabi conſtituat, ut, inquam, is veniam impetret. Rom: 10. 1, & d. 1 Ioh: 5. 16.

Alterum genus eſt, cùm quis ad cœleſtem Chriſti diſciplinam mores ſuos, non ſolùm non componit, ſed etiam ſciens volens, eam conculcare pergat. Quod quidem utrumque ſceleris genus a divino illo autore voluntarium peccatum nominatur, quia nimirum, qui eo ſe obſtringunt, non facto tantùm, ſed conſilio etiam a veritate agnita atque perſpecta deficiunt, ideoque illis, qui factis propè tantùm ab ea deficiunt, non omnis quidem ſpes veniæ impunitatisque adimitur; his verò omnis planè præciditur: ut ex his ſcriptoris divini verbis intelligitur: *Si poſtquam veritatis cognitionem aſſecuti ſumus, voluntariè* (ſeu datâ operâ) *peccamus: non jam ſupereſt ullum pro peccatis ſacrificium: ſed horrenda quædam expectatio judicii, ignisque ſævitia adverſarios confectura. Si quis Moſaicam legem con-* Heb: 10. 26.

 tempſit,

tempsit, is citra ullam misericordiam ex duorum triúmve testimonio moritur: quantò graviore putatis afficiendum pœnâ, qui Dei filium proculcaverit, testamentíque sangvinem, per quem sanctificatus est, profanum duxerit, & gratiæ spiritum contumeliâ affecerit. Scimus enim quis dixerit: Mea est ultio, ego rependam, inquit Dominus. Item: Dominus judicabit populum suum. Horribile est in viventis Dei manus incidere. Huc & blasphemia in spiritum sanctum a plærisque refertur; propterea quòd Christus eam neque in hoc, neque in futuro seculo condonandam esse asserit. Verùm cum in Christi verbis unius tantùm sceleris istius actûs mentio fiat, evenireque possit, ut quis in eo minimè persistat; hæc subintelligenda videtur exceptio, nempè nisi subitò quempiam facti pœniteat, isque ab eo scelere discedat, & Deum, ut sibi id clementer condonare velit, nominatim, idque ardenter ac constanter, roget. Quòd si divinum spiritum blasphemare pergat, eo sese facinore obligat, quod planè ad hunc locum spectat, omninoque & temporariis & sempiternis pœnis vindicandum est.

His ad eum modum explicatis, haud alienum hoc loco fuerit considerare, an, si in cœlestem veritatem jam agnitam quispiam vel semel peccet, pœnitentiâ illi sit opus. Respondemus, Pœnitentiæ nomine vel simplicem quendam animi dolorem intelligi, qui ex eo proficiscatur, quòd factum nostrum improbemus, idque vellemus infectum; vel animi ac vitæ totius mutationem in melius, quæ omnium frequentissimè μετανοίας voce in sacris literis designatur, de qua nos superiùs hoc libro egimus. Priori significatione accepta pœnitentia in hominibus, etiam postquam divinâ disciplinâ imbuti atque regeniti sunt, locum habet, & habere, quoties lapsus suos agnoscunt, debet. Lapsus enim illos, ex quibus is dolor percipitur, nequaquã ab omnibus, qui Christo sese planè consecrârunt, abesse palàm est. Pœnitentiam verò illam, quæ totius vitæ conversionem continet, in hominibus regeneratis nullum ampliùs locum habere liquet. Vt enim eâ quispiam indigeat, non satis est, illum interdum in peccatum aliquod labi, nisi de justitiæ statu prorsus dejiciatur, exque justo injustus fiat. *Non enim* (inquit Christus) *veni vocatum justos*, id est, pro virili sua parte justitiam colentes, quamvis interdum prolabantur, *sed peccatores*, id est, eos, qui peccati consvetudine tenentur, *ad pœnitentiam.*

Cap: 4.

Mat: 9. 13.

Sequitur ut de illis peccatis nonnihil adhuc agamus, quæ in religionis Christianæ analogiam tantummodò committuntur. Hæc igitur

gitur

gitur hujusmodi sunt, quæ religionis præstantiam minimè decent, & a perpetuo ejus tenore abhorrent. Est enim Religio Christiana, tum in cœlestium spiritualiumque bonorum promissis constituta, tum ipsa per se planè cœlestis spiritualisq; existit,& porrò omnem respicit vanitatem levitatemque carnalem: contrà verò summæ gravitatis, integritatis,castitatis, modestiæ magistra est, hominemque sibi deditum ab omni terrena cupiditate,omnique voluptatum titillatione ita abstrahit, ut vix eorum illi concedat usum, sine quibus vita ejus consistere nequit.Ex quo fit,ut vehementer illi errēt, qui, verbi causâ, chorearum, ludorum, aleæ, & rerum similium usum sibi licitum esse putant, quia eas expressè interdictas non videamus: cum interim satis appareat, eas admodum esse vanas, & a gravitate Christiana alienas, etiamsi nihil accedat aliud, (quod tamen facillimo negotio fieri solet) quod Christi præceptis ac pietati ab eo nobis præscriptæ penitus adversetur. Eodem modo & de vestium luxu splendoreque judicandum est: cum religionis nostræ summa, ut in aliarum virtutum cultu, ita maximè in animi demissionis modestiæque studio consistat;&ideò nihil unquam a Christiano homine fieri debeat, quod cum ea minimè conveniat. Atque huc respicit Paulus, cùm de vestibus mulierum loquitur, videlicet eas habitu sanctimoniam decente uti debere. Vnde colligitur, rationem vestiendi, ad religionis sanctimoniam accommodādam esse, quanquam fatendum est, rationem quandam sexûs, ætatis, vitæ statûs atque conditionis, aliarumque rerum habendam esse,salva tamen religionis gravitate.

Cap: XXIII. De peccato in religionem Christianam.

Tit. 2. 3.

Animadvertendum autem hoc loco est, tribus potissimùm rationibus fieri posse, ut quis in religionem Christianam peccet, etiamsi id, quod committit,expressis verbis interdictum non legatur. Primùm cùm id, quod committitur,est species universi generis expressè interdicti, ut peculatus furti, quo interdicto, satis etiam ille prohibitus censeri debet. Sic cùm impuritas interdicitur, satis omnes ejus species interdictæ putandæ sunt,etiamsi non omnes fortè sint expressæ. Secundò,cùm ea,quæ admittuntur,prohibitis sunt similia: quo pacto Apostolus, cùm recensuisset multa carnis opera, addit, *& similia his*,de quibus idem fieri vult judicium.Sic quia non licet una uxore dimissa aliam ducere, quin adulterium committatur: similiter non licet priori adhuc retenta aliam ducere, quin idem scelus committatur. Tertiò, cùm vel pars, vel adjunctum est, vel causa, vel effectum denique ejus rei, quæ apertè prohibetur.

Sic cho-

Sic choreæ vel pars ſunt, vel adjunctum comeſſationis; ſimul etiam libidinis ſunt incitamenta, ſæpè etiam fructus atque effectus. Sic luxus in veſtitu pars quædam cenſenda eſt ſuperbæ vitæ, quam
1 Ioh:2.16. Iohannes inter res, quæ in hoc mundo ſint, nec diligi a nobis debeant, collocat. Idem ſuperbiam animi & prodere ſolet, & alere: ac præterea beneficentiam in pauperes, quæ nobis omnino præcepta
Cap: c.16,17. eſt, impedit. Sed his de rebus ſuo loco diximus.

Finis Libri Quarti.



Cap: I. De perseverantia in fide & obedientia.

De Vera Religione Liber Quintus:

De adjumentis ad perseverantiam in fide ac pietate necessariis.

Cap: I.

De Constantia seu perseverantia in fide & obedientia.

QUÆ hactenus de fiducia in Deo Christoque collocanda, deque horum legis obtemperatione diximus, eorum diligens conservatio, absque ulla dubitatione magnam vim habet, ad quemlibet hominem in cœlesti statu collocandum: cum Deus sibi obedientibus sempiternam beatitatem sanctissimo fœdere pactus sit. Verùm hoc divinum fœdus tunc demum ratum firmumque futurum est, si in officio ad extremum usque permanserimus. Hoc enim illud est, quod divinissimus Autor hunc in modum loquitur: *Participes Christi effecti sumus*, id est, immortalitatis per Christum patefactæ exploratissimam spem habemus, *si initium substantiæ usque ad finem firmiter retineamus*, id est, si in ea fide, quam ab initio complexi fuimus, usque ad extremum vitæ spiritum constanter permaneamus. Huic simile illis Christi verbis continetur: *Qui ad finem usque perseveraverit, salvus erit.* Item illud: *Iustus fide vivet: qui autem sese subtraxerit, non placebit animæ meæ.* Hinc illa Christi admonitio: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* & illa Pauli: *Quemadmodum Christum Iesum Dominum accepistis; sic in ipso ambulate, radicati & superædificati in ipso, & confirmati fide, sicut & didicistis, abundantes in illa cum gratiarum actione. Videte, ne quis vos decipiat* &c. & illa ejusdem: *Vide bonitatem & severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris.* Ex his aliisque similibus sacrarum literarum testimoniis perspicuum est, fœdus istud Christi operâ nobiscum pactum, nequaquam, ut diximus, constare posse, imò ex nostra parte irritum fore, nisi nos cum fide obedientiaque statum nostrum usque ad finem vitæ tueamur.

Heb: 3. 14.
Mat: 10. 22.
Hebr: 11. 39. ex Hab: 2. 4.
Apoc: 2. 10.
Col: 2. 6, 7.
Rom: 11. 22.

Cap: I. De perseverantia in fide & obedientia.

Hîc verò operæ pretium fuerit diligentissimè inquirere, quo pacto, quidvé faciendo, fidelis Christi natio fidei obedientiæque constantiam servare possit. Videtur autem hoc duplici potissimùm ratione fieri posse: quarum altera omnium communis est, inque mutuis cohortationibus consistit; altera verò ad quemlibet separatim spectat. Ac prior quidem illa a divino illo Autore hunc in modum nobis præscribitur: *Videte, fratres, ne in aliquo vestrûm sit cor pravum diffidentiæ, deficiendi a Deo vivente: sed cohortamini invicem quotidie, ne quis occallescat fraude peccati.* Quo in loco apertè docemur, cùm diffidentiæ causa sit cordis aut animi pravitas, quæ ex dictis factisque non obscurè apparet; ideo diligenter esse aliena etiam facta observanda, & crebris cohortationibus, quantum in nobis sit efficiendum, ne fortè peccato paulatim sese per summam fraudem insinuante, & quotidie plus de divino metu, quo quis præditus sit, imminuente, mens humana tandem callum contrahat. Cum his conjungenda sunt illa ejusdem auctoris verba: *observate, ne quis deficiens a gratia Dei, ne qua radix amarulentiæ sursum germinans impediat, & per illam inquinentur* (seu *inficiantur*) *multi:* ubi, ut exemplo etiam malo occurramus, monemur. Ad idem officii nostri munus & Paulus nos cohortatur, dum ait: *Rogamus autem vos, fratres, monete inordinatos, consolamini pusillanimes, sublevate infirmos, patientes estote erga omnes.* Quibus quidem Apostoli verbis hæc videtur contineri sententia: Non dubium est, ut alibi, ita & inter vos, homines esse variè moratos: dum alii militibus illis similes sunt, qui ordinem in acie non servant, quippe qui a norma divinorum mandatorum deflectunt, atque ideò meritò inordinati nominari possunt; alii sunt animo fracto ac imbecillo, quippe vel peccatorum conscientiâ, vel divinorum judiciorum terrore, vel periculorum Christianis imminentium metu perculsi; alii denique infirmi sunt, qui vel propter virium debilitatem crebriùs labuntur; vel ob imperfectam divinæ veritatis notitiam in fide nutant, aut errores ei admixtos habent. Erga hos omnes patientes clementesque vos esse convenit: sed in primos quidem ita, ut eos officii moneatis, & quantum in vobis est, ad frugem eos reducatis, præsertim si quamcunque spem sui sanandi ostenderint: idque tum sempiternæ felicitatis præstantiâ, tum pœnarum gravitate propositâ. Alteros verò, nimirum pusillanimes ita consolamini, ut vel summam Dei misericordiam, quâ in condonandis delictis pœnisque avertẽdis erga resipiscentes utitur, vel admirabile ipsius auxilium, quo in rebus adversis suis adest, gloriæque coronam fortiter pro i-

Heb: 3. 12.

Cap: 12. 15.

1 Thess: 5, 14.

Cap: II. De carne, primo Christianorum hoste.

ipsius veritate pugnantibus paratam, ante illorum oculos constituatis. Vltimo tandem loco memoratos, nempe infirmos, omni humanitatis genere complectimini, omnes illis offensionum materias, quoad ejus fieri potest, subtrahendo, & paulatim quasi manu ad perfectiorem veritatis cognitionem eos deducendo. In eandem aliqua ex parte sententiam & Iudas loquitur: *Hos*, inquit, *habito delectu, commiseramini; illos verò cum timore servate, ex flamma ignis eripientes, odio habentes & tunicam a carnis contactu commaculatam.* Quorum quidem verborum hic sensus esse videtur, ut eos, qui a recto pietatis ac salutis tramite deflexerunt, in viam revocetis, eâ utimini prudentiâ, ut in illos, qui per imbecillitatem in aliquod peccatum labuntur, sitis misericordes, non quidem peccatum approbando, sed tamen ex altera parte ita cum illis agendo, ne eorum miseriæ insultare videamini; sed ut potiùs eorum miseriâ vos affici intelligant. Illos verò, qui gravioribus peccatis sese obstringunt, aut contumaciùs in iis persistunt, terrore ac metu divinorum suppliciorum incusso, ad frugem revocate; vel, si ita mavis, summa sollicitudine summoque studio ad officium reducite, nec illorum correctionem in crastinum differte, sed tanquam si ignis flammâ jam jam consumendi sint, ita confestim illos rapite. interim tamen, dum in illis ab interitu vindicandis estis, vobis ipsis diligenter cavete, ne fortè ad vos mali contagio dimanet. Quare quemadmodum dum peste v. g. infectos juvare cupimus, diligenter nobis cavere solemus a contactu vestium a corpore infectorum: ita etiam vos, dum homines illos, pestilentissimis erroribus aut vitiis infectos exitio conamini eripere, cavete vobis ab omnibus istis rebus, quæ vos quoque inficere ac perdere possent. Denique, ut alia mittamus, & Iacobus nos monet: *Fratres, si quis vestrûm a vero aberraverit, & eum quispiam revocaverit, intelligat, eum, qui peccatorem ab erroris sui via revocaverit, animam ex morte vindicaße, multitudinemque peccatorum texiße.* Erit quippe in causa, ut qui lapsus erat, interitum effugiat, scelerumque suorum remissionem consequatur.

Iud: ℣ 22, 23.

Iac: 5. 19, 20.

Cap: II.

De carne, primo hominis Christiani hoste.

IAm ut eam constantiæ tuendæ rationem videamus, quæ separatim ad unumquemque spectat; hoc imprimis homini Christiano cogitandum est, hostes sibi esse acerrimos, quibuscum continenter bellum gerendum sit. Diligenter igitur animadvertendum hoc in loco est, tum qui sint hostes nostri, tum quibus armis decertent;

Cap: II. De carne, primo Christianorum hoste.

& simul qua ratione illis sit occurrendum atque obsistendum. Hostes igitur nostri tres potissimùm sunt: quorum primus est caro sive appetitus noster; alter mundus; tertius diabolus. Ac carnem quidem sive appetitum ideo in fidei nostræ hostibus numeramus, quòd ejus quasi proprium est, illis sese opponere, quæ ratio bene constituta approbat; multò magis autem iis rebus bellum inferre, quæ intelligentiam humanam superant: veluti est spes de sempiterna felicitate nobis ostensa, & asperrima illa via, quæ ad istam felicitatem ducit. Quam quidem utramque ita oppugnat caro nostra, ut neget, id, quod Christiana religio nobis proponit, præmium ita esse certum, ut ei meritò fidere debeamus: cum id sensibus nostris minimè sit subjectum, & post mortem demum dicatur obtinendum: præterquam quòd non videatur constare, utrùm id tanti sit faciendum, ut omnia, quibus vita hæc abundet, bona, omnes voluptates corpori nostro gratissimas, omnes honores, omniaque commoda præ eo spernere, & omnes acerbitates ejus causâ perferre debeamus. Quare multò satius esse svadet, præsentibus, ideoque certis notisque bonis perfrui, quàm felicitatis futuræ gratiâ, utpote incertæ atque ignotæ, illa aspernari; & sic nec temporaria, nec sempiterna bona possidere, quo nihil excogitari possit stultius atq; miserius. Quæ quidem carnis ignea tela duplici ratione restingvere poterimus. primùm animus in fide obfirmandus est, quibusque argumentis sempiternæ hæreditatis possessio confirmata sit, assiduâ attentissimâque consideratione perpendendum. Hæc enim sacra illa animi nostri anchora est, quam divinus ille autor tutam atque firmam, & usque ad velaminis interiora ingredientem nominat, quò præcursor pro nobis intravit Iesus. In hoc enim anchoræ istius firmitas consistit, quòd Iesum Christum ducem salutis nostræ in cœlos ingressum esse videmus, & eum quidem in finem, ut nostri eòdem perducendi potestatem assequeretur. Deinde Dei auxilium humiliter implorandum est, ut divino illo spiritu nos contra omnes carnis impetus armet, vitæque illius futuræ gustum animis nostris præbeat, ut ita præ ejus dulcedine omnes nefariæ cupiditatis illecebras contemnamus, proque nihilo putemus. Atque hæc arma non solùm ad carnis impetus refringendos, sed etiam ad reliquos duos hostes facillimè superandos, maximam vim habent. His enim efficitur, ut quæ caro firma stabiliaque esse contenderat, ea fluxa, incerta, momentaneaque esse; sola autem cœlestia bona, solida, sempiterna, nullique mutationi obnoxia esse comperiamus, & sic spiritu isto, qui his armis continetur, opera carnis fortiter interimamus.

Heb: 6. 19, 20.

mus. Hoc autem magis fiet, si ad duo illa, quæ diximus, & hanc tertiam vincendæ carnis rationem adjunxerimus: ut nimirum etiam atque etiam cogitemus, quàm sint omnes illius cupiditates, libidines, voluptatesque, & turpes, & porrò homine Christiano indignæ, utpote quem Deus ex reliquorum hominum turba exemptum, singularem sanctumque hominem, adeoque filium suum esse voluit. Hunc igitur pecudum more ad ista tam futilia obscænaque sese abjicere, illisque constringendum tradere, nónne indignum a ratione que alienum est? Si enim quemlibet hominem Deus a belluis ratione differre, illisque, quæ nobis naturaliter cum bestiis communia sunt, tantùm necessitatis gratiâ uti voluit; quid tandem de Christiano homine existimandum est, quem non tantùm naturalis intelligentiæ, sed etiam divini spiritus lumine, rerumque cœlestium cognitione, divinissima quadam ratione illustravit, inque spem beatæ immortalitatis erexit? Homo igitur divinus, si summæ dignitatis suæ præstantiam mente animoque consideret, nequaquam hoc a seipso impetrabit, ut belluarum more libidinibus sese dedat, corpusq; Deo ac Christo consecratum turpitudinum contagione polluat: quin imò ne unquam vel levissimam maculam subeat, omnem sibi ipsi vitiorum subtrahet materiam. Abstinebit etiam a crapula, a gulositate, vitabit otium, comessationes, ludos, jocos, sermonisque obscænitatem fugiet, oculos manusque ab omni impuritate continebit: contrà autem jejuniis, laboribus, vigiliis, corpus suum exercebit, mentem in rerum divinarum contemplatione defiget, hominibus cum sanctitate viventibus adhærebit, illorum mores imitabitur, colloquiis fruetur, & sic facilè omnes carnis impressiones sustinebit.

Cap: III. De mundo, altero Christianorum hoste.

Cap: III.

De mundo, altero Christianorum hoste.

IAm quod ad alterum nostrum inimicum, nempe mundum attinet; animadvertendum est, hîc Mundi vocabulo, omnium illorum hominum colluviem intelligi, qui a Deo ejusque voluntate sunt aversi, qui nihil degustârunt divinitatis, qui nihil sapiunt nisi terrena, fluxa, carnaliaque, & in his vitæ beatæ summam collocant. Quibus rebus omnibus cum nihil Deo, hoc præsertim tempore, magis contrarium sit; fit, ut mundo dediti in Dei inimicis meritò habeantur. Cum enim, ut est apud Iohannem, in maligno, id est, 1 Ioh: 5.19.
Diabolo positus sit, & porrò omnem vitæ suæ rationem ad illius arbitrium dirigat; cumque Diabolus a Deo odio capitali dissideat; fi-

eriné potest, ut qui mundo dat operam, is Dei amicus numeretur? Hic igitur hostis fidem nostram ita oppugnat, ut carnem nostram, satis alioquin ad nefarias cupiditates propensam, majori earum desiderio incendat, non solùm ea, quæ caro svadet, approbando; sed etiam eorum, qui mundano more vitam instituunt, exempla ante oculos nostros constituendo. Adde etiam artificia, quibus nos irretire studet, veluti cùm facilem expeditamque, voluptates, opes, gloriamque ac honores parandi viam ostendit. item, cùm in rebus mundanis consectandis summum honorem, in negligendis verò turpitudinem, contemptum, hominum odia, paupertatem, vitæ pericula; & alia sexcenta posita esse asserit. Verùm iisdem armis, ut suprà diximus, contra mundum dimicandum est, quibus & carnem esse superandam demonstravimus. Si enim fide speque exploratissima sempiternarum tum voluptatum, tum opum, tum futuræ illius solidissimæque gloriæ armati, & insuper divino illo favore ac spiritu corroborati fuerimus; omnes mundi vanitates, omnesque ipsius honores, omnia commoda, omnem contemptum, periculáque omnia in minimis ponemus. Sic enim sese gerere necesse est omnes, quibus de summa Dei erga se clementia, deque cœlestis patrimonii possessione persvasum est. Quid quòd, qui tota mente in virtutis amorem, divinique status desiderium rapti sunt, ii hominum mundanorum congressus, omniaque illorum studia, quantum in ipsis est, ita vitant, ut neque auribus neque oculis usurpare velint, quæ ab illis ad vanitati serviendum suscipiuntur. Quæ quidem eorum continentia, magnum illis ad mundum prælio superandum affert adjumentum, utpote omnem scelerum segetem ac materiam illis subducens, eosq; intra sanctitatis cancellos retinens. Quod tamen non eo pacto a nobis dictum existimari volumus, quasi hominibus divino lumine collustratis pedem extra domum efferre nefas esse putemus. idcirco enim hanc cautionem dictis nostris adjunximus, *quantum in nobis est.* Nam ut penitus a consvetudine hominum mundanorum abstineamus, id fieri vix, aut ne vix quidem potest. Aliter enim, ut Paulus inquit, nobis ex orbe migrandum esset, vitæque nostræ ratio, quæ in victu cultuque magna ex parte consistit, nisi aliquis saltem humanæ societati locus relinqueretur, conservari non posset. Adde, quòd fides pietasque nostra inter homines amplissimum campum habet, in quo excurrat, seseque exerceat. Adde etiam, quòd sal terræ, luxque mundi ita esse debemus, ut tum sermone, tum vitæ exemplo, homines ad virtutis studium incitemus; idcirco exeundum quidem domo est, si res postulet; ita tamen

1 Cor: 5. 10.

Mat: 5. 13, 14, 15, 16.

tamen, ut mundum fidei nostræ hostem esse, semperque nobis insidias struere meminerimus; ideoque non nisi armati inter homines compareamus, sedulò caventes, ne vel sermone, vel præsentiâ, vel, per quandam incogitantiam, ope nostra mundi dicta factáve comprobemus aut adjuvemus, sed, ut Iacobus monet, nos ab eo incontaminatos custodiamus. Cap: IV. De Diabolo, tertio nostro hoste. Iacob: 1. ult.

Cap: IV.

De tertio hoste nostro Diabolo.

TErtius ultimusque fidei nostræ hostis est Diabolus, cujus tum natura unà cum ipsius qualitatibus cognoscenda est; tum qua ratione pugnare soleat, investigandum. Primò igitur Diaboli natura qualitatesque, ex ejusdem nominibus, quibus a divinis autoribus notatur, optimè perspici possunt, quæ quidem hæc potissimùm sunt:

Primum est ipsum vocabulum Diaboli, quod apud Græcos calumniatorem designat, & in falsas aliorum criminationes intentum: quia tum ipse ex calumniis & mendaciis totus compositus est, tum aliis ad eadem scelera dux autorque existit, & sic sui speciem in eorum animis lingvaq; ingenerat. Qua de causa non modò mendax, Iohan: 8. 44. sed etiam mendacii pater vocatur; & qui ipsius ea in re persequuntur vestigia, diaboli filii appellantur; de quibus fuit Elymas ille, qui Act: 13. 10. ob simile calumniandi studium quo in Domini vias pervertendas incumbebat, filius Diaboli a Paulo appellatur.

Alterum nomen est Satanas, quod Hebræis adversarium significat, Apoc: 12. 10. nimirum tum ipsius Dei, tum eorum, qui Deum colunt ac diligunt. Deo autem ita adversatur, ut omnibus, quæ vel a Deo ortum habent, vel cum ipsius voluntate conveniunt, sese opponat, atque inprimis illi Dei consilio, quod de nobis sempiterna salute donandis ante mundum conditum inivit. Itaque in eo, omni conatu laborat, ne quis cum sanctitate vivat, & porrò ne sempiternam salutem assequatur. Eodem autem nomine & homines, qui quacunque ratione divinæ voluntati resistunt, appellantur. Petrus enim, verbi causâ, quantumvis alioqui discipulorum Christi Mat: 16. 23. facilè primus, Satanas a Christo fuit appellatus, quia Dei de Christo Iudæorum operâ interficiendo voluntati, licet per ignorantiam quandam, resistebat inquiens: *absit a te Domine, non accidet tibi hoc.*

Tertium est Accusatoris vocabulum, quo Diabolus non eam ob Apoc: 12. 10. causam appellari videtur, quòd verè proprieque loquendo nos ac-

Diabolo, tertio nostro hoste.

cuset: sed quòd eundem ad scopum actiones suas referat, quem illi sibi propositum habent, qui propriè loquendo alios accusant. Is autem scopus est, ut alteri noceant, ejusque commoda impediant. Quocirca & Satan ita fideles accusare dicitur, ut eos in scelera impellere, & sic Dei gratiâ sempiternâque felicitate privare omni studio conetur. Quo pacto e contrario Christus pro fidelibus interpellare, eorumque advocatus apud Patrem esse dicitur, non quidem quòd verè propriéque Patrem pro nobis roget, aut causam nostram oratione defendat, cum jam omnia illis largiendi amplissimam potestatem habeat; sed quòd in eundem cum propriè dicto interpellatore & advocato scopum respiciens, illis auxiliatur, ut Dei benevolentiam gratiamq;, & sempiternam beatitatem consequantur, & a criminibus, quæ a Satana illis intentantur, absoluti, pœnam effugiant.

Rom: 8. 34. Heb: 7. 26. 1 Ioh: 2. 1.

Apoc: 12. 9. & 20. 2.

Quartum nomen est, Serpentis illius antiqui appellatio. quo quidem nomine duas ob causas Diabolus vocatur: primùm, quòd serpenti sit similis, tum propter summam vafriciem, tum quòd semper paratum venenum habeat, ad homines lethaliter inficiendos: deinde quòd in serpente primùm perniciem generi humano machinatus est, & tum vafriciem illam suam, tum lethale venenum ad primos parentes nostros fraude circumveniendos & interficiendos contulit. Quam ad rem Paulus alludens, illos Corinthianos hunc in modum alloquitur: *Metuo, ne quà fiat, ut quemadmodum serpens Evam decepit versutiâ suâ: ita corrumpantur sensus vestri a simplicitate, quæ est erga Christum.* Diabolus quippe blanditiis, assentandique artificiis, jam tum per ministros suos, homines ab Evangelii puritate ad mortiferos errores traducere studebat.

2 Cor: 11. 3.

Apoc: 12. 3, 4, 7, & d.

Quintum est nomen Draconis; quod illi propter summam crudelitatem impositum est. Vt enim Draco animalia devorat: ita Diabolus omnibus viribus ad perniciem nostram incumbit. Qua de causa & cum leone circumeunte, & rugiente confertur: quia, ut famelicus leo circumire solet, & prædam, quam devoret, quærere: ita & Diabolus, incredibili adversus nos odio, & nos in exitium præcipitandi desiderio flagrans, nihil non agit, ut furore suo a veritatis sanctimoniæque studio deterritos perdat atque extingvat.

1 Pet: 5. 8.

Mat: 6. 13. & 13. 19. 38. 1 Ioh: 2. 13. &c. Ephes: 6. 12. Mat: 13. 38. Ioh: 8. 44. 1 Ioh: 3. 10, 12. Mat: 5. 37.

Sextò, tum Malus sive malignus, tum Spiritus malitiæ appellatur; quia nimirum & malitiâ omnes vincit, & malitiæ omnis autor existit, & denique a malitia nunquam discessurus est. Quo fit, ut, vel si quis homo malus est, vel si quid mali accidat, id ex Diabolo ortum habere dicatur: veluti est juramentum per temeritatem susceptum,

susceptum, quod eam ipsam ob causam a malo, id est, Diabolo proficisci Christus asserit.

Septimò, Tentatoris nomen diabolo imponitur, nempe quòd hominum animos constantiamque tentat, sæpeque tentando efficit, ut homines fidem obedientiamque abjiciant, in sceleraque præcipites ruant. Cujus rei exempla apud divinos autores reperiuntur. Primò enim Ananiam Petrus sic alloquitur: *Cur tentavit Satanas cor tuum, ut mentireris* (vel *falleres*, hoc est, fallere velles) *Spiritum sanctum*, id est, cur ea fuit animi tui mentisque perversitas, ut diaboli tentationibus tantum apud te loci reliqueris? Item illud Pauli: *ne tentet vos Satan ob incontinentiam vestram*, id est, ne impuritatis scelere vos implicet. Et illud: *propterea & ego non ampliùs sustinens, misi ad cognoscendum fidem vestram, ne fortè tentet vos, qui tentat, & inanis fiat labor meus*. Quo in loco *tentare* idem significat, quod minis terroreque homines a veritatis studio prohibere. Sic Christus nos supplicare jubet, *ne Deus nos in tentationem inducat: sed ut a malo*, nempe Diabolo, *nos liberet*. Quæ quidem verba hanc continent sententiam: Deum nimirum suppliciter nobis orandum esse, ne tantam nostri tentandi, id est, affligendi, diabolo potestatem permittat, ut nos a fide justitiaque colenda absterreat: sed si illi fidem explorare nostram placeat, nos tandem ex faucibus illius acerrimi hostis eripiat, & ut victoriam de illo reportemus, efficiat.

Mat: 4. 3. 1 Thess: 3. 5. Act: 5. 2 Cor: 7. 5. 1 Thess. 3. 5. Mat: 6. 13. 26. 41.

Octavo, tum Princeps, tum Deus, tum potens hujus mundi nominatur: quia & plurimum in mundo potest, & maxima pars generis humani ipsius imperium ductumque sequitur.

Ioh: 12. 31. & 16. 11. 2 Cor: 4 4. Ephes: 6. 12.

Nono, princeps aëris appellatur, propterea quòd spiritus cùm sit, & ideò corporis terrestris mole minimè oppressus, in aëre degit, potestatemque suam exercet.

Ephes: 2. 2.

Ad extremum is dicitur, qui mortis habet imperium, id est, imperium mortiferum: quia homines, quos sibi mancipavit, dominatu suo ita opprimat, ut tandem in sempiternæ mortis vincula eos conjiciat.

Hebr: 2. 14.

Ex his veteratoris istius nominibus eum in modum explicatis, non solùm ipsius ingenium atque natura, verùm etiam aliqua saltem ex parte dimicandi ratio intelligi potest. Sed tamen, ut hæc, qualis sit, clariùs pateat, fusiùs nobis de ea explicandum est. Hoc igitur inprimis animadvertendum est, hosti isti nostro id unicè propositum esse, ut omnes fidei ac pietatis nostræ partes non solùm labefactet, sed prorsus etiam convellat. Quam quidem rem duplici via aggredi solet. vel enim in mentem nostram impetum facit, ut

Cap:V. De sac: literarũ autoritate.

eâ superatâ, deque statu suo dejectâ, facilè etiam voluntatem nostram subigat atque opprimat; vel contrà, si pro sua calliditate ita facto opus esse videt, primò ad voluntatem machinas suas admovet, ut facilior sit aditus ad mentem labefactandam, pestiferisque erroribus implicandam.

Iam ad priorem nostri oppugnandi rationem quod attinet; intelligendum est, Diabolum id omni studio agere, ut disciplinam illam cœlestem, quâ mentes nostræ imbutæ sunt, ex animis nostris evellat, idque vel divinis literis, quibus ea consignata est, labem aliquam aspergendo; vel, si hoc assequi non potest, errores ex illis per summam fraudem funestissimos eliciendo. Scripturam porrò sanctam iis maculis aspergit, ut vel eam falsam commentitiamque esse persvadere conetur; vel, si hoc minùs succedat, obscuritatis, aut imperfectionis damnet. Nos igitur, ut primum illius stratagema evitemus, firmissimis nos contra has ipsius machinas muniemus præsidiis, & mortifera illius tela repellemus.

CAP: V.

De sacrarum literarum autoritate.

AC primò quidem, ut scripturam eam, in qua Christi disciplina continetur, verissimam esse cõvincamus, tum ex certis indubitatisq; ejusdem religionis circumstantiis argumenta petemus; tum nullam esse causam demonstrabimus, quin libris de ea conscriptis fides adjungatur.

Iam quod ad Christianæ religionis circumstantias attinet, quarum nomine ea omnia complectimur, quæ ad illam aliqua ratione spectant; primò omnium occurrit ipse Iesus Nazarenus, ejus religionis inter homines auctor. Hunc enim in rerum natura fuisse, certam religionem discipulis suis præscripsisse, eandem prodigiis atque portentis post homines natos inauditis confirmâsse, a suis gentilibus in crucem sublatum fuisse, tandemque revixisse, evidentissimis argumentis demonstrari potest. Si namque Iesus iste nunquam fuit; unde jam inde a religionis Christianæ primordio, tanta, tamque admirabiliter continuata hominum eam profitentium series ac multitudo, ad nostram usque ætatem pertingens? Si enim Mosen, si Machometen, si alios religionum duces aliquando extitisse, ex continua subsequentium successione intelligimus; quæ dementia esset, idem planè non perspicere in tanta religionis Christianę propagatione? Quid verò Iudæos, Iesu ejusq; disciplinæ capitales hostes impellit, ut non solùm eum fuisse, cultusque divini rationem tradidisse;

disse; verùm etiam maxima miracula edidisse, & quod maximum est, ab ipsorum majoribus turpissimo mortis genere affectum fuisse, apertè ingenueque fateantur? Num hac ratione aliquam sibi eorum, apud quos degunt, benevolentiam colligere nituntur? At nunquam possunt perniciosiùs vitæ fortunisque suis consulere, quàm hæc proferendo. Num Christianis illudere cogitant? At quàm acerbus ludus iste est, quem tanta calamitas comitatur. Reliquum igitur est, eos ipsa veritatis vi impulsos hoc facere.

Iam quid de illis dicemus, qui omnium primi Domini Iesu religionem amplexi sunt? Hi certè nonnisi firmissimis rationibus innixi, ad ejus ductum sese applicare, aut eundem constanter sequi potuerunt; quem a gentilium suorum principibus, haud aliter ac hominem seditiosum, flagitiosum, maximorumque scelerum manifestum abjici, contemni, & tandem teterrima morte affici viderant. Hinc namque efficitur, eos, præterquam quòd Iesum Nazarenum animadverterunt hominem esse nullius criminis affinem, vidisse quoq; eundem a mortuis excitatum. Aliter vel ad illius religionem sese minimè contulissent, vel in ea non perstitissent: quandoquidem minimè dubium est, quin prorsus concideret Christi crucifixi religio, nisi resurrectione ipsius tanquam firmissimo argumento niteretur; nec rei tam inauditæ, tamque omnem rationis humanæ intelligentiam superantis gratiâ vitam profudissent, nisi eam ipso oculorum aspectu comperissent. Nisi fortè eos scientes volentesque ob insigne, quod ipsi probè nossent, mendacium mortem oppetere, ideoque omni rectæ rationis judicio, ipsâ denique humanâ naturâ, temeritate quadam projecta, sese exuere voluisse, nobis existimandum est. Quo quidem absurdius cogitari nihil potest. Cum verò, ut modò indicavimus, religio Christi Iesu, in ipsius a mortuis resurrectione ita sit innixa, ut hac sublata, illam funditus everti necesse sit; dubium potest esse nullum, quin ejusdem disciplinæ primi professores atque assertores, Christum a mortuis resuscitatum esse affirmârint, & eundem redivivum sibi visum esse dixerint. qua enim alia ratione eam religionem aliis hominibus persvadere potuissent? Sed neque satis fuit asserere; verùm etiam rem tam admirabilem, tam inauditam, tam incredibilem validissimis atque evidentissimis rationibus demonstrare fuit necesse, ut ab aliis reciperetur, ac firmiter constanterque crederetur. Viderunt nempe majores nostri, non tantùm singularem in illis elucere vitæ sanctimoniam, sed etiam divina admirationeque dignissima opera, Christi virtute ac nomine ab illis fieri; & nec acerbissimo illos homi-

num odio, nec innumeris periculis, quæ undique vitæ eorum intenta erant, nec denique teterrima morte, a rei istius confessione depelli posse. Hæc impulêre majores nostros, ut eandem viam ingressi, haud dissimili ratione Christi religionem sequerentur ac tuerentur. Neque enim quisquam potest esse nescius, quanta crudelitate ac immanitate, ab ipso hujus disciplinæ exordio in eos sævitum fuerit, qui ad eam studia sua contulerant. Mirum tamen est, quanto ardore homines innumeri, aliis religionibus, quibus erant innutriti, posthabitis, hanc arripuerint; quàm inflammato veritatis studio, quàm nullo terreno lucro allecti, ad Christum confluxerint; & porrò quantis accessionibus sat brevi temporis spatio religio nostra fuerit amplificata. Et quamvis omnibus ferè ætatibus, iis rebus hoc genus hominum expositum fuerit, quæ eorum religioni non tam incrementum, quàm eversionem ac pestem allaturæ videbantur: tantum tamen abest, ut summa potentissimorum hominum tyrannide extincta fuerit, ut aliis religionibus, quas nulla vexabat crudelitas, paulatim evanescentibus, præter Iudaicam, quam divinitus profectam Christiana agnoscit, hæc una remanserit, tantosq; progressus fecerit, ut brevi temporis curriculo omnem terrarum orbem complexa fuerit. Non solùm enim in firmissimis eam inniti fundamentis, omnes facilè perspexerunt; sed iis etiam tum præceptis, tum promissis constitutam esse, cum quibus nulla aliarum religionum mandata promissaque comparari possunt. Et cum hoc nostro seculo, post Christi disciplinam Mosaica Mahometanicaq; religio omnium maximè vigeant, quæ similiter præceptis promissisque continentur; operæ precium est ostendere, & præceptionum sanctitate atque perfectione, & promissorum amplitudine ac magnificentiâ, nostram hanc illis longè multumque antecellere: adeò ut, si quis modò ullam religionem in mundo esse arbitretur veram, Christianam verissimam divinissimamque agnoscere cogatur.

Et quidem ut Mahometanis (utpote Mosaicis longè inferioribus) institutis supersedeam, deque Mosis tantùm disciplina verba faciam; quis non videt, eam tantam vitæ probitatis perfectionem ab Israëlitis nequaquam exigere, quantam Christus a nobis. Quæ enim patientia, quę castitas, quæ sanctitas, quę in Deum proximumque tanta charitas a Mose præcipitur, ut possit cum admirabili vitæ integritate ac sanctimonia, cum summa patientia, castitate, & charitate, quâ nos prędĭtos vult esse Christus, conferri? Vt taceam, quòd quæ aliis præscripserat Moses, ea ipse omni ex parte nequaquam conservavit, ideoque promissa illa regione exclusus fuit: Christus verò

verò non magis doctrinâ, quàm vitæ sanctissimæ exemplo suos discipulos instituit. Quid verò de utriusque promissis dicemus? Moses certè nonnisi ea populo Iudaico pollicebatur, quæ terrenorum bonorum affluentiâ, mobilique & fluxa felicitate continebantur: Christus autem, ut suis promisit ævum sempiternis gaudiis, voluptatibusque nullâ mæstitiâ terminandis affluentissimum: ita illud tum ipse, tum ejusdem nobis donandi amplissimam potestatem est adeptus.

Verùm inquiet aliquis, cum religio Christiana in tanta sit varietate ac dissensione constituta, ut non unâ eam omnes viâ ac ratione colant; quî fieri potest, quin in diversas partes distractus animus, omnem ejus amplectendi curam abjiciat, perpetuoque de ipsius autoritate dubitet? Huic responsum volumus, istam multorum dissensionem nequaquam tanti esse faciendam, ut quis meritò ipsam religionem aspernari, aut in falsitatis suspicionem vocare debeat. Has enim discordiarum faces, non sanctissima Christi disciplina, non salutaria Dei præcepta atque instituta, non veræ pietatis studium; sed superbia, sed ambitio, sed scelerata cupiditas, sed pestiferæ scripturarum ad cujusvis affectum detorsiones, sed denique omnium flagitiorum ac dissensionum seminator diabolus incendit. Huc accedit, quòd inter omnes constat, quamvis maxima dissensione, dissimilimaque alii ab aliis ratione hanc religionem profiteantur, esse quandam ejus summam, in qua omnes sine ulla controversia congruunt, illamque eo contineri libro, qui Novum Testamentum appellatur. Quod quidem verissimum esse, si quis negare audeat, næ ego eum judicio vehementer labi, ne dicam, prorsus orbatum esse existimaverim. Vt enim is cum ratione insanit, qui non credit, Iudaicam religionem libris Mosaicis comprehensam esse, cum id omnes Iudæi profiteantur; aut Mahometanam Alcorano consignatam esse, cum omnes ejus religionis asseclæ id asserant: ita nequaquam homo sanæ mentis existimandus est, qui Christi religionem Novi Testamenti libris contineri negat, cum id omnes Christiani nominis homines affirment.

Sequitur, ut nullam esse causam demonstremus, cur Novi Testamenti scriptoribus fides habenda non sit. Constat igitur inter omnes, atque adeò naturâ cunctis insitum est, duas esse causas, ob quas mendacium dicere quispiam sit existimandus. Aut enim quæ narrat, ipsum perspecta cognitaque minimè habere, aut scientem volentemque fallere necesse est. Quorum quidem neutrum in divinos illos viros conferri meritò potest. Primò enim, quis ea, quæ

monumentis suis prodiderunt, ipsos ignorasse affirmare poterit; cum partim iis interfuerint, partim eo ipso tempore, & in iisdem locis vixerint, ubi & quando sunt gesta? Quidam enim ipso Iesu Nazareno familiarissimè sunt usi, quidam verò ejusdem Apostolis cõjunctissimi fuerunt; ut non solùm ex ipsorum monumentis, sed etiam ex sanctissimorum hominum proximè illos subsequentium testimonio, & Christianorum succedentium perpetuo consensu manifestissimè appatet. Alterum quoque, videlicet eos scientes volentesque tantum mendacium in se admisisse, non nisi ab eo illis affingi potest, qui religionis Christianæ naturam prorsus ignorat. Fieri enim non potest, ut qui Christi disciplinæ deditus est, is mendacio delectetur: quandoquidem in maximis Christi pręceptis numerandum est, ne quis ullo sese adstringat mendacio, nedum falsas historias conscribendo, universum humanum genus funestissima fraude circumvenire cogitet. Cum autem dubium non sit, quin qui Christi religionem literis mandârunt, veri Christiani & ipsi fuerint; quid causæ est, cur illis tantum crimen, tamque immane dedecus inuramus? Huc accedit, quòd si scripta eorum in mendaciis habenda sunt, nullam tantæ fraudis causam, ab eadem verò abstinendi plurimas habuerunt. Neque enim eos latere potuit, si modò homines fuisse volumus, quantas talia in vulgus emittendo excitaturi essent tragœdias. Nam & captum humanum erant superatura; & porrò ab hominibus, cum nulla evidenti ratione comprobari possent, extremæ stultitiæ damnanda; & quòd humanis cupiditatibus obsisterent, non præclaram existimationem, non hominum studia, non denique ullam utilitatem corporisque voluptatem illis paritura. Qua igitur alia re illos ad scribendum impulsos fuisse putabimus, præter invictissimam vim veritatis? Hîc verò non sustinebit se adversarius noster, quin per instrumenta sua dicat, meritò dubitari posse, an libri N.T. ab iis conscripti fuerint, quibus vulgò tribuuntur. Quod quidem aliqua saltem ex parte tolerandum videretur, si ulla ad contrarium persvadendum ratio afferri posset, & ipsa Apostolorum scripta multis in locis eosdem autores suos commemorando non indicarent. Etenim ad confirmandum, eum esse libri cujuspiam autorem, cujus nomẽ est adscriptum, nullo alio opus est argumento, quàm vel coætaneorum testimonio, vel saltem eam ætatem proximè subsequentium autoritate, & doctorum hominum consensu. Quę testimonia cum his libris non desint; nulla causa est, quin ab iis ipsis, quibus assignantur, editos esse planè credamus. At dicet, non omnibus Novi Testamenti libris nomina adscripta

Cap: V. De sacr. literarũ autoritate.

esse; ideoque vel ob id ipsum de eorum autoritate meritò dubitari posse. Occurro igitur, & minimè consequens esse affirmo, ut ob autoris ignorationem scriptum aliquod rejiciamus, dummodo ab illis, qui accuratam rei illius, de qua agitur, tenent scientiam, in veris numeretur. Cùm enim hîc de Epistola Hebręis scripta potissimùm agatur; constat, eam primis illis temporibus, cùm adhuc multi superessent eorum, qui cum ipsis Apostolis consvetudinem habuerunt, a viris rerum istiusmodi peritis approbatam fuisse. Cujus rei non solùm magno argumento esse debet, quòd in Syriaco Novi Testamenti codice, quæ interpretatio sanè est perantiqua, ea Epistola habetur; sed Eusebius etiam lib: 3. Hist: Ecclef: c. 3. & lib: 6. c. 14. id, quod diximus, apertissimè testatur. Ac cum de Apocalypseos autore quoq; ita disputetur, quasi dubium sit, eum ipsum Iohannem Apostolum esse, non video, qua ratione ad hoc negandum quis possit induci. Nam & Iustinus & Irenæus, qui a Iohannis ævo non multùm abfuêre, ab eodem librum illum scriptum esse testificantur: & Irenæus quidem non obscurè ait, id testimonio eorũ sua ætate fuisse confirmatum, qui Iohannẽ Apostolum de facie noverint.

Iust: Dial: cum Tryph: Iren: l. 4. 37. vid: etiam Euseb: Hist: Eccles: lib: 5. c. 8.

Non desunt etiam, qui dissensionem quandam, in qua novi Testamenti scriptores sint constituti, prætendant. Hæc autem vel speciem tantùm dissensionis habet, & porrò indigna prorsus est, de qua hoc loco laboremus; vel si vera aliqua diversitas esse statuatur, eam aut in re magna, & quæ caput aliquod sit disciplinæ Christianæ, consistere volumus, aut in ea, quæ nullum ad vitam beatam, aut certè perexiguum habeat momentum. Illud quidem demonstrari nullo modo potest; cum admirabili ac prorsus divina conspiratione scriptores isti in rebus salutaribus consentiant. Hoc verò tantùm abest, ut fidem illis minuat ac infirmet, ut potiùs mirum in modum augeat, atq; confirmet. Cum enim dissensio ista, quæ statuitur, nonnisi historicis rebus contineatur; an non apertissimum est, eos de rebus, quas literarum monumentis consignârunt, neutiquam consiliis inter se collatis ad circũveniendos homines scripsisse? sed & diversos fuisse autores, & quòd alii aliis firmiore res gestas memoria custodierant, diversa quoq; ratione paucissimis in locis eas descripsisse; interim tamen nonnisi veritatis vi impulsos, idem in summa monumentis suis tradidisse. Quòd si ob levissimam dissensionem istis omnibus istorũ scriptis fidem derogare voluerimus; profectò multò magis necesse fuerit, omnes de quacunque re scriptas historias, ut cõmenticias ac futiles contemnere, explodere, ac conculcare. Non solùm enim sępenumero earum scriptores de multis maximisque

rebus

rebus dissenserunt; sed & homines eos fuisse constat divino spiritu carentes, maximaque ex parte, quæ literis mandârunt, ipsos per se non habuisse comperta, nec ullo periculi metu, sed summæ laudis præmio proposito, scribendi partes suscepisse; & porrò haud satis dignos esse, quibus indubitata fides tribuatur. Quibus in rebus quàm nostri scriptores illis antecellant, cumulatè me jam demonstrasse arbitror. Illud tamen præterire neutiquam volui, aliarum historiarum (si vel omni falsitatis suspicione eas liberare velimus) veritatem nonnisi ex ipsarum lectione intelligi posse: scripta verò Apostolorum ex apertissimis eorum, quæ inibi leguntur, effectis, verissima esse cognosci posse, suprà satis superq; demonstravimus. Quæ igitur amentia illos agitat, qui, verbi causâ, plus fidei Livio, Sallustio, Cæsari, aut cuivis alii historico tribuendum censent, quàm Matthæo, Iohanni, Paulo, Marco, Lucæ, reliquisque Christi Apostolis: cum tot tantasque aliis historicis credendi causas nullo pacto habere possint, quantæ & quot, quemlibet cordatum hominem, ad Evangelistarum Apostolorumque scriptis firmissimam fidem adjungendam, planè impellunt.

Hîc verò objicient, non solùm in diversis autoribus novi Testamenti, sed etiam in uno, unam eandemque materiam tractante, dissensionem inveniri. Lucas enim historiam conversionis Paulinæ describens, jam Pauli comites vocem audivisse, neminem autem vidisse ait; jam verò Paulum inducit affirmantem, comites suos lucem quidem vidisse, vocem autem ad ipsum loquentem non audivisse. Verùm cum verbum *audiendi* apud Hebræos jam sonum auribus percipere, jam verba intelligere significet; tollitur omnis repugnantia: & sensus erit, comites Pauli, quamvis vocis sonum audivissent, vocem tamen ipsam non audivisse, id est, non intellexisse articulatim ejus verba. Audire autem sæpè intelligendi significationem habere, ex his locis perspicuum est, Gen. 42. 23. 4. Reg. 18. 26. Ier: 5. 15: 1. Cor. 14. 2.

Act: 9. 7. c. 22. 9.

Verùm non satis habet adversarius. Objicit enim per sua instrumenta, scripta N. Fœd: depravata esse, ideoque ab iis omnem assensum meritò cohiberi. Aut igitur volunt isti, qui hæc objiciunt, universam sive historiam, sive doctrinam depravatam esse, aut quasdam tantùm partes. At prius illud quomodo sustineri poterit; cum nulla nec ratione, nec ullius fide digni hominis testimonio probari possit? Fidem enim in hoc negotio illi tantùm mereri putandi sunt, qui a pravis affectibus, & ipsius religionis Christianæ odio alieni, illique tempori, quo hæc sunt scripta, proximi fuerunt. V-

bina m

Cap: V. De sacr. literarũ autoritate.

binam verò ejusmodi testimonia extant, ex quibus constare possit, universam historiam ac doctrinam, ab Apostolis aliisq; divinis viris aliquando scriptam, depravatam immutatamq; esse? ut taceam, hoc posito, non eos ampliùs fore librorum Novi T. scriptores, quos antea esse probavimus. Hoc verò posterius, vel eo pacto asserunt illi, ut historiam doctrinamq; in rebus magni momenti haudquaquam immutatam fuisse existimemus, sed in rebus tantùm exigui momenti; vel ut aliquam etiam in magni momenti rebus mutationem factam fuisse credamus. Iam si illud verum est, quantum id, quæso, valebit ad illis fidem abrogandam, in quibus aliquid est momenti? Hoc autem si ita se haberet, certè nec tanta scriptorum divinorum consensio, nec tot libri istius exemplorum per totum orbem terrarum dissipatio, nec innumeri Theologorum commentarii mutationem illam latere passi fuissent. Huc accedit, quòd Deus Opt. Max. cum infinita atque immensa benignitate genus humanum complectatur, nequaquam hæc tantæ suæ gratiæ monumenta depravari permisisse credendus est, quibus voluntatis suæ notitiam, sempiternæque salutis viam omnibus aperire decrevit.

Hîc verò, utcunque sese res ista habeat, inquiet adversarius; manifestissimum tamen esse, nequaquam Christi religionem tam evidentibus rationibus nixam esse, ut de ea nemo dubitare ulla ratione queat, etiamsi maximè velit; cujus generis argumenta solent esse ea, quibus Mathematicæ disciplinæ nituntur. Verùm hoc illis objiciat veterator iste, qui religionis Christianæ naturam ignorant. Qui enim eam cognitam habent, hanc illius rationem esse sciunt, ut fidei meritum postulet, ut virtuti vitioque, ut præmio ac pœnæ locum relinquat, ut denique haud aliter, ac Lydius lapis, hominum vel ad probitatem, vel ad flagitium inclinationes exploret. Quæ omnia concidere necesse est, si veritatem disciplinæ Christi ita omnibus manifestam esse volumus, ut oculis cerni manibusque contrectari possit. Quid est enim, ut fide consequi ea studeam, quæ ante oculos meos sunt constituta? Vitia quoque quam sedem habebunt, & porrò suppliciorum quis erit locus, si præmium tam amplum, quod religio Christiana nobis pollicetur, tale esse volumus, ut nemo tam possit esse adversus veritatem contumax, quin dubitare de eo desinat? Neque enim fieri potest, quin cui vitæ futuræ beatitas est explorata, is non solùm ab omni flagitio ac turpitudine abstineat, sed totum se etiam ad sanctitatis studium accommodet, eoque omnes animi conatus conferat, ut ad divinum illum statum pervenire possit. Quid, quòd omnis huic disciplinæ animos homi-

num explorandi via præcluderetur, si ob nimiam ejus evidentiam omnes eam amplecti cogerentur. At nunc rectè dixeris, eam Lydium esse lapidem, quo hominum animi explorentur: quandoquidem homines ad virtutis studium propensos argumentis vero simillimis, tum ad fidem divinis promissis adhibendam, tum ad vitæ sanctimoniam alacriùs consectandam, facilè adducit: contrà homines ad sceleris cupiditatem inclinatos, non solùm nulla rationum probabilitate ad credendum pieque vivendum impellere, sed longiùs etiam ab omni assensione atque obedientia arcere atque dimovere solet; & id quidem non suâ naturâ, sed per quandam occasionem; quatenus videlicet perditis ipsorum moribus nefariæq; ad turpitudinem proclivitati repugnat. Valde igitur divinæ sapientiæ sempiternæque justitiæ congruens ac consentaneum erat, ea ratione ac viâ hominibus de ipsis servandis consilium aperire, ut iis qui probitate delectantur, scriptorum novi Testamenti veritas facilè persvaderetur; illis verò, qui flagitiorum tenebris mentem obscurârunt, divinæ gratiæ argumenta non satisfacerent. Sic enim fit, ut summus omnium rerum dominus, aliis misericordiam amplissimumque virtutis præmium tribuendi, in alios verò debitam severitatem exercendi; in utrisque tum sapientiam, tum potentiam suam ostendendi, amplissimam occasionem habeat.

Quanquam autem ad religionis Christianæ veritatem satis est, novam scripturam certam, firmam, omniumque assensu dignissimam esse: tamen ne ullus locus adversario nostro cavillandi relinquatur, placet hoc in loco Veteris quoque scripturæ autoritatem ante omnium oculos constituere. Quæ quidem res non tantam habere videtur difficultatem, quanta hactenus in novę scripturæ confirmatione subeunda nobis fuit. Vt igitur hanc rem paucis perstringamus, duo potissimùm de Veteris Testamenti autoritate nobis persvadere debent, quorum alterum certissimo utriusque scripturæ, novæ & veteris vinculo; alterum verò Iudaicæ religionis circumstantiis continetur.

Primò enim in confesso est, novam scripturam ex vetere ita aptam tantaque necessitate cum illa nexam esse, ut ex illius veritate perspecta, hujus certitudo sponte sua emergat. Novum enim testamentum de vetere testari, & divinitus ea, quæ vetere illo codice continentur, edita pronunciare, palàm est. Qua de causa & horum auctores frequentissimè ea se docere memoriaque prodere affirmant, quæ antea Prophetæ summâ diligentiâ pervestigârant, divina collu-

collustratione præsenserant, & sanctissimi spiritus impulsu prædixerant.

Deinde quod attinet ad ea, quæ disciplinam Iudaicam perpetuò comitantur; videmus sanè, populum Iudaicum religionis adeò esse retinentem, ut neque onerum legalium gravitate, nec aliarum disciplinarum facilitate; nec innumeris insectationibus, quibus perpetuò propositus est, nec denique teterrimæ mortis acerbitate ab instituto dimoveri possit. Hinc effectum est, ut multæ aliæ religiones, quamvis his molestiis vacarent, ad nihilum venerint, hæc verò ad nostra usq; secula duraverit. Cujus quidē rei nulla alia causa reperiri potest, nisi quòd illę infirmis admodum argumentis fuerint nixæ: hęc altissimis manifestarum confirmationum radicibus defixa, firmissimisq; promulgationis suæ principiis fundata, labefactari nullo modo potuerit. Hæc tamen non perinde a me dicuntur, quasi & hac tempestate Iudaicam religionem eam esse existimem, quam omnes amplecti debeāt. Vt enim a divino numine eam profectam esse non dubitem: tamen ipsa sese multis in locis Messiæ adventu, noviq́ue Fœderis pactione terminandam fuisse, manifestò indicat; adeò ut non exigua mentis cæcitate Iudæos laborare necesse sit, qui cum in illa versatissimi esse debeant, tamen rem tam claram, tamq́ue oculis omnium subjectam, non vident. Eo autem consilio hæc de Iudaica religione a me disputatur, ut veteris testamenti scriptis, quibus illa continetur, plenissimam fidem tribuendam esse demonstrem.

Reperiuntur tamen nonnulli, quibus quinq; Mosis volumina, nō usque quaq; vera esse videntur, propterea quòd multa literis consignare ausus fuerit Moses, quæ antequam ipse in lucem prodiret, evenisse necesse est. Sed vel concedunt isti, Mosi fidem adhibendam esse iis in rebus, quæ inspectantibus non tantùm compluribus hominibus, sed integris etiam nationibus, suo potissimùm ministerio gesta narrat, vel non concedunt. Si non concedunt: cur non omnia eodem modo rejiciunt? cur ea tantùm commemorant, quæ multis retrò seculis facta narrat, quasi in cæteris ei fides adhiberi possit: ut sanè jure potest ac debet; nisi dicere velimus, illū tunc contra testatissimam apud complures gentes veritatem, impudentissimè mentitum fuisse, & eos ipsos, qui optimè norant, num res ita se haberet necne, h. e. Israëlitas sua ætate viventes, quos oculis suis plæraque eorum, quæ facta scribit, contemplatos asserit, decipere voluisse. Quòd si concedunt, ei in istiusmodi rebus fidem esse adhibendam; necesse est, ut cætera omnia admittant, quæ ab illo scribuntur, licèt mul-

cèt multis ante ipsum seculis facta. Narrat enim ea sibi contigisse, eaque suo ministerio divina ope fuisse peracta, quæ apertissimè demonstrant, eum in summa fuisse apud Deum gratia, divinissimumque prophetam extitisse, ita ut necesse sit, verissima esse omnia illa, quæ tam constanter asserit. Nam in virum tam divinum, tam charum Deo, nec ignorantia istarum rerum, nec turpissimum mendacium cadit. Reliquum igitur est, Mosi in omnibus, quæ scribit, plenissimam fidem adhibendam esse. Non desunt autem, qui multos veterum monumentorum locos corruptos atque adulteratos esse affirment. Sed hoc ipsum non ita est in promptu, quin evidentissima egeat probatione; quam sanè unde isti sint petituri, dispicere neutiquam possum. Huc accedit, quòd si maximè corruptos esse constaret; nihil tamen id haberet virium, ad omnem illis autoritatem fidemque derogandam. Aut enim casu fortuitoque eam depravationem contigisse volumus, aut voluntario sceletatorum hominum facinore. Si illud verum est, nihil certè ponderis habere potest, ad universam veterem scripturam falsitatis arguendam; cum ejusmodi depravatio nonnisi in rebus vel nullius, vel exigui momenti evenire soleat. Si verò altero modo aliqua incidit corruptio, profectò nonnisi ad juratos Christiani nominis hostes Iudæos ea referri potest, penes quos perpetuò voluminum istorum custodia fuit. Minimè autem verisimile est, illos alios locos adulterare cogitasse, quàm quos Christo in crucem sublato, vitæ restituto, inque amplissimo æternæ dignitatis gradu collocato, suffragari viderunt. Verùm cum, ut diximus, veterum scriptorum veritas ex Novi testamenti certitudine potissimùm appareat, nihilque magni momenti illis comprehendatur, quod in hoc quoque scriptum non legatur, præsertim quod ad ipsum Christum pertineat; consequens est, illorum locorum depravationes nequaquam impedire posse, quominus omnia, quæ de Iesu Christo, perque ipsum parta salute scitu sunt necessaria, animo complectamur; multò autem minùs efficere, ut in cæteris quoque rebus fides sacræ Veteris Fœderis scripturæ abrogetur. Hìc verò dices, religionem Christianam veteris scripturæ testimoniis niti, quæ nisi fuerint ab omni depravatione purissima, Christi disciplinam apud nos ratam firmamque esse non posse. Respondemus autem, non ita nostram religionem in veteris scripturæ testimoniis innixam esse, ut eorum depravatio ruinam & interitum ipsi afferat. Iam enim satis superq; demonstratum est, Domini Iesu disciplinam, nulla etiam veteris scripturæ ratione habita, satis firmis aliarum rationum præsidiis septam at-

Cap: V. De ſac. literarũ autoritate.

ptam atque munitam eſſe, eoque rem deveniſſe, ut potiùs ex hujus noſtræ veritate illius certitudo, ſecundùm ſeculi hujus rationem, ſit ponderanda, & propter corruptionis ſuſpicionem nihil amplectendum, quod cum novi Teſtamenti doctrina per omnia non congruat. Hæc autem omnia non perinde a nobis diſputantur, quaſi Deum vigilantiſſimum animarum noſtrarum cuſtodem, ſaluti noſtræ ita indormiviſſe putemus, ut iſtos locos corrumpi permiſerit, deque fide ſua, ut præſtanda, ita etiam omnibus ſeculis demonſtranda, tam parum laboraverit: cum potiùs nihil illi unquam antiquius fuerit, quàm ut ſummam ſuam in hominum genus benignitatem, inque ſervandis promiſſis conſtantiam omnibus teſtatam relinqueret: quarum utraque, ſed inprimis poſterior, vehementer obſcurata & tenebris involuta fuiſſet, ſi ſua de Chriſto promiſſa corrumpi ac depravari permiſiſſet. Huc accedit, quòd qui Chriſto ſunt dediti, omnia veteris Teſtamenti teſtimonia de ſempiterna felicitate, per Chriſtum crucifixum humano generi tribuenda, & intelligunt probè, & reipſa confirmata eſſe, exploratiſſimum habent; tantum abeſt, ut ulla eorum facta ſit depravatio.

Hinc verò callidus iſte veterator arrepta occaſione, ad Novum Teſtamentum falſitatis damnandum regredietur, & ex eo illius vanitatem conſtare inquiet, quòd qui illud literis conſignarunt, ii multa ex vetere ſcriptura adducunt teſtimonia, quæ vel in ea non habeantur, vel ad rem quam illis comprobare conſtituerunt, nihil quicquam pertineant. Ad illud igitur, quod priore loco objicitur, duplici modo reſpondemus. Primò enim intelligendum eſt, multos veteris ſcripturæ libros periiſſe; & porrò quæ in Novo Teſtamento ita adducuntur, ut, ex quo veteris Teſtamenti loco depromantur, minimè appareat, ea illis ſcriptis olim comprehendi potuiſſe, quæ intercidiſſe modò diximus. Non haberi autem veteris inſtrumenti ſcripta, inter alia inde conſtat, quòd 1. Paral. 29. 29. commemoratur liber Nathanis Prophetæ, & volumen Gad videntis. & 2. Paral: 9. 29. ejusdem Nathanis & Ahiæ Silonitis, & Addonis videntis librorum fit mentio, quos tamen minimè extare palàm eſt.

Secundò conſtat, novi Teſtamenti ſcriptores plerumque Græcam Septuaginta interpretum editionem ſecutos fuiſſe. Nam & Græcè ipſi ſcribebant, & interpretatio illa plurimum apud Hebræos, de quibus & Apoſtoli erãt, autoritatis habebat. Adde, quòd ſcriptiones ſuas illorum hominum, inter quos tunc vitam agebant, captui accommodare volentes, nequaquam literis ſyllabisque

 ita adhæ-

ita adhærescebant, ut ne transversum quidem ungvem ab illis sibi recedendum existimarent, dummodò a verborum sententia minimè deflecterent. Ad alterum respondemus: primùm nonnulla Vet. Fœderis dicta citari in Novo, non quòd divinus spiritus in iis primùm proferendis, ad eas res respexerit, ad quas in novo fœdere accommodantur: sed quòd ad eas propter similitudinem ac convenientiã quandam jurè accommodari queant: quo pacto viri quique doctissimi multa sæpè ex Poëtis aut Historicis dicta citant, & ad institutum suum accommodant, licèt primi illorum dictorum autores de istis rebus, ad quas ea postmodum traducuntur, ne cogitâ-rint quidem. Huc pertinere videntur inter alia hi loci Matth: 15. 7. & seqq. cap: 21. 16: Rom: 2. 24: c. 3. 4: c. 9. 20. Deinde animadvertendum est, multa veteris scripturæ pronunciata duplicem sensum continere, nempè literalem seu historicum, quem vocant, & mysticum; & ideo, licet multa in sensum priorem accepta, parùm ad id, quod ab Evangelistis Apostolisque tractandum suscipitur, sint accomodata: tamen si in sensum mysticum respicias, rei, quæ explicatur, aptissima esse comperies. quale est illud, *Ex Ægypto vocavi filium meum*, ab Evangelista tum adductum, cùm Christum in Ægyptum migrasse doceret; quamvis verbis illis primo sensu populi Israëlitici ex Ægypto liberatio significetur. Huic simile & illud est: *Vox audita est in Rhama; ploratus & ululatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* Vbi si primum sensum spectes, multorum Hierosolymitanorum excidium describitur. Vrbem enim Hierosolymam tribui Benjamin, ex Rachele ortum habenti, assignatam fuisse nemo ignorat. Matthæus autem per quãdam dicendi figuram, verba ista ad infantes Bethlehemæ interfectos accommodavit, vel quòd in Bethlehemico agro Rachel Iacobi uxor olim sepulta sit; vel potiùs, quòd id oppidum tribui Beniamiticę vicinum fuit, nec dubium, quin Rachelis etiam posteri in locis ei oppido vicinis occisi fuerint ab Herode, præsertim cum tribus Iudæ & Benjamin tum temporis ferè permistæ essent. Fit autem non semel, ut quæ in Vetere testamento figuratè dicta erant, ea verè proprieque in Novo Testamento accipienda sint: veluti illud est, quòd Davidi Deus, se gentes terminosque terræ subacturum, inque possessionem addicturum promiserat. In Davidem enim istud propriè loquendo minimè quadrare palàm est: cùm is terminos terrę nunquam possiderit. ideoq; si ad illud tempus, quo regnavit, respectus habeatur, nonnisi Palæstinæ terræ, aut aliarum vicinarum regionum terminos intelligere est necesse. Ad Christum

Marginal notes: Mat: 2. 15. — Mat: 2. 18. Ierem: 31. 15. — Psal: 2. 8. Act: 13. 32.

vero

verò propriè verèque hoc spectare, quis non videt? Huc & illa ejusdem Davidis verba spectant, quæ Petrus ad Christi resurrectionem confirmandam in medium attulit: *Non derelinques*, inquit, *animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Psal: 16. 10. Act: 2. 29: & 13. 35, 36. Vidisse autem Davidem corruptionem, & ipsum per se constat, & Petrus ab illius sepulchro argumentum ducens, idem apertè demonstrat: ut facilè appareat, verba illa de non videnda corruptione, figuratè, vel cum certa temporis limitatione, ad Davidem referri, quatenus nimirum violentam mortem ab hostibus sibi intentatam effugit; propriè autem atque absolutè ad Christum, qui revera nullam corruptionem expertus est, utpote tertio post mortem die in vitam revocatus. In hoc numero est & illud Esaiæ testimonium, quod Matthæus, ad miraculosam Christi conceptionem nativitatemque comprobandam, hunc in modum producit: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabit nomen ejus Emmanuel.* Mat: 1. 23. Esa: 7. 14. Quam quidem vaticinationem impropriè ad Esaiæ uxorem, ex eaque susceptum puerum referri, totius loci circumstantiæ, & ea, quæ sequenti capite paulò post initium leguntur, convincunt. vid: Esa: 8. 3. Sensus igitur est: Esaiæ uxorem, tunc virginem, ipsi fuisse desponsatam, & postea ex eo concepisse ac peperisse; ita ut virgo dicatur, non quòd virgo postea permanserit, sed quòd tunc, cùm istud pronunciaret Esaias, virgo adhuc esset. Sed in Mariam ea verba omnino propriè, adeoque sensu longè perfectiore conveniunt, utpote quæ virgo permanens, nullâ viri operâ accedente, divini tantùm spiritus vi atque efficaciâ Christum concepit, & in lucem edidit. Et sanè aliquid in illis verbis latuisse majus, quàm id esset, quod in Esaiæ uxore contigit, satis ipsius Prophetę verba indicant. Apertè enim id signum vocat, quod Dominus sit editurus. Atqui id, quod in Esaiæ uxore contigit, naturali prorsus ratione fieri potuit, nec quicquam præter ipsam prædictionem habuit inusitati. neque enim omnino certò affirmari poterat, nisi ab eo, qui Propheta esset, eam & concepturam, nempe absque mora, & masculum in lucem edituram. Sed id ipsum tamen fuit perexiguum. At id, quod in Maria Christi matre contigit, verè divinum fuit signum atque miraculum. Vt taceam, eum, quem Prophetissa peperit, valdè impropriè, rationeque admodum imperfecta Immanuelem, quod significat *Nobiscum Deus*, appellatum fuisse, nempè quòd signum quoddam esset futurus divinæ præsentiæ & favoris, populo ad exiguum tempus exhibendi. At Christus perfectissima ratione ita dicitur; utpote per quem Deus singularissima ratione, & quidem perpetuò, propitius nobis adest, nos juvat ac servat.

Cap: VI. De sacrarum literarum perspicuitate.

Cap: VI.

De Sacrarum literarum perspicuitate.

VErùm cum Sathanas, ut diximus, serpens sit, ideoque, quò vult, sese flectat atque contorqueat, fit ut, si prima via, nimirum a divinis literis mentem nostram abalienandi, minimè succedat, aliam ingrediatur, nempe ut divinam scripturam, quamvis alioqui verissimam, tanta obscuritate esse involutam ostendat, ut nisi ad Ecclesiæ (de qua infrà suo loco nobis explicandum erit) confugiamus interpretationes, intelligi nequaquam possit. Callidè enim Diabolus id nihilominus agit, ut a divinis vocibus ad hominum commenta fidem nostram traducat, inanemque reddat. Nos igitur, ne in hanc illius fraudem incurramus, hoc loco veram hac de re sententiam exponemus, ac rationibus confirmabimus; & quæ contrà proferuntur argumenta, falsitatis convincemus. Ita ergo statuimus, sacram scripturam tum in iis, quæ ad salutem scitu sunt unicuique necessaria, tum in iis, quæ ad eam ita sunt utilia, ut ad necessaria proximè accedant, perspicuam esse; adeò ut, si quis mentem tantùm advertere velit, & studium illud adhibere, quod præstare omnes, qui ad sempiternam felicitatem adspirant, & possunt, & debent, ea ignorare nequeat. quod idem de multis aliis, quæ in sac: literis continentur, censemus. Rem verò ita, ut diximus, sese habere, aliquot rationibus ostendi potest. Prima est, quòd Deus sacras literas in eum finem, & ab initio perscribi voluerit, & postea per tot secula singulari sua providentia conservârit, ut homines ex iis voluntatem ipsius cognoscerent, & quæ saluti suæ necessaria essent, perdiscerent. Quare fieri non potest, ut eæ tanta sint involutæ obscuritate, ut quivis divinæ voluntatis cognoscendæ cupidus, suæq; salutis amans ac sitiens, eas, quantum satis est, h.e. quantum ad fiduciam in Deo ac Christo collocandam, mandataque ejus observanda est necesse, intelligere non possit. Quòd si dicas, Deum, qui sacras literas hominum generi proposuerit, curâsse etiam, ut perpetuò extaret vera Christi Ecclesia, a qua earum intelligentia peteretur; respondemus primùm, illud ipsum, quænam sit vera Christi Ecclesia, non nisi ex sacris literis disci posse. Quare eas per se claras esse oportet, & intellectu faciles, etiam antequam de vera Christi Ecclesia constet, idque in omnibus rebus ad salutem necessariis. Non potest enim certò constare, quænam sit vera Christi Ecclesia, antequam constet, quænam sit salutaris Christi doctrina. Deinde si ita sese res haberet, satius fuisset, nihil scriptum extare aliud, quàm

lib: 6.

Ecclesiam in omnibus esse audiendam. Sic enim minus fuisset controversiarum, quæ nunc de sensu sac: literarum exoriuntur, & numero propemodum infinitæ, & gravissimæ, quæ omnibus seculis, ab ipsis Christianæ religionis incunabulis, Ecclesiam exercuerunt, hodieque exercent. Denique, cum Deus in ipsorum hominum arbitrio positum esse voluerit, ut veritatem salutarem vel amplectantur ac profiteantur,& cœtum aliquem inter se constituant, qui Ecclesia dicitur, vel secùs; non est ratio illa, scripturæ sensus per Ecclesiam indagandi, perpetua; aliamque perpetuam extare necesse est, quâ quivis salutis æternæ cupidus uti possit. Alterum argumentum est, quòd Moses, Prophetæ, Christus, & Apostoli, partim eadem, quæ literis consignata habemus, partim iis similia populo, de rebus scitu necessariis, viva voce tradiderunt. Ab auditoribus autem intelligi sanè voluerunt, atque adeò etiam potuerunt; præsertim tunc, cum ii nondum supinâ suâ negligentiâ atque incuriâ, suâque malitiâ id essent promeriti, ut cæcitate quadam punirentur. Quòd si, quæ viva voce de rebus scitu necessariis fuerunt a divinis viris pronunciata, intelligi a populo potuerunt; cur non & scripta? præsertim cum hæc legendo repeti sæpiùs queant. Nulla sanè est causa, cur divini viri obscuriùs res ad salutem necessarias scribere, quàm viva voce efferre voluerint. Accedit, quòd Epistolæ Apostolicæ, in quibus sublimiora etiam Christianæ religionis mysteria continentur, ferè ad homines rudes, qui non adeò magnos in doctrina Christi progressus fecerant, missæ fuerint, ut inde de rebus sacris instruerentur. Præterea constat, & ante Christum sac. literas passim, tum publicè, tum privatim, absq; commentariis lectitatas, qui mos etiam in Christianis Ecclesiis receptus olim fuit. Neque enim interpres semper ad manum fuit; nec necessarium existimatum fuit, ut explicatio semper adhiberetur. Id autem satis arguit, sacras literas generatim loquendo, non fuisse habitas obscuras, & hominibus plebejis ac rudibus inaccessas. Deniq; Spiritus S. ea de verbo Dei, quod S. literis continetur, pronunciat, quæ claritatẽ ejus satis ostendunt, ea præsertim in parte, quâ nos illud perspicuum esse volumus. Etenim David Verbũ Dei, quo nomine Legẽ potissimùm intelligit, literarum monumentis a Mose cõsignatam, lucernam ait pedum suorũ esse, h. e. luculenter sibi ostendere, quà gradiendum, seu quid faciendum, quid contrà in vita sit omittendum. Hoc autem facere quî posset, si satis perspicuum non esset? Hinc & Moses omnem ignorantiæ occasionem populo præcidens, negat, Dei legem esse vel supra nos, vel procul positam, seu ab intelligentia nostra re-

Cap: VI. De sacrarum Literarum perspicuitate.

Psal: 119, 114.

Deut: 30. 12, 13.

 stra re-

ſtra remotam,ſed prope nos adeſſe,atque adeò in ore noſtro & animo verſari.Paulus etiamEvangelium non niſi iis opertum eſſe affirmat, qui pereunt, ſeu malitiâ ſuâ excæcati in interitum ruunt voluntarium. Non affirmamus quidem, ea, quæ ad ſalutem cognitu ſunt neceſſaria, aut neceſſariis proxima, ubique clariſſimis, & nullam difficultatem habentibus verbis fuiſſe explicata: ſed illud tamen aſſerimus,ſi quid eorum obſcuriùs fortè alicubi dictum fuerit, id alibi, nonnunquam etiam iisdem in locis, clarioribus verbis exprimi. id quod illi quoque agnoverunt, quorum maxima eſt apud eos auctoritas,quibuscum nobis hîc res eſt,nempe Hieronymus & Auguſtin[s]; quorum ille hunc in modum loquitur: *Moris eſt ſcripturarum, obſcuris manifeſta ſubnectere, & quod priùs ſub ænigmatibus dixerunt,aperta voce proferre.* Hic verò inquit: *Magnificè & ſalubriter ſpiritus ſanctus ita ſcripturas ſanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur.* hæc illi. Prophetias quidem, quatenus myſticum ſenſum continent, per ſe obſcuras eſſe fatemur; cum Petrus propterea aſſerat, eas propriæ diſſolutionis ſeu interpretationis non eſſe: verùm nihil oſtendi poteſt in myſticis prophetiarum ſenſibus,unicuique ad ſalutem ſcitu neceſſarium, quod nobis in Novi fœderis ſcriptis luculenter explicatum non ſit. Cæteroqui,ſi quæ occurunt in ſac: literis difficultates, præterquam quòd rerum iſtiusmodi difficultate implicatarum cognitio ad ſalutem unicuiq; neceſſaria non eſt; eæ ferè ſacrarum literarum beneficio expediri poſſunt. Id verò triplici potiſſimùm ratione perficitur: nempe tum univerſæ ſcripturę,quà intelligi faciliùs poteſt,analogiâ quâdam animo comprehenſâ; tum circumſtantiarum cujusque loci conſideratione; tum denique ſimilium locorum collatione. Ex quibus omnibus intelligitur,ſcripturam ſanctam immeritò obſcuritatis ſimpliciter accuſari.Iis autem, qui eam obſcuritate laborare ſimpliciter aſſerunt,præter rationes memoratas, veterum Eccleſiæ doctorum, quibus illi plurimum tribuunt, autoritatē jure opponimus Ii enim non ſolùm verbis, ſed etiā ipſo facto ſcripturę perſpicuitatem fuerunt teſtificati. Illud quidem ita,ut pręclaras eadem de re ſententias dixerint: hoc verò eo pacto, ut ex illis, utpote notioribus, dogmata ſua demōſtraverint. Ad ſententias quod attinet,Epiph: in hęreſ:69. *Omnia* inquit, *ſunt dilucida & clara in divina ſcriptura.* Et hæreſ: 75. *Omnia clara ſunt in divina ſcriptura his, qui ratiocinatione divinum ſermonem audirę volunt.* Et Cyrillus lib: 9. contra Iulianum: *Nihil in ſcripturis difficile*

a Cor: 4, 3.

Cap: VI. De sacrarum literarum perspicuitate.

difficile est iis, qui in illis versantur ut decet. Et Chrysostomus in prima homilia in Matthæum ait: *Scripturas & servo, & rustico, & viduæ, & puero, & ei, qui valdè imprudens est, faciles esse ad intelligendum, & prorsus expositas.* Et 3. Hom: 2 Thess: *Omnia*, inquit, *clara sunt, & plana in divinis literis.* Et paulò post ait: *Omnia necessaria sunt aperta & manifesta.* Et Augustinus in Psal: 8. *Inclinavit*, inquit, *Deus scripturas ad infantium & lactentium capacitatem.* Hæc doctores illi, quos credibile est, cum nonnunquam *omnia* in sac. literis clara & dilucida esse dixerunt, id de maxima eorum parte, atque imprimis de iis, quæ ad salutem necessaria sunt, intellexisse, quemadmodum indicat secundus locus ex Chrysostomo a nobis adductus. Cui sententiæ unà cum aliis quibusdam neotericis assentitur Sextus Senensis lib: 8. Biblioth: annot: 151. ubi dicit: *Alteram scripturæ partem apertam ac dilucidam esse, utpote quæ summa primaque credentium principia, ac præcipua benè vivendi præcepta & exempla cognitu facilia complectatur.* Mireris tamen homines esse, qui non solùm in aliis, sed etiam in salutaribus rebus sanctorum voluminum perspicuitatem desiderent. Et primò quidem multi Veteris Testamenti causantur obscuritatem, nempe quòd religionem contineat adumbratam, imaginumque ac figurarum tenebris immersam. His tamen responsum volumus: Cùm religio Iudaico populo olim præscripta in iis ipsis umbris, quę clarè admodum ac dilucidè in Vet. Fœdere descriptæ sunt, fuerit constituta; apparere, Deum pro temporum ratione satis perspicuè ea, quæ ad religionem pertinerent, hominibus proposuisse. Neque verò ideò Lex Mosaica obscura dici debet, quia quid umbræ istæ in futurum tempus significarent, tunc difficulter intelligi potuerit. Satis enim est, verum ac proprium istorum præceptorum sensum, qui tum temporis ab iis, quibus ea data erant, intelligi debebat, facilem perspicuumque, & olim fuisse, & hodie esse. Res autem illis umbris significatæ, ex novo fœdere intelligi, quantum opus est, possunt. quamquam ut singularum umbrarum significationes cognoscantur, nihil est necesse: cum id non modò rudiorum captum fugiat, sed ne inter doctos quidem usquequaque sit exploratum. Intelligendum nempe est, ad perspicuitatem scripti alicujus satis est, verum verborum sensum facilè cuivis apparere: etiamsi res ipsa verbis significata iterum aliud quippiam in futurum adumbret, quod non cuivis facilè appareat. Deinde urgent, plurimas in scriptura sacra extare sententias ambiguas, imperfectas, prima facie secum conflictantes, tropis ac schematibus involutas, Hebraicis locutionibus, & præpostera verborum collocatione obscuratas.

scuratas.

scuratas. Sed præterquam quòd omnia illa nequaquam tantas scripturæ tenebras offundere possunt, quin is, qui Deo precibus adhibitis, in illis evolvendis diligentiam ac studium suum consumit, tandem divini sermonis addiscat naturam, & difficultates illas eluctetur; fassi sumus jam antea, non pauca in sacris scripturis contineri, quæ obscuritate aliqua sint involuta : sed inde haudquaquam consequitur, ea, quibus sempiterna continetur felicitas, tanta obscuritate implicata esse, ut a quolibet intelligi nequeant: quin contrarium & rationibus paulò antè evicimus, & ipsos etiam Patres, quos vocant, necnon adversarios quosdam nostros, ingenuè id confiteri ostendimus. At dices: quid sibi vult Petrus, qui Pauli Epistolis magnam apertissimè assignat obscuritatem, quas eam ob rem indocti & instabiles ad suam ipsorum perniciem detorqueant? Occurrimus igitur, & hoc quoque ad omnem simpliciter scripturæ perspicuitatem tollendam nullam vim habere dicimus. Primò enim non de ipsis Pauli Epistolis, quantumvis ibidem memoratis, sed de rebus, de quibus Paulus scribat, Petrum loqui, ex ipsa verborum constructione perspicitur. Verba enim ἐν οἷς ad Epistolas, quippe in fœminino genere positas, referri non debere patet, sed ad proximè præcedentia περὶ τούτων, id est, *de istis*, nimirũ de Christi adventu, mundique conflagratione disputatis, & sensum esse: easdem res, quia difficultatem quandam habeant, ab inconstantibus indoctisque ad suam ipsorum perniciem detorqueri, ut suprà in eodem cap. innuit v 3, 4, 5. Deinde esto, locutus hîc Petrus fuerit de ipsis Pauli Epistolis, easdemque difficultate quadam implicatas esse dixerit: num propterea universa scriptura adeò erit obscura, ut ne res quidem ad salutem necessarias ex iis unusquisque possit discere? Nequaquam. Petrus enim ait, *quædam* in illis esse intellectu difficilia, non omnia, aut plæraque. Adde, quòd illa ipsa, quæ a Paulo obscurè dicta esse videntur, intellectu facillima redduntur, si illorum explicatio ex luculentioribus ejusdem Apostoli aliorumque divinorum scriptorum verbis petatur. Præterea non diffitemur, sæpe fieri, tum malorum hominum vitio, tum justissimo Dei judicio, ut, quia multi non tales sese præstant, quales esse debent, vel scripturam salutarem minimè intelligant, vel intellectam olim non ampliùs percipiant, juxta illud Oseæ: *Quis sapiens, & intelliget ista? intelligens, & sciet ista? quia rectæ viæ Domini; & justi ambulabunt in eis: prævaricatores autem corruent in eis.* Objicies tamen, illud saltem ex Petri verbis concludi posse, homines indoctos a sacrorum voluminum lectione arcendos esse, quia addat: quæ, scil. intellectu

(margin notes: 2 Pet: 3, 16. — Oseæ 14. 10.)

tellectu difficilia) *indocti & instabiles torquent ad suum ipsorum interitum*. Atqui Apostolus non de illis simpliciter loquitur, qui indocti imperitique sunt, sed de iis, qui cum imperitia levitatem inconstantiamque conjunxerunt, unde non quidem a Paulinarum Epistolarum lectione abstinendum, sed inconstantis animi vitium corrigendum esse concludi debet. Nec sanè Petrus quempiam ex iis, ad quos scribit, (scribit autem ad omnes promiscuè fideles, quos prioris Epistolæ initio expresserat) ab Epistolarum Paulinarum lectione dehortatur: imò eo ipso, quòd earum quoque testimonium suo adjungit, non obscurè ad earum lectionem hortatur; sed cautè legi, & accuratè expendi vult. Alioquin ipse Paulus peccasset, qui suas Epistolas ad eos etiam scripsit misitque, qui gravibus erroribus implicati, & religionis Christianæ rudes erant, ut nimirum eas legerent atque intelligerent, & veritatem divinam inde discerent.

Cap: VII.

De sacrarum literarum perfectione.

EI autem, quam hactenus deteximus irritamque reddidimus, Satanæ fraudi conjuncta illa est, quòd sacram scripturam adeò imperfectam conatur persvadere, ut nisi ad ea, quæ de manu in manum Ecclesiæ ab Apostolis tradita sint, decurratur, pessimè saluti nostræ consultum fore statuendum sit. Quæ quidem illius techna huc spectat, ut dum in confictis istis traditionibus occupamur, divinum verbum negligamus, & sic nihilominus a fide officioque nostro deducamur. Hîc igitur similiter, tum perfectam esse scripturam demonstrabimus; tum traditiones illas, quæ hodie credulis hominibus obtrudi solent, hominum esse commenta convincemus.

Primò igitur animadvertendum est, nos hîc ex ea parte scripturæ sanctæ perfectionem ascribere, quatenus ad sempiternæ salutis adeptionem nobis satis est. Hoc enim jure a nobis fieri, & rationibus, & autoritate eorum, quos isti, adversus quos disputamus, maximi faciunt, ostendemus. Et ad rationes quidem quod attinet; si ex sacris literis, quantum satis est, disci possunt ea, quæ ad fidem per charitatem efficacem constituendam sunt necessaria; negari etiam non potest, omnia in illis contineri, quæ ad salutem æternam sunt necessaria. Nam, ut Paulus docet, [a] nihil in Iesu Christo valet, nisi fides per charitatem efficax. Fides verò, ut sac. literæ novi fœderis passim asserût, [b] in Deo & Christo, seu [c] in Deo per Christum collocanda est. Credere autem in Deum, docente [d] Auctore Epist. ad Hebræos est,

a Gal: 5. 6.
b Iohan: 14. 1.
c 1 Pet: 2. 21.
d Heb: 11. 6.

bræos, est, credere eum esse, & esse remuneratorem eorum, qui ipsum quærunt, h. e. rectè factis favorem ipsius ambiunt. quod idem de fide in Christum, quæ ejusdem cum illa est generis, statuendum est. Hæc verò an ex sacris literis non patent? Quod ad charitatem attinet, quâ omnes pietatis partes, eam imprimis, quæ ad proximum spectat, quæque omnium latissimè patet, complectitur Apostolus; ea quoque in sac. literis ita descripta est, ut quicunque eam ex animo colere, mentemque advertere velit, ignorare non possit, quid sibi sit in omnibus vitæ partibus sequendum; præsertim si sapientiam a Deo petat, quam ille nemini denegat. Nam charitatis quidem erga proximum officia, ad quæ alia omnia quodammodo revocari possunt, ita luculenter, partim [f] generalibus, partim [g] specialibus præceptis explicata sunt, ut qui ea opere complet, de eo, quin omnibus numeris absoluta charitate sit præditus, dubitari nequeat. Similiter de iis officiis, quæ ad ipsum Deum ac Christum propriè spectant; qualis est charitas, adoratio, gratiarum actio, invocatio; itemque de iis, quæ circa nos ipsos potissimùm vertuntur, qualia sunt sobrietatis, castitatis, patientiæ ac constantiæ officia, jure affirmari potest. id quod facilè experietur, qui afferre quippiam conatus fuerit, quod in sacris literis, quatenus ad actiones moderandas est opus, non contineatur. Deinde in Lege olim Israëlitis ea omnia fuisse præscripta, & a Mose literis comprehensa, quæ omnibus factu erant necessaria, satis testantur [h] sacræ literæ. Non est autem proculdubio deterior hac in parte populi Christiani conditio. id quod inde quoque patet, quòd quicquid præter ea, quæ in lege Mosaica continentur, atque ad Christianos etiam pertinent, est ad salutem necessarium, id Christus discipulos suos docuit, & descripserunt Evangelistæ. Nam Christus quidem discipulis ait: [i] *Omnia, quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis*; intellige omnia, quæ ad salutem scitu sunt necessaria; licet quædam ad eam rem utilia, utpote quæ portare discipuli nondum poterant, nondum illis penitus explicuisset. Evangelistarum verò, eorum præsertim, quibus propositum fuit, universam Christi in terris viventis historiam, h. e. & sermones, & facta, ad Evangelii prædicationem pertinentia, describere, ut ii quoque, qui rebus gestis non interfuerant, atque adeò omnis quoque posteritas, fructùm eorum salutarem perciperet; eorum, inquam, fuit, nihil istorum omittere, quæ Christus docuisset, ad salutem omnibus scitu necessaria. Idque Lucas a se factum non obscurè testatur, initio Evangelicæ atque Apostolicæ historiæ. Nam illic quidem ait: *Visum est & mihi, assecuto*

f Mat: 7. 12. Rom: 13. 8, & d. Gal: 5. 14.
g inter alia Mat: 25. 36, & d. Rom: 12. 10, 13, usq; ad fin: capitis. c 13. 9. 1 Cor: 13. 4, & d. 1 Ioh: 3. 16.
h Devt: 28. 58. 30. 10: 31. 24. 32. 46, 47. Iohan: 1. 8, 9: 23. 6. 2 Reg: 2. 3. 2 Paral: 34. 21, 31, 32.
i Ioh: 15. 15.
Luc: 1. 1.

omnia a principio diligenter, ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem. hîc verò: *Primum quidem*, inquit, *sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Iesus facere & dicere, usque in diem, quâ præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumtus est.* Non minore verò rerum cognitione præditus fuit Matthæus, qui rebus istis, quas scripsit, propè omnibus interfuit, iis præsertim, quæ huc maximè spectant; nec minori fide ac diligentia in iis describendis usus est. Quàmmulta verò adhuc, quæ ad universam Christi religionem uberiùs explicandam, &ad ejus a Lege Mosaica differentiam ostendendam pertinent, continentur tum in Actis, tum in Epistolis Apostolicis? Quòd si (id quod novæ rationis loco esse potest) ista omnia veteris Testamenti libris adjuncta, nondum sufficiunt ad cognitionem omnium, quæ ad salutem omnino sunt necessaria; quis hominum rudiorum, ne dicam doctiorum, qui exiguam istorum, si molem spectes, partem memoriâ tenere possunt, ea, quæ ad salutem omnino scitu sunt necessaria, tenebit? aut an ita sacri scriptores in iis, quæ non sunt ad salutem omnino necessaria, fuerunt occupati, ut omnino necessaria omitterent, & tale aliquid reticerent, quo ignorato reliquorum omnium fructus periret? An non potiùs statuendum est, eos in hoc rerum genere, divino spiritu ad scribendum impulsos, potissimùm elaborasse, ut saluti eorum, quibus scribebant, maximè consulerent? Esse in ipsorum scriptis multa, quæ sine certa salutis jactura ignorari queant, nemo, nisi qui necessaria a non necessariis prorsus nesciat discernere, negare potest, cùm res ipsa id satis ostendat: siquidem ab hominibus rudioribus, quorum infinitus est numerus, multa eorum ignorantur, quibus tamen ob eam ignorantiam nemo salutem adimit. Cur ergo non potiùs illa ab istis scriptoribus expressa putemus, in quibus cardo salutis vertitur, quæq; sine certa pernicie ignorari nequeunt? Præterea Deus, qui religionem Christianam usq; ad mundi finem vigere voluit, curavit etiam, ut tale aliquid perpetuò extaret, unde ea, quatenus omnino ad salutem est necessarium, cognosci indubitatò posset. At nihil tale extat præter sacras literas. Nam si dicas, Ecclesiam esse unde ea cognitio semper peti possit, primùm statuendum tibi erit, Deum etiam decrevisse, ut Ecclesia vera (falsa enim ad eam rem inepta est) semper usque ad mundi finem extet. Atqui id a Deo nec decretum est, nec decerni, nisi humano arbitrio vim inferre, & religionis naturam mutare voluisse censendus sit, potuit: cùm ea res non ex sola ipsius voluntate pendeat, sed in ipsorum etiam hominum arbitrio magnam

Cap: VII. De sac: literarum perfectione.

Act. 1. 1.

gnam partem sita sit. Nam, quemadmodum superiori etiam capite indicavimus, ut Ecclesia vera extet, a qua omnes salutaris veritatis notitiam indubitatò petere queant, requiritur, ut homines complures veritatem eam amplectantur ac profiteantur, & cœtum aliquem, qui in omnium oculos incurrat, constituant. At in ipsorum hominum arbitrio est positum, utrùm id facere velint, necne: nec quisquam ad eam rem a Deo cogitur. Paulus certè ad Romanos scribens cap: 11. apertissimè indicat, universam Ecclesiam ex Gentibus collectam, atque adeò etiam Romanam, cum qua illi istic nominatim res est, non minùs, quàm Iudaicum populum, fide excidere, & a Deo rejici posse, inque ipsorum hominum arbitrio situm esse, num permanere in fide velint, necne. Quare non est, quod quis certam aliquam Ecclesiam hoc privilegio a Deo donatam esse contendat, ut fide excidere nequeat. Deinde, ut itidem suprà docuimus, nō potest Ecclesia vera certò cognosci, nisi priùs cognoscatur, quæ sit salutaris Christi doctrina. De nullo enim hominum cœtu certò tibi constare potest, eam esse veram Ecclesiam, nisi cognoscas, eam amplecti ac profiteri salutarem Christi doctrinam. Vnde autem id certò deprehendes, nisi scias, quænam sit salutaris Christi doctrina? Quare aliud quippiam præter Ecclesiam extare necesse est, unde cognoscas salutarem Christi doctrinam. Alioqui priùs cognoscenda esset salutaris Christi doctrina, quàm cognosceretur id, unde illa cognosci debet. Præterea id ipsum saltem debuisset alicubi in sac. literis clarè ac perspicuè scriptum extare, debere ab Ecclesia peti omnia, quæ ad salutem scitu sunt necessaria, &, quænam ea sit Ecclesia, ac unde debeat cognosci, clarè describi, ne quis in ea cognoscenda facilè errare posset. Nam si quippiam scriptu fuisset necessarium, hoc sanè fuisset, sine quo reliqua omnia, quæ scripta sunt, nihil, aut parùm admodum prodessent. At id nuspiam factum legitur. Denique si eam Ecclesiam, quam isti, cum quibus disputamus, perpetuò extitisse volunt, & a qua sola certam & indubitatam rerum omnium ad salutem necessariarum, earum præsertim, quæ in sacris literis non extent, notitiam petendam esse contendunt, multis in rebus, atque adeò in iis quoque, quæ ad salutem sunt necessariæ, gravissimè errare constet; tota illa de Ecclesia exceptio concidit. Id verò nos in hoc libro passim ostendimus, ac porrò ostensuri sumus, ubi gravissimos istius Ecclesiæ errores & patefecimus, & patefacturi sumus. Rationibus autem illis, quas hactenus attulimus, addi potest & illa, quòd benignitati ac sapientiæ Dei, qui saluti humani generis usque ad mundi finem consultum vo-

(margin, beside "quisquam ad eam rem"): ỹ 20, & seqq.

tum vo-

Cap: VII. De ſac: literarum perfectione.

tum voluit, conſentaneum ſit, ea potiùs ratione religionem Chriſtianam, ſeu doctrinam Chriſti ſalutarem, integram atque incorruptam ad poſteros propagare, & usque ad mundi finem conſervare, quæ ad eam rem eſt inter cæteras hominibus aliquo modo uſitatas aptiſſima ac tutiſſima. At ejusmodi eſt ſcriptura. Traditio, quæ huic aliquomodo opponitur, & ab iis, cum quibus diſputamus, urgetur, ſcripturæ multùm concedit, nec ad notitiam rerum, abſque mutationis ac corruptionis ſuſpicione, ad ultimam usque mundi ætatem, per tot ſecula transmittendam apta. Ea enim memoriâ hominum nititur, quæ ipſa debilis ac fallax eſſe ſolet: & præterea vix eſt, ut non ſubinde aliquid mutetur, addatur, dematur. Vnde hodie tot inter Iudæos fabulæ, niſi ex variis traditionibus? unde illæ Deorum fabulæ totius olim orbis conſenſu comprobatæ, quas qui in dubium vocârunt, ii omnibus ſuppliciis digni ſunt judicati? Scripturæ, præſertim in plurima exemplaria propagatæ, ac in varias orbis partes diſperſæ, ac Dei conſilio ac curâ conſervatæ, longè alia eſt ratio. Liber enim, ut vulgò dicitur, altera eſt memoria: & litera ſcripta manet; nec corruptioni ita eſt obnoxia. Vnde ea, quę ad poſteritatis memoriam durare volumus, ſcribi curamus; idque olim etiam viros ſanctos, [a] cum perpetuam rei alicuius memoriam extare voluerunt, aut optaſſe, aut etiam feciſſe legimus, ut libri ipſi ab iis ſcripti teſtantur, & Deum ac Chriſtum ipſum etiam non [b] ſemel juſſiſſe videmus. Opiniones de religione inter Iudæos non ſemel mutatæ ſunt, cùm generatim omnes, etiam ſacerdotes, ad idololatriam deflecterent. Sed ii errores ex Lege Moſis ſcripta, quæ ſingulari Dei conſilio conſervata fuit, deprehenſi ac correcti ſunt, quemmadmodum ex ſacrarum literarum lectione patet. Denique loca quædam Novi Fœderis non obſcurè iis, quæ hactenus diximus, adſtipulantur. Nam quid illud eſt, quòd Chriſtus Abrahamum cum divite illo, de fratribus, ne in iſtum tormentorum locum venirent, ſollicito, & ut per Lazarum monerentur, rogante, ita loquentem introducit: *Habent Moſen & Prophetas, audiant illos.* quaſi dicat. ſufficiunt tuis fratribus Moſis & Prophetarum libri: ex iis omnia diſcere poſſunt, quæ ad ſupplicium hoc effugiendum illis ſunt neceſſaria. Quanquam hic locus ad veteris fœderis tempora pertinere videtur, de quibus non minùs, quam de novi fœderis temporibus ſolent dubitare ii, cum quibus nobis res eſt, utrùm nimirum omnia, quæ tum temporis hominibus ſcitu factuque fuerunt neceſſaria, ſcripta fuerint nec ne. Eum verò, cui religionis Chriſtianæ principia, (quæ nunc ex ſacris literis Novi Fœderis abundè diſci poſ-

a Iob: 19. 23. Pſal: 102. 19.
b Exod: 17. 14. 34. 27. Eſa: 30. 8. Ier: 30. 2. Apoc: 1. 11, 19. 21. 5.
Luc: 16. 29.

sci possunt) non sint incognita, ex lectione sacrarum literarum V. Fœd: assidua, eximiam quandam rerum ad salutem pertinentium cognitionem haurire posse, satis docet Paulus. Nam ita, ad Timo- 2 Tim: 3. theum scribens, *Ab infantia,* inquit, *sacras literas nôsti, quæ te possunt sapientem reddere* (est enim in Græco σοφίσαι) *ad salutem*, *quæ in Christo Iesu.* Quid est autem *sapientem quempiam reddere ad salutem*, quàm eximiâ quadam rerum salutarium notitiâ instruere? quæ verò cognitio illa est, nisi omnia ad salutem necessaria scias? Id autem quod dixerat, ut aliqua ratione illustret ac comprobet Apostolus, insigne illud sacræ scripturæ elogium addit: *Omnis scriptura divinitus inspirata* [est,] *& utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Quæ ultima verba itidem indicant, assidua lectione sacrarum literarum ad perfectionem eam perveniri posse, ut ad omne bonum opus simus instructi. Huc autem qui pervenit, is nulla re destituitur, quæ ad salutem cognitu est necessaria. Hęc porrò res veteres etiam impulit, ut in eandem sententiam præclarissima sacrarum literarum elogia reliquerint. Iustinus enim in Dial. cum Tryphone, *ad scripturas confugiendum censet, ut in omnibus tuti simus.* Et Athanasius contra Idol. *sufficere,* ait, *scripturas divinitus inspiratas ad veritatis judicamentum.* Cyrillus quoque in Ioh. lib. 7. in eandem planè sententiam dicit: *Non omnia, quæ fecit Dominus, scripta esse, sed quæ scribentes putaverunt sufficere, tum ad mores, tum ad dogmata.* Augustinus quoque tractatione 49. in Ioh. *Electa sunt,* inquit, *quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur.* Et contra literas Petiliani & Basilii lib. 3. c. 6. *anathema,* ait, *esse debere Christianis etiam Angelum, si annunciaverit præterquam quod in scriptis legalibus & Evangelicis acceperunt.* Hieronymus quoque idem planè statuit in Agg. cap. 7. *Quæ absque autoritate & testimoniis scripturarum, quasi traditione Apostolorum, sponte confinguntur, percutit gladius.* Item in Matt: cap. 23. *Quod de scriptis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, quâ probatur.* Verùm nimis longum foret, omnia in hanc sententiam Patrum testimonia adducere. Reliquum igitur est, sacris voluminibus, ob ipsorum perfectionem, nihil nec adjiciendum, nec subtrahendum esse.

Hoc tamen non eo consilio a nobis dictū existimari velim, quasi omnes dictiones, omnes sententias, omnesque collectiones, iisdem literis ac syllabis in sancta scriptura non expressas, ob hoc ipsum repudiemus. Nam vel dictio aut phrasis aliqua subaudiri; vel senten-

F per fidem, quæ

ſententia aliqua, ſi non verbis, reipſa tamen in ſacris literis contineri poteſt; vel denique ex iiſdem colligi. Id autem qualecunque eſt, perinde habendum exiſtimamus, ac ſi diſertiſſimè ſcriptum extaret. Neque enim in ſola verba, ſed præcipuè in verborum ſententiam animum intendere debemus.

Cap: VIII.

De Traditionibus.

IAm ut ad Traditiones veniamus, quæ præter ea, quæ in ſacris literis continentur, cognitu neceſſariæ eſſe creduntur; animadvertẽdum eſt, Traditionem hoc loco appellari doctrinam ſive ſententiam, quæ a divinis viris viva voce cum aliis fuerit communicata, non verò ſcripto comprehenſa. Cum verò hoc ipſum duplici ratione poſſit accipi, nempe vel abſolutè ac ſimpliciter, vel certorum tantùm hominum ac temporum reſpectu; hinc duplex quædam oritur hujus vocis ſignificatio. Abſolutè enim Traditio dici poteſt doctrina vel ſententia ea, quæ viva tantùm voce a viris divinis fuerit aliis propoſita, a nemine verò eorum unquam literis conſignata, & eo pacto ad noſtram ætatem tranſmiſſa. Ea verò certorum tantùm hominum ac temporum reſpectu ita dicitur, quæ ab uno aut pluribus viris divinis, viva voce certis hominibus fuit aliquando patefacta, licèt interea fieri potuerit, ut eadem illa doctrina jamtum eſſet ab alio quopiam viro divino literis conſignata, aut poſtea conſignaretur, atque adeò ab illis ipſis, qui eam certis hominibus aut Eccleſiis, viva tantùm voce aliquando tradiderant, ad alios eſſet perſcripta; ac denique ad eoſdem illos, quibus eam antea ſine ſcripto tradiderant, poſtea perſcriberetur. Hoc pacto Lucas res, Luc: 1. 2. quas deſcribit, ſibi atque aliis traditas ait ab iis, qui ab initio oculati teſtes ac miniſtri fuerint ſermonis. Traditiones ergo illæ fuerunt reſpectu Lucæ & aliorum, qui eas ſine ſcripto acceperant ab aliis: at non traditiones ſimpliciter, poſtquam literis mandatæ, & ad poſteritatis memoriam hoc pacto fuerunt transmiſſæ. Sic Paulus 1. Cor. 11. primam Euchariſtiæ inſtitutionem Corinthiis ſe *tradidiße* ℣ 23. ait, quam tamen eodem loco ſtatim deſcribit. nec quicquam prohibet, quominus ea ab aliis jam antè literis fuerit mandata. Similiter cap. 15. iiſdem Corinthiis tradidiſſe ſe ait ea, quæ ibidem de ℣ 3. & ſeqq. morte, ſepultura, & reſurrectione Chriſti ſcribit. Traditiones ergo hæ fuerunt reſpectu Pauli & Corinthiorum, tantummodo ad illud usque tempus, quo ea ſcripſit Apoſtolus: poſtea traditiones, eorundem hominum reſpectu eſſe deſierunt. Et hujusmodi quidem traditio-

traditiones olim extitisse, imò totam Christi doctrinam primò in hujusmodi traditionibus fuisse constitutam, ultrò fatemur. sed eæ nihil sacrarum literarum perfectioni derogant: cum, ut jam vidimus, nihil per se prohibeat, quominus omnes illæ traditiones fuerint scriptis comprehensæ, & ad nostram memoriam conservatæ: quod quidem de omnibus ad salutem necessariis omnino statuendum esse, superiori capite ostendimus. Ad hoc autem traditionum genus pertinent illa Apostoli verba, quæ pro verbo Dei non scripto vel imprimis urgentur, cùm Thesalonicensibus hunc in modum scribit: *Tenete traditiones, quas edocti estis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Traditiones enim, quas per sermonem edocti essent, non universis scripturis sacris opponit, ac ne suis quidem scriptis omnibus, ne dum alienis: sed tantùm Epistolis a se ad eosdem Thesalonicenses scriptis; non negans interea, ea, quæ illi ex ore ipsius hausissent, vel ab aliis esse literarum monumentis consecrata, vel a seipso ad alios perscripta, aut posthac ad eosdem Thessalonicenses scribenda. Iis certè in his ipsis Epistolis quædam non exigui momenti scribit, quæ eos antea coràm docuerat. quid ergo prohibet, quominus alia etiam alibi scripserit? imò cùm in aliis tum ipsius Pauli, tum aliorum divinorum virorum scriptis, non pauca eorum contineantur, quæ non potuit non Thessalonicenses docere Paulus, si illorum saluti voluit consulere, ut certè voluit; nihil locus ille habet virium ad ostendendum; esse quædam ad salutem scitu necessaria, quæ nuspiam prorsus in sacris literis extent, nec perspicuè ex illis ostendi queant. Hoc verò est illud traditionum genus, quod nos revera negamus, alii contrà urgent. Etenim, ut pleniùs ea de re sententiam nostram exprimamus, non negamus quidem, fuisse olim nonnulla, partim ad historiam sacram, partim ad doctrinæ Christi uberiorem explicationem pertinentia, quæ viva voce aliis fuerint tradita, a nemine autem literis, præsertim clarè atque expressè, consignata, & ad nostram ætatem conservata: sed primò negamus, quicquam eorum, quæ literis penitus consignata non sunt, ad salutem omnino esse necessarium, imò ne ex eorum quidem numero illa esse concedimus, sine quibus ægrè salus sempiterna obtinetur. Deinde, ne de historiis nunc quicquam dicamus, de quibus etiam hoc loco minùs est laborandum, nisi simul dogma quoddam, aut institutum omnibus necessariò observandum, in se complectantur; de nullo dogmate, quod in scriptura sacra non extet, nec ex iisdem elici queat, certò & indubitatò constare posse arbitramur, id a divino aliquo viro Ecclesiæ aliquando traditum esse: adeò

2 Thess: 2. 15.

vid: 1 Thess: 4. & 5. 2 Thess. 2. 5. c. 3. 10.

ſe: adeò ut de omnibus dogmatibus ad religionem pertinentibus, iis præſertim, de quibus ipſa ratio ac ſenſus communis judicare per ſe non poteſt, ex ſacris literis ſit judicandum, & admiſſis ſine dubitatione iis, quæ in iis perſcripta ſunt, aut ex illis firmiter concludi poſſunt, rejectisque iis, quæ illis repugnant, cætera, vel rejici, vel admitti, ſine ſalutis periculo queant. quanquam quid de iſtis quoque ſentiendum ſit, ex ſacrarum literarum analogia quadam, & iſtorum dogmatum cum iis, quæ ſcripta ſunt, vel convenientia aliqua, vel diſcrepantia, a prudentibus, ſaltem probabiliter, exiſtimari poteſt.

His ita explicatis, videndum eſt, quid in contrarium afferri ſoleat. Primùm igitur ex eo, quòd Iohannes non omnia Chriſti facta literis conſignata eſſe dicit, imò, ſi ſingulatim deſcriberentur, mundum illos libros non capturum affirmat, colligere ii ſolent, contra quos diſputamus, quaſdam ab Apoſtolis Eccleſiæ traditones relictas eſſe. Eſto ita. nondum hoc illud eſt, quod quæritur. An enim fortè ex Iohannis verbis conſtat, eas ex earum fuiſſe numero, quæ ad ſalutem ſcitu ſunt neceſſariæ? eas hodiè quoque certò & indubitatò ſciri? atq; adeò eas ipſas eſſe, quæ nobis credendæ obtruduntur? haudquaquam. At hæc ſunt, quæ in controverſiam veniunt. Iohannes de miraculis Chriſti loquitur. at quæ hodiè tanquam ad ſalutem neceſſariæ urgentur traditiones, non facta Chriſti miraculoſa ſunt, ſed dogmata atque inſtituta, quorum in Iohannis verbis nulla fit mentio. Neq; verò iſtorum Chriſti miraculorum, quæ ſcripta non ſunt, notitia certa ab iis, cum quibus hîc res eſt, jactatur, niſi fortè paucorum, quæ ſine ſalutis jactura non minùs ignorari poſſunt, quàm cætera ignorantur. Quid? quòd ipſe Iohannes indicat, eorum cognitionem ad ſalutem neceſſariam non eſſe. Docet enim, ea, quæ ipſe ſcripſerit, ſufficere ad credendum, Ieſum eſſe Chriſtũ. At hic unicus revera cognitionis miraculorum Chriſti finis eſt, & eatenus demum eorum noticia ad ſalutem videtur ſpectare, quatenus ad iſtius rei fidem nobis ingenerandam pertinent. Quòd ſi ergo ſine iis, quæ ſcripta non ſunt, fides illa nobis ingenerari poteſt, ut ſanè poteſt; apparet, eorum notitiam ad ſalutem non eſſe neceſſariam: nec mirum eſt, eam tandem in Eccleſia intercidiſſe. Illa quoque Chriſti verba adducere ſolent adverſarii, quibus diſcipulos ſuos ſic alloquitur: *Adhuc multa habeo vobis dicenda, ſed quæ nunc ferre nequeatis. cùm autem venerit ſpiritus ille veritatis, deducet vos in omnem veritatem.* Ex quo loco mirandum eſt, quo pacto audeant concludere, Apoſtolos non omnia ad ſalutem neceſſaria literis cõ-

Ioh: 20.30: & 21. 25.

Ioh: 16.12.

ſignaſſe, cum antecedens nullam ad hujus conſequentis illationem vim habeat; nec quemquam, qui locum inſpexerit, latere poſſit, Chriſtum ante mortem reſurrectionemque ſuam, atque ante ſpiritum veritatis miſſum, diſcipulis ſuis hæc verba feciſſe. Quo tempore, licet propter judicii imbecillitatem omnia Chriſtianæ religionis myſteria percipere non potuerint: poſtea tamen eos plenâ illorum notitiâ, quâ ad Apoſtolicum munus obeundum opus erat, completos fuiſſe, ex his ipſis Chriſti verbis clariſſimè patet. Quomodo igitur ex eo, quòd ante acceptum ſpiritum ſanctum omnia Chriſtianæ religionis myſteria intelligere non poterant, ſequitur, eos, poſtquam ſpiritum ſanctum acceperunt, & ſic omnia illa myſteria plenè intellexerunt, ea non ſcripſiſſe, quæ cæteris hominibus, quorum ſaluti conſulere debebant, ad eam adipiſcendam omnino eſſent neceſſaria? imò ſi quippiam ex hoc loco in alterutram partem concludi poteſt, potiùs inde colligendum eſt, eos, cùm omnia plenè per ſpiritum ſanctum edocti eſſent, quantum unicuique neceſſarium eſt, literis conſignâſſe, aut conſignari curâſſe. Quid verò abſurdiùs eſt, quàm multa illa, quæ Apoſtoli tunc ob Spiritus S. deſtitutionem mente complecti non poterant, referre ad miſſas, indulgentias, virginis Mariæ aſſumtionem ac glorificationem, demortuorum Sanctorum cultus ac venerationes, imaginum panisque adorationem, purgatorium, Papæ primatum, Sacerdotum cœlibatum, dierum ciborumque diſcrimen, feſtorum celebrationes, quadrageſimam, & alia complura, his perquam ſimilia, quæ Pontificii Apoſtolicarum traditionum nomine dignantur. Atqui animadvertendum erat, illa multa, quę ad ſpiritus ſancti adventum reſervata fuerunt, adeò fuiſſe ardua, ut citra ſingularem divini Spiritus illuminationem ab Apoſtolis percipi non potuerint; poſtea autem & ab ipſis, & ab aliis, quos illi docuerunt, rectè fuerint percepta. At iſtiusmodi Pontificiorum traditiones vel adeò ſunt ad intelligendum faciles ac promtæ, ut etiam a pueris vetuliſq; planè & exploratè percipiantur, nedum ut Apoſtoli Domino Ieſu aſſiduè utentes, iſta, quantumvis adhuc Spiritu ſancto deſtituti, aſſequi nequiverint; vel adeò ſunt abſurdę, & ab omni ratione abhorrentes, ut intelligi propterea nequeant, quòd contradictionem involvant, ut Trinitatis ac miſſæ dogma, ut alia nunc mittam.

Porrò cum Romanenſes omnia iſta, quæ hactenus diximus, ad ſeſe referant, Apoſtolicarumque traditionum cuſtodes ſeſe eſſe aſſerant; oſtendemus, eos hoc falſò ſibi tribuere. Intelligendum enim eſt, quatuor potiſſimùm requiri, ut aliquis hominum cœtus iſtarum

starum traditionum custodem se dicere possit:ut nimirum,eam veram Christi Ecclesiam esse, omnibus sit exploratissimum: ut ejusdem cœtûs primarii homines nullo modo ab illis dissentiant: ut eas ab ipsis Apostolorum temporibus usque ad nostram ætatem integras atque incorruptas conservari potuisse, planissimè constet: ut denique scripto Dei verbo nequaquam repugnent, sed ei per omnia congruant: cùm in divinum veracemque spiritum nulla cadat repugnantia, nullumque mendacium.

Primum igitur, quod in hoc negotio requirimus,Romanensium Ecclesiæ adscribi non posse, infrà, cùm de Ecclesia ex professo agemus,copiosè demonstrabitur. Hîc verò interea obiter dicimus,hac de re jam inde ab Apostolorum temporibus, quænam & ubi esset vera Christi Ecclesia, semper dubitatum, atque adeò acerrimè disputatum fuisse; maximè autem tunc, cùm Ecclesiarum orientalium ab occidentalibus discidium extaret. Quod unum satis esse posset ad ostendendum, Ecclesiam Romanensem, primam rem ad hoc negotium pertinentem minimè habere, id est, minimè exploratum esse, eam jure Ecclesiæ Christi veræ titulum usurpare. lib: 6.

Alterum quoque, nempe constantissimam in istis traditionibus custodum conspirationem atque consensionem, eam nequaquam habere, argumento est illa de festo Paschatis veterum contentio, quam Socrates lib:5. cap: 22. commemorat, negans illud ab Apostolis institutum fuisse: cùm tamen reliqui id Apostolis adscribant. Et hi quidem rursus in diversas partes ita sunt distracti,ut alii, videlicet occidentales, Paulum Petrumque sese sequi profitentes, post decimumquartum tertii mensis diem Pascha suum celebrârint: Orientales & Asiatici Iohannem Philippumque autores se habere dicentes, ipso decimoquarto ejusdem mensis die hoc festum religiosè agitare consveverint. At tanti hæc res olim fuit æstimata, utVictor Episcopus Romanus Ecclesias Asiaticas propterea excommunicârit, quo nomine fuit ab Irenæo atque aliis reprehensus. Accedit, quòd Epiphanius,aliiq; patres, quos Romanenses sequuntur, jejunia statis definiverunt temporibus: at Augustinus in Epist: 68. ad Casulanum hunc in modum scribit: *Quibus diebus sit jejunandum, nec a Domino,nec ab apostolis definitum est.* Huc pertinent omnia,quę de admirabili rituum ac ciborum in diversis locis varietate, tum Socrates, tum Beatus Rhenanus, aliique quàm plurimi scripserunt: ex quibus facilè perspicitur, nihil minùs ista omnia,quàm Apostolorum traditiones esse. Quod idem de Eucharistia infantibus,ut olim in Latina Ecclesia per tempus sat longum fiebat, administranda,de

vid. etiam Euseb. Eccles: hist: lib. 5. cap: 23,& seqq.

Euseb: l.5. Eccl: Hist: c. 25, 26. & Soc: d. l. c. 22. lib: 5. Hist. Eccl.

 da,de

da, de ejusdem mutilatione, ac quasi decurtatione, aliisque non paucis judicandum est, quæ ab Apostolis instituta esse, alii ex illis traditionum custodibus affirmant, alii negant. Qua de re vide Gelasium distinct: 2. de consecrat, Sabellicum Ennead: 7. lib. 2. Iohannem Papam in vita Gregorii. Hinc perspicuum est, quanta in varietate isti traditionum custodes sint constituti.

Videamus jam, an, si ullę unquam tales extiterunt Apostolorum traditiones, sine ulla dubitatione statui possit, eas jam inde ab ipsis Apostolorum temporibus, ad hanc usque ætatem nostram, salvas incolumesque conservatas fuisse. Quæ quidem res cur in dubium vocetur, causæ occurrunt evidentissimę. Nam & custodes, ut vidêmus, habuêre incertissimos; & labilis hominum memoria, & summa rerum divinarum, quę omnibus propè seculis regnavit, negligentia, & magna ingeniorum perversitas, nequaquam patitur, ut res nullis monumentis consignatas, temporis longinquitate minimè deleri potuisse, nobis persvadeamus. Quòd si Dei providentiâ absque scriptionis adminiculo servari potuisse dicas; nihil efficies, nisi simul etiam probaveris, Deum id facere voluisse. Voluisse autem eum alia præter scripturam ratione, his præsertim seculis, voluntatis ac veritatis suæ notitiam inter homines conservare, unde, quæso, constat? contrà verò non nisi scripturarum beneficio eum perpetuæ hominum memoriæ consultum voluisse, nos suprà ratione, & auctoritate ipsius scripturæ sacræ, exemplisque inde petitis demonstravimus.

Restat, ut scripto Dei verbo traditiones, quæ a Pontificiis jactantur, adversari ostendamus. Verùm quia id partim in superioribus a nobis est præstitum, in quibus inter alia de imaginum veneratione, de Sanctorum demortuorum cultu, de Missæ sacrificio egimus, partim inferiùs in variarum quæstionum explicatione copiosè præstabitur; ideò hoc loco ei rei immorari non est necesse. Quare cum omnibus illis rebus destituantur Romanenses, quibus instructos esse oporteret eos, qui se Apostolicarum traditionum custodes esse, jure gloriari vellent; concludendum est, eos hac de re gloriari nullo jure posse.

Cap: IX.

De Trinitate.

VErùm ut illud, quod altero loco a nobis propositum fuit, tandem aggrediamur; intelligendum est, adhuc veteratorem istum Satanam nequaquam satis habere. Vt enim sancta volumina &

verè

verè & perspicuè conscripta esse, & plenissimam sempiternæ salutis rationem continere, tandem concedat: miro tamen artificio ea ex illis dogmata elicit, quæ partim gloriæ divinæ, partim humanæ saluti non parùm officiant. Atque huc primum pertinent errores, qui de Deo, Christo, & Spiritu sancto passim in Christiano orbe vigent. Istius enim hostis nostri artificio jam olim effectum est, ut homines nec satis intelligerent, qua ratione Deus esset unus, comminiscentes in una illius essentia tres divinas personas, quarum prima sit Pater, altera Filius, tertia Spiritus sanctus: nec perciperent, quo pacto Deus, ut primus salutis nostræ autor, per filium suum Iesum Christum salutis rationem peregerit; persvasi, hunc cum Patre eâdem contineri essentiâ, hujusque ratione unum eundemq; cum illo esse: nec mente concipere possent, qua ratione ex Christi a mortuis resurrectione, nostra penderet colligique deberet resurrectio; statuentes in Christo Dei filio duas naturas, nempe divinam & humanam: cum insignis hac in re illius a nobis dissimilitudo, nequaquam nos resurrectionis istius spem ex illius in vitam restitutione suscipere permittat; quamvis divinus spiritus, Christi a mortuis resurrectionem firmissimum nostræ resurrectionis argumentum esse, aliquot in locis apertissimè doceat. Quomodo autem hoc cum vero conjunctum esse potest, si Christus, utpote divinâ naturâ, ut isti affirmant, præditus, seipsum quidem a mortuis excitavit: nos verò, utpote divinâ naturâ destituti, id ipsum per naturæ nostræ imbecillitatem præstare minimè possumus? Vnde efficitur, ut nostram futuræ resurrectionis spem, ex sententiæ istius vi, ut futilem inanemque evanescere oporteat; quæ tum demum firma exploratâq; futura est, si Christum æquè, ac de nobis futurum dicitur, non sua propria vi, sed a summo illo Patre in vitam revocatum esse, nobis persvasum fuerit. Quid, quòd idem hostis noster, ista confingendo, ea homines difficultate implicavit, ut quo pacto Deus filium, salutis nobis afferendę gratiâ, ante jacta fundamenta mundi pręviderit, & tandem maturo tempore adveniente, ex Davidis semine ortum, exq; virgine natum miserit, intelligere nequaquam possent: quanquam tum Petrus, tum Paulus, tum reliqui Novi Testamenti scriptores, rem ita se habere luculentissimè testificantur. Quis enim tanto ingenio fuit, est, aut erit unquam, ut quomodo præsciri, quomodoque in tempore nasci is potuerit, qui ab omni æternitate ex Dei essentia genitus est, & ideo semper extitit, mente animoque comprehendat? Ad extremum, Spiritum sanctum divinam personam faciendo, in tantam animos hominum conjecit difficultatem, ut quo-

1 Cor: 15. 12, & seqq. 2 Cor: 4. 14. 1 Thess: 4. 14.

1 Pet: 1. 20. Rom: 1. 3. Gal: 4. 4.

ut quo pacto idem Dei spiritus piorum nationi donetur, inque eam effundatur, intelligi non posset: cum neutrum in personam, quæ ipse Deus sit, cadere, nemo non videat. His omnibus commentis perennis ille inimicus noster, non solùm eorum, qui tunc ad Christi sese populum aggregaverant, fidem haud leviter oppugnavit: sed etiam illos, qui Christi doctrinam amplexuri tunc fortasse erant, & hodie amplecterentur, nisi per illius fraudes ac fallacias staret, a veritatis studio & prohibuit olim, & nunc etiam prohibet; utpote quæ non modò divinis vocibus, quas eorum nonnulli ex parte agnoscunt, sed etiam rectæ rationis judicio apertissimè repugnent. Nos igitur, ut illius fallacias detegamus, omnia ista sigillatim ponderabimus, & quantum in nobis fuerit, divina ope implorata convellemus.

Ac primò quidem ad tres personas unâ essentiâ comprehensas quod attinet; nihil hac sententia a vero alienius esse inde patet, quòd non solum ipsa rei istius natura, sed omnes etiam sanæ mentis homines summo consensu comprobant, divinam essentiam numero unam, unumque adeò tantummodò Deum esse. Ex quo consequitur, fieri nequaquam posse, ut in divina essentia plures sint personæ, quarum quælibet sit unus ille verus sempiternusque Deus. Hęc enim usque adeò se invicem convellunt, ut pluribus in divina essentia personis concessis, ejusdem unitas necessariò tollatur. Nam & unum & tres summos Deos hæc sententia inducit. Fieri enim non potest, quin si ea vera est, quælibet divina persona propriâ suâ nitatur substantiâ: (aliter nec per se subsisteret, nec revera alia a reliquis censeri posset:) & sic non una, sed tres sint divinæ essentiæ. Essentia quippe intellectu prædita, qualem Dei esse nemo ignorat, nihil quicquam a persona differt; cum persona nihil sit aliud, quàm essentia, seu mavis, substantia intellectu prædita. Ex quo fit, ut planè explodenda ista sententia sit, nisi cum Sabellio delirantes, unam tantùm Dei personam, jam Patris, jam Filii, jam denique Spiritus sancti nomine appellari volumus: præsertim cum ii, qui tres illas in divina essentia personas statuunt, nihilominus asserant, Dei essentiam omni compositione vacuam esse; numero autem unicam ac singularissimam esse omnes agnoscant. quod quidem hanc ob causam studiosissimè inculcandum, ne frustra quis substantiam primam, quam vocant, cum substantia secunda, quarum illa numero, hæc specie tantùm aut genere unica est, ad hunc errorem stabiliendum confundere se posse confidat. Tametsi enim, verbi causâ, natura humana unica multis personis humanis communis est: tamen cum

men cum non numero, verùm specie, quod ajunt, una sit; quid, quæso, cum hac nostra commune habere potest, quam primam atque adeò unam numero esse, jam apud omnes constitutum est? In una substantia secunda hoc pacto plura comprehenduntur supposita, ut interim præter illam communem animoque conceptam essentiam, quodlibet singulare suam peculiarem habeat essentiam, quâ a reliquis omnibus segregatur. Homo enim, verbi gratiâ, & Petrum & Paulum & Iohannem ita complectitur, ut quilibet horum propriam suam humanitatem, seu humanam naturam atque essentiam habeat. Id quod in divinitate longè secus esse, ipsi adversarii fatentur. aliter enim tres Deos fore, ipsimet ultrò fatentur, imò contendunt. Reliquum igitur est, divinam essentiam non esse secundam substantiam, sed primam; & porrò exemplum humanæ naturæ, quæ pluribus personis sit communis, ad explicandum, quo pacto unica Dei essentia pluribus personis communis esse queat, nihil habere momenti. Nisi fortè divinis attributis seu proprietatibus hanc sententiam constitui posse putamus, quæ cum in Dei essentia contineantur, interque se distinctæ sint, nullam tamen ejus unitati afferunt eversionem. Verùm alia personarum est ratio: alia istorum attributorum. Hæc enim unitatem istam ideò minimè tollunt, quia non sunt supposita, aut substantiæ per se subsistentes, (sic enim plurimas haberemus divinas personas;) sed qualitates sunt, divinæ essentiæ inhærentes, vel saltem qualitatibus per quandam analogiam respondent. Nil verò repugnat, eidem numero substantiæ plurimas inesse qualitates. In una autem substantia prima intelligente, quæ una est persona, plures esse personas, impossibile est. Cum igitur perspicuum sit, trium personarum complexionem cum divinæ essentiæ unitate haudquaquam convenire; restat, ut aut tres esse summos Deos, aut divinam essentiam unicâ tantùm personâ contineri statuamus. Quorum cum illud etiam apud adversarios falsissimum sit; necessarium profectò est, ut errorem istum planè repudiemus. Operæ pretium tamen est, quid huic divinæ veritati objiciant adversarii, diligenter animadvertere.

Primò igitur dicent, non tantum nobis in rationis intelligentia ponendũ, ut ad eam res tam arduas perpendendas esse putemus. Vt enim, si humano captu res divinas ponderes, nihil absurdius videatur, quàm esse unam divinam essentiam tribus personis discretam: fide tamen, quâ solâ res mentem nostram superantes percipiantur, sanctissimè hoc divinitatis mysterium venerandum esse ajunt. At verò nuspiam quippiam credendum præcipitur, & ne credi quidem potest, quod seipsum evertere, & contradictionem, ut loquuntur

implicare, ratio cernit. Tale autem istud de tribus in una essentia personis dogma esse vidimus. Deinde fides nostra, cum de iis agitur, quæ rationem humanam superant, præsertim si ad salutem creditu necessaria statuantur, ex iis tantummodo fluere debet, quæ divinis oraculis perspicuè sunt comprehensa: in quibus etiam nòn penitus perceptis nobis acquiescendum esse, libenter fatemur. Verùm id de essentia divina tribus personis implicata dici jure nequit. cum si vel omnem in divinis literis evolvendis vitam consumas, nullum hujus rei vestigium sis deprehensurus. Clarè sanè ac perspicuè Trinitatis dogma in sacris literis non contineri, Hosius Cardinalis, Wujekus, aliique quamplurimi fatentur. Quid verò illud est, inquies, quòd non parùm frequenter, ubi de Deo sermo habetur, ejusmodi voces, nec non sententiæ usurpantur, quæ diversa ratione & multitudinem, & unitatem significant, ut videlicet, jam unam Dei videantur essentiam, jam plures personas designare? Hìc primò generatim respondemus, consecutionem istam falsissimam esse: cum ex eo, quod in illa ponitur, non minùs plures essentias unâ personâ contentas, quàm tres personas in unam essentiam inclusas colligere liceat. Nihil quippe, ut suprà diximus, inter essentiam intelligentem, quæ una sit numero, personamque interest; & sic non magis absurdum est, in una persona tres cogitare essentias, quàm unam essentiam tribus personis implicare. Adde, quòd nullibi in sacris literis ita tum unitatem, tum pluralitatem Deo adscribi comperimus, ut eum & in unam essentiam contractum, & in plura supposita diffusum mente comprehendamus. Illa enim divina testimonia, quæ ad errorem hunc constituendum afferri solent, nihil quicquam cum eo conjunctum habere, mox demonstrabimus. Primò igitur illa Mosis verba adducuntur: *In principio creavit Elohim*, id est, *Dii, cœlum & terram*: ubi ajunt, verbo *creavit* singulari numero prolato essentiæ unitatem, voce verò *Elohim* trium personarum distinctionem significari. At verò non ita rem se habere, multa sunt quibus doceamur. Primò enim, ut Calvinus, & alii quoque animadverterunt, ille Elohim cœlum terrasque condidisse legitur, cujus spiritus, quem tertiam divinitatis personam isti volunt, super aquas ferebatur. Si igitur Elohim Patris simul & filii ac Spiritus sancti personam continet; quo pacto Spiritus sanctus ab isto Elohim distingui, & illius spiritus dici potest? Num fortè quaternitatem pro Trinitate statuemus, & duos spiritus sanctos, unum nempe voce Elohim comprehensum, alterum super aquas sese librantem inducemus? Similiter cum eodem

Gen: 1. 1.

Ibid: ℣ 2.

loco sæ-

loco sæpius scriptum legimus, *Elohim* seu *Dii dixit*, per illud *Dixit*, iidem Trinitatis patroni Christum, qui Dei sermo a Iohanne appellatur, intelligunt: quod licet ineptè ab illis fiat, indicat tamen, Christum in voce Elohim non includi, sed Patrem tantùm, cujus Verbum sit Christus, eo nomine intelligi. Quomodo ergo vox Elohim plures personas in una numero essentia significat, cum de una tantùm persona efferatur? Innumera sanè sunt loca, ubi Elohim cum verbo singularis numeri cōstructum, ipsorum adversariorum sententiâ solum Patrem significat, interdum solum Christum. Adde quòd, si in literis syllabisque philosophari volumus, ex eadem Elohim appellatione, non magis tres, quàm quatuor, quinque, atque adeò innumeras personas colligere possumns. Huc accedit, quòd, si aliquam in Deo propter vocis hujus significatum cogitare volumus multitudinem, nequaquam opus est, istam in una maximeque simplici essentia confingere triplicitatem, utpote & divinis oraculis, & rectæ rationis judicio repugnantem: sed multò & ad veritatem certius, & ad gloriam Dei præstantius fuerit statuere, plurimarum in Dei natura virtutum perfectionem ac pulchritudinem ea voce indicari. Quid, quòd eodem nomine & homines indigitatos fuisse comperimus, qui tamen non minùs unicâ fuerunt prædi-ti personâ, quàm naturâ atque essentiâ. Sic enim Mosem, sic Samuelem appellatos fuisse legimus. Hunc autem nodum nonnulli ita solvere conati fuêre, ut hoc excogitaverint axioma: Cùm verbum nomini Elohim junctum singularis est numeri, tunc Deus ille summus significatur: cùm verò pluralis numeri est, Angeli vel principes designantur. alii verò hujusmodi regulam constituerunt: Elohim de uno solo simpliciter dictum, non inveniri nisi de vero illo Deo. Mosen enim, verbi causâ, hoc quidem nomine appellari, non simpliciter tamen, sed cum adjectione Aaronis, & Pharaonis. Exod: 4. 16. & 7. 1. 1 Sam: 28, 13. (Calvinus.) Beza.

Verùm nec hæc, nec illa regula vera firmaque est, idque duplici de causa. Primò enim utraque luculentissimis exceptionibus infringitur. Ad prius enim pronunciatum quod attinet, manifestò constat, Abrahamum de ipso Deo loquentem hæc verba fecisse: *Errare* seu *vagari me fecerunt Elohim*: ubi verbum *errare me fecerunt*, nomini isti in plurali numero adjunctum esse quis non videt? Gen: 20. 13. Eandem vim & adjectivum in eodem numero positum habere, cuivis facilè apparet. Dicit enim Iosua: *Non poteritis servire Iehovæ: quoniam Elohim sancti ipsi*. Iosͤ 24. 19. Adde, quòd idem nomen cū verbo singulari junctum, non solùm summo illi veroque, sed cuicunque etiam Deo fallaci tributum comperimus. ut cùm Deus ipse hunc in modum

loquitur;

Exod:20. 3. loquitur: *Non erit tibi Elohim alieni*, vel *alii*. Iam etiam posteriorem regulam perpetuam minimè esse, hæc illius mulieris de Samuele
1 Sam: 28. 13. verba satis indicant: *vidi Elohim ascendentes de terra*. ubi sanè simplicissimè sineque ulla cujuspiam adjectione nomen Elohim, non ipsi Deo, sed Samueli attributum legimus. Deinde nulla prorsus causa est, quin, sive cum singulari, sive cum multitudinis numero, sive simpliciter, sive cum quadam adjectione, sive alio quocunque modo hoc nomen collocatum inveniatur, eandem ubique significationem, quod attinet ad personarum pluralitatem, si eam suâ naturâ designet, retineat. Ad extremum, intelligendum est, Hebræos ea nomina multitudinis numero efferre consvevisse, quæ autoritatis ac dominatûs continent significationem, quantumvis unico
a Gen: 24. 9. 51: & 39. 2. 16, 19. 20: 40. 1: 42. 31. Exod: 21. 4. 6: 8. 32. Devt: 23. 15. Iud: 3. 25. 1 Sam: 20. 6. 3 Reg: 22. 17. Iob: 3. 19. Esa: 19. 4. & 24. 2. Mal: 1. 6. b Exod: 21. 29. 22: 18. 12. 15. Esa: 1. 3. c Franc: Iunius. tantùm cuipiam attributa, ut in vocibus [a] Adon & [b] Baal videre est. Cum igitur nomen Elohim robur imperiique dignitatem declaret; quid mirum, unicum illum Patrem, totius mundi gubernatorem, hac eadem voce plurali numero elata significari? Hinc perspicitur, [c] illos frustra illa duo nomina Dei, passim in sacris literis conjuncta, inculcare, ut Iehovę vocabulo, quod singularis numeri est, essentię unitatem, voce autem Elohim personarum triplicitatem declarari ostendant: cum longè & verior, & ad homines in Dei studium incitandos, maximamq; spem erigendos accommodatior sententia, illis contineatur. Iehovę enim nomen eum designat, qui omnis varietatis inconstantięque expers, quique in omni sermone verissimus, in fidei promissionumque conservatione sanctissimus est. Vocabulum verò Elohim, summum imperium, autoritatem ac potentiam exprimit: ut intelligamus, non solùm eum esse Deum nostrum, qui nos secundùm promissa sua juvare, omnibusque opibus cumulare constanter velit, sed etiam posse: utpote cujus immensum robur, omniumq; rerum potestatem nil impedire potest.

Nec plus virium illud ad Triadem constituendam habet, quòd
Gen: 1. 26. apud eundem Mosen Deus hunc in modum loquens inducitur: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*; & ibidem statim subjungitur, *Deum hominem ad similitudinem suam condidiße*. Etenim in omni lingva celebriore usus obtinuit, ut cùm quispiam seipsum, quantumvis solum, ad quippiam faciendum hortatur, si actionem illam eo pacto efferat, ut per subjunctivum modum Gręcè aut Latinè enunciari debeat, numero plurali utatur. Sic Annibal apud Livium ve-
Dec: 4. lib: 9. nenum hausturus, *Liberemus*, inquit, *diuturnâ curâ populum Romanum*. & Thraseas apud Tacitum seipsum interfecturus, *Libemus*, in-
Tac: lib: 16. Annal: sub ipsum finem. quit, *Iovi liberatori*. Præterea ex eo ipso, quod de vocabulis potentiam atque

tiam atque imperium significantibus, eorumque constructione diximus, apparet, Hebraicam loquendi consvetudinem ferre, ut numerus pluralis pro singulari usurpetur; præsertim cùm rei, de qua agitur, gravitas & magnitudo justo verborum pondere exaggeranda est. Quod quidem hoc in loco fieri non levi est argumento, quòd & maxima hominis creandi dignitas exprimitur, utpote qui speciem imaginemque divinam, omnibus terrestribus naturis imperando relaturus erat; & utriusque orationis idem subjectum, multitudinis numero enunciatum est. Vt enim Elohim sese facturum hohominem indicavit: ita idem Elohim eundem condidisse ibidem dicitur.

vid: 1. Reg: 12. 9. 22. 3. 2 Paral: 10. 9. Mar: 4. 30. conf: cum Luc: 13. 18. Ioh: 3. 11: Rõ: 1. 5. Gal: 1. 8, 9. Hebr: 5 11: 6. 9. 11: 13. 18.

Instabunt tamen, & illa Dei verba urgebunt: *Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis.* Id quod, ajunt isti, nequaquam numeri pro numero positi, sed plurium in uno Dei numine personarum magnum esse argumentum. Respondemus autem, nihil ista consecutione infirmius esse: cum licèt numerus pro numero isto in loco minimè usurpari videatur, tantum tamen absit, ut protinus personarum in una Dei essentia consequatur pluralitas, ut potiùs minimè de se solo Deum locutum fuisse constet. Consentaneum enim est, Deum, cùm ad hunc modum loqueretur, ad illa serpentis verba respexisse: *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Quibus verbis cum serpens ille, ad vescendum fructu arboris boni ac mali, primos parentes nostros planè incendere studuerit, haud verisimile est, si summo illi Deo eos pares fore persvadere instituisset, simplici Deorum nomine eum usurum, & non multò luculentiùs altissimum illud numen expressurum fuisse; præsertim cum simplex Deorum commemoratio summum illum Deum necessariò minimè contineat. Quid, quòd etiamsi Deus serpentis verborum nullam rationem habuisset, nequaquam tamen consequens foret, eum de seipso simpliciter locutum esse. Nam præterquam quòd omnes generatim cœlites oratione sua complecti potuit, & sine dubio complexus est; nimis etiam a rectæ rationis judicio alienum videtur, summum illum Deum, qui inexplicabili sapientia præditus, omnisque scientiæ primus autor est, hominem ex terra pulvereque procreatum, boni maliquè scientiâ secum ipso nominatim æquare voluisse. Id quod multi animadvertentes, non dubitârunt asserere, Deum hoc in loco nequaquam seriam orationem habere, sed per ironiam quandam Adamo veluti illudere. Verùm longè secùs sese rem habere, duabus rationibus probari potest. Primò enim constat, arborem illam, scientię boni & mali arborem eò appellatam fuisse, quòd haud

Gen: 3. 22.

Gen: 3. 5.

haud aliter illius fructu boni ac mali cognitio parabatur, quàm ex arboris vitæ usu ætatis propagatio profluebat. Quomodo igitur Deum lusisse existimabimus, cum dixit, *Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis, ad sciendum* (ita enim sonant Hebræa) *bonum & malum.* h. e. ita ut sciat bonum & malum? Deinde, si Deus ex animo minimè locutus est, nequaquam, quæ subjiciuntur verba, rectè ex his, de quibus agimus, apta nexaque sunt. Sic enim ibidem statim subjungit: *Nunc ergo, ne fortè mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & vivat in æternum*, &c. Neque enim ullam aliam ob causam Deus illa verba præmisit: *Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis, ad sciendum bonum & malum*, quàm ut rationem quodammodo redderet, quare a fruenda arbore vitæ Adamum prohiberet, nempe quia boni & mali scientiâ polleret, & ideo tum arboris istius vim, tum quantum in ea ponendum esset, probè intelligeret; & porrò nequaquam vitæ suæ tam negligens esset futurus, quin fructum arboris decerperet, comederetque, & sic vitam viveret maximè diuturnam. Multò igitur tutius est, statuere, Deum hoc in loco Angelos allocutum fuisse, utpote quorum operâ, ut in eodem verborum contextu apparet, Adamum Evamque paradisi finibus exterminari voluit, quosque in horti illius custodia, cum gladio flammeo atque versatili collocavit; cujus rei causam, ut diximus, in illis, de quibus controvertimus, affert; ut facilè appareat, tum Deum, tum serpentem, nihil aliud dicere voluisse, quàm Adamum, quod ad boni malique intelligentiam attinet, non ampliùs reliquis terrestribus animalibus, sed generatim loquendo cœlitibus, quorum malum a bono dignoscere proprium erat, similem esse, aut fore. quod sine dubio Franciscus Vatablus animadvertens, nomen Elohim priore in loco collocatum, non *Dii*, sed *Angeli*, verti potuisse, ut & quidam verterunt, non diffitetur: propterea quòd nomen hoc, & Deos, & angelos designat. In altero verò loco ab his verbis incipiente; *Nunc ergo* &c. idem Vatablus subaudiendum censet: *Vos angeli videte, sive cavete, ne mittat manum suam*, &c. Intelligendum præterea est, eadem verba ex Hebraico sic legi posse: *Adam factus est tanquam unus ex se sciens bonum & malum*: ut sensus sit, eum factum esse unum eorum, qui ex seipsis sciunt bonum & malum.

Gen: 11. 7. Afferri solent & illa Dei verba: *Venite descendamus, & confundamus lingvas eorum* &c. Verùm hîc similiter, atq; in præcedente testimonio, nequaquam necesse est, ut Deum de seipso, aut secum ipso locutum fuisse statuamus; cum nihil vetet, quominus eum angelos in rei istius societatem adscivisse, atque adeò illorum operâ eam

râ eam perfeciſſe perſvaſum habeamus. Si enim, ut apertiſſimum eſt, in operibus multò præſtantioribus, angelorum ſæpè operâ uſus fuit; quid eſt,cur & in hoc negotio id eum feciſſe minimè credamus? Sed eſto, locutus fuerit Deus ſecum ipſo: num protinus perſonarum pluralitas in una Dei eſſentia conſtituetur? Nequaquam verò; cum vel μιμητικῶς hæc a Deo dici potuerint, ad illudendos homines illos, qui ibidem paulò antè ſic loquentes inducuntur: *Venite, faciamus lateres*: item: *venite, faciamus nobis civitatem & turrim:* vel numerum pluralem pro ſingulari poſitum fuiſſe ſtatui queat, ſive Hebraico, ſive aliarum etiam celebriorum linguarum fortaſſe omnium more, quo, quemadmodum ſuprà jam diximus, fit, ut cùm quiſpiam ſeipſum ad efficiendum aliquid incitare vult, nunquam ſingulari numero, qui in imperandi modo primâ perſonâ caret, ſed ſemper plurali numero verbum id efferat, quo actio illa, ad quam ſeſe excitat, exprimitur, quamvis nulla in eo, qui ſic loquitur, poſſit cogitari pluralitas. Quòd ſi quis hoc loco verbum *venite* urgeat, ex eoque neceſſariò plures in Deo perſonas eſſe conſequi aſſerat; reſpondemus, verbum iſtud perperam ab interpretibus verſum eſſe. cum in Hebraicis fontibus non pluralis,ſed ſingularis numeri ſit;nihilque aliud revera deſignet,quàm *Age* vel *agedum*, ut quidem a Tigurinis aliqua ex parte animadverſum fuit,qui illud *agite dum* reddiderunt; niſi quòd ſimiliter, in plurali numero pro ſingulari contra Hebraicam veritatem reponendo, errârunt. ibid: ℣ 3. 4.

Porrò ut opinionem ſuam ſtabiliant, illa Dei verba proferent, quæ apud Eſaiam hunc in modum ſcripta leguntur: *quem mittam, & quis ibit nobis?* Vbi quia jam ſingulari, jam plurali numero utitur, de ſeipſo orationem habens, idcirco perſonarum pluralitatem unâ Dei eſſentiâ contentam indicari aſſerunt. Verùm infirmiſſimam iſtam quoque argumentandi rationem eſſe, primùm inde ſatis conſtat, quòd tum Hebræi, tum Græci, tum Latini, non ſolùm ſæpiſſimè numerum pro numero uſurpant, ſed crebrò etiam in una & eadem verborum complexione, numerum pluralem cum ſingulari commiſcent, quamvis de una & eadem perſona ſermo habeatur. Et quidem ne abeamus longiùs, quis ita eſſe, ut dicimus, in illis Chriſti verbis non perſpiciat: *amen amen dico vobis, quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus, teſtamur; & teſtimonium noſtrum non accipitis: ſi terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, ſi dixero vobis cœleſtia, credetis?* Quæ quidem omnia Chriſtum, qui unâ tantùm perſonâ conti- Eſa: 6. 8. Ioh: 3. 11, 12.

continetur, de se solo pronunciare, si quis ex re ipsa non intelligat, intelligere tamen potest tum ex postremis loci ipsius verbis, & iis, quæ statim sequuntur, tum ex illis, quæ infrà eodem cap. de ipso testatur Ioannes Baptista, dum ait: *Qui de cœlo venit, super omnes est; & quod vidit & audivit, testatur; & testimonium ejus nemo accipit.* & tamen Christus numero singulari facto initio, ad pluralem numerum transit; & tandem ad singularem numerum reversus, in eodem orationi suæ finem imponit, ideoque numeros istos in eodem verborum contextu confundit. Simile quiddam & in illis Pauli Apostoli verbis apparet: *Per quem accepimus gratiam & Apostolatum, in obedientiam fidei inter omnes gentes.* & paulò post: *primùm quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum* &c. quo in loco de uno Paulo, jam in singulari, jam in plurali numero sermonem haberi, promptissimum est. Iam quid de Latinis literis eandem dicendi figuram sequentibus dicam? Prodeat sanè in medium Cicero, lingvæ istius facilè princeps, qui tum in suis Epistolis, tum in aliis scriptis, sæpissimè non solùm plurali numero pro singulari utitur, sed etiam in eodem orationis membro, de seipso sermonem instituēs, utrumque numerum confundit. Cujus rei illa ipsius verba clarissimum sunt exemplum: *Multum autem fluxisse video de libris nostris, quos complures brevi tempore edidimus.* Hîc certè verbum singularis numeri *video*, cum vocibus *libris nostris*, verboque *edidimus* numeri pluralis conjungi, apertissimum est; quamvis Cicero de se uno loquatur. Et paulò post ibidem: *nam cum otio langveremus, & is esset Reipub. status, ut eam unius curâ ac consilio gubernari necesse esset: primùm ipsius reip. causâ philosophiam nostris hominibus explicandam putavi.* Hîc quis non videt, verbum singularis numeri *putavi*, cum verbo pluralis numeri *langveremus* commisceri, & sic nequaquam ex numerorum confusione adversariorum axioma constitui posse. Sed ut ad testimonium Esaiæ revertamur, Deus ibi non secum ipse loquens, sed tanquam cum aliis consultans, eosque interrogans introducitur, quandoquidem Esaias ad illam interrogationem statim respondit. *Ecce ego: mitte me.* Quî enim, si Deus secum ipso, vel (si ita libet) personæ divinæ inter se tantùm ita consultârunt, Esaias & consultationi illi interfuit, & cum ad se interrogationem haudquaquam pertinere sciret, ad eam tamen respondere, & se Trinitatis consilio ingerere ausus est? Quòd si Deus alios præter se allocutus est; quid mirum, eum communicatione vulgò usitatissima usum, cùm præcipuè seipsum intelligere vellet, dixisse *nobis*, & sic alios

Ib: ℣ 31, 32.

Rom: 1. 6.

Lib: 1. de Natura Deorum.

alios quoque generatim, quos alloquebatur, oratione complexum fuisse?

At illud, dicent, multò clariùs ac luculentiùs Trinitatis mysterium hominum oculis subjicere, quòd tunc, cùm Abrahamo Iehova dicitur apparuisse, tres ab eo viri conspecti fuerint, & nihilominus ipse unum tantùm compellârit. Nos verò tantum abesse dicimus, ut locus ille evidentem contineat Trinitatis significationem, ut ne vi quidem consecutionis ea inde effici possit. Absque ulla enim triadis ratione, & Deus Abrahamo, cùm tres illos viros videret, apparere, & Abrahamus unum tantummodo ex illis alloqui potuit. Quorum illud hanc ob caussam asserimus, quòd Deus, quamvis vnicâ tam personâ, quàm essentiâ præditus sit, tres tamen Angelos legare potuit, & sic per eosdem Abrahamo apparere. Adde, quòd unus ex illis, quem reliqui comitabantur, solus Dei personam gerebat, & idcirco solus ibidem sæpiùs Iehovæ nomine nuncupabatur. quod quidem ad veritatem propiùs nobis accedere videtur. Hunc enim, duobus illis abeuntibus, apud Abrahamum paulisper commoratum, Iehovæque appellatione aliquoties nominatum fuisse legimus. Cujus a reliquis duobus discernendi gratiâ, Moses ibidem paulò pòst angelos eos dicit, postquam huic uni Iehovæ titulum non semel tribuisset. Quæ quidem res aliquot ex priscis illis scriptoribus in eam deduxit opinionem, ut hunc angelum ipsum filium Dei fuisse existimarent, & reliquos duos angelos cum ipso missos assererent. Ex quibus posterioris etiam assertionis nostræ veritas apparet. Cum enim unus tantùm ex tribus illis viris Iehovæ nomen ac personam sustineret, & sic cæteris duobus, qui ministrorum potiùs, aut comitum instar erant præcipuo Dei legato adjunctorum, autoritate antecederet; quid mirum est, Abrahamum non hos, sed illum unum tantùm compellasse? Quare nihil est, quod quis putet, divinam essentiam tribus personis distinctam inde posse colligi.

Genes: 18. 2, 3.

℣ 13, 14, 17, 20, 22.

℣ 22, 26, 33.

Iustinus in colloq: cum Tryph: Tertull: lib: de Trinitate. Euseb: hist: Eccles: lib: 1. c. 2.

Hujus tamen suæ sententiæ minimè dubium argumentum illis Psaltæ verbis comprehendi ajunt: *Verbo Domini cœli facti sunt, & spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.* Quibus verbis tres divinas personas ea ratione comprehensas esse affirmant, ut *Domini* vox Dei Patris, *Verbi* verò ac *spiritus* vocabulum, Filii Spiritusque sancti habeat significationem. Nos igitur Dominum istum, summum illum Patrem libentissimè confitemur. Verbum verò filium Dei hoc loco designare pernegamus: propterea quòd ipsis etiam adversariis fatendum est, Davidem hîc de eodem verbo orationem

Psal: 33. 6.

 habere,

habere, quod a Mose mundi creationem describente hunc in modum explicatur: *dixit Deus, fiat lux: dixit Deus, fiat firmamentum*, &c. Hoc verò quid aliud est, quàm Dei jussum? quemadmodum & ipse David, optimus suorum verborum interpres, explanat dicens: *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt.* Eam ob rem & Castellio apud Mosen interpretari non dubitavit: *Iussit Deus, ut existeret lux.* Fieri autem nullo pacto potest, ut verbum hoc sive jussum, secundam personam divinâ essentiâ ex omni æternitate contentam significet: cum res ipsa declaret, hoc Dei jussum liberum ac planè voluntarium fuisse: quippe cum optimus ille Pater, a nullo coactus, pro arbitratu suo mandaverit, ut universa hæc mundi natura existeret: ut facilè appareat, nequaquam ita illud verbum sive mandatum in ipsius essentia subsistere, ut hæc sine eo esse non possit. Huc accedit, quòd si illis verbis, *dixit Deus, fiat lux, fiat firmamentum*, &c. æternus filius significatur, certè aut ipse dicendi actus, aut illud ipsum, quod dicendo profertur, filius Dei erit. Iam si illud verum est, sequitur, Filium Dei non semper extitisse, aut adhuc existere: cùm ista nec Deus continenter locutus fuerit, aut loquatur, sed tum, cum lucem, firmamentum, & cætera existere vellet, verba illa dixerit; rebus autem ipsis, quæ existere jussit, jam existentibus, dicere desierit. Si verò hoc amplectamur, necesse est, aut voces illas Dei filium esse, quibus Deus tunc loquens usus est, aut res illis comprehensas: quorum cum neutrum absque insigni stultitia admitti possit, apparet, ineptissimè ista ad Dei Filium detorqueri. Sunt quoque qui rei exaggerandæ caussâ, *spiritu oris* idem Domini verbum Davidem declarâsse velint, inter quos est Franciscus Vatablus. Verumtamen ut demus, de Spiritu Dei, qui ejusdem virtus est, hoc loco sermonem haberi; quid hoc ad trinitatem stabiliendam valebit? cum ad hanc rem conficiendam nequaquam opus sit probare, Deum spiritu, id est, virtute atque potentiâ suâ omnia condidisse: sed spiritum illum tertiam divinitatis esse personam.

Gen: 1. d. Psal: 33. ℣ 9.

Hîc verò illum Seraphorum apud Esaiam, & quatuor animalium in Ioannis Apocalypsi acclamationem afferent, quâ Deus omnipotens ter sanctus esse confirmatur, ut unam Dei essentiam tribus personis distinctam demonstrent. At quàm misera est ista consecutio, quæ nec ullo rationis vinculo constricta est, nec absque magna absurditate admitti potest? Sic enim consequens esset, ut nunquam aliquam rem in Sacris literis eodem nomine ter appellari, aut quacunque ratione exprimi, deprehendere possemus, quin ea triplex seu trina statuenda esset. Tale igitur & Templum Dei esset, & terra, & obli-

Esa: 6. 3. Apoc: 4. 8. Ier: 7. 4. & 22. 29. Ezech: 21. 27.

& obliquitas, seu, ut vetus habet interpres, iniquitas; utpote cum hæc itidem, ut sancti appellatio, de una eademque re ter usurpata, apud Sanctos autores reperiatur. Verùm cum nihil hoc excogitari queat ineptiùs; quid est, quòd trinitatem personarum ex ejusmodi repetitione conemur elicere, quæ non ad triplicitatem quandam rei, sed vel ad ejus perfectionem demonstrandam, vel ad asseverationis constantiam adhibetur. Numerus quippe ternarius perfectionis cujusdam significandæ vim habet: propterea quòd primus sit inter eos numeros, qui principium, medium, & finem, quibus perfectio & universitas quædam continetur, habet, & de quibus vox *omnium* usurpari potest. Constat enim ex tribus unitatibus, quarum prima initii, secunda medii, tertia finis rationem habet. Rectè ergo ad perfectionem exprimendam adhibetur, quæ vel in re ipsa, de qua loquimur, vel in nostra asseveratione & declaratione cernitur. Hinc factum est, ut non pauca, tum apud sacros, tum apud profanos scriptores, ter facta dictaque legantur; quasi tum demum satis dictum factumque sit, cum tertiò res fuit repetita. Huc pertinet terna illa Christi interrogatio, num Petrus illum amaret; & terna ovium commendatio, quâ illas eidem Petro pascendas tradidit; & visio tertiùm repetita, de qua in Actis legimus, quâ eundem docere voluit, jam illud venisse tempus, quo non Iudæis solùm, sed omnibus terræ nationibus, aditus ad divinam gratiam cælestemque felicitatem patefieri debeat, adeò ut Gentes extraneæ non perinde, ut antea, impuræ ac profanæ prorsus habendæ sint: cum Deus eas jam aliqua ratione mundas esse voluerit, & veluti expurgârit. Sic Christum, postquam ter orasset, ut, si ita ferret Patris voluntas, calix a se transiret, orare desiisse apertissimum est. quod idem & de Paulo ter Dominum rogante, ut Angelus Sathanæ missum ipsum faceret, ex ejus scriptis discimus.

Ioh: 21. 17, & seqq.

Act: 10. 16. & 4.

Mat: 26. 44.

2 Cor: 12. 8.

Adducunt quoque illam Esaïæ vaticinationem, quâ Christus hunc in modum loquens induci videtur: *Iehova misit me, ejusque Spiritus*, vel (ut alii interpretantur) *suumque Spiritum*. Animadvertendum autem est, nullam in hoc testimonio Christi seu Filii Dei mentionem fieri: sed, ut verborum complexio indicat, prophetam de seipso sermonem habere. Quanquam haud negamus, eum Christi typum tunc gessisse, illumque sub sua persona loquentem induxisse. Verùm quid hoc ad propositum? Si enim Filii Dei, unà cum ipso Deo & Spiritu sancto in una orationis comprehensione facta mentio istam trinitatem constituit; certè Propheta eandem ob caussam seipsum unà cum utroque, ut diximus, commemorans, tertiam

Esa: 48. 16.

Castellio.

Trinitate. personam sese constituerit necesse est, ut sic Trinitas ex Propheta, ex Iehova, & ex ejus spiritu constaret. Quod quidem quàm sit absurdum, nemo non videt. Adde, quòd non commemorari Patrem, Filium, & Spiritum sanctum in sacris literis: sed hos tres esse personas unicâ Dei essentiâ comprehensas, isti probare instituerunt. At nihil tale ex illis verbis elici potest, imò contrarium. In iis enim unus tantùm appellatur Iehova, qui eum miserit, qui ibi loquens introducitur; & ejus dicitur esse spiritus ille, cujus ibidem fit mentio. id quod indicat, eum unum revera esse Deum summum: sed eum, qui ab illo missus fuerit, vel etiam spiritum ipsius, nequaquam.

Mat: 28, 19. Illa præterea Christi verba producere solent, quibus in nomen Patris, Filii, & Spiritus sancti baptizari homines jubentur, utpote quę haud parùm firmum triadis argumētum ac testimonium comprehendere videantur. Nominis enim vocem, divinitatem omnibus tribus communem nobis ob oculos ponere asseverant, fieriq; non posse dicunt, quin omnes isti tres, eodem nomine conjuncti, divinæ sint personę. Hoc autem duplici ratione sibi persvasissimum ajunt. Primò enim ita homines in eorum nomen baptizari, ex hac ipsa loquendi formula colligunt, ut omnium trium nomen implorent; quod sanè absque flagitio fieri non posse ajunt, nisi sint personæ eadem divinitate conjunctæ. Deinde cum de immensa Patris divinitate nulla sit controversia, eique Filius cum Spiritu sancto hoc in loco adjungatur; nefas esse ajunt arbitrari, istos esse creaturas: cum minimè rationi sit consentaneum, summum omnium rerum opificem sibi res creatas in tam arduæ rei societatem adscivisse. Respondemus igitur, universam istam ratiocinationem infirmis admodum niti fundamentis. Nam nec *nominis* vocabulum hoc in loco declarat divinitatem: cum in hujusmodi locutionibus nomen pro reipsa usurpetur. quo pacto in Christi nomen baptizari, idem est, quod in ipsum Christum baptizari, ut ex diversis scripturæ locis, jam hoc, jam illo loquendi modo eandem rem declarantibus apertum est, Act. 2. 38: 8. 16. Rom. 6. 3. Gal. 3. 27. nec in hac *nominis* voce aliquam necesse est cogitare trium personarum unitatem, aut æqualitatem: cum ipse loquendi usus docere facilè queat, elegantiæ hîc haberi potuisse rationem, quæ supervacaneas, adeoque otiosas ejusdem vocis repetitiones respuit: ut si dicam, Nomen Iohannis, Petri, Pauli: ubi perinde est, ac si loquendi venustate neglecta, unicuique eadem vox seorsim asscripta fuisset. Quanquam & hæc potest addi ratio, quòd usus loquendi, qui ratione certa nititur, non ferat, ut Spiritui sancto, æquè ac Patri & Filio, vox *nominis* apponatur:

tur: (nuspiam enim in sacris literis id factum reperies, cum *Nomen Dei* aut *Nomen Christi* frequentissimè scriptum legamus:) propterea quòd illi personæ sint, hic non sit, etiamsi per prosopopœiam instar personæ non semel introducatur. Itaque consentaneum fuit, semel potiùs vocem *nominis* ponere, & iis proximè præfigere, qui manifestè personæ sunt, & quibus ea aliàs usitatè præponitur, quàm ter repetendo etiam Spiritui sancto separatim adjungere. Faciliùs enim loquendi consvetudo fert, ut, cum vox aliqua non æquè propriè, vel non æquè usitatè pluribus tribuitur, ea semel tantùm posita proximè adjungatur iis, ad quæ propriè vel usitatè refertur, longiùs verò absit ab iis, ad quæ minùs. Neque verò ulla hìc subest causa, cur Patris, Filii, & Spiritus sancti implorationem hinc colligamus. Cum enim *In nomen alicujus baptizari*, idem sit, atque in aliquem baptizari, hocq; implorationem nequaquam arguat: quandoquidem & in Mosen, & in Iohannis baptismum, & in mortem Christi homines baptizatos fuisse constat, quos tamen divino cultu affectos nequaquam fuisse manifestum est; quis non videt argumenti illius futilitatem? Nec tandem in iis, quæ fieri non possunt, habendum illud est, quòd Deus in magnarum divinissimarumque rerum administratione, eos sibi socios adjungat, quos unicâ cum illo essentiâ conjunctos fuisse nemo dixerit. Sic enim nefas fuisset Israëlitas illam emittere vocem, Iehovæ & Gedeoni, quâ utrique victoriæ sequuturæ gloriam assignabant. Nec certè Iosaphat populum Dei cohortatus esset, ut & in Deum, & in Prophetas ejus crederet. Cujusmodi & illud est, quòd Israëlitæ in Deum & Mosen servum ejus credidisse, nec non illud, quo Deum & Samuelem metuisse dicuntur. Non mirum etiam, Spiritum sanctum, qui persona nō sit, personis fuisse adjunctam: cum inter alia Paulum ita loquentem audiamus: *Commendo vos Deo, & sermoni gratiæ ipsius*. Item: *Confortamini in Domino, & in robore virium ipsius*.

[Margin: 1 Cor: 10. 2. Act: 19. 3. Rom: 6. 3. — Iud: 7. 18, 20. — 2 Paral: 20. 20. — Exod: 14. 31. 1 Sam: 12. 18. — Act: 20. 23. — Eph: 6. 10.]

Instabunt autem, Christum a Patre spiritum veritatis, quem alium paracletum nominat, sese missurum, pollicitum fuisse; ex eóque apertissimè constare affirmabunt, trium personarum æqualitatem essentialemque, quod ajunt, unitatem. Hoc verò quàm sit a vero alienum, hinc perspicitur, quòd hæc Christi verba æqualitatem illam funditus evertunt. Neque enim qui precibus impetratum spiritum Dei aliis mittit, quemadmodum Christus de se affirmat, & porrò ejusdem fons atque origo nequaquam est, ei, a quo derivatur, æqualis esse potest: quemadmodum nec ipse Spiritus divinus illi æquari potest, a quo proficiscitur ac donatur: nisi vicissim volu- [Margin: Ioh: 14. 16, 17.]

mus, & Christi Patrem a Filio Spirituque sancto missum aut donatum fuisse, vel ab alio quopiam Spiritus sancti beneficium precibus impetrasse, & sic hominibus donasse; quo nihil a vero alienius.

1 Cor: 12. 5, 6, 11. Nec illud prǽterire solent Trinitatis propugnatores, quòd Paulus de divinis muneribus disserens, unũ dicit Deum esse, unũ Dominũ, unum deniq; spiritum. Verùm quid ad istud cõmentum prorsus exterminandum hoc ipso testimonio plus virium habere potest? Nisi fortè tres in una essentia personas ita comparatas esse volumus, ut prima tantùm sit unus Deus, reliquæ duæ nequaquam. Quod quàm sit absurdum, ipsi etiã adversarii intelligunt. Quòd si Dominum Spiritumq;, non ratione essentiæ, sed tantùm personarum a Patre, qui hîc unus Deus dicitur, distingvi existimant, toto cœlo errant. Cum enim Deus, ex ipsorum mente, *unus* nonnisi ratione essentiæ dici queat: quomodo a Patre sic appellato, ipsius essentiæ respectu, unus Dominus ac Spiritus unus non separabuntur? Ne illud nunc repetam, quod suprà demonstravimus, personam ab essentia in Deo distinctam non esse. Si dicas, eadem ratione consequens fore, ut unus Deus quoque ab uno Domino, unoque spiritu segregetur, & sic nec Dominus, nec spiritus esse possit: occurrimus, & minimè hinc colligi posse dicimus, unum illum Deum omni prorsus dominio carere, sed eo tantùm, quod proprium est illius, qui unus Dominus appellatur. Id verò est, quod ipsius Dei nomine exercetur, quodque adeò illius imperio, ut in scholis loquuntur, est subordinatum. Etenim cùm Domini nomen, quod alioqui latè patet, augusto Dei nomini aliqua ratione opponitur, & sic Dominus unus a Deo uno distingvitur, necesse est Domini nomen aliquid minus significare, quàm Dei nomen; & quia nihilominus ad eadem refertur, ad quæ Dei ipsius dominium; statuendum est, dominum intelligi Deo uni subordinatum. Quod verò ad Spiritûs vocem attinet, manifestum est, aliter eam accipiendam, cùm de Deo uno prædicatur, aliter, cùm ab uno Deo apertè distingvitur. Cum enim de Deo prædicatur, pro spirituali quadam substantia sumitur. At cum a Deo distingvitur, Dei virtutem & efficaciam denotat, quæ ab ipso in homines manat. Sensus autem istius testimonii est: eundem Deum, eadem virtute sua, omnia illa, quæ Apostolus oratione sua persequitur, per eundem Christum, cui gubernandam Ecclesiam tradidit, perficere, id est, munera varia in eos, qui Christo se addixerunt, conferre. Quòd enim inferiùs ait, Spiritum illum distribuere unicuique 11. pro ut vult; id per usitatissimam prosopopœiam, in qua & metonymia cernitur, contingit, dum effectui, vel, si mavis, causæ mediæ adscribitur

adſcribitur id, quod cauſæ principali, quæ perſona eſt, propriè tribuendum eſt. Perinde igitur iſta Apoſtoli verba accipienda ſunt, ac ſi dixiſſet: Deum omnia hæc, de quibus ſermo eſt, munera per ſuum ſpiritum, pro eo ac ſibi videtur, diſtribuere, ut quidem ex v. 7, 8, & 9. planè perſpicitur, ubi Apoſtolus mentem ſuam aperiens, aſſerit, eundem Deum operari illa omnia in omnibus; & per ſpiritum, vel in ſpiritu munera illa dari.

Ioh: 5. 7.

Ad extremum illud teſtimonium afferunt, quo Pater, Sermo, & Spiritus ſanctus, tres in cœlo teſtes, unumque eſſe affirmantur. Sed quàm parum, imò nihil huic opinioni id adferat præſidii, hinc facilè apparet, quòd doctiſſimorum hominum non pauci, quantumvis in eodem Trinitatis errore verſantes, locum illum Ioanni Apoſtolo affictum, uno ore confitentur. Cujus rei clariſſimum documentum illud eſt, quòd verba iſta nec in libro Syriaco, nec in veteribus tum Græcis, tum Latinis codicibus, ſcripta reperiuntur: nec deniq; a veteribus complúribus Eccleſiæ doctoribus, ſeu Patribus, quos vocant, agnoſcuntur. qua de re monuerunt etiam [a] ex Pontificiis nonnulli. Atque hæc cauſa fuit, cur [b] interpretes quidam, Trinitatis dogma conſtanter profeſſi, verba illa in ſuis verſionibus omiſerint; [c] nonnulli rogârint Typographos, ne verba illa textui interſerta, exprimerent ampliùs, vitioque verterint Eraſmo, qui cùm monuiſſet, ea a veteribus codicibus abeſſe, tamen contextui interſerere fuiſſet auſus. Malè ſanè ea cum reliquo contextu cohærere, quivis cernere poteſt, qui locum inſpexerit. At ſi, iis exemtis, ita legeris, prout in veteribus codicibus habetur, omnia rectiſſimè cohærent: hoc nimirum pacto: *Hic eſt, qui venit per aquam & ſangvinem, Ieſus ille Chriſtus. non in aqua tantùm, ſed in aqua & ſangvine, & ſpiritus eſt qui teſtatur: quia ſpiritus eſt veritas. quoniam tres ſunt qui teſtantur*, (addunt nonnulla exemplaria, *in terra*) *ſpiritus, & aqua, & ſangvis: & hi tres unum* (vel *in unum*) *ſunt*. Præterea ſi vel maximè Ioannis ipſius verba ea eſſe conſtaret; omnis tamen præſentis diſputationis vis in eo eſſet conſtituta, quòd tres illos teſtes *unum*, vel *in unum*, ut nonnulli codices habent, eſſe ibidem aſſereretur: quod certè non unam eorum neceſſe eſſet deſignare eſſentiam: ſed potiùs, quemadmodum nonnulli ex adverſariis noſtris deprehenderunt, teſtium iſtorum in una eademque re teſtificanda conſenſionem ſignificare, credendum foret: niſi vel ad rem Apoſtolum minimè loqui voluiſſe, vel eandem planè ob cauſam eademque prorſus ratione, ſpiritum, aquam, & ſangvinem mox in ſequenti verſiculo octavo, eodem reſpectu inductum, unâ numero eſſentiâ contineri volumus:

a Lovan: Theol: in hunc locum: vide etiam Eraſmum in eund. locum.

b Lutherus, vide etiam Tigurinã verſionem.

c Ioh: Buchenhagius Pomeran: collega Lutheri.

Calvinus, Beza, alii.

lumus: cum ibidem legamus, hos tres testes unum, vel, quod perinde est, in unum esse.

His ita constitutis, firmiter tenendum est, nonnisi unam in divina essentia personam contineri. Quæ autem illa sit, non alienum videtur hoc loco ostendere, cum eo pacto & error iste hominum animis radicitus evelli, & veritas multò apertiùs explicari possit. Intelligendum igitur est, unicam istam divinæ essentiæ personam, nullum esse alium, quàm Deum ac Patrem Christi. Illud enim compertissimum est, de quo sermonem instituimus, nullum esse alium quàm eum, quem & Moses Iudaicæ nationis Deum esse confirmat, cujusque nomine gens ista semper gloriari consvevit, qui quidem,

Ioh: 8.54. ut ipse Christus est testis, ejusdem Pater est.

Franc: Iunius. Hîc nonnulli sic elabi conantur: Non valet, inquiunt, Pater Christi est Deus Israëlitarum. Ergo nec Christus, nec Spiritus sanctus est Deus Israëlitarum: idque propterea, quòd ab affirmatione particularis, ad negationem communis, consecutio ducta minimè valeat: tanquam si dixeris: Petrus est homo vel Apostolus. Ergo Ioannes, Iacobus, Paulus, non sunt homines, vel non sunt Apostoli. Atqui falsissimum est, quod ab illis dicitur, ab affirmatione particularis ad negationem communis nostrum argumentum duci: cum termini sint singulares, ac proinde convertibiles. Quare instantia Petri, Ioannis, Iacobi, & Pauli, nihil ad rem facit. Vt enim Pater Christi est Deus Israëlis: ita Deum Israëlis esse Christi Patrem necesse est. Vnde consequitur, eum, qui Christi pater non est, Deum Israëlis non esse. Quod ut tantò clariùs cernatur, animadvertendum est, Christum apud Ioannem a Deo Israëlitarum, quem Pa-

d. l. c. 8.54. trem suum appellat, seipsum distingvere, & porrò illum Deum Israëlitarum minimè esse, sed ejus filium. Quæ quidem distinctio

Act: 3.13. multò luculentiùs illis Apostolorum verbis exprimitur: *Deus Abrahami, Isaaci, & Iacobi, Deus patrum nostrorum glorificavit filium suum, quem vos tradidistis & negastis.* Quis hîc non videt, solum Christi Patrem esse illum Deum Abrahami, Isaaci, & Iacobi, Israëlitarumque; cum Iesus ille a Iudæis in mortem traditus, illiùs filius appelletur? Illud porrò Christi enunciatum, quàm clarum evidensque est, quo Patrem suum solum verum Deum esse testificatur?

Ioh: 17.3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum.* Quorum verborum hanc mentem esse, ut te Pater, qui es solus verus Deus, agnoscant, omnes facilè intelligunt, qui cœcutire in media luce nolunt. Non ignoro, quantopere hîc sese torqueant nonnulli, ut testimonium hoc tam luculentum eludant. Iam enim Christi verba di-

stinctè prolata, unâ, eâque falsissimâ implicant sententiâ, quasi hunc in modum legantur: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, & quem misisti Iesum Christum, esse solum verum Deum. Iam verò particulam *solus*, communem pluribus personis essentiam respicere ajunt, & sic cum de Patre prædicatur, nequaquam opponi reliquis personis, sed idolis fallacibusque diis: aut vocabulum *solus*, non ad subjectum, sed ad prædicatum referri, cum Christus non dixerit: solum Patrem esse verum Deum, sed Patrem esse solum verum Deum, ideoque reliquas personas nequaquam excludi.

Iam quod ad primum effugium attinet, præterquam quòd nulla ratione cogente verba ita transponuntur; non animadvertunt ii, qui ita statuunt, verba hoc pacto transposita sententiam continere & falsam, & perniciosam, nimirum vitam æternam in eo consistere, ut cognoscatur, Patrem & Christum solum verum Deum esse. O expeditam facilemque salutis viam, quæ nullum laborem, nullum justitiç studium requirit: sed omnes, qualescunque tandem sint illi, dummodo Deum & Iesum Christum solum [redacted] verum Deum esse agnoscant, rectà ad æternam felicitatem deducit. Intelligendum igitur potiùs est, Christum hîc duas diversas descriptiones ponere, quarum altera Patris sit, nempe quòd sit *solus verus Deus;* altera Iesu Christi, nimirum his verbis comprehensa, *& quem misisti;* aperteque docere, vitam æternam in hoc constitutam esse, ut tam ille, qui solus est verus Deus, videlicet Pater, quàm hic, nimirum Iesus Christus, quem ille misit, agnoscatur, id est, ut homines, quæ utriusque sit voluntas, intelligant, eamque sequantur. Hoc enim esse Deum Christumque agnoscere, passim in divinis literis docemur. Ex quibus perspicuum est, Christum apertissimè ab illo, qui solus verus Deus est, distingvi, utpote diversa ratione circumscriptum; & sic (ut ad reliqua pergam) particulam *solus* in descriptione Patris positam, subjectum referre, perinde acsi dictum esset, solum Patrem esse illum verum Deum, nempe κατ᾽ ἐξοχὴν sic dictum.

1 Reg: 2. 12: Esa: 1. 3: Ier: 2. 8: 4. 22: 9. 3: 22. 16: 31. 34: Os: 5. 4: 6. 4: Ioh: 8. 55: 10. 14: 17. 25: Tit: 1. 16: 1 Ioh: 2, 3, 4. & 3. 6: 4. 7, 8. 3 Iohan: 11.

Veruntamē ut nullus relinquatur adversariis tergiversandi locus, prodeat in medium Paulus, qui clarissimis verbis unum illum Deū, nonnisi Patrem Christi esse testificatur: *Nobis*, inquit, *unus est Deus, Pater ille, ex quo omnia, & nos in illum; & unus Dominus, Iesus Christus, per quē omnia, & nos per illum.* Et ibid. paulò superiùs idē Apostolus sic loquitur: *Nullus est Deus alter, nisi unus.* Ex quo testimonio clarissimè perspicitur, Patrem illum ita unum Deum esse, ut nullus alius prçter ipsum, is Deus unus sit. Nam & unus ille Deus, Pater esse definitur,

1 Cor: 8. 6. V 7.

nitur, ex quo omnia, & nos in illum: cum perinde sit, ac si dicat Apostolus, Christianorum Deum unum esse, nempe Patrem illum, ex quo omnia, & nos in illum; & idem Deus, in eodem verborum contextu, non solùm ab idolis, omnibusque aliis, qui quamcunque ob causam Dei nomine appellantur: sed etiam ab ipso Christo distingvitur, ut & ipse Christus vicissim ab illo separatur his verbis: *Et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per illum.* Hîc verò negant adversarii, ita Christum ab uno illo Deo Patre distingvi, ut ei opponatur. Quemadmodum enim, inquiunt, cùm Iesus Christus unus Dominus appellatur, Pater non excluditur, sed unum commune dominium sanctè intelligimus: sic e diverso, cùm unus Deus appellatur Pater, non excluditur Filius, sed una communis Deitas intelligenda est. At nullius esse valoris hanc exceptionem, inde patet, quòd Paulus hoc in loco Christum unum Dominum appellans, nequaquam de omni simpliciter dominatu orationem habet, sed de eo, qui divino imperio est subordinatus, quemadmodum suprà ostendimus, de alio ejusdem Epist: loco agentes. Quod satis hoc loco indicavit Apostolus, cùm ad descriptionem ejus, quem unum illum Dominum esse dixit, addidit: *per quem omnia, & nos per illum.* quibus verbis & mediam causam efficientem omnium, & intermedium religionis nostræ finem expressit. Hujusmodi ergo Dominus jure negatur esse Pater, seu ab hujusmodi dominio his ipsis Pauli verbis excluditur. Eadem ergo ratione & Christus ab unica illa divinitate excluditur, cùm Paulus ait, illum unum Deum esse Patrem, ex quo omnia: quamvis alioqui Dei nomine nequaquam sit excludendus, dummodo ne ille unus Deus appelletur, utpote apertissimè ab illo segregatus. Huc & illud ejusdem Pauli testimonium pertinet, quo affirmat, *unum esse Deum & patrem omnium*, eumque manifestè distingvit ab uno illo Domino, paulò antè nominato: quem quidem nullum esse alium, quàm Christum, satis superque constat.

Fr. Iunius, & alii.

1 Cor: 12. 5. & d.

Ephes: 4. 6.

Cap: X.

De coëssentialitate Filii Dei cum Patre.

Sequitur, ut quàm rectè ac verè Filius Dei, sive Christus, eâdem cum Patre suo essentiâ atq; naturâ contineri dicatur. Hujus igitur sententiæ falsitas ex iis, quæ hactenus disputavimus, facilè intelligitur. Nam & sanæ mentis rationi, & divinis oraculis planè repugnat. Ac illud quidem eam ob causam, quòd, ut suprà demonstravimus, divinæ essentiæ unitas, & summa, quam adversæ sententiæ

Fuideamus

patroni

patroni defendunt, ſimplicitas, perſonarum pluralitatis capax nequaquam eſt. Ex quo fit, ut ſi Filium Dei Patri ſuo coëſſentialem eſſe volumus, neceſſariò ſtatuendum ſit, Filium eandem prorſus perſonam eſſe, quæ eſt Pater, quod abſurdiſſimum falſiſſimumque eſſe omnes fatentur. Hoc alterum verò, nimirum iſtam opinionem cum divinis literis pugnare, duabus potiſſimùm rationibus demonſtratur. Primò enim ex ſuprà diſputatis planè conſtat, nullum alium eſſe verum illum ſummumque Deum, præter Chriſti Patrem; qui Pater cum Chriſtus non ſit, quomodo, quæſo, unus ille Deus, vel eidem coëſſentialis eſſe poteſt? Adde, quòd multis in locis ab uno illo ſummoque Deo diſtingvitur. Nam & filius Dei, & Chriſtus Dei, & Deo æqualis, & in Dei forma fuiſſe, & a Deo exiiſſe, miſſusque eſſe dicitur; ut alia infinita, quæ cuivis ſacras literas legenti occurrunt, omittam.

Cap: X. De coëſſentialitate Chriſti cum Patre.

Luc: 1. 32, 35: & 9. 20: Phil: 2. 6: Ioh: 8. 42: 16. 27, 28, 30.

Hîc jam neque ad perſonarum diſtinctionem, utpote prorſus jam convulſam, confugere poterunt; neque ad duarum in Chriſto naturarum diſtinctionem; cum, ut ſuprà polliciti ſumus, eam paulò poſt commentitiam eſſe demonſtraturi ſimus. Interea tamen animadvertendum eſt, adverſarios, etiam eo conceſſo, elabi nequaquam poſſe: cum, ſi Chriſtus unus ille Deus, ſeu eidem conſubſtantialis eſt, quamvis naturam humanam ſibi adjunctam habeat, nequaquam tamen a Deo illo uno diſtingvi queat. Neque enim dimidiatus Chriſtus, ſed totum Chriſti ſuppoſitum in commemoratis ſcripturæ teſtimoniis a Deo diſtingvitur. Quod quidem Chriſti ſuppoſitum unum illum Deum eſſe conſtanter iſti aſſerunt. Vt igitur homo a creatura ſive ſubſtantia intelligente ſeparari nequit, cum ipſe ſit creatura ſive ſubſtantia intelligens, quamvis non ſecundùm corpus, ſed ſecundùm animum intelligat: ita nec Chriſtus, ſi iſtorum ſentẽtia vera eſt, a Deo diſcerni poteſt, quamvis non humanæ, ſed divinæ naturæ ratione unus idemque cum illo ſit. Quæ res quò pateat illuſtriùs, illa Chriſti verba proferam, quæ adverſariis utramque diſtinctionem intercludunt: *Creditis, inquit, in Deum, & in me credite.* Hîc Chriſtum totum, quantus quantus eſt, a Deo abſolutè poſito, qui, ut articulus in Græco præfixus, & ſacrarum literarum conſvetudo arguit, nonniſi Deus ſummus eſt, diſtingvi hinc perſpicitur, quòd de fide Chriſto adhibenda agitur, quam ei adverſarii, quatenus homo eſt, negant, maledictum illum exiſtimantes, qui ſpem fiduciamque ſuam in homine collocet.

Ioh: 14. 1.

Ieremi: 17. 5.

Altera ratio, quâ ſententiam iſtam divinis oraculis adverſari demonſtratur, eſt, quòd Chriſtus media ſalutis noſtræ cauſa extitit: cum per

1 Cor: 1. 30. Ioh: 1. 17.

Rom: 15. 8. 5. 10, 11. 2 Cor: 5. 19. Ioh:6. 39,40. 17. 2. cum per illum divina nobis veritas patefacta confirmataque fuerit; per illum Deo simus reconciliati; per illum in Deo fiduciam collocemus; per illum porrò a mortuis excitandi sempiternâque vitâ donandi simus. Quæ omnia constare minimè possent, si Christus Patri suo coëssentialis, vel idem cum ipso esset. Sic enim non media, sed prima felicitatis nostræ causa existeret. Valeat igitur sententia ista, illudque semper in mentibus nostris hæreat, quod Apostolus dicit, *nobis unum esse Deum, Patrem illum, ex quo omnia; & unum Dominum, Iesum Christum, per quem omnia*, subintellige utrobique, quæ ad homines Christianos, æternæque salutis rationem spectant. Hanc enim materiam verbis istis subjectam esse, tum ex pronomine *nobis*, quo Christiani intelliguntur, tum ex nomine *Patris*, tum ex *Iesu Christi* mentione apertissimum est. Vbi similiter naturarum distinctioni locum nullum esse hinc intelligitur, quòd eâ hîc de Christo ratione agitur, quatenus unicus ille Dominus, & omnium eorum, quibus sempiterna felicitas nostra continetur, media causa est: quod utrumque nonnisi toti ipsius supposito, ut vocant, competit.

1 Cor: 8. 6.

Iam tempus est, ut videamus, quibus scripturæ testimoniis adversarii nostri, ad istam cum Patre coëssentialitatem stabiliendam abutantur. Eorum autem duo potissimùm sunt genera, quorum alterum in verbis, alterum in rebus occupatur. Illud, quod in verbis consumitur, rursus aut eadem Patris Filiique nomina complectitur; aut voces habet sententiasque Filii cum Patre conjunctionem quandam declarantes. Ac nomina quidem potissimùm tria afferuntur. Primum enim est ipsum *Dei* vocabulum, idque jam simpliciter, jam cum epithetis positum. Primò igitur nomen *Dei* simpliciter collocatum, satis firmo putatur argumento, eandem utriusque naturam essentiamque esse. Respondemus autem, tunc consecutionem istam firmam fore, si probatum fuerit, hoc nomen ita summi illius Dei proprium esse, ut aliis præter ipsum nulla ratione tribui possit. Hoc verò aliter se habere, tum ipsa vocabuli istius vis atque significatio, tum usus ostendit. Significat enim hæc vox gubernatorem suprema aliqua potestate præditum, adjutorem, benefactorem, ac defensorem. Quæ significata, cum non solùm in illum universæ naturæ opificem, sed etiam in angelos, innumerosque homines conveniant; evénit, ut eodem nomine fuerint appellati. Multò minùs igitur Christus, qui omnia ista, absque ulla cum Patre coëssentialitate, longè excellentiore ratione possidet, Dei nomine fraudandus est. Hoc tamen haud inviti fatemur, quia summo illi

Cap. X. De coëssentialitate Christi cum Patre.

mo illi rerum omnium moderatori, ista omnia Dei nominis significata, primò atque omnium præstantissima ratione conveniunt, utpote qui talis ex seipso est, & omnis divinitatis fons ac primus autor; ideò illum hoc nomine κατ' ἐξοχὴν, quod articulus ei in Græco præfixus sæpissimè indicare solet, haud aliter, ac si proprium ejus esset, appellari. Itaque quoties nomen *Dei* subjectivè, ut loquuntur, usurpatur, seu eam substantiam aut personam significat, quæ Deus sit, de solo Christi Patre intelligitur: similiter etiam cùm prædicati locum obtinet, & articulum in Græco præfixum habet, modò nihil adjiciatur, quod articuli istius vim infringat. id quod propterea addimus, quia, si nomini *Deus* aliqua restrictio adjiciatur, articulus ille vim suam non retinet: veluti cum Thomas Christo dicit: ὁ κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου: tunc pronomen μου, voci θεὸς adjunctum, articulo eidem præposito vim consvetam ita adimit, ut jam non illum unum Deum, sed eum significet, quem Thomas ut divinum Dominum sibi colendũ, ex resuscitatione ipsius a Deo facta agnovit. Solere autem vocabulum *Dei* simpliciter absoluteq; positum, aliis etiam præter summum omnium rerum Dominum attribui, constat ex Exod: 15. 11: 21. *6*: 22. 2*6*. Devt: 10. 17. Psal: 8. *6*. quem confer cum Heb. 2. 7, *9*. & Psal. 50. 1: 82. 1, *6*. qui locus citatur Ioan 10. 34: & Psal. 97. 7. quæ verba citantur Hebr. 1. *6*. Quid igitur mirum, si etiam Christo tribuatur, nulla istius cum Patre coëssentialitatis ratione habita; cùm ei multò, quàm reliquis, prçstantiore modo id nominis conveniat, utpote supra omnes exaltato, & nomine supra omne nomen donato, vel, ut ipse divinitatis suæ rationem explicat, a Patre sanctificato, & in mundum misso, id est, modo omnium præstantissimo a reliquorum hominum turba segregato, & multò pluribus excellentioribusque Dei muneribus, quàm omnes alii, exornato, cuique vitæ immortalis non solùm annunciandæ confirmandæque, sed etiam in alios conferendæ, amplissima potestas data est. Quæ licet ita sint in promtu, ut res disputatione non egeat; adversarii tamen illis epithetis Dei, quæ Christo cum Deo Patre communia esse existimant, impediti, hanc veritatem assensu suo comprobare nolunt: quòd nimirum Christus non minùs, quàm Pater, dicatur Deus verus, Deus magnus, Deus super omnia, solus herus Deus, Deus altissimus, Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est, Deus qui ipse venturus erat. Primò igitur, nõ diffitemur quidem, Christũ verum & nequaquam imaginarium Deum esse: hoc tamen nomen nusquam, quod sciamus, in s. lit. ei expressè tribuitur. Tametsi enim

Ioh: 10. 36.

1 Ioh: 5. 20. Tit: 2. 13: Rom: 9. 5: Iud: 4: Luc: 1. 76. Apoc: 1. 8. Esa: 35. 4.

Ioannes

Cap: X. De coëssentialitate Christi cum Patre.

Ioannes eum sic vocare videtur: attētiùs tamen locum illum inspicienti facilè patebit, verba illa, *Hic est verus Deus & vita æterna*, non ad Christum, sed ad Deum Patrem referenda esse, in cujus notitiam Christum nos deduxisse, ibidem dictum fuerat. quem Patrem solum verum Deum esse, apud eundem Ioannem scriptum legimus. Quo fit, ut nisi cum Christo Apostolum pugnare volumus, Filius verus Deus, ea significatione, quæ hîc spectatur, esse non possit. Accedit, quòd articulus vocibus vero Deo in Græco præfixus, de illo vero Deo sermonem esse ostendit, cui omnium perfectissima ratione hoc nomen convenit. Eū autem nonnisi Christi Patrem esse, ex iis, quæ suprà a nobis disputata sūt, patet. Præterea Deus ille, de quo sermo est, in his Apostoli verbis idolis opponitur, quod de Patre sæpissimè, de Christo nusquam legitur. Denique in hoc eodem Ioannis loco, Christus bis ab illo vero Deo distingvitur. Nam & Filium Dei venisse, nobisque *illius veri*, nempe Dei, cognoscendi mentem dedisse; & nos per eundem Dei filium *in illo vero*, nempe, ut diximus, Deo, esse affirmatur. Nam ut & Hebraicus idiotismus, & ipsa contextûs ratio postulat, voculam *in* ad Christum relatam, pro *per* usurpatam esse apparet, quod Erasmus quoque animadvertit. Si igitur sequentia verba, *Hic est ille verus Deus*, *ac vita æterna*, ad Christum pertinere volumus, ineptissimè Ioannem loquentem inducimus; quippe qui distinctionem Filii ab illo vero Deo, a seipso modò constitutam mox convellat, & sic in eadem verborum complexione ridiculè admodum sibi contradicat. Si enim ipse Christus est ille verus Deus; quis erit Dei Filius, per quem in illius veri Dei notitiam pervenimus, & per quem factum est, ut in illo vero Deo essemus? Constat igitur, verba hæc ad illum verum Deum suprà nominatum, qui Pater est, respectum habere, ut sit sensus: hunc illum verum Deum esse, in quo per Christum sumus, quemque Christus nobis patefecit; in eoque per Christum cognito, & arctissimo fœdere nobiscum conjuncto, vitam æternam esse sitam: seu nos, si illum ita, ut Christus nos docuit, cognoscamus, & ei hoc pacto inseramur, vitam æternam ipsius beneficio adepturos. quod nihil est aliud, quàm id, quod ipse Christus apud eundem Ioannem dixit: *Hæc est vita æterna*, (hoc est, vitæ æternæ consequendæ ratio,) *ut cognoscant te* (Pater) *solum verum Deum, &, quem misisti, Iesum Christum:* quorum verborum cum hoc loco nostro collatio, nostram de eo sententiam vehementer confirmat. Neq; verò est, quòd quis omnino necesse esse dicat, ut pronomen *Hic* ad proximè nominatum Filium Dei referatur: quandoquidem relativa sæpenumero non id, quod

d.l.1 Ioh: 5.

Ioh: 17.3.

Cap: X. De coëssentialitate Christi cum Patre.

quod proximè antecesserat, sed id potiùs, quod rei caput est, seu de quo potissimùm agitur, respiciunt, quamvis fuerit remotius. Sic enim, verbi causâ, apud Paulum 2 Thess: 2. 9. relativum *cujus*, non Dominum Iesum proximè commemoratum, sed Antichristum refert, de cujus adventu ibidem agitur. Nec in Epistola ad Hebr: c. 5. 7. vocula *qui* ad Melchisedecum propiùs nominatum, sed ad Christum, de cujus sacerdotio dissseritur, relationem habet. His adde & duos ex Actis Apostolicis locos: *Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus:* &: *Hic circumveniens genus nostrum, afflixit patres nostros.* Vtrobique enim pronomen *hic* non ad propinquum, sed ad superius nomen applicandum esse, ipsa res demonstrat. Aliter enim illo priore testimonio, homo a Petro sanitati restitutus, angularis lapis esse probaretur; & hoc altero, Iosephum circumvenisse afflixisseque populum Israëliticum, demonstrari posset: quorum utroque quid potest cogitari absurdius? Similes loci sunt hi: Act: 10. 6. & 2 Ioan: v. 7. in quorum posteriore dicitur: *multi seductores ingressi sunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christũ venientem in carne. hic est seductor & antichristus.* ubi nemo nõ videt, pronomen *hic* non ad proximum antecedens, nempe Christum, referri, sed ad remotius, licet diverso numero elatum; cum in loco controverso utrobique idem sit numerus. Apparet igitur, illis Apostoli verbis nequaquam confirmari posse, Christum esse illum verum Deum, & sic Patri coëssentialem. At dices, nos ipsos ultrò fateri, Christum verum Deum appellari posse. Respondemus igitur, id quod antea etiam indicavimus, hanc nostram confessionem nihil ad coëssentialitatem istam constituendam valere. Neque enim Christum, illum verum Deum articulo signatum, nec æquè verum Deum, ac Patrem, esse dicimus. Nam Patrem quidem, Christi Deum sacræ literæ appellant: at contrà Christum Patris Deum esse nemo dixerit. ut interim taceam, Christum hoc summi illius Dei beneficio consecutum esse, ut sic appellari posset: quandoquidem, ut suprà vidimus, Pater eum sanctificavit, & in mundum misit; Pater eum in summam sublimitatem evexit, & nomen ei super omne nomen donavit.

Act: 4. 11. & 7. 19.

Ioh: 10. 36. Phil: 2. 9, 10, 11.

Deinde falsum est, Christum alicubi Deum magnum appellari: quamvis illum ea, quâ hactenus disputatum est, ratione, non Deum tantùm, sed etiam magnum Deum esse confiteamur. Locus enim Pauli, ex quo nominis istius probatio peti solet, non Christum, sed ipsius Patrem respicit; nullamque aliam sententiam continet, quàm magni illius Dei gloriam tunc, cùm Christus advenerit, mirificè illustrandam esse; quòd quanta sit Dei majestas, tunc apparitu-

Tit: 2. 13.

rum sit. Veniet quippe tunc, ut ipse Christus testatur, filius hominis in gloria Patris sui. Ex quo ipso satis apparet, Christum non esse illum ipsum magnum Deum, cujus gloria apud Paulum dicitur appa-
Mat: 16. 26. Mar: 8. 38. ritura. Hic enim, cùm Deus ille summus sit, ut articulus verbis istis præfixus in Græco docet, non in aliena, sed in sua gloria apparet: at Christus in aliena, h. e. Patris sui gloriâ, ab eo sibi communicatâ, apparebit. Adde, quòd in eo ipso Pauli loco magnus ille Deus a servatore nostro Iesu Christo distinctè commemoratur. Dicent: non conjungi hoc loco diversa, sed unam eandemque personam diversis nominibus describi: quandoquidem Servatoris & magni Dei nomen uno tantùm articulo regatur: articuli autem unitatem, rei ipsius quoque unitatem indicare. Verùm istam de uno articulo regulam perpetuam minimè esse, hinc satis constat, quòd apud Matt. cap. 21. 12. & Mar. 11. 15. Luc: 19. 45. scriptum legimus: *Et ejiciebat omnes vendentes & ementes e templo* &c. Vbi similiter, tam vendentes, quàm ementes, uni tantùm articulo subjici constat, quamvis inter ementes & vendentes plurimùm interesse nemo non videat. Plura ejus rei exempla vide Mat: 16. 1, 6: 17. 1: 27. 56: Eph. 2. 20: 3. 5: 4. 11: Hebr. 9. 19. Conjunctionem quidem aliquam, sáltem in ea re, qua de agitur, ista articuli unitas significare solet, sed non identitatem. idque videtur alibi propè ab omnibus fuisse animadversum, ubi Deus & Christus sub uno articulo efferuntur, & tamen Dei nomine Pater Christi intelligitur: ut Eph. 5. 5: 2 Thess: 1. 12. 1. Tim. 5. 21.

Rom: 9. 5. Iam quòd Christus Deus super omnia dicitur, nequaquam satis est ad eum summum Deum esse concludendum: sed insuper necesse est ostendere, eum ex seipso suâque naturâ Deum super omnia existere, vocemque *omnia* hoc loco simpliciter ac universè omnia designare, ita nimirum, ut nihil prorsus vel sit, vel fuerit, quòd eâ non contineatur. Atqui neutrum cum vero conjunctum est: cum & Christo homini omnia a Patre sint subjecta; & vocem *omnia* ita limitandam esse, præter manifestam rationem Paulus doceat, ut is
1 Cor: 15. 27. Ioh: 20 17. 1 Cor: 11. 3. Eph: 1. 17. Hebr: 1. 9. Apoc: 3. 12. excipiatur, qui Christo omnia subjecit; qui ita est super omnia, ut Christi quoque Deus sit ac caput. Quid quòd vox græca, quæ *omnia* reddita est, optimè verti potest *omnes*; ut Christum omnibus hominibus superiorem, illorumque caput ac regem esse intelligamus. Ita enim vox *omnes* absolutè posita in sacris literis accipi solet. Verùm quid hoc ad eum summum illum Deum constituendum habet momenti?

Iud: ỳ 4. Quòd autem Christus, solus herus Deus dici putatur, a vero alienissi-

lienissimum est: cum vel sola verborum concinnitas istam opinionem prorsus convellat. Quid enim magis absonum esse potest, quàm comemorato *solo hero Deo*, demum ad eundem designandum annectere, *& Dominum nostrum Iesum Christum*, & sic unam eandemque Dei personam, sat illustribus verbis expressam, rursus verbis minus quippiam, quàm illud erat, continentibus explicare? Cur non potiùs, Dominum nostrum Iesum Christum ab illo solo hero Deo hoc loco distingvi, & sic Christum illum solum herum Deum minimè esse statuimus, versionemque magni illius Erasmi, Castellionis, aliorumque sequimur, quæ hujusmodi est: *& Deum, qui solus est herus, & Dominum Iesum Christum negantes*: præsertim cum vocem δεσπότης seu *herus*, alibi nonnisi Patri attributam inveniamus. Iam articuli unitate cur moveamur, nihil est: cum eam, quam volunt adversarii, ejus vim perpetuam minimè esse, jam ostensum sit, sed eam, quam nos libentissimè hîc agnoscimus. Luc: 1. 29. Act: 4. 24. confer cum ℣ 27. Apoc: 6. 10.

Altissimus quoque Deus nunquam Christus appellatur: quanquam adversarii, ut hoc nomen Christo tributum esse ostendant, illa Zachariæ verba proferunt, quibus Ioannem Baptistam altissimi prophetam appellat, quia ante faciem Domini præiturus erat. Luc: 1. 76. Dominum quippe istum non nisi Christum esse existimant, ante cujus faciem Ioannes præcessit. Nos verò istam consecutionem planè repudiamus: cum Christum muneris sui officium aggredientem, Dei personam sustinuisse, Deumque in illo fuisse, ex sacris literis manifestum sit. 2 Cor: 5. 19. Vnde patet, Ioannem ante Christi faciem præeundo, ante ipsius Dei faciem præivisse; quem solum hoc loco *Domini* appellatione intelligendum esse, argumento est articuli omissio: cum idem nomen Christo attributum, articulum sibi adjunctum, apud Lucam & Paulum potissimùm, habere soleat. Quæ responsio nostra eo confirmatur, quòd apud Malachiam Deus ipse de Ioanne dicit: *Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*. Malach: 3. 1. Mat: 11. 10. Eum autem, qui hîc loquitur, non Christum, sed Deum Patrem esse, ex eo constat, quòd Christus hæc verba citans, ita apud Matthæum loquitur: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te*: ubi nemo non videt, Deum Patrem in his verbis Filium alloqui. Cum ergo Pater is sit, qui in his prophetæ verbis loquitur; is verò in ipsis prophetæ verbis dicat, angelum illum, qui Ioannes est, præparaturum viam ante faciem suam; liquidò constat, Ioannem etiam ante ipsius Dei Patris faciem viam præparavisse, ac præivisse. id verò non alia ratione factum

esse, quàm quatenus ante faciem Christi præivit, ac viam ei præparavit, ex allegatione ejus loci a Christo facta constat. Is enim sententiam nobis aliqua ratione explicaturus, loco ejus, quòd Deus apud prophetam dixit, *præparabit viam ante faciem meam*, dixit, *præparabit viam ante faciem tuam*, nempe ante faciem Christi, qui Dei personam, utpote legatus ipsius, sustinuit, & in quo Deus ipse aliqua ratione venit.

Quòd verò Christus dicatur Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est, id falsissimum esse censendum est. Ad Deum enim verba Ioannis pertinere, non autem ad Christum, argumento est hujus ab illo, qui est, qui erat, & qui venturus est, apertissima distinctio, quę in illa salutatione manifestò deprehenditur, ubi sic dicit Ioannes: *Gratia vobis & pax ab eo, qui est, qui erat, & qui venturus est; & a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt; & a Iesu Christo, qui est testis fidelis.* Vbi ab eodem Christus, quantus quantus est, separetur necesse est: quandoquidem de gratia & pace hominibus conferendâ agitur. Quod ideò commemoro, ne quis frustra hîc humanam tantùm Christi naturam spectari arbitretur, postquam priùs secundùm divinam naturam ab eo Ioãnes gratiam & pacem precatus fuerit. Adde, quòd infrà in eodem libro eadem verba manifestissimè de Deo in throno sedente pronunciantur, a quo Christus, etiam cum ei cultus divinus exhibetur, apertissimis verbis distinguitur. Instabunt tamen, & ex his verbis, *qui venturus est*, de Christo sermonem haberi concludent: siquidem nemo, nisi Christus, venturus fuisse dici possit. Respondemus igitur, Græcam vocem ὁ ἐρχόμενος hoc in loco verti debere, *qui futurus est*, quemadmodum & Ioannis 16. 13. τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν, *quæ futura sunt annunciabit vobis.* & in Actis, *festum venturum*, pro *futuro:* & apud Latinos scriptores ventura sæcula, pro futuris: qui usus verbi *veniendi* etiam Hebræis est admodum usitatus. Vt autem hoc pacto vox ista accipiatur in loco Apocalypseos, Ioannis requirit propositum, & ipsa verborum concinnitas, quæ penitus concidat necesse est, nisi, ut in duobus prioribus enunciati partibus, nempe *qui est*, & *qui erat*, ita etiam in hoc tertio, *qui venturus est*, de essendo, ut ita dicam, agatur. Ioannis autem consilium erat, æternitatem Dei, tempore præsenti, præterito, & futuro contentam designare.

Ad extremum, quòd Christus ille Deus ab Esaia dicatur, qui ipse venturus fuerit, nosque salvaturus, quodque ex eo consequatur, Christum summum illum esse Deum; id non est admittendum. Primò enim

Apoc: 1. 8.
ib: ℣ 4, 5.
cap: 4. 8.
vid: cap: 5. 6. & d. usque ad finem cap.
Act: 18. 21.
Esa: 35. 4.

mò enim nihil vetat, quominus vatem de Deo Patre orationem habere credamus: quinimò nonnisi de hoc prophetam loqui, ex eo planè constat, quòd solum Christi Patrem Deum illum esse, jam demonstratum est. Is autem tunc *venire* a divinis auctoribus dicitur, cùm quippiam singulare inter homines virtute sua præstat, ut cùm iis vel benefacit, vel supplicia infligit. Quòd verò additur pronomen *ipse*, id vel nullam revera habet emphasin, sed tantùm instar relativi cujusdam est, loco antecedentis positum, quemadmodum quidem Hebraicus textus requirere videtur, ubi in voce *Dei* est pausa major, quæ distingvendi vim habet. Vnde ita apud recentiores locum hunc versum deprehendes: *Ecce Deus vester cum ultione veniet, cum retributione Dei: ipse veniet & salvos faciet vos*. q. d. is, inquam, veniet, & salvabit vos: vel, si emphasis aliqua est in eo pronomine, non excludentur tamen eâ voculâ causæ mediæ, seu personæ illæ, per quas Deus venire, & salutem illam præstare velit; sed tantùm alii, qui Deo non sunt hac in parte subordinati; ne quis fortè putet, salutem ac liberationem illam aliunde potiùs, quàm a Deo profectam. Sic dicitur Deus ipse populum Israëliticum ex Ægypto eduxisse, & per desertum duxisse, & gentes delevisse in conspectu Israëlitarum; licèt ea partim per angelum personam suam sustinentem, partim per Mosen & Aaronem, partim denique per Iosuam perfecerit. Quod ut pateat clariùs, animadvertendum est, verba illa primo seu literali, ut vocant, sensu prædictionem liberationis ex captivitate Babylonica continere, quemadmodum ex iis, quæ circa finem hujus capitis leguntur, ubi prædictio ista demùm terminatur, apparet. Ibi enim disertè redemtorum, h. e. ex ea captivitate liberatorum, & eorum in Sion reditûs, fit mentio. Quæ quidem liberatio, cum imaginem typumque libertatis, in quam per Christum vindicati sumus, gesserit, tuncque Deus venisse, & populum suum salvâsse dictus fuerit, quamvis hoc non personaliter, sed præsentissimo suo favore peregerit; quid est causæ, quòd non ipse Deus tunc venisse rectè dici possit, cùm per Christum divinissima & planè inaudita quadam ratione nos servare instituerет, ut suis locis explicatum est? Neque quicquam huic veritati obstat, quòd miracula ista, quæ Propheta ibidem vaticinatur extitura, tunc cùm Israëlitæ è Babylonicis vinculis emitterentur, propriè loquendo edita non fuerunt: cum, si tempus illud respicias, prophetico more per allegoricam dicendi figuram, maximâ lætitiâ, ex insigni felicitate ortâ, populum illum perfusum iri, vates indicare voluerit, quemadmodum sanè alia quoque, quæ ibidem prædicuntur, ad

Cap. X. De coëssentialitate Christi cum Patre.

vid: Psal: 80. 3. & 101. 2.

Ios: 24. 17. conf. cum Num: 20. 16. & Act: 7. 35, 36. Devt 9. 3. & 31. 6. conf: cum Exod: 14. 19. & 23. 20, 23. Devt: 1 30. & 31. 3.

quodcunque tandem tempus referantur, omnino allegoricè sunt accipienda. Atqui, inquiunt, hinc perspicuum esse, illum Deum, qui ipse venturus erat, Christum esse, quòd hic veniens miracula ista, quæ primo loco ponuntur, verè ac propriè ediderit, inq; hunc Ioannes Baptista, missis ad eum discipulis suis, quasi digitum intendens, dicat: *Tu es ille, qui venturus est.* id quod Christus responso suo, in quo ad hæc Esaiæ verba respexerit, comprobare videatur.

Matt II. 3.

Hîc respondemus primò, consequentiam istam malè constitutam esse: Christus veniens edidit miracula ista. Ergo est Deus ille Israëlis: cum nequaquam ipsum Deum per se miracula ista facturum Esaias dicat: sed tunc, inquit, oculi cœcorum, & aures surdorum aperientur, &c. ut facilè appareat, prædictionem istam ad Christi quidem tempora mystico sensu referendam esse: non tamen ex eo consequi, Christum esse illum unum Deum, sed potiùs eum, per quē Deus & venturus, & miracula ista facturus erat. Deinde nequaquam necesse est, ut Ioannem verbis istis utentem, ad hanc Esaiæ vaticinationem respexisse statuamus, ut nimirum Christum Deum illum Israëlitarum esse testaretur: cum multò verisimilius sit, eum asserere voluisse, Iesum esse illum Messiam, qui expectabatur. Quid, quòd nec Christi responsum, miraculorum, aliarumque rerum enumerationem continens, necesse est ad istam prædictionem referre: cum nec ullam Esaiæ mentionem faciat, nec eadem planè Esaiæ verba recenseat, aliaque ex iis omittat, alia non pauca addat. Præter ea enim, quæ ab Esaia enumerantur, dicit, leprosos mundari, itemque mortuos resurgere, & pauperibus Evangelium prædicari, beatumque esse, qui in ipso non fuerit scandalizatus.

Veniendum nunc est ad illas voces atque sententias, quæ Christi cum Patre conjunctionem, quâ similitudinem quoque & æqualitatem complectimur, declarant. Horum autem duo sunt genera: quædam enim, quàm arcta Christus Patri suo devinctus sit necessitudine, planiùs exprimunt: quædam verò, quamvis rei istius significationem habeant, paulò tamen obscuriùs eam pronunciant. Illæ verò rursus vel uno, ut loquuntur Dialectici, termino, vel pluribus cōstant. Vno tunc, cū Christus dicitur unum cum Patre, æqualis Deo, imago Dei, & character substantiæ ejus, Verbum sive Sermo Dei, in forma Dei fuisse, item cum divinitatis plenitudinem in illo corporaliter habitare affirmatur. Primò igitur, quòd Christus se & Patrem unum esse dicit, nullam vim habet ad istam coëssentialitatem constituendam: cùm unum esse cum altero nunquam id, quod volunt adversarii, designare in sac. literis videamus: & interim vel de

Joh: 10. 30: & 5. 18. Col: 1. 15: Heb: 1. 3: Iohan: 1. 1. Phil: 2. 6. Col: 2. 9. Joh: 10, 30.

voluntatum

Cap: X. De coëssentialitate Christi cum Patre.

voluntatum consensione, vel de alia aliqua conjunctione, aut similitudine, eam loquendi formulam usurpari comperiamus, idque in iis quoque locis, in quibus comparatio instituitur inter hujusmodi plurium personarum unitatem, seu conjunctionem, & eam unitatem, quæ est inter Christum & ipsius Patrem, quemadmodum fit in ejusdem Christi verbis infrà apud eundem Ioannem cap. 17. ubi orat Patrem, ut discipuli sui unum sint, sicut ipse cum Patre unum sit; idque ut fieret, seipsum quoque curare aut curasse testatur. Quare non modò nihil est, quod prohibeat, quominus de hujusmodi unitate Christum etiam cap. 10. loqui censeamus; sed etiam nihil est veritati magis consentaneum, & sententia inde nascitur scopo Christi accommodatissima, nempe Christum, ut in cæteris omnibus, ita etiam in curandis, tuendis, æternumque servandis ovibus, quas ipsi dederit Pater, & curæ ipsius commiserit, ita cum eo conjunctum esse, itaque eos inter se conspirare, ut hac in parte unum censeri debeant. Vnde consequitur, fieri non posse, ut quisquam oves illas ex Christi manibus eripiat: siquidem necesse foret, eas simul ex ipsius Patris manibus eripere atque extorquere: id quod fieri nulla ratione potest. siquidem nemo est Patre validior ac potentior: sed ipse contrà major, seu validior ac potentior est omnibus. Quare similiter fieri nequit, ut quispiam ex Christi manibus eas eripiat. Ne verò de unitate essentiæ Patris & Filii verba hæc accipiamus, præter usum sacrarum literarum, & locum huic similem cap:17. ista quoque dissvadent: primùm, quòd Christus hoc ipso cap. 10. loco dicit, Patrem sibi oves illas dedisse. At ei, qui eandem habeat cum Patre essentiam, sitque summus unà cum ipso Deus, dari nihil potest. Deinde quòd ibidem dicit, Patrem esse majorem omnibus: quod ita latè extendi, ut ipse quoque Christus comprehendatur, ex alio ejusdem Christi apud eundem scriptorem loco patet, ubi ait: *Pater major me est*. Deo autem summo nemo est major. Denique si Christus est unius cum Patre essentiæ, & sic summus ille Deus, quid opus erat ambagibus? quin potiùs apertè dicebat, Nemo oves meas potest ex manibus meis eripere, quia ego major sum omnibus; præsertim cum non minùs obscurum esset, ipsum ejusdem esse cum Patre essentiæ, quàm se esse majorem omnibus, imò hoc posterius priori credibilius censeri deberet. Hoc enim seipsum minimè evertit: illud evertit. Filium enim semper necesse est diversam numero essentiam a Patre habere: quia aliàs ipsemet pater foret. siquidem unusquisque a sua essentia nihil differt, nisi verbis & cogitatione. At dicent, inde constare, de unitate essentiæ hæc verba esse accipienda,

Ioh: 17. 11, 21, 22, 23: 1 Cor: 3. 8: 11. 58. Gal: 3. 28. 1 Ioh: 5. 8. vid: d. ℣ 11, 21, 22, 23.

Ioh: 14. 28.

Cap: X. De coëssentialitate Christi cum Patre.

quòd Iudæi ea in hunc sensum acceperint, ideoque lapidibus Christum obruere voluerint, quòd, homo cum esset, Deum sese faceret. Adde, quòd Christus eos ob hanc sententiam, ex verbis suis conceptam, non modò non reprehenderit, sed insuper etiam ostenderit, sibi magis, quàm omnibus aliis, *Dei*, sive, quod idem hoc in loco sit, *filii Dei* nomen convenire, propterea quòd & a Patre sanctificatus, inque mundum missus, & Pater in ipso, ipseque vicissim in Patre esset. Quibus omnibus, unâ eâdemque cum Patre essentiâ Christum contineri, firmissimè demonstrari existimant. Atqui ista omnia nihil adversariorum causam juvare possunt. Primò enim Iudæorum errore, ex mentis cœcitate profecto, & a Christo haud obscurè reprehenso, tantam rem confirmare velle, nonne ineptum est, & rectæ rationi contrarium? Etenim cum iidem Iudæi eam divinitatem sibi Christum assumere putarent, quæ cum homine communicari non potest, ideoque adderent, *Homo cum sis;* Christus responsione sua satis ostendit, se ejusmodi divinitatem sibi haudquaquam arrogâsse, quæ summi illius Dei sit propria, quæque in hominem cadere nequeat. quandoquidem ea divinitas, vel potiùs ratio, ob quam Dei filium seipsum dixerit, in eo consistat, quòd a Patre sanctificatus, & in mundum missus sit. Sanctificari autem, & in mundum mitti, non solùm in Christum, verùm in alios etiam homines, quanquam minùs perfecta ratione, convenire, inde patet, quòd Christus Patrem orat, ut eos, quos sibi dederat, sanctificet; & quòd sese in mundum eos misisse ait, quemadmodum & ipse a Patre suo in mundum missus fuerat: ut facilè appareat, Christum sese illum altissimum Deum haudquaquam fecisse, sed ejusdem filium. Quam ob causam etiam in eo non obscurè Iudæorum sermonem corrigit, qui ei objecerant, quòd se Deum faceret, cùm ait, se dixisse, *Filius Dei sum;* non verò, Deus sum. Licèt enim jurè etiam hoc modo de se loqui potuerit: cum homines, quos Christus longè multumque antecellebat, Deus ipse in scriptura deos appellârit: indicat tamē, se id non fecisse, sed ea ratione loquendi usum, quâ se apertè a summo illo Deo distingveret, & ab eo penitus dependere significaret. Quod autem ibidem subjungit, Patrem in se, & se in Patre esse, id nequaquā istam coëssentialitatem designat. Sic enim & una persona esset in altera, idque reciprocè; & Christi discipuli, qui mandata ejus observant, eâdem cum ipso essentiâ continerentur; quin etiam ipsi Deo cōsubstantiales forent: quandoquidem & Deus & Christus in ipsis, & ipsi in Deo ac Christo esse ac manere, non semel apud eundem Ioannem dicuntur. Nihil autem ista loquendi ratione significatur aliud

Ioh: 17. 17, 18.

Ioh: 10. 38: 14 11, 20.

Ioh: 17 23, 26. 1 Ioh: 2:5, 6:3. 6, 24: 4. 12, 13, 15.

aliud, quàm arctissima istarum personarum, de quibus ea usurpatur, conjunctio, quemadmodum ex ipsis illis locis facilè unusquisque potest perspicere.

Cap: X. De coëssentialitate Christi cum Patre.

Hoc autem vehementer admirandum est, quòd adversarii quidam nostri etiam illis Christi verbis istam coëssentialitatem stabiliri putant, quibus a Patre suo petit, ut fideles unum sint, sicut & ipse unum est cum Patre: cum potiùs argumenti sui, quo nituntur, vanitatem, hinc animadvertere debeant: quippe cum fidos homines, nec in unam substantiam esse redactos manifestum sit, nec hoc cupivisse Christum ullo pacto dici possit. At dicunt, non eam esse vim vocis *sicut*, ut planè eadem ratione fideles unum esse designet, quâ Filius cum Patre: sed aliquam illius unitatis substantialis similitudinem ea voce significari contendunt, ut videlicet, quia fideles ad eā Patris Filiiq; substantialem unitatē aspirare non possunt, saltem voluntatum conspiratione conjuncti sint. Respōdemus igitur, nos facilè concedere, voculam *sicut* sæpenumero non eundem rei, qua de agitur, gradū denotare: semper tamen ejusdem generis rem esse ostendere. Cum enim, verbi causâ, jubemur perfecti, misericordes, & sancti esse, sicut Pater noster perfectus, misericors, sanctus est, ejusdem generis perfectio, misericordia, & sanctitas a nobis exigitur: quamvis gradus aliquos istarum virtutum cogitare nos oporteat: cùm tanta eorum, quanta in Deo est, perfectio in hominem non cadat. Quo fit, ut hoc etiam in loco idem unitatis genus, nempe ratione voluntatis ac consensûs, utrobique intelligendum nobis sit: non autem istic quidem substantiæ, illic verò voluntatis unitas accipienda.

Ioh: 17. 21.

Mat: 5. 48. & Luc: 6. 36. 1 Pet: 1. 15.

Iam quod ad Christi cum Patre æqualitatem attinet; nihil quoq; ea valet ad consubstantialitatem istam conflandam, imò contrarium ex illa facilè elicitur. Cum enim qui Deo æqualis est, apertissimè ab eo distinguatur; quomodo Christus ipse Deus, aut ipsi consubstantialis esse poterit? nisi fortè aliquem sibi ipsi esse æqualem volumus. Accedit, quòd ista æqualitas, cùm de Christo agitur, ad operum, & porrò etiam ad potestatis ac virtutis, ex qua opera ipsius fluxerunt, similitudinem revocatur. quæ ut omnia ab eadem proficiscantur essentiâ, minimè necesse est; cùm satis sit, Deum Iesum Christum tanta potestate autoritateq; ornâsse, ut multas admirandas actiones, itidem ut Pater, exequi posset: ut quidem ipse fatetur eo loco, ubi Iudæis respondet, sibi objicientibus, quòd se æqualem fecisset Deo, dum nihil Filium a seipso facere dicit, nisi quod Patrem facientem videat, qui pro suo in eum amore omnia ipsi ostendit, id

Iohan: 5 18.

ỽ 19.

dit,id est, omnium illorum,de quibus agitur, faciendorum potestatem & autoritatem ei dedit. Vnde simul perspicitur, hanc ipsam quoq; in operibus faciendis æqualitatem,omnimodam nequaquam esse. Vt enim omnia ea opera Filius faciat, quemadmodum & Pater: tamen non a seipso propriavé virtute ea efficit, ut Pater, qui a nullo prorsus in actionibus suis dependet. Eadem prorsus ratione

¶ 26. de vita, quam Christus,perinde ut Pater, in semetipso habet, judicandum est. Quamvis enim, quod ad rem ipsam utriq; communem attinet, æqualitas concedi possit: tamen quia Christus vitam illam a Patre accepit,magnam inter utrumque hac in parte inæqualitatem esse,quis non animadvertat?

Col: 1. 15. Ex imaginis quoque appellatione Christo attributa, nequaquam colligi potest, eum Deo consubstantialem esse: cùm non solùm contraria sententia hinc emergat, quòd hoc ipso a Deo distingvitur: quandoquidem qui Dei imago est, ipse Deus ille esse minimè potest; cùm nemo sit suiipsius imago:sed divina etiam essentia, ut nulla imagine exprimi potest, quippe quæ sub hominum mortalium cognitionem minimè cadat: ita a Christo repræsentata nunquam fuit. Christum porrò nostri ratione imaginem Dei dici, & a-

2 Cor: 4. 4. nimadverterunt alii, & ex illis Pauli verbis apertum est: *Quòd si opertum est Evangelium nostrum, iis, qui pereunt, est opertum, in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ne fulgeat illis illumi-*

¶ 6. *natio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.* & paulò pòst: *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Iesu Christi.* Atque hæc

Col: 1. 15. est causa, cur dicatur imago Dei *invisibilis*. quia enim ipsum Deum videre, & sic ex ipsomet voluntatem ejus planè cognoscere non possumus, in Christo, tanquam illius imagine oculis nostris subje-

Cap: 1. 18. cta,eum intueri debemus. *Deum*,inquit Ioannes,*nemo vidit unquam: unigenitus filius,qui est in sinu Patris,ipse enarravit.* Enarrando enim, ac Dei voluntatem explicando, explicatamque confirmando, Deum nobis spectandum exhibet. Quod cum ita sit, certè adversariorum sententia prorsus concidit. Vt enim ea constet, necesse est, Christum secundùm divinæ naturæ conditionem imaginem Dei invisibilis esse: alioqui nullus coëssentialitati locus relinquetur. At cum & falsò Christo divina natura, ut suo loco ostendemus, affingatur,& si maximè eâ præditus esset,æquè ac Deus foret invisibilis, imaginisq; natura ferat, ut rem ab oculis hominum remotam repræsentet;quomodo quæso ista divina Christi natura imago Dei dici potest? Est igitur Christus homo Dei imago; quia quæ de Deo ad salutis

salutis adeptionem scitu sunt necessaria, luculentissimè nobis expressit: in quibus Dei essentiæ cognitio nequaquam numeranda est: cum ad sempiternam felicitatem satis sit, Dei cognitam habere voluntatem, sapientiam, potentiam, justitiam ac bonitatem, & si quid est ejusmodi, sine quo certa salutis spes in eo defigi, eiq; constanter obtemperari nequit. Quæ omnia in Christi hominis sanctissima disciplina, admirabili operum amplitudine, morte deniq; ac resurrectione ita expressa sunt, ut nunquam antea tam clarè aperteq; hominum oculis patuerint. Eâdem autem vel simili de causa, & character substantiæ, aut, ut alii vocem *hypostasis* apud D. Auctorem vertunt, personæ Dei dicitur, quia nimirum Deus in eo seipsum, h. e. voluntatem potentiamq; suam, veluti ad vivum expressit, & oculis nostris spectandum exhibuit, qua de re plura paulò pòst dicentur, cùm explicabimus, quo pacto Christus in Dei forma fuisse dicatur.

Cap: X. De coëssentialitate Christi cum Patre.

Heb: 1. 3.

Iam quod ad Verbi seu Sermonis vocabulum attinet, quo similiter Christus appellatur; animadvertendum est, duas potissimùm ob causas consubstantialitatem istam ex eo effici nequaquam posse. Primò enim Verbum sive Sermonem Dei, (ita enim expressè in Apocalypsi appellatur:) ab ipso Deo diversum quiddam esse, manifestum est. Deinde Christum propter muneris sui officium, Verbum sive Sermonem Dei nominari, jam alio loco est a nobis indicatum: nempe quia Christus is fuit, per quem primùm Deus perfectissimam voluntatem suam nobis revelavit. Quæ quidem sententia complures, tum ex veteribus, tum ex recentioribus Ecclesiæ doctoribus autores habet, quorum nonnulli animadverterunt, nuspiam a Ioanne, qui solus id nomen Christo tribuit, ita eum appellari, nisi cùm de ipso tanquam interprete divinæ voluntatis agit. Ac ne longè ejus appellationis rationem quæramus, ipse Ioannes eam nobis explicat. Cùm enim ab initio Evangelii sui eum Sermonis nomine appellâsset, postquam eum proprio nomine appellare cœpit, veluti rationem redditurus, cur eum hucusque alio nomine insignivisset, verba paulò superiùs a nobis citata subjicit: *Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Istud autem, quod diximus, Christi officium exprimitur Verbi sive Sermonis vocabulo, vel per metaphoricam, vel per metonymicam dicendi figuram. Ac per metaphoram quidem sic, ut quemadmodum, quoties mentis nostræ cogitata alteri aperire cupimus, sermone utimur: ita Deus per Christum, ejusque disciplinam, voluntatis suæ mysterium explicare nobis voluerit. Per metonymiam autem hoc pacto, ut Verbum sive Sermonem, pro sermonis seu

Ioh: 1. 1, & 14.

Apoc: 19. 13.

lib: 3. c. 3.

vid. Ioh: Maldonatum in cap: 1. Ioh:

v 18.

verbi

verbi præcone atque autore poni intelligamus. In quam sententiam & ipse sese viam, veritatem, vitam, resurrectionemque nominat: quia nimirum istorum omnium dux & autor est.

Ioh: 14. 6. 11. 25. Phil: 2. 5. & seq.

Quòd autem Paulus in Dei forma Christum fuisse dicit, similiter nequaquam convincit, illum Patri eâdem naturâ essentiâque conjunctum esse. Formam enim Dei ejusdem naturam minimè designare hinc perspicitur, quòd Paulus apertissimè de homine Christo Iesu verba facit, ut non solùm ex ipso Iesu Christique nomine, verùm etiam ex attributis, quæ in illum altissimum Deum cadere non possunt, perspicuum est. Nam & Iesu nomen hominis est proprium, & Christus unctum designat, quorum neutrum Deo altissimo congruit. Attributa autem illa sunt, seipsum exinanire, atque humiliare, obedientem se Deo præstare, & quidem usque ad mortem, a Deo extolli, & præmio donari: quæ quidem in Deum altissimum, immutabilem, ac immortalem, minimè convenire, quis non intelligat? Quid? quòd illa ipsa, quæ naturæ divinæ in Christo existentis argumentum continere creduntur, nempe in Dei forma, Deoque æqualem esse, idque rapinam minimè ducere, istam de divina Christi natura, eâdemque cum Patre essentiâ opinionem planè evertant. Quomodo enim, qui Deus ipse est, in Dei forma eique æqualis esse, rectè dici potest? aut quo pacto, quemadmodum raptores facere solent, summus ille Deus, essentiam suam mordicus minimè tenuisse dicetur? Illud enim verbis istis, *Non rapinam arbitratus est*, significari, facilè animadvertet is, qui consideraverit, ea de Christo ideò hîc usurpare Paulum, quòd formam æqualitatemque Dei deposuerat. quod similiter in altissimum illum Deum cadere nequaquam potest. Consequens igitur est, Dei formam, non Dei naturam, sed speciem significare: id quod ex opposita quoque forma servi luculentissimè patet, quæ nequaquam servi significat naturam, sed speciem, sive servilis conditionis similitudinem. Vt enim servus in abjectissima vitæ ratione constitutus, contemptui omnique injuriarum generi ita subjectus est, ut ne verbo quidem eas ulcisci audeat: ita Christus, cùm mors ipsius instaret, ab omnibus despici, calumniis onerari, injuriis affici, vinciri, flagellis turpissimè verberari, ac denique ignominiosæ cruci affigi sustinuit. Quid, quæso, est formam servi sumere, si hoc non est? Hoc ergo idem e contrario de Dei forma existimandum est. Dei enim est, tempestatibus, morbis, morti, dæmonibus ita imperare, ut nutui ejus sine mora parere cogantur; Dei est ab hominibus religiosè coli atque adorari; Dei est in rebus omnes hominum vires longè superantibus invocari. Vnde

Cap: X. De coëssentialitate Christi cum Patre.

cari. Vnde efficitur, Christum meritò in Dei forma, Deoque æqualem fuisse a Paulo dici, quòd tanta ab ipso potestate in omnes res cœlo subjectas donatus erat, ut mari, ventis, morbis, morti denique summa cum potentia imperaret, ideoque a plurimis divino honoris atque invocationis cultu afficeretur: quia videlicet summa hac autoritate atque potentiâ, quam in se perpetuò manentem, cum aliis quoque communicare poterat, signisque mirandis, Deum tanquam vera illius effigies referebat. Hîc verò dicent, nequaquam per servi formam, servi conditionem, sed naturam potiùs intelligendam esse: cùm Paulus seipsum explicans mox subjungat, hunc Dei filium in similitudinem hominum factum, habituque fuisse inventum, ut homo; indeque consequens esse, ut e contrario nec Dei conditionem sive speciem, sed naturam, ejusdem formâ significari credendum sit. His igitur responsum volumus, verba ista nequaquã superiorum explicationem continere, sed rem aliam formæ Dei oppositam declarare; ut appareat, Christum non solùm ita Dei formam deposuisse, ut formam servi assumeret; sed eo quoque habitu inventum fuisse, ut nihil ab aliis vulgaribus hominibus sejunctum habere videretur. Nec enim est, quod *hominis* vocabulo simpliciter posito conturbemur: cum eo sensu id in scripturis usurpari solere, argumento sint illa Samsonis verba, quibus se dicit futurum, ut unus homo, seu unus hominum. Et illa, quibus Asaph eos, quos altissimi filios nominaverat, morituros ait, ut homines, id est, haud aliter, ac alii vulgares homines. Hinc colligitur, frustra adversarios in voce μορφὴ philosophari, affirmantes, non exteriorem formam, sed naturam atque essentiam eâ significari: cum nec fieri id hoc loco posse jam demonstraverimus; nec ullo scripturæ testimonio ista interpretatio comprobari queat. In uno enim tantùm fortasse, prẹter præsentem, loco, videlicet apud Marcum, μορφῆς seu formæ vocabulum reperitur, ubi Dominus Iesus in alia forma apparuisse legitur. id quod de alia essentia accipiendum esse, nemo sanus dixerit.

Iud: 16. 7, 11.
Psal: 82. 7.
Mar: 16. 12.

Ex Divinitate quoque corporaliter in Christo habitante, coëssentialitatem hanc concludi minimè posse, inde perspicitur, quòd Divinitatis nomine, nec Dei, nec Christi natura, sed divinæ voluntatis notitia, Deique colendi ratio intelligi potest, atque adeò debet. Quam quidem plenitudinis vocabulo amplificare, & corporaliter Christo, id est, ipsius doctrinæ inesse, ideò asserere voluit Paulus, ut divinæ veritatis cognitionem perfectam, solidam, nullaque ex parte adumbratam, ut in Lege fiebat, Christi institutis contineri intelligeremus. id quod satis ostendit, Divinitatis nomine, essentiam ipsius

Col: 2. 9.

am ipsius Dei altissimi intelligi nequaquam debere. Quid enim alioqui necesse fuisset *plenitudinis* istius Divinitatis, & quidem *omnis*, meminisse? quasi verò suspicari quispiam potuisset, eam in illo, in quo habitet, non plenam, vel non usquequaque plenam esse. Christum autem sæpenumero, non Christi personam, aut naturam, sed per metonymicam dicendi figuram, aliud quippiam, vel ad Christum respiciens, vel ab illo profectum designare, ex illis locis perspicuum est, ubi Christus [a] mysterium inter homines appellatur, & ubi [b] Christum accepisse, [c] Christum didicisse, [d] Christum induere debere, aut [e] eundem induisse, [f] in Christo esse, [g] in Christo denique ambulare dicimur. Hoc autem in loco divinitatis plenitudinem, Christo corporaliter inhærentem, non naturæ alicui, sed Philosophiæ, legalibusque institutis, utpote umbratilibus opponi, manifestissimum est. Unde efficitur, id ejus nomine intelligendum esse, quod paulò antè diximus.

a Col: 1. 27.
b Col: 2. 6.
c Ephes: 4, 20.
d Rom: 13. 14.
e Gal: 3. 27.
f 2 Cor: 5. 17.
g Col: 2. 6.
conf: ℣ 8, 9, 17.

Iam ut ad eas sententias veniamus, quę pluribus terminis arctam hanc Christi cum Deo conjunctionem exprimunt; animadvertendum, eas in duo genera distribui posse. vel enim propter quandam, ut loquuntur, subordinationem, quod uni horum evenit, alteri evenire affirmant; vel easdem res ab utroque possideri asserunt. Illud quidem tunc fit, cùm qui Christum videt, agnoscit, audit, illi fidem adjungit, divinum honorem cultumque adhibet, & contrà, qui eundem spernit ac contumaciter rejicit; tam hoc, quàm illud, Patri ipsius facere dicitur. De quib: sigillatim ordineq; videbimus.

Primò igitur dicimus, Christo nunquam in mentem venire potuisse, asserere, nos eum videndo cognoscendoque, Dei Patris ipsius videre cognoscereque essentiam. Hoc enim, ut fieri nullo pacto potest: cum id nequaquam in naturæ nostræ imbecillitatem cadat, aperteque a divino spiritu inter ea numeretur, quæ humanam facultatem superant: ita nunquam Christum Patris sui essentiam hominibus repræsentâsse constat. Neque enim hæ illius erant partes, ut Patris nobis essentiam exprimeret: sed ut ea, quæ ad illius percipiendam voluntatem atque consilium, & porrò, quæ ad summam ejus sapientiam, potentiam, atque bonitatem animo comprehendendam pertinebant, ante oculos nostros constitueret. Quæ omnia Christi dictis factisque contineri, ipse apud Ioannem luculentissimè docet.

Ioh: 14. 7, 9, & 12.
Ioh: 1. 18.
1 Tim: 6. 16.
Ioh: 14. 10.

Deinde nec illis sanctę scripturę testimoniis eadem Christi cum Patre essentia comprobatur, quibus, qui Christum audiunt, aut eum aspernantur, id illius Patri facere dicuntur: nisi eandem ob causam &

Cap. X. De coessentialitate Christi cum Patre.

sam & Apostolos aliosque fideles Christo, & Israëlitas Deo, essentiæ unitate copulatos esse volumus. Vt enim, qui Apostolos spernit, qui Christi fidelibus beneficentiam denegat, qui contrà eosdem audit & recipit, beneficiisque afficit, ipsum aut contemnere, aut destituere, aut etiam complecti, officiisq; prosequi perhibetur: ita qui Israëliticam nationem tangit, ipsius oculi pupillam tangere dicitur: cum tamen nulla neque hîc, neque illic, consubstantialitas cogitari possit: sed potiùs ideò Deo Christoque ista accidere dicuntur, quia illis eveniant, qui vel eorum gerunt personam, vel amoris vinculo illis sint conjuncti.

Mat: 10. 40. Luc: 10. 16. Ioh: 13 20. Mat: 25. 40, 45. Zach: 2. 8.

Ad extremum, nec illi loci, quibus in Filium Dei credendo, in ipsum Deum Patrem credere, aut debitum ei honorem negando, ipsi Patri eum negare dicimur; contrà autem honor illi exhibitus in Dei Patris gloriam cedere asseritur, istam coëssentialitatem constituunt; imò planè eam evertunt: cum satis appareat, Christum hîc ut mediam salutis nostræ causam considerari: utpote in quo fides honorque iste nequaquam terminetur, sed per eum ad Patrem, tanquam ultimum scopum, primamque salutis nostræ causam dirigatur; & ideò manifestè inter Deum & Christum distingvatur, & sic coëssentialitas ista corruat necesse sit. Nec obstat, quantùm ad fidem attinet, quòd Ieremias dicit, *Maledictum esse, qui confidit in homine:* cum ibi ea ratione spem habere in homine prohibeamur, quatenus qui hoc faciunt, & carnem brachium suum ponunt, id est, viribus humanis, Dei virtute auxilioque destitutis, nituntur, & a Deo deficiunt, ut sequentia Prophetæ verba clarissimè docent. Horum autem neutrum facimus in Christum credendo: imò tunc ipsi Deo, ejusque immenso robori maximè confidimus, & ad eum proximè accedimus; tantum abest, ut Christum fide complectentes, in carne brachium nostrum ponamus, a Deoque deficiamus. Huc pertinent omnia testimonia, quæ de adoratione ac invocatione Christi agunt, ita ut nequaquam coëssentialitatem istam comprobent: cum quicquid cultus ac honoris Christo habetur, id ad Deum, ut ultimum scopum referatur, qui Christum in tantam potestatis sublimitatem, ad suam ipsius gloriam mirum in modum illustrandam, extulit.

Ioh. 12. 44. 1 Pet: 1. 21. Iohan: 5 23. Phil: 2. 11. Ierem: 17. 5. Hebr: 7. 25. Phil: 2. 11.

Vt tamen adversarii suam coëssentialitatem stabiliant, afferunt illa Dei verba, quibus gloriam suam alteri sese daturum negat. Sed triplici ratione errant: primùm in verbis *gloriam meam;* deinde in voce *dabo;* denique in dictione *alteri.* Nam quod attinet ad verba *gloriam meam;* constat, Deum suam propriam gloriam, quæ est, ut omnium

Esa: 42. 8: 48. 11.

Cap: X. De coëssentialitate Christi cum Patre.

omnium rerum fontem atque originem coli atque adorari, Christo minimè dedisse. Deinde si verbum *dabo* spectemus; dicimus, haud necessariò ex illo consequi, Deum nulli unquam adorationis gloriam largiri velle: cum *dandi* verbum nonnunquam non largiendi, sed permittendi significationem habeat: ut sit sensus, Deum nequaquam permissurum, ut contra suam voluntatem divinus honor alicui exhibeatur. Quam quidem sententiam verbis accommodatissimam esse, inde facilè perspicitur, quòd ibidem additur, *nec laudem meam sculptilibus*, scil. dabo. Quis enim dubitare poterat, Deum ipsum non impertiturum gloriam suam idolis? at Deum non esse permissurum, ut gloria sua, de qua ibi loquitur, idolis tribuatur, non perinde constabat. Quare de hoc potiùs, quàm de illo, Deus loquitur; & sic verbum *dandi* permittēdi significationem habet. Deniq; si voce *alteri* Christum hominem divinâ gloriâ aut excludi, aut ejusdem eum cum Patre essentiæ esse probari dixerint, utrobique falluntur: cum ipse sermonis contextus ostendat, per vocem *alteri* non eos intelligendos esse, qui a Deo dependent, eivé sunt subordinati, qualis est Dominus Iesus: sed illos omnes, qui Deo ita sunt oppositi, ut gloria illis adhibita, ad ipsum minimè redundet: qualia sunt idola, & Dii gentium, ibidem commemorati. Etenim ad vocem *alteri* meliùs explicandam, statim subjiciuntur verba paulò antè a nobis adducta, *Nec laudem meam sculptilibus*.

Psal: 16. Act: 2. 27.

Iam quod ad ea attinet testimonia, quę possessionis ratione Christum cum Patre conjungunt; illa Christi verba potissimùm huc spectare videntur: *Omnia quæ Pater habet, mea sunt.* item, *Omnia mea tua sunt, & tua mea.* Ratio autem, quæ ex his testimoniis ducitur, vel in eo consistit, quòd vox *omnia* etiam substantiam Dei ac Christi complectatur; vel quòd etiamsi essentiam non complectatur, ex ista tamen omnium rerum communitate, quæ inter Patrem & Filium sit, consequatur, eorum esse eandem numero substantiam. Prius nulla ratione nititur: cum communis loquendi consvetudo ferat, ut in hujusmodi verbis ea tantùm omnia intelligantur, quæ in alicujus sunt potestate, & a substantia seu essentia ejus, qui ea habere, vel cujus ea esse dicuntur, distincta. Quo pacto pater ille in parabola a Christo introductus, ita filium alloquitur: *Omnia mea tua sunt.* & de primis Christianis in Actis legimus, *Omnia iis fuiße communia;* quemadmodum etiam vulgò dicitur. *Amicorum omnia eße communia;* quę nequaquam ad ipsam personarum istarum essentiam, quæ eadem numero existens iis sit communis, sed ad bona tantùm ac facultates extenditur. Ex quibus etiam patet, posterius, quo isti-

Ioh: 16. 15: & 17. 10.

Luc: 15. 31. Act: 4. 32.

Cap. X. De coëssentialitate Christi cum Patre.

quo istiusmodi argumentatio niti queat, nullius esse roboris: quandoquidē duo aut plures rectissimè dici possunt omnia habere communia, licet eandem numero substantiam non habeant. Quod hîc tantò est manifestiùs, quòd sacræ literæ apertè dicant, omnia Christo a Patre data esse; id quod non obscurè Christus indicavit loco posteriore, cùm de discipulis suis, qui *omnium* istorum numero continentur, dixit, eos sibi a Patre datos esse.

Mat: 11. 27. Iohan: 3. 35.

Ioh: 17. 9, 10. vid: etiam: ℣ 6, 7.

Consequens nunc est, ut de illis vocibus sententiisq; videamus, quæ Christi cum Patre conjunctionem, quantumvis arctissimam, obscuriùs tamen explicant. Intelligendum igitur est, eas iisdem de utroque prædicatis potissimùm contineri, quæ hîc de Christo, illic de Deo enuncientur: idque rursus dupliciter fieri, vel ita, ut non significetur, id, quod de Deo dictum aliquando fuerat in Christo impleri, licet interim fieri queat, ut ad loca de Deo loquentia alludatur; vel ut id etiam fieri intelligendum sit. Prioris generis exempla sunt, cùm Christus itidem primus & novissimus dicitur, ut ipse Deus: item, cùm tam hic, quàm ille, dicitur lapis offensionis. Horum neutrum coëssentialitatem istam constituere, inde perspicitur, quòd nihil vetat, quominus duobus, quantumvis diversis, similis, vel etiam una eademq; res conveniat. Ne tamen hęc leviter transire videamur, utrumque seorsim justis ponderibus examinabimus.

Esa: 41. 4: 44. 6. 48. 12. Apoc: 1. 17: 22. 13. Esa: 28. 16. Rom: 9. 33.

Primò igitur, quòd Christus itidem, ac Deus Pater ipsius, primus ac novissimus appellatur, nihil planè momenti habet ad consubstantialitatem istā concludendam: cum quis nulla ejus habita ratione, jurè primus novissimusque dici possit, dummodo rei, qua de agitur, principium ac finis meritò queat appellari. Neque enim necesse est, ut verba ista simpliciter & absolutè de Christo usurpata esse intelligamus: cum nec de ipso Deo simpliciter absoluteq; facta iis in locis sint, ex quibus sunt deprompta. Loquitur enim in iis Propheta vel solùm, vel præcipuè de populi Israëlitici formatione, electione, redemptione, defensioneque ac conservatione, ut loca illa studiosè legenti patet. Quo fit, ut nullum alium sensum verba ista continere videantur, quàm frustra Israëlitas in alio, præter Iovam, salutis suæ præsidium posituros: cum ipse eam & inchoaverit, & ad extremum usque conservaturus sit. Manifestum igitur est, ut quis primus novissimusque jurè vocetur, non necesse esse, quemadmodum paulò antè diximus, ut vel unus ille Deus, vel eidem consubstantialis sit, sed satis esse, ut rei, de qua disputatur, principium ac finis meritò dici possit: ut liquidò appareat, Iesum Christum nequaquam summo illi Patri consubstantialem statui debere,

Esa: 41. 4: 44. 6: 48. 12. Apoc: 1. 17. 22. 13.

quòd eodem illo titulo in Apocalypsi insignitur. Ipse enim verborum contextus indicat, & de eo verba fieri, qui, mortuus cùm fuisset, revixerat,& porrò eum non omnium prorsus rerum, sed earum tantùm omnium ratione primum ac novissimum dici, quæ ad humani generis salutem, seu mavis, ad Ecclesiam pertinent. Earum enim Christum ita principium finemque esse, ex universa scripturæ analogia patet, ut Deo auctore primus Ecclesiæ militantis salutisque nostræ fundamenta jecerit, eandemque non alius præter ipsum finiturus, atque ad fastigium suum perducturus sit. Primus enim beatæ immortalitatis viam ostendit ac comprobavit; nec unquam alius extiturus est, qui novi aliquid huc pertinens, orbi terrarum annunciet. Fœdus quippe, quod Dei nomine nobiscum pepigit, sempiternum est: adeò ut meritò dicatur, *Iesus Christus heri & hodiè idem, & in secula;* nec injuriâ ibidem alienis doctrinis varilsque prohibeamur. Quemadmodum autem Christus primus ac solus Dei nomine salutem nobis annunciavit ac confirmavit, ejúsque adipiscendæ rationem ostendit, adeò ut cæteri omnes, qui aliquid ad eam rem contulerunt, a Christo toti pependerint, eique hac in parte subservierint: sic nunc nemo alius est, cui salutis nostræ universæ cura a Deo commissa sit; nemo etiam alius est, qui eam nobis tandem re ipsa sit exhibiturus. Atque hanc esse causam, cur sese Christus hoc nomine appellet, indicio est, quòd ibi mox subjunxit, sese, quamvis mortuus fuisset, vivere tamen in secula seculorum,& habere claves mortis & inferni. quasi dicat: ideo me primum & ultimum vocavi, quia, etsi, dum primum salutem sempiternam hominibus annuncio, mortuus fui: tamen revixi ita, ut in perpetuum victurus, & inchoatum salutis opus ad finem ipsemet perducturus sim, meos omnes ex mortis atque inferni claustris, quorum aperiendorum plenissimam potestatem habeo, eripiendo, atque ad sempiternam vitam perducendo. Vnde perspicuum est, consubstantialitatem istam, quâ Christus Patri conjunctus sit, hinc elici nullo modo posse; nisi hominem istum, qui hunc titulum sibi vendicat, quique mortuus fuit & revixit, quatenus homo est, summum illum immortalemque Deum esse volumus.

Apoc: 1. 18.

Heb: 13. 8, 9.

Esa: 28. 16. Rom: 9 33.

Quòd præterea tam Christus, quàm Deus Pater ipsius, lapis offensionis appellatur, similiter adversariorum causæ præsidii nihil adfert: cum, ut suprà diximus, nihil quicquam prohibeat, quominus duobus, aut etiam pluribus, quantumvis diversis, eadem conveniant. Adde, quòd Deus ille summus ita sit lapis offensionis, ut a nullo alio sit positus ac constitutus. Christus autem ita lapis offensionis

ſenſionis eſt, ut a Deo ſit poſitus ac conſtitutus, quemadmodum tum Paulus, tum Petrus ſat luculenter teſtantur.

Cap: X. De coëſſentialitate Chriſti cum Patre.

Rom: 9. 33. 1 Pet 2 7 conf. etiam ℣ 6.

Sequitur, ut ea videamus teſtimonia, in quibus aliqua ratione ſignificatur, id, quod de Deo aliquando dictum fuerat, in Chriſto impleri. Huc autem præter alia ſcripturæ loca, de quibus inferiùs commodior erit agendi locus, pertinent illa, in quibus verba Dei apud Zachariam, *Aſpicient me quem transfixerunt;* & illa Davidis de Deo, *Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem, accepiſti dona in hominibus;* & iſta ejusdem, *Et adorent eum omnes angeli*, vel *Dii;* & illa denique verba apud Eſaiam, *Mihi ſe flectet omne genu*; ad Chriſtum referuntur, & in eo impleri, ſive apertè, ſive tacitè dicuntur. Hîc primò generatim reſpondemus, nequaquam neceſſe eſſe, ut quia utrumque teſtimonium olim de Deo Patre, poſtea verò de Chriſto dictum eſt, idcirco Chriſtum eâdem eſſentiâ Patri copulatum eſſe ſtatuamus. Præterquam enim, quòd hoc in eorum eſt numero, quæ fieri nullo pacto poſſunt; ſatis eſt, nos hîc ſummam Dei Patris neceſſitudinem cum Chriſto, quæ in ardentiſſimi amoris, ſummi imperii, ampliſſimæque poteſtatis, & diviniſſimi muneris conjunctione ſita eſt, conſiderare.

Zachar: 12. 10. Ioh: 19. 37. Apoc: 1. 7. Pſal: 68. 19. Epheſ: 4. 8. Pſ: 97: 7. Heb: 1. 6. Eſ: 45: 24. Rom: 14. 11.

Verùm ut ſpeciatim reſpondeamus; operæ pretium eſt, ratiocinationem ex priore teſtimonio ductam paulò diligentiùs examinare. Negamus ergo, ex eo, quòd verba Dei, *aſpicient me, quem transfixerunt*, ad Chriſtum referantur, & in eo impleri ſtatuantur, conſequi, Chriſtum eſſe illum ipſum Deum, qui apud Prophetam ita loquens introducitur: cum ſatis ſit, id, quod Deus de ſe dixit, tunc impletum fuiſſe, cùm Chriſtus fuit transfixus, ita ut Deus in Chriſto, atque ut ita dicam, per Chriſti latus confoſſus ac transfixus fuerit. Homines enim ſcelerati Chriſtum transfigendo, Deum ipſum transfixiſſe, haud aliter dici poſſunt, ac illi, qui Iſraëlitis tangendis, Dei oculi pupillam, ut eſt apud eundem prophetam tangere, vel Paulus Eccleſiam perſequendo, ipſum Chriſtum perſequutus eſſe dicebatur; ea nimirum ratione, quam ſuprà explicavimus, ut, quod vel illorum, qui amoris vinculo adſtricti ſunt, uni accidit, alteri accidiſſe, vel quod nuncio evenit, illi, a quo eſt miſſus, eveniſſe intelligamus. Hic nonnulli, ut nobis obviàm eant, concedunt quidem, aliquem vel in nuncio, vel in alio quopiam, qui ad ipſum pertineat, contemni aut negligi, occidi autem nullo pacto poſſe. At quàm aptè nobis occurrant inde patet, quòd non ſolùm ſimpliciter negligi, aut contemni, ſed etiam tangi in altero alicujus oculi pupillam, & aliquem in aliquo perſecutionem perpeti, divinis teſtimoniis com-

Zach: 12. 10. Ioh: 19. 37. Apoc: 1. 7.

Zach: 2. 8. Act: 9. 4.

niis comprobavimus. Quanquam autem persecutionis nomine & occisionem contineri dicere possemus: id tamen hoc loco dicere necesse non est: cùm vaticinio illo non occisionis, sed compunctionis tantùm fiat mentio, quæ in eo, qui alteri est subordinatus, propriè, in illo verò, cui subordinatus est, metaphoricè absque ulla absurditate contingere potest; præsertim cum figuratam transfigendi significationem sanctæ literæ planè agnoscant, ut apparet ex Prov. 7. 23. & Luc. 2. 35.

Psal: 68. 19. Ephes: 4. 8. Alterum quoque locum nihil ad dogma istud constituendum ponderis afferre, ex eo constat, quòd, etiamsi concedatur, verba illa Psalmi de unico Israëlis Deo loqui; nihilominus tamen non sequatur, Christum, de quo ea Paulus citat atque explicat, ipsum illum Deum esse, sed tantùm id, quod de unico Israëlis Deo prædictum in Psalmo fuerat, in Christi persona fuisse impletum; ita ut eatenus dicatur Deus ascendisse in altum, atque instar triumphantis in sublime vectus, ductâ in triumphum magnâ captivorum multitudine, & arreptis muneribus variis, ea inter homines velut dispersisse, quatenus Christus, qui personam ejus singularissima ratione sustinuit, & in quo is peculiariter præsens aderat, id fecit, & quidem ipsius Dei virtute ac potentiâ. 2 Paral: 6. 41. Psal: 24. 7, 9: 132. 8. Quòd si Deus ipse surgere, ingredi, requiescere dici poterat, surgente, ingrediente, requiescente arcâ fœderis, quæ præsentiæ divinæ quoddam erat symbolum: cur non multò magis ascendere dici queat Deus, ascendente Christo, cujus longè major est cum Deo, & quidem ratione illius ipsius ascensionis, & eorum, quæ illam fuêre consequuta, conjunctio, quàm non dicam arcæ, sed ullius etiam alterius creaturæ. Sed deinde probari non potest, Deum illum, de quo hęc verba efferuntur, unicum illum Israëlis Deum esse. Referuntur enim proculdubio ad Deum præced. vers. nominatum. At ibi in Hebræo extat nomen Elohim, quod aliis etiam præter illum unum Israëlis Deum competit, sed inprimis Christo homini, propter tantam potentiam, tamque sublime imperium, quod a Deo est adeptus. Præterea cum, Deo illo cum suis curribus nominato, addatur, *Dominus in eis*, hoc est, Dominus illis virtute ac favore suo adest; satis manifestè Deus ille a Domino, qui ut ex reipsa, quæ illi tribuitur, & ex voce Adonai, cum puncto kametz in Hebræo notata apparet, unus ille Israëlis Deus est, distingvitur. Quare verba hæc pro simplici vaticinio, quod de Christo extet, meritò haberi possunt.

Psal: 97. 7. Hebr: 1. 6. Esa: 45. 24. Rom: 14. 11. Quod ad duo postrema loca attinet, in quibus Deum adorare jubentur angeli, aut Deus ipse jurat, flectendum sibi esse omne genu,

quæ lo-

Cap: X. De coëssentialitate Christi cum Patre.

quæ loca nihilominus ad Christum referuntur; respondemus itidem, ut paulò antè, ideò id fieri, quia id, quod de Deo iis in locis dicitur, in Christo impleatur, qui ut in imperio, ac judicandi potestate, ita etiam in honore, qui ei propterea debetur, ita est cum Deo conjunctus, eique subordinatus, ut Deus in ipso & per ipsum adoretur, & genua ei flectantur. Et sanè Christum iis in locis, ubi utrumque testimonium ad ipsum accommodatur, non considerari tanquam summum illum Deum, cui primò ac per se honor ille debeatur, sed tanquam eum, qui dominium in vivos ac mortuos, atque adeò eos omnes judicandi potestatem, propter quam omnes ei genua flectere debeant, acceperit, quique præstantior angelis ea in re effectus fuerit, satis indicant ipsorum locorum circumstantię; & illud manifestè docet, quòd Paulus ad locum Esaiæ apertè respiciens, eumque ad Christum accommodans, ita ad Philippenses scribens ait: *Propter quod* (nempe propter obedientiam Deo usque ad mortem crucis præstitam) *etiam superexaltavit illum Deus; & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & subterraneorum, & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus sit Iesus Christus ad gloriam Dei Patris.* Vnde patet, tum quam ob causam Christo omne genu flecti, & omnis lingva ipsi confiteri debeat, tum quo pacto Deo ipsi in Christo genua flectantur, & omnis lingva ipsi confiteatur; quatenus nimirum honor ille Christo exhibitus, & confessio nominis ejus *in gloriam Dei Patris* cedit. quibus de rebus vide, quæ ipsemet Christus apud Ioannem dicat cap. 5. 22, & seqq. Phil: 2. 9, 10, 11.

Postquam satis de illis hujus rei testimoniis, quæ in verbis potissimùm occupantur, egimus, cōsequens est, ut eos etiam locos ponderemus, in quibus rerum communitas quædam exprimitur. Horū autem duo rursus sunt genera: quorum alterum in iisdem Dei Patris Filiiq; operationibus versatur; alterum in proprietatibus, quæ utrique inesse videntur, constitutum est. Ac primùm quidem operum conjunctio magnum consubstantialitatis istius argumentum continere videtur, præsertim cum etiam Iudæi Christum, ideò se æqualem Deo facere dicant, quòd quęcunque Pater facit, se similiter facere affirmat. Nos igitur fatemur, non planè perperàm Iudæos id ex operum similitudine colligere. Verùm, ut suprà ostendimus, ista æqualitas omnimoda nequaquam est: cum Pater a seipso omnia faciat, Filius verò nonnisi a Patre sibi data atque concessa efficere posit, quemadmodum Christus ipse Iudæis respondens, & æqualitatem cum Deo, quam illi ex verbis ipsius colligebant, limitans ait. Ioh: 5. 17, & d. ℣ 19, & d.

Cap: X. De coëssentialitate Christi cum Patre.

Accedit, quòd ad pleniſſimam operum æqualitatem conſtituendã, non ſatis eſt patrare miracula ſub hominum oculos cadentia, & ad certa tantùm ſecula ſpectantia, ſed omnia planè ſine ullo diſcrimine opera, perinde ut Pater, facere. id quod de Chriſto neque alibi, neque hoc in loco dictum eſſe comperimus. Et hîc quidem de ſe Patreque ſuo in præſenti tempore loquitur, ita ut nihil ſit neceſſe, ea ad antecedentia ſecula, atque adeò ad creationem ipſius mundi extendere. Hîc dices, non ſolùm miracula in oculis hominum, idque humanitatis ſuæ tempore Chriſtum edidiſſe, ſed ſimul cum Patre omnia creaſſe: cum ſcriptura dicat, *per ipſum omnia facta eſſe, & ſine ipſo factum eſſe nibil.* Verùm ſciendum, vocem *omnis* & *omnia*, in novi Teſtamenti ſcriptis, uti & alibi fieri conſvevit, perpetuò ad illam rem pertinere, quæ explicatur, ſeu ad ſubjectam, ut loquuntur, materiam referri, nec ſeſe latiùs extendere. Cum autem Ioannes de Ieſu Chriſto homine, quem Verbum ſeu Sermonem hoc loco nominat, deque ejusdem Evangelio ſermonem inſtituerit: quandoquidem nec IeſuChriſtique nomina alii præter hominem convenire poſſunt; nec alia de re, quàm de Evangelio, iisque quæ ad Novum fœdus pertinent, Ioannes Evangeliſta ſcribere debuit: conſequens omnino eſt, illa omnia hîc deſignari, quæ facta ſunt perChriſtum hominem, & porrò quæ ad Novum fœdus quoquo modo pertinent; de quibus etiam loquitur Paulus loco huic admodum ſimili: *Vetera tranſierunt: ecce facta ſunt nova omnia.* Quòd autem Ioannes ſubjungit, *ſine ipſo nihil factum eſſe, quod factum eſt*, id non eã vim habet, ut prorſus nihil eorum, quę facta unquam fuerunt, excludat: ſed, quemadmodum vox *omnia* ad certum rerum genus reſtringendum eſt, ita etiam vox *nihil* ei oppoſita. Imò ſi quis rectè attendat, animadvertet, Ioannem in poſterioribusverbis priora quodammodo limitare, dum addit, *quod factum eſt*. q. d. quod nuper factum oculis noſtris vidimus, & de quo loqui perpetuò ſolemus. animadvertet etiam, Ioãnem ſignificare, non omnia huc pertinentia æquè per Chriſtum facta eſſe, ſed quędam eatenus tantùm, quatenus non ſine ipſo, ſeu abſque ipſius autoritate ac virtute facta ſunt. nempe quia multa etiam poſt Chriſti reſurrectionem ab Apoſtolis facta fuerunt, ad Novum fœdus ſpectantia, atque inprimis gentium converſio, & ceremoniarum legalium abrogatio: ſed tamen non ſine ipſo, aut ſine ipſius numine, ut ex ſcripturis Novi Teſtamenti manifeſtum eſt.

Ioh: 1, 3.

Vid: inter alia Mat: 13. 23: Ioh: 4. 25: 14. 26: 19. 28: Act: 20 35: 1 Cor: 6. 12: 2 Cor: 5. 17. 1 Ioh: 2. 20, 27.

2 Cor: 5, 17.

At, inquies, ſatis ſeipſum Ioannem explicare, cùm inferiùs dicit: *Eum in mundo fuiſſe, mundumque per ipſum factum eſſe, & mundum*

Ioh: 1. 10.

eum

Cap: X. De coëssentialitate Christi cum Patre.

eum non cognovisse. Nos verò nullam rationem cogere videmus, ut hæc posteriora Evangelistæ verba ad illorum explicationem adhibita esse credantur; & consecutionem, quâ tacitè hîc utuntur adversarii, nullius momenti esse dicimus. Non protinus enim, ubi *mundi* vocabulum scriptum reperitur, de cœlo terraque verba fieri statuendum est; idque propter vocis istius ambiguitatem, utpote quæ præter memoratam ejus significationem, jam hominum consociationem, & quasi civitatem significat, jam homines sceleribus inquinatos, jam denique futuras illas nostras sedes, ac beatissimam vivendi rationem, quam *mundum futurum* vocat D. Autor Epist: ad Hebr. adeò ut nihil prohibeat, quominus Ioannem hoc in loco de diversis mundis, non sine sermonis venustate, loqui credamus: ut nimirum Christum in hoc mundi domicilio fuisse, perque eundem futurum illud seculum effectum esse, quo pacto etiam infrà gratiam & veritatem per Christum factam esse asserit; homines verò perditos eum nequaquam cognovisse ostendat. Si enim, ut adversarii volunt, duobus modis vocem mundi in his verbis accipit Ioannes, nunc pro rerum aspectabilium universitate, nunc pro hominibus impiis; nulla est ratio, cur, cum ter hanc vocem repetierit, triplici eam significatione non usurpârit. imò hoc haud paulò est concinnius illo atq; elegantius. Quòd si triplicem significationem vocis eo loco nolis admittere, propius vero est, Ioannem de uno eodemq; mundo verba facere. quod si statuas, certè non nisi homines hoc nomine significari inde apertissimum est, quòd mundum hunc lucem minimè cognovisse ait. Vnde efficitur, cœli terræque creationem, hoc Ioannis testimonio, Christo asseri nequaquam posse: cum hominum effectio a cœli terræque creatione non parùm distet. Huc accedit, quòd ipsa verborum complexio demonstrat, tunc per Christum factos esse homines, cùm inter illos esset, id est, cùm per Evangelii doctrinam in tenebris luceret, in mundum veniens, id est, officium suum aggrediens, omnem hominem illuminaret, ad suos gentiles veniret, omnibus sibi fidem adjungentibus in filios Dei evadendi potestatem concederet. Homines verò *mundi* appellatione designati ita per illum facti sunt, quemadmodum etiam omnes per eum fuerunt illuminati. At illuminati per illum ita fuerunt, ut quamvis major hominum pars luminis ipsius claritatem fugeret, per ipsum tamen, quominus eâ omnes reipsa collustrarentur, minimè staret. Eodem igitur pacto mundus per ipsum factus, id est, quantum in ipso fuit, refectus est, licèt maxima ejusdem pars eum agnoscere, divinamque clementiam, ipsius operâ dela-

Heb 2. 5. conf. cum cap: 1. 6. & 2 Pet: 3. 13. & Rom: 4. 13.

℣ 17.

Cap: X. De coëssentialitate Christi cum Patre.

râ delatam, grata mente prosequi, & animum ac mores ex ipsius præscripto reformare noluerit. In qua quidem consideratione animadvertendum est, in mundum venire, in mundoque esse, ex Novæ scripturæ consvetudine, publicam officii administrationem significare; & mundum *factum*, pro refectum esse, ideò nos ab Evangelista dictum existimare, quòd Hebræos pro compositis verbis, quibus carent, simplicia usurpare, & faciendi verbo interdum non substantiæ ejus rei, quæ fieri dicitur, productionem, sed novæ in eam qualitatis introductionem significare constat. cujus rei inter alia habes exempla 1 Sam. 12. 6: Psal. 100. 3: Esai. 43. 7: Ephes. 2. 10: Hebr. 3. 2.

Col: 1. 16. At clariùs, inquient, Paulus *in Christo*, & *per Christum condita omnia esse* dicit, *& quæ in cælo, & quæ in terra, visibilia, & invisibilia, sive thronos, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Omnia*, inquit, *per ipsum, & in ipsum sunt creata: & ipse est ante omnia, & omnia in ipso constant*. Quomodo igitur negari poterit, Christum iisdem operibus Patri conjungi, & sic eidem consubstantialem esse? Respondemus, istam ratiocinationem multis modis vitiosam esse. Nam nec cœlum terraque, sed omnia quæ in illis sunt, nec ista simpliciter omnia, sed quæ ratione sunt prædita, per Christum condita esse dicuntur. quemadmodum apparet ex eo, quòd Apostolus eodem in loco paulò pòst ait, Deo placuisse, *per ipsum recõciliare omnia in seipsum, pace facta per sangvinem crucis ejus*; *per ipsum*, [inquam,] *sive ea, quæ super terra, sive ea, quæ in cælis sunt*. at reconciliatio nonnisi creaturis intellectu præditis convenit. Huc accedit, quòd verbum Condere seu Creare ambiguum est, ut ex multis scripturæ locis clarissimè patet, quibus verbum *creandi*, tam cum restrictione, quàm absolutè positum, nonnisi renovandi vim habere comperitur. quam significationem & hîc illud continere, tum ex alio loco, ubi eandem materiam tractat Apostolus, tum ex eo, quòd Christum istius creaturæ primogenitum hoc loco vocat, colligitur. In Epist. enim ad Ephesios verbo Instaurandi, ut vetus interpres Græcum verbum ἀνακεφαλαιώσασθαι reddidit, pro verbo Creandi utens dicit: *Deum constituisse, in temporis plenitudine instaurare in Christo omnia, quæ in cælis, & quæ in terris sunt*. quem locum unà cum iis, quæ v. 20. & seqq. leguntur, istis ad Coloss. verbis respondere, facilè intelliget, qui meminerit, Epistolam ad Colosenses, ejus, quæ ad Eph., quoddam veluti compendium esse, & tum ipsa illa testimonia, tum ea, quæ utroque in loco antecedunt & sequuntur, inter se contulerit, & partim unde in hæc verba delapsus fuerit Apostolus, partim

Rom: 8. 19. 2 Cor: 5. 17. Gal: 6. 15. Eph: 2. 10, 15: 3. 9: 4. 24. Col: 3. 10. Jac: 1. 18. Apoc: 3. 14.

Eph: 1. 10.

Cap: X. De coëssentialitate Christi cum Patre.

etiam, quorsum ea protulerit, consideraverit. Sed deinde, uti jam monuimus, hoc ipso ad Col: loco Paulus Christum ejus creaturæ, de qua agit, primogenitum esse ait. Unde & ipsum in rebus illis creatis numerandum constat, qua de re plura infrà dicentur. At Christus nonnisi quatenus homo est, in creaturis haberi potest. Is autem tunc, cum Deus mundum ædificaret, homo nequaquam fuit: ac proinde veteris illius creaturæ primogenitus esse haudquaquam potuit. Consequens igitur est, Paulum de nova creatura sermonem instituisse, quæ nihil est aliud, quàm rerum intelligentium, tam in cœlis, quàm in terris existentium reformatio, & in alium statum traductio. Omnium igitur primò Christus, talis a Deo creatura factus est. Primus enim a mortuis excitatus, & immortalitate donatus est. qua de causa & hoc in loco, & alibi, primogenitus ex mortuis appellatur. postea per eundem omnia ratione prædita, eaque & cœlestia & terrestria, quorum illa ab oculis humanis sunt remota, hæc sub aspectum cadunt, reformata sunt; idque duplici ratione: nimirum ut primò Christus Angelorum Dominus, Ecclesiæque caput constitutus fuerit, atque adeò non solùm homines, sed etiam Angeli, iique non vulgares tantùm, sed etiam omnium præcipui, qui antea soli Deo paruerant, eumque unum coluerant, Christum pro Domino ac capite suo agnoscere, eum revereri atque adorare, & ad varia ministeria ab ipso adhiberi cœperint, deinde ut idem Christus Angelos & homines, qui antea dissidebant, conglutinaverit conciliaveritque. Quorum utrumque magnam istis omnibus mutationem attulit. Dico autem *istis omnibus*, ne quis vocem *omnia*, hîc a Paulo aliquoties usurpatam, omnia absolutè sineque restrictione, & sic etiam arbores, pecora, lapides complecti existimet. Eadem enim ratione ista omnia Christi sangvine reconciliata esse intelligendum esset: cum hoc, uti jam monuimus, ibidem omnibus, quæ tam in cœlis, quàm in terris sunt, attribuatur.

vid. inf. c. 12.

Col: 1. 18.
Apoc: 1. 5.

Instabunt tamen, & clarissimum se suæ assertionis testimonium habere ostendent, quòd Autor ad Hebræos, ad Christum ea Psalmi verba referat: *Et tu Domine in principio terram fundâsti, & opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes, ut vestimenta, veterascent, & veluti amictum involves eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*. Respondemus, Autorem divinum non ideò hæc verba ad Christum referre, quòd ad ipsum primò pertineant, & ad eum ab ipso Psalmographo directa fuerint; neque etiam ideò, quòd omnia ad Christum spectent: sed, quia, quatenus in futurum respiciunt, & sic prophetiam continent ad

Heb: 1. 10.
Psal: 102. 26.

nent, ad Messiæ tempora spectantem, rem ejusmodi prædicunt, quę per Christum sit perficienda; & simul id continent, quod Christo non minùs, quàm ipsi Deo convenit. Loquuntur enim partim de abolitione cœli & terræ, cujus causâ præcipuè allatum est hoc testimonium; partim de ejus, qui ista sit aboliturus, perennitate. Vt autem rem ita sese habere constet, placet verba illa aliquanto diligentiùs examinare. Quòd ergo ad illam responsionis nostræ partem attinet, quâ asseruimus, hęc verba non primò ac directè ad Christum pertinere; ei nihil obstat illud, quòd superiori testimonio ex Psalmis a D. Autore adducto, cum quo id, de quo disputamus, per voculam & connexum est, hæc præfiguntur verba, *Ad Filium autem:* unde consequitur, & hujus, quo de agimus, testimonii verba ad Filium esse dicta. Etenim rem istam ex præcedentibus æstimanti facilè patebit, *ad Filium* hîc *de Filio* designare; ut non Filium compellari, sed de Filio sermonem esse intelligatur: quemadmodum ex superioribus verbis, *Et ad Angelos quidem dicit*, apertissimum est. Quę enim statim subjunguntur, *Qui facit Angelos suos spiritus*, &c. non ad Angelos, sed de Angelis dicta esse, nemo non videt. Eo modo & hoc nostrum testimonium, non quidem ad Filium est directum, sed de Filio productum est. Cujus rei consideratio non parum momenti habet ad intelligendum id, quod secundo loco explicandum sumsimus, nempe nil esse necesse, ut omnia hujus testimonii verba ad Christum referantur, secùs quàm fieret, si ad Christum primò ac directè pertinerent. Non omnia autem verba hujus testimonii ad Christum esse accommodanda inde patet, quòd non omnia ad scopum, quem Autor sibi præfixit, faciunt: imò si omnia ad Christum pertinerent, id, quod Autor sibi probandum sumsit, everterent. Thesis namque, quam sibi Autor confirmandam proposuerat, non est, Christum esse cœli terræque creatorem, aut aliquam præstantiam naturaliter atque a semetipso habere, qualis est præstantia ejus Domini, qui terram ab initio fundavit, & manibus suis cœlum expandit: sed Christum, cùm consedit ad dexteram majestatis in cœlestibus, tantò Angelis præstantiorem factum esse, quantò excellentius præ illis nomen hęreditavit: id quod in Deum illum altissimum, cœli terręque creatorem, minimè cadit: cum hic potiùs is sit, qui omnia a seipso possidens, Christo homini propter summam obedientiam nomen istud donaverit, cumque Angelis præstantiorem effecerit, & ad dexteram suam collocaverit. Ineptissimè igitur adversarii D. Autorem argumentantem inducunt, idq; hunc in modum: Christus cœli terręque creator est: Ergo est factus pręstantior

(marginal notes: ℣ 1. — vid. ℣ 4.)

stantior Angelis, & quidem ab eo tempore, ex quo ad dexteram Dei consedit. Quid potest hac argumentatione cogitari ineptius? Alii autem loci omnes, ad rei propositę confirmationem adducti, aptissimè huc quadrant, utpote nihil in se continentes, quod Christus a Patre non acceperit. Consequens igitur est, verba ista de cœli terræque creatione, non ideò ab Apostolo in medium prolata fuisse, ut thesin propositam illis confirmaret: sed quia ea posteriori parti, id est, vaticinationi de mundi conflagratione, mutationeque per Christum facienda, tam arctè cohęrent, ut propter relativorum interpositionem, posterius orationis hujus membrum sine priori intelligi nequaquam possit. Si enim ita cœpisset verba illa citare Auctor, *Ipsi peribunt*, &c. quis intellexisset, quid eo pronomine significetur? Quare ut id intelligeretur, priora etiam verba citanda fuerunt, in quibus ea exprimuntur, ad quæ pronomen *ipsi* refertur. Neque verò novum est, sacros autores integros locos citare, quamvis non omnes eorum partes, ad propositam disputationem pertineant. veluti cum Matthęus volens ostendere, illa Christi prohibitione, ne ipsum homines patefacerent, illud Esaiæ completum esse: *Non clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus:* non solùm hæc ipsa verba, quę vel sola, vel saltem unà cum sequentibus tantùm ad rem pertinent; sed totum de Christo testimonium producit. Similia exempla habentur Act: 2. nimirum tum v. 16, 17, 18, 19, 21. tum v. 25, 26, 27, 28. in quorum priore Apostolus Petrus probare instituens, Spiritum sanctum in Apostolos effusum esse, totam Ioëlis sententiam recitat, cum tantùm v 17, & 18. ad rem faciat. in posteriori verò, ut Christum a morte retineri non potuisse ostendat, multa quoque verba ex Psalmo profert: cum tamen nonnisi v. 27. ad ejus propositum revera pertineat. Quid, quòd in hoc ipso capite v. 9. verba illa, *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem*, nihil ad rem, de qua hîc agitur, nimirum quòd Christus pręstantior angelis sit factus, faciant, & tamen ab auctore sunt addita. Cum igitur alii Novi Testamenti scriptores absque ulla necessitate, tantum ideò, quòd verba cohærerent, hac divina testimonia citandi ratione usi fuerint, nonne multò magis isti Autori idem eodem modo facere licuit, necessitate quadam impulso?

Mat: 12. 18, 19, 20, 21:

℣ 19.

Non prętereunt quoque illa D. Autoris ad Hebræos verba, *Per quem fecit & secula*, ut Christum mundi conditorem esse demonstrent. Verùm non uno modo falluntur. Primùm enim non dicitur, Christum fecisse secula, quod de causa istius actionis principali posset intelligi; sed Deum per Christum secula ista fecisse: adeò ut Heb: 1. 2.

coëssentialitate Christi cum Patre.

Christus causa media atque instrumentalis istius actionis constituatur, qualis non est Deus ille summus, cœli & terræ creator. Ex quo deinde illud quoque patet, de creatione cœli & terrę aspectabilis verba hæc non esse intelligenda. Nam in creatione ista Deum usum esse alicujus operâ, seu per aliam quampiam personam cœlum & terram condidisse, ut suprà jam alicubi monuimus, nuspiam in sacris literis indicatur, nec a Mose, qui totam creationis veteris rationem accuratè describit, asseritur. Adde, quòd D. Autor apertè dicat, per eum Filium secula fecisse Deum, per quem his ultimis temporibus nobiscum locutus est, quemque constituit hæredem omnium, & qui per semetipsum, id est, proprium sangvinem peccatorum purgatione facta, consedit ad dexteram Dei, qui denique angelis factus est prętantior. At is nonnisi Christus homo esse potest. Summus certè ille sempiternusque Deus, nec is esse potest, per quem alter quidam Deus nobiscum locutus sit; nec idem hæres omnium constitui; nec seipsum offerendo purgationem perficere; nec a dextris alterius Dei sedere; nec denique Angelis præstantior fieri potuit. Cum autem per Christum hominem, cœlum ac terram aspectabilem minimè creatam esse, ipsi etiam adversarii fateantur; efficitur, de ea re Autorem divinum hîc minimè loqui, sed hęc verba eundem sensum continere cum illis Ioannis verbis, quæ superiùs explicuimus, ubi asseritur, *mundum per ipsum*, nempe Christum, *factum eße*: ita ut *secula*, quæ pro *mundo* hoc loco poni ipsi contendunt adversarii, vel homines significent, quos Christus ea, quæ antea explicata est, ratione reformavit, & ad longè meliorem statum perduxit; vel futurum istud seculum, ac beatissimam vivendi rationem, quam Christus nobis attulit. quam ob causam Esaias olim
Esa: 9. 6. prædixit, Christum vocatum iri *Patrem æternitatis* seu *seculi*, nempe, quemadmodum Græci interpretes explicuerunt, futuri. Futuri certè mundi mentionem facit hîc idem Autor infrà, tum hoc, tum
cap: 1. 6. cap: 2. 5. sequenti capite. At, inquies, quo pacto futurus est ille mundus, si jam per Christum factus est, & factus quidem nobis? Nam cæteroquin ante Christum jam extitit. Respondemus, factum eum esse, quatenus nobis nunc primùm per Christum est revelatus, ejusque certa spes nobis facta est, ita ut nunc primùm quodammodo videatur extitisse: futurus tamen est, quia eum nondum incolimus, sed
2 Pet: 3 13. aliquando demum incolemus. Novum enim cœlum & novam terram, quemadmodum Petrus ait, secundùm Dei promissionem expectamus.

Alterum Dei opus, ex quo Christi cum Patre consubstantialitas pro-

tas probari solet, est rerum creatarum omnium conservatio, quam Christo videtur tribuere Paulus, dum ait, *in ipso omnia consistere*; & D. Autor ad Heb: qui dicit, *eum portare omnia verbo virtutis suæ*. Sed primùm nihil prohiberet, quominus Deus per quempiam alium, sibi haudquaquam consubstantialem, sua cum ipso virtute ac potentiâ communicatâ, res a se creatas conservaret. Deinde in loco Pauli ad Col. sermo est de iis tantùm rebus omnibus, quæ intellectu sunt prædita, ut superiùs docuimus. Denique non est ibi sermo de conservatione substantiæ rerum istarum, de qua adversarii loquuntur: sed de conservatione istius, ut ita dicam, formæ ac statûs, in quem res illæ sunt per Christũ perductæ. Quatenus enim res illæ sunt per Christum creatæ, eatenus etiam in ipso consistunt, & ab ipso conservantur. Dicuntur autem eo loco creatæ, non ratione substantiæ, uti antè a nobis est ostensum, sed ratione statûs ac conditionis, ac novæ cujusdam formæ, quam per Christum fuerunt adeptæ. Quare etiam non illius, sed hujus ratione, eo loco dicuntur in Christo consistere, atque ab eo conservari. Quod ad locum Epist: ad Heb: attinet, præterquam quòd vox *omnia* itidem restringi queat ad ea, ad quæ nova creatio extenditur, imò ad ea tantùm referri, quæ Christi in terris adhuc degentis potestati fuerunt subjecta: animadvertendum est, verbum Græcum φέρειν, quo usus est D. Autor, ut post Ambrosium notavit Erasmus, hoc loco idem significare, quod regere ac gubernare, seu mavis agere, commovere atque impellere, ita ut moventis voluntati in omnibus obsequantur, & eò se flecti patiantur, quò is velit. id quod ostendunt voces additæ, quibus modus, quo Christus omnia portet vel ferat, explicatur. Ait enim D. scriptor, id facere Christum *verbo virtutis* seu *potentiæ suæ*, h. e. ex Hebræorum consvetudine, jussu ac mandato suo potenti atque efficaci. Iussa autem atque mandata longè aptiùs gubernationi aut impulsioni, quàm conservationi conveniunt.

Col: 1. 17.
Hebr: 1. 3.
hoc cap:

Verùm præter creationem conservationemque alia divina opera Christo cum Patre communia esse dicunt, indeque utriusque consubstantialitatem concludi. Ea autem sunt: intimorum sensuum scrutatio, rerum futurarum prædictio, miraculorum patratio, hominũ deniq; cõservatio, seu, ut loquuntur, salvatio. Animadvertendum tamen est, ad consubstantialitatem istam constituendam non satis esse, Dominum Iesum omnia ista, ut Pater, facere: sed necesse esse, ut eadem prorsus ratione utriq; cõveniant, adeò ut uterq; propriâ, nec aliunde accepta virtute, hæc opera faciat, quamvis ne sic quidem coëssentialitas, sed potiùs duo Dii æquales inducerentur.

Verùm cum ista omnia Christo homini summa Patris benignitate concessa sint, ita ut nihil a seipso dicat faciátve, prorsus corruit ista adversariorum argumentatio. Etsi enim solus Deus corda scrutari, solus futura prædicere, solus miracula edere, solus denique homines servare meritò dicitur: minimè tamen hinc efficitur, eum per alios sibi subordinatos ista perficere non posse: cum ad istiusmodi dictorum veritatem satis sit, eum solum a seipso ista omnia habere, nec ullum, nisi ipso largiente, ea præstare posse. Hinc enim factum est, ut non solùm Christus, sed Prophetæ etiam, & Apostoli, aliique viri divini ea noverint, ac spiritu viderint, quorum notitia non minùs, quàm cognitio cogitationum humanarum, divinæ, non humanæ sapientiæ est, futuraque prædixerint, miracula fecerint, homines denique servaverint, hancque ob causam servatores dicti fuerint. Quod tamen non eo animo a nobis dicitur, quasi Christum illis aggregare penitus velimus: sed quò clariùs hujus argumenti appareat vanitas. Christum enim ista omnia multò excellentiori ratione Dei concessu possidere, libentissimè fatemur. Quod enim ad cordium explorationem attinet, satis apparet, eam Christo datam esse, ut summo Regi ac judici a Deo constituto, qui præmia pœnasque rectè secusq; factis decernat. Cum enim in hoc divino judicio uniuscujusque facta ex animi affectu ponderanda sint; necesse sanè erat, ut Deus, qui talem illum judicem fecit, simul quoque absolutissimam corda explorandi rationem ei daret, utpote sine qua hoc suum munus exequi nullo pacto potuisset. Qua de causa nullus præter hunc de se ausus fuit dicere: *Ego sum scrutans renes & corda.* præscientiam quoque rerum futurarum Christo divinitus concessam esse Ioannes in Apocalypsi clarissimè testificatur: quamvis statuamus, Christum eâdem omnes alios, qui unquam futura præsciverunt prædixeruntque, longissimè superare: quippe qui generatim perpetuoq; isto divino munere polleat, quod aliis minimè contigit. Miraculorum etiam edendi potestatem a Deo patre sibi datam esse, Christus non uno in loco affirmat: quâ tamen aliis viris divinis, adhuc in terris vivens ita antecelluit, ut ea in se perpetuò residente, & quasi suâ jam factâ, pro suo arbitrio fuerit usus, eamque cum aliis communicare potuerit, quod illis concessum minimè fuit. Servandi denique nostri munus ac potestatem plenissimam Christum a Patre accepisse, non uno in loco sacri autores docent. Qua de causa fatemur, atque adeò contendimus, nequaquam eum, hoc præsertim tempore, salutis nostræ ministrum, quales fuerunt Apostoli, sed principem, Deo ita ordinante,

1 Reg: 8. 39: Esa: 44. 7: Psal: 72. 18: 136. 4: Esa: 43. 11: Ose: 13. 4.

Rom: 11. 14. 1 Cor: 7. 16. & 9. 22. 1 Tim: 4. ult. Iud: 3. 9, 15. 2 Reg: 13. 5. Nehem: 9. 27.

Act: 10. 42: 17. 31. vid. Rom: 2. 16. 1 Cor: 4: 5.

Apoc: 2. 23.

Apoc: 1. 1.

Ioh: 3. 19. & seq. 36. & 10. 25: & 14. 10.

Esa: 19. 20: 49. 6. Luc: 1. 69. Ioh: 3. 16, 17: 6. 32. Act: 5. 31: 13: 23. 1 Ioh: 4. 14. Ioh: 6. 39, 40, 57: 10. 28, 29: 17. 2:

nante, atque datorem esse, ut & ipse, & ejus Apostoli apertissimè testantur. Act:5.31: Phil: 2. ult: Heb:5. 9, 10.

Sequitur, ut quomodo ex quibusdam proprietatibus sive attributis, quæ pari modo Deo Patri Filioq; inesse videntur, istam consubstantialitatem colligant, animadvertamus. Primum igitur Dei attributum a quibusdam constituitur immensitas, seu substantiæ infinitas, quâ fiat, ut omnia prorsus loca permeet ac compleat: quam quidem Christo apud sacros autores assignari nuspiam videmus. Quòd enim illis verbis eam significari quidam asserunt, quibus sese Christus in medio duorum aut trium in ipsius nomine congregatorum futurum esse promittit, nihil ad immensitatem illam concludendam habet virium. Namque nec essentialiter Christum suis adesse necesse est, ut hoc promissum servet; nec si realiter fidelium cœtibus interesset, mox consequeretur ista, quam adversarii fingunt, immensitas. Ac illud quidem ideò, quia favore virtuteque sua fidelibus, citra essentialem præsentiam, perpetuò adesse potest: utpote qui inexhaustam quandam divini spiritus copiam habeat, & innumeros Angelos summo imperio complectatur, quorum ministerio in suis adjuvandis uti potest: nisi eum volumus hujus mundi regibus inferiorem esse, qui etiam absentes, quibus volunt, auxilio esse, beneficiaque largiri possunt. De hujusmodi autem præsentia Christum loqui satis est manifestum: cum eam suis tantùm discipulis, atque insignitè iis, qui in nomine ipsius fuerint congregati, promittat. Hoc verò eam ob causam asserimus, quòd cœtuum piorum certi sunt loci. Secundum tertiumque attributum hoc loco considerandum, est Dei tum sapientia, tum bonitas, quarum utramque propriam ita esse fatemur, ut meritò solus sapiens, solúsque bonus appelletur. Non tamen ea ratione, quin ipsius benignitate res quoque creatæ, sapientiæ ac bonitatis titulo decorari possint. Nam & soli Deo immortalitas tribuitur: cum tamen & Angeli immortales sint, & nos aliquando immortalitatem consecuturi simus. Vocari autem res quasdam creatas, tum sapientes, tum bonas, ex sacris literis clarissimum est. Solomonem enim v. g. sapientem appellari, quis ignorat? Ex quo fit, ut quantò Christus Solomone præstantior est, tantò illi magis, quàm Solomoni, sapientis nomen conveniat. Quod idem & de Christi bonitate, omnes naturas bonas mille partibus superante, dictum volumus. Nec tamen hinc efficitur, Christum illum summum Deum esse; sed potiùs eum Dei benignitate plus sapientiæ bonitatisque assecutum fuisse, quàm omnes aliæ res creatæ. Quòd autem Deus solus sapiens, solus bonus, solus

Mat: 18.20. Rom: 16. 27. 1 Tim: 1. 17. Mat: 19. 17. 1 Tim: 6.16. Mat: 12. 42.

ſolus immortalis dicitur, id ideo fit, quòd ipſe ſolus a ſeipſo talis, omniſque ſapientiæ, bonitatis, ac immortalitatis fons eſt atque origo.

Cap: XI.

De duabus naturis in Christo.

IAm ut eum convincamus errorem, quo duæ in uno Chriſti ſuppoſito naturæ inductæ ſunt, ita ut unus Chriſtus, & Deus naturâ ſit & Homo; conſtanter dicimus, hanc opinionem nec cum ſanæ mentis ratione convenire, nec ullo ſanctarum literarum teſtimonio comprobari poſſe. Rationi ideò eam repugnare aſſerimus, quòd mens noſtra dictat, fieri non poſſe, ut duæ formæ ſubſtantiales, eæque perfectæ, in unum idemque ſuppoſitum cadant: cum ſic non unum, ſed duo diverſa exiſterent ſuppoſita. ut facilè appareat, hoc commento duos Chriſtos contra omnem rationem induci: cum unum tantùm eſſe, & ſacra volumina teſtificentur, & omnes confiteantur. Hîc verò tanquam ad aſylum confugientes, afferunt exemplum hominis ex corpore animaque conſtantis, ut haud aliter Deum & hominem unam Chriſti perſonam conſtituere oſtendant, atque anima & corpus unum conſtituunt hominem. Atqui hoc illis exemplum adverſatur. Nam nec anima Deo, nec corpus homini, nec horum compoſitio illorum conjunctioni reſpondet. Anima enim & corpus ad hominis conſtitutionem pertinent ut partes, quarum neutra de ſuo toto prædicari poteſt: cum nec hominem eſſe animam, nec hominem eſſe corpus dicamus. Id quod longè aliter ſe habeat neceſſe eſt in iſta divinæ atque humanæ naturæ copulatione: cum, ut iſti dicunt, qui ſubtiliùs iſta diſputant, nec humana, nec divina natura propriè ſit pars Chriſti: ſed Chriſtus tam ſit homo, quàm Deus. Hanc porrò ſententiæ iſtius vanitatem, hoc quoque argumento convincendam duximus, quòd duarum ſubſtantiarum, qualitatum ratione contrariarum, nequaquam utraque de uno eodemque ſuppoſito, & quidem directè, ſeu, ut in Scholis loquuntur, in quid prædicari poteſt. Tales autem ſunt Deus & homo: cum ille ſit æternus, immutabilis, ac immortalis: hic verò principium habens, mutationi mortique obnoxius. Tantum quippè abeſt, ut in idem poſſint coire individuum, ut uno poſito, neceſſariò removeatur alterum: niſi ſimili ratione rem aliquam & ignem & aquam eſſe volumus.

Ex ſcriptura etiam iſtam opinionem probari non poſſe, duobus modis patet. Primò, quòd in ea nuſpiam extet. Tametſi enim

argumenta negantia a testimoniis ducta non semper valent; si tamen & Spiritus sancti consvetudinem, & ejus, de qua agimus, rei rationem spectes, plurimum hîc valere comperies. Spiritus enim sanctus res illas, quas humanæ mentis intelligentia propter earum difficultatem comprehendere nequit, studiosissimè, idque disertissimis verbis, inculcare solet, præsertim si ad salutem sempiternam scitu sint prorsus necessariæ. Ex quibus cum sit mundi creatio, rerum humanarum procuratio, mortuorum resurrectio; ideò & sæpissimè, & clarissimis verbis, ista a divinis scriptoribus commemorantur. Quod cum de duarum in Christo naturarum copulatione, quam omnem humani ingenii captum longissimè superare, & nihilominus ad salutem scitu necessariam omnino esse, adversarii contendunt, nequaquam fieri videamus; parúmne liquet, eam sententiam a veritate alienam esse? Quod quò appareat evidentiùs, animadvertendum est, adversarios nostros, duarum in Christo naturarum conjunctionem ita effectam esse arbitrari, ut Divina humanam in ipsa Christi conceptione assumserit. Quòd si cum vero congruit, necesse est, ut amplissimam sacris Autoribus, qui Christi nativitatem explicandam susceperant, occasionem præbuerit, sui diligenter excutiendi, inque omnium oculis ponendi. Hoc autem contrà factum fuisse argumento est, quòd Lucas & Matthæus ex professo de Christi tum conceptione, tum nativitate scribentes, nullam planè hujus rei mentionem faciunt: cum interim alia sat diligenter exponant, quæ non modò sine salutis jactura ignorari possunt, sed etiam respectu incarnationis istius, quam vocant, admodum levia censeri debent. At verò divinos illos scriptores, aut in re tanta parùm fideles, parumque diligentes in officio fuisse, aut nobis tantum salutis mysterium invidisse, quis audeat dicere? Apostoli quoque, ut in eorum Actis videmus, quamvis in hoc toti essent, ut summam Iesu Christi dignitatem atque præstantiam orationibus suis explicarent: altissimo tamen incarnationem istam silentio suppresserunt, nihilque aliud hominibus de summa Iesu Nazareni præstantia ac divinitate confirmârunt, quàm Deum illũ ad dexteram suam collocasse, eũ Dominũ ac Christum, vivorumq; ac mortuorum judicem fecisse, & servatorem nostrum constituisse. Quid verò Paulum commemorem, qui in omnibus suis de Christo, deque admirabili Dei charitare, per ipsum humano generi testata atque exhibita, concionibus, nihil planè dicit de Deo salutis nostræ causâ homine facto. Quod quidem si, ut adversarii plenis buccis vociferantur, maximum Dei erga humanum genus amo-

Cap: XI. De duabus in Christo naturis.

vid: Act: capp: 2. & 3. & 4. & 5. & 10.

vid: Act: 13. & 17. & 26.

Cap: XI. De duabus in Christo naturis.

nus amoris indicium est, nequaquam a Paulo tanto tamque fideli Christi servo prætermitti debuit. Huc accedit, quòd idem Paulus, cùm Atheniensibus ignotum Deum annunciaret, satis idoneam habuit occasionem docendi, eum non alium esse, præter Iesum Christum cœli terræque & omnium rerum conditorem, qui humanam naturam assumserit, subque ea, dum de hominum salute laborat, delitescere voluerit, & eam ob rem quodammodo ignotus sit ac fuerit. Verùm non solùm nullum ea de re verbum facit, sed insuper Christum, quem ibidem inferiùs virum appellat, quemque a mortuis excitatum, mundi judicem constitutum esse testificatur, ab illo Deo, omnium rerum conditore, qui ipsum a mortuis excitavit, & judicem constituit, apertissimè distingvit. Et hæc quidem prima causa est, cur meritò statuamus, conjunctionem istam duarum in Christo naturarum a divinis autoribus planè ignorari.

Act: 17. 22, 23. &c.

Ibid: ℣ 31.

Deinde ea de causa sententia ista sanctarum literarum testimoniis comprobari minimè potest, quòd illis apertè repugnet. Nam & solum Deum Patrem naturâ Deum esse, suprà divinis oraculis demonstravimus; & Christi divinitas sublimitasque nuspiam a sanctis autoribus, ut divina quædam substantia, sed ut maximum Dei Patris beneficium, quo Christum hominem ornaverit, consideranda proponitur. Quid enim est nomen illud supra omne nomen Christo donatum aliud, quàm ipsius divinitas? Patet id ex eo, quòd propter illud nomen ei divinus exhiberi debeat honor, omniumque & cœlestium & terrestrium, & inferorum genua flecti. At divinus honor nemini nisi propter divinitatem præstari debet. Præterea duarum istarum naturarum in Christo conjunctio supervacanea prorsus ac inutilis est: quandoquidem nec divina Christi natura, quam isti secundam divinitatis personam nominant, quicquam ab humana natura utilitatis percipit; nec vicissim humana, ulla in re, divinæ naturæ ope auxilioque fruitur. Ac illud quidem manifestissimum est: cum summo illi Deo nihil quicquam ab homine dari possit; nisi fortè per istam, quam vocant, hypostaticam unionem, veram quandam humanarum qualitatum communicationem illi obtigisse volumus, & sic insignem constantissimæ naturæ Dei mutationem, illatam esse credimus: quod quàm sit absurdum, nemo non videt. Hoc verò alterum eam ob causam verissimum est, quòd Christus omnia a Patre sese accepisse asserit: qui Pater non secunda, sed prima, ut isti volunt, Trinitatis persona est: a filio sanè diversam esse personam necesse est. Accedit etiam illud ad falsitatem istius sententiæ detegendam, quòd Deus ut salutem nostram constitueret, ne-

sup: cap: 9.

Phil: 2. 9. & seqq.

Matt: 11, 27. Ioh: 3. 35: 17. 2, 6, 7, 8, & c.

ret, nequaquam necesse habuit, eò usque se demittere, (id quod ne fieri quidem potuit) ut humanarum calamitatum quodammodo particeps fieret: cum hoc longè alia faciliore que via ac ratione, nimirum virtute potentiâque suâ perficere potuerit, ad quam exerendam humanæ naturæ cum divina copulatione nequaquam fuit opus. Nam quod vulgò creditur, ideò debuisse Deum humanam naturam assumere, ut pro peccatis satisfacere posset; id infrà a nobis refutabitur. Hinc ergo patet, vanam esse distinctionem adversariorum, quoties aliquid de Christo non secundùm divinam, sed secundùm humanam naturam, aut contrà, in scripturis dici asserunt. Cum enim, ut demonstratum est, duarum naturarum copulatio falsa supervacaneaque sit, Christique divinitas non natura sit seu substantia in Christo existens, sed qualitas quædam inhærens, & ideò unam is tantùm, videlicet humanam naturam habeat; quis non videt distinctionis istius vanitatem? Quæ tamen multò luculentiùs hinc quoque apparet, quòd pronunciata, in quibus adhiberi solet, vel expressè, vel tacitè aliquid de Christo negant, idq; simpliciter, seu nulla addita restrictione: quę tamen omnino fuisset adhibenda, si ratione unius tantùm naturæ res istæ, de quibus sermo est, de Christo negarentur. Neq; enim v.g. hominem edere, bibere, calere, frigere negamus simpliciter, seu nulla addita limitatione, quia ratione animæ non edat, bibat, caleat, frigeat: ita cum Christũ nihil a seipso facere, Patrem ipso majorẽ esse, quod tantundem valet, ac eum non tantum esse, quantus Pater est, scriptum legimus, de toto Christo, quantus quantus est, ista negari fatendum est: cum si secundùm aliquam suam, ut dicitur, naturam, eamq; potiorem, a seipso omnia faceret, & Patri per omnia æqualis esset, nequaquã hoc toti ipsius subjecto adimendum esset. Neque enim de toto subjecto negandum illud est, quod ei secundùm unam essentialem partem vel naturam, eamq; præcipuam convenit, deque eo simpliciter enunciari jurè potest. Similes locutiones sunt hę: Nihil a meipso loquor aut facio; nihil præter ea, quæ a Patre edoctus sum, dico, aut exequor. Quæ quidem negationes disertissimis verbis leguntur apud sacros autores. Atqui si ista secundùm unam naturam conveniunt Christo, & de ipso rectè prædicantur, id quod adversarios statuere necesse est, quo, quæso, jure, a toto supposito removentur? Si enim alterius naturę ratione idem Christus a se omnia facit ac loquitur, quomodo, quæso, ait, se nihil a seipso facere aut dicere? Nonne, verbi causâ, ineptissimè diceretur, hominem nihil intelligere, quia ipsius corpus nihil intelligat? Huc accedit, quòd apertè in locis memoratis,

inf: cap: 28.

Ioh: 14. 28.
Ioh: 5. 19, 30.
Ioh: 14. 10. & 12. 49.

moratis, Filius opponitur Patri, unde liquet, Christum istis in locis non secundùm unam tantùm naturam considerari, sed totam ipsius personam intelligi, & sic de eo toto, quantus quantus est, ista, quæ de eo negantur, negari. Ad istiusmodi autem enunciationes, in quibus aliquid simpliciter de Christo negatur, vel inprimis pertinent illa Christi verba, quibus *horam diemque judicii neminem scire dicit, ne angelos quidem cœlestes, neque filium, sed solum Patrem*. Quod cum ita sit, ubi, quæso, erit divina natura in Christo? præsertim cum eum & verbis istis *solus Pater*, & Filii Patri oppositi apertissima mentione, seipsum, quantus quantus est, ab ultimi diei scientia segregâsse manifestum sit.

Mar:13. 32. Mat: 24. 36.

Verùm cum & rationum & scripturæ firmamentis adversarii hunc suum errorem adstruere conentur; videamus sanè, quomodo hoc illis succedat. Primò autem hanc afferunt rationem: Officium, inquiunt, Christi erat, divinæ justitiæ pro hominum peccatis cumulatissimè satisfacere. Atqui hoc, nisi præter humanam divinâ etiam naturâ præditus fuisset, fieri nequaquam ab illo potuisset: cum & divina justitia, & peccata nostra infinita sint; humana verò natura & certis finibus sit circumscripta, & ideò tantas vires nequaquã habeat, quantæ ad infinitæ justitiæ pro infinito scelere satisfaciendum requiruntur. Nos verò id, quod in hac argumentatione primo loco ponitur, falsissimum esse dicimus: propterea, quòd non solùm Christi officium id esse, nusquam apud divinos autores legitur; sed contrarium etiam, videlicet gratuitò peccata nostra deleri, nobisque per Christum condonari, clarissimè scriptum reperitur. ut taceam, istam satisfactionem ex iis esse, quæ fieri nullo modo possunt, qua de re infrà copiosè a nobis disputabitur. Præterea in hac argumentatione non rectè pro concesso sumitur, Christum, si naturâ divinâ sit præditus, hujusmodi satisfactionem Deo præstare posse. Atqui hic error seipsum conficit. Si enim Christus naturam divinam habuit, adeoque ipse Deus fuit; sibi ipsi ut satisfaceret, ac debita nostra solveret, fuisset necesse. Quis verò sibi ipsi solvit, aut pro altero satis facit? Neque enim ad naturarum distinctionem recurrere hîc poterunt: cùm hoc præsidium jam sibi ipsis eripuerint, affirmantes, humanam, sine divina natura, ista perficere nequaquã potuisse, sed pretii pro nobis soluti vim ac valorẽ, ex divinæ naturę cum humana conjunctæ virtute ac dignitate pendere. Adde, quòd ex utraque natura unum singularissimum individuum constare, actionesque nonnisi toti supposito tribuendas esse, ipsi asseverant. Quo fit, ut ipsum Christi suppositum, quod Deus sit, Deo, hoc est, sibi ipsi

Rom: 3. 24. Ephes: 1. 6. 7.

Cap: 22.

sibi ipsi

sibi ipsi satisfecisse sit dicendum. Quòd si ad personarum distinctionem refugerint, & secundam divinitatis personam primæ satisfecisse contenderint, similiter nihil agent: cum & vanissimum eam commentum esse suprà demonstraverimus, & tam secunda, quàm prima divinitatis persona, apud illos peccatis nostris offensa fuerit, & sic satisfactionem pro illis postulârit.

Cap: XI De duabus in Christo naturis.

Ex eo quoque, quòd Christus Dei hominumque mediator in sacris literis appellatur, consequens esse ajunt, eum utrâque naturâ præditum esse: propterea quòd a tali mediatore requiratur, ut Deum hominum sceleribus offensum reconciliet, & ita homines ad Deum perducat; quod nequaquam ab eo fieri posse ajunt, si utriusque naturæ particeps non sit. At verò nec id per se mediatoris officium est, ut partes inter se dissidentes in gratiam reducat; nec ut divinâ naturâ talis mediator præditus sit, necesse est: cum satis sit, illum medium inter utramque partem constitutum esse, & quasi internuncii officio fungi. id quod ab homine nullâ divinâ naturâ prędito fieri posse factumque esse, argumento est, quòd Moses, qui Dei Israëliticique populi in lege ferenda mediator cum esset, non tamen Deum tanquam iratum populo, ratione istius muneris habita, illi reconciliavit, nec aliam præter humanam naturam habuit. Huc accedit, quòd Paulus disertissimis verbis, *hominem Iesum Christum*, unicum Dei & hominum mediatorem nominat. Cur, si ad mediatorem constituendum requirebatur, ut Deus simul esset & homo, non dixit, unus est mediator Dei & hominum, Iesus Christus *Deus & homo*, ut adversarii loqui amant, ea de re disserentes? cur hominem tantùm appellavit? Quemadmodum igitur Moses ita Dei populique Israëlitici mediator fuit, ut medius in Lege promulganda steterit, Deique ea in re legatus & internuncius fuerit, & per eum populus ad Deum accesserit: ita Christus quoque medium inter Deum hominesque locum tenens, non quidem Deum nobis placavit, sed in novo fœdere sanciendo inter nos & Deum stetit, & tanquam internuncius ejus voluntatem nobis promulgavit, eaque ratione effecit, ut nos illa divinæ voluntatis cognitione instructi ad Deum accederemus.

1 Tim: 2.5.

Gal: 3. 19.

Levit: 26.45.
Devt: 5. 5.

Iam igitur videamus, quibus scripturæ testimoniis hanc suam sententiam defendere conentur. Ac primùm quidem illis Ioannis Evangelistæ verbis contineri videtur, *Et verbum caro factum est*. Quod quidem nihil ad hanc rem facere, primò inde apparet, quòd aliud est, Verbum fieri carnem, aliud, Deum fieri hominem: cùm, ut suprà jam vidimus, hoc Verbum seu Sermo, Deus ille altissimus nequaquam

Ioh: 1.14.

cap: præced.

quaquam sit, sed potiùs Christus homo, qui ob muneris sui officium hoc nomen adeptus erat. Deinde ipsa verborum complexio evidentissimè demonstrat, verbum ἐγένετο, quod ambiguam habet significationem, non *factum est*, sed *fuit*, interpretandum esse, ut aliis quoque in locis, atque adeò hoc ipso cap: superiùs v. 6. factum videmus. Cum enim Evangelista ante ista verba ea describat, quæ Christum, postquam homo natus fuit, gessisse compertum est; ut ea taceam, quæ de Ioanne Baptista antè narraverat: quis eum ineptissimè locutum fuisse non videat, si posteriora prioribus anteponere voluisset, ut nimirum Christum in mundo fuisse, sed ab eo non cognitum, ad Iudæos venisse, sed ab iis non fuisse receptum, iis autem, a quibus receptus fuerit, potestatem in filios Dei evadendi dedisse significaret, & tum demum adderet, eum humanam naturam assumsisse. Quæ sanè cum absurdissima sint; multò satius, & ad rem, quam Ioannes agit, accomodatius fuerit, si eo animo illum hæc verba fecisse intelligamus, ut hunc, cujus operâ Deus hominibus voluntatis suæ perfectissimæ consilium primùm patefecit, ac totum hominum genus reformare, & novam ei rerum ad religionem pertinentium faciem inducere instituit, hominem fuisse mortalem, infirmitatibus ac perpessionibus, morti denique obnoxium ostenderet. *Carnis* enim nomine talem hominem, qualem descripsimus, apud divinos autores, denotari cernimus. Qualis cum nunc Christus, utpote glorificatus, nequaquam sit: quandoquidem nec caro sangvisque regnum Dei, nec corruptio incorruptibilitatem possidere potest: idcirco hanc ipsam planè ob causam, meritò Christus olim caro fuisse dicitur. Instabis tamen, & ipsam orationis seriem postulare dices, ut *factum* potiùs, quàm *fuiße* carnem illud Verbum vertatur: cum idem priùs Deum, inque mundi principio apud Deum fuisse, omniaque per ipsum facta esse testificetur. Verùm ad hanc objectionem partim suprà copiosè respondimus, partim inferiùs respondebimus, ubi de Christi æternitate agemus.

vid: Psal: 78. 39. Esa: 31. 3: 40. 6. 1 Pet: 1. 24.

1 Cor: 15. 50.

cap: præced. inf: cap: 13.

Alterum testimonium, quod ad errorem hunc stabiliendum detorquent adversarii, illo Apostoli loco continetur, ubi magnum pietatis seu religionis Christianæ mysterium oratione complectẽs dicit, *Deum manifestatum in carne, justificatum in spiritu, apparuisse angelis, prædicatum gentibus, eique creditum in mundo, & assumptum in gloria eße.* Atqui hæc verba ad id, quod parant adversarii, nihil conferunt. Primò enim vox *Dei* nequaquam in omnibus græcis codicibus habetur, sed ad mysterium pietatis proximè nominatum omnia ista referuntur: quemamodum in vulgata editione, & Syriaca interpre-

1 Tim: 3. ult.

Interpretatione videre est. Deinde si maximè haberetur vox *Dei* subjecti loco posita, non tamen Dei Filium, sed ipsius Patrem, ut aliàs semper, cum itidem subjecti locum obtinet, significaret; atque adeò Deum Patrem in carne manifestatũ fuisse, intelligendum esset: quod quid sit, paulò pòst intelligetur. Quòd si quis dixerit, ideò non de Deo Patre, sed de Christo potiùs verba ista accipienda esse, quòd eundem Deum in gloria assumtum, id est, in cœlum ad sempiternam gloriam receptum esse, Apostolus testetur: respondemus, horum nihil hîc Apostolum dicere: cum aliud sit *in gloria*, id est, cum gloria, seu gloriosè, aliud in gloriam cœlumvé assumi, & a dextris Dei constitui. Adde, quòd ipsa horum verborum complexio istam adversariorum explicationem prorsus excludit: cum ante istam in gloria assumtionem, Deus gentibus prædicatus, eique fides in mundo adjuncta fuisse dicatur. id quod, antequam Christus in cœlum ascenderet, nunquam factum fuisse, quis ignorat? In carne quoque manifestari, carnem fieri, aut carnem assumere, significare, nulla ratione demonstrari potest. Interim cum perpetua scripturę veritate congruentius est, Deum per homines infirmos, morti afflictionibusque obnoxios, qui ideò hîc carnis nomine appellantur, sese mundo patefecisse. Talis autem fuit Christus ejusdémque Apostoli, qui divinæ voluntatis mysterium hominibus annunciârunt. Hinc talis loci istius sensus emergit: Deum seipsum voluntatemque suam a seculis reconditam, per Christum Apostolosque variis ejus rei gratiâ perpessionibus vexatos, clarissimè proposuisse: interim tamen, etiamsi hominum adeò infirmorum operâ eam revelârit, virtute sua divina, quam in illis exeruit, effecisse, ut justus ac verax agnosceretur, ejusque voluntas approbaretur. Eo demum tempore ab ipsis angelis divinam hanc voluntatem revera agnitam perspectamque fuisse, & multiplicem illam Dei sapientiam, quæ in ea elucet, ipsis patuisse. Eandem Dei voluntatem Gentibus extraneis, quæ a Deo antea prorsus alienæ fuerant, ac divinis patefactionibus destitutæ, prædicatam esse; eique in toto terrarum orbe passim fidem esse habitam; eam denique summa cum gloria ab hominibus palàm fuisse receptam.

vid: 2 Cor: 3. 11. Phil: 4. 19.

vid: 2 Cor: 4. 7.

Eph: 3. 10.

Tertius locus, ex quo dogma istud suum elicere conantur, extat in Epist. ad Hebr. ubi D. Autor, Christum *carnis & sanguinis participem factum esse, & non angelos, sed semen Abrahæ assumere*, dicit. Ex his enim colligi ajunt, eum antequam ista faceret, aliam quandam naturam, nempe divinam, habuisse, & porrò Deum revera hominem factum fuisse, humanamvé naturam assumsisse. Atqui car-

c. 2. 14. 16.

qui carnis sangvinisque participem fieri, non est, ut isti loquuntur, incarnari, vel naturam humanam assumere, eamque alteri, quam jam habeas, naturæ adjungere: cum & pueros, qui nonnisi Christi
℣ 14. fideles sunt, carnis sangvinisque participes factos esse ibidem dicatur, qui tamen nequaquam fuerunt incarnati, nec humanam naturam assumserunt: sed cùm nondum extarent, nati sunt homines, carne & sangvine circundati, ac porrò omnis generis afflictionibus, ac morti, etiam violentæ, cui postmodum ob Christum magis adhuc subjiciuntur, obnoxii. His ergo similem evasisse Christum ait, & conditione parem: id quod de illo dici potest, etiamsi præter humanam nullam aliam naturam habuerit.

Assumere autem semen Abrahæ, ibidem non denotat, humanam naturam ad divinam adjungere: quippe cum semen Abrahæ, non humanam naturam, sed Abrahami progeniem, nunc carnalem, nũc spiritualem significet. Hoc loco de spirituali sumi potest, quam paulò antè filiorum Dei, & puerorum, eorumque nomine cohonestaverat Autor divinus, qui sanctificantur, quosque Christum non puduerit fratres appellare. Vnde huic semini non angelica natura, nec angelus aliquis, sed *angeli* opponuntur. Illos igitur Christũ assumere, Autor D., & veluti manu porrecta apprehendere, suscipere, ac sublevare dicit. Id enim denotare solet verbum ἐπιλαμβάνεσθαι, cujus propria significatio est, suscipere vel apprehendere: quemadmodum videre est inter alia Luc: 14. 4. Act. 9. 27. ad quam significationem alluditur infrà apud hunc eundem Autorem, cap. 8. v. 9. ubi Deus dicitur apprehendisse manum patrum Iudaici populi, ut eos educeret ex Ægypto, ubi est participium a verbo ἐπιλαμβάνεσθαι deductum. Sed eandem, quam nos isto cap. 2. loco constituimus, ejus verbi significationem habes Eccl: 4. 12. ubi sapientia dicitur suscipere (Græcè ἐπιλαμβάνεσθαι) inquirentes se. Patet autem etiam ex eo, de incarnatione ibi sermonem non esse, quòd Autor dicit, Christum *aßumere* semen Abrahæ, non verò, ut vulgò existimare videntur, *aßumsiße*. Loquitur nempe de re ejusmodi, quæ adhuc duret, non quæ olim jam præterierit, qualis esset incarnatio, quam jam olim factam esse necesse esset; quemadmodum sanè factam esse urgent ii, cum quibus hoc loco disputamus.

Heb: 10. 5. Ex eodem quoque Autore illa verba adducere solent: *Ideo ingrediens in mundum dicit: hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptâsti mihi.* Vbi apertissimè istam incarnationem nobis ob oculos poni affirmant. At verò iste in mundum ingressus, nec Christi designat,

signat, ut illi existimant, nativitatem, nec locutio *corpus aptare*, humanæ significat naturæ assumtionem. Illud quidem ideò, quòd simulac in mundum illum ingressus est, sacrificium suum faciendo, legales oblationes abrogâsse, ibidem haud obscurè dicitur: id quod in ipsius nativitate statim factū esse, nemo dixerit. Quo fit, ut mundus hîc intelligi queat futurus, quem Christus, ut cœleste tabernaculum, ingressus, sacrificium suum peragit. Hoc verò eam ob causam, quòd nec corpus totam humanam naturam significat, sed alteram hominis partem a spiritu ejus distinctam, nec verbum καταρτίσω, connectendi vel adjungendi ad aliquid significationem habet, sed potiùs aliquid aptum ad id, quod quæritur, atque accommodatum reddere, vel etiam omnibus suis numeris ac partibus absolvere, designat. Cum igitur Christo ad sui ipsius oblationem immortali corpore opus esset; ideò ejusdem corpus, quod antea mortale erat, tunc Deum immortale, & sic ad oblationem istam aptum atque accommodatum effecisse, D. Autor innuit, cùm idem Christus in hoc suum tabernaculum introiret.

Cap: XI. De duabus in Christu naturis.

Afferri solent & illa Ioannis verba, quibus *Iesum in carne venisse* dicit. Nihil aliud enim significari illis contendunt, quàm Filium Dei incarnatum, & sic divinæ naturæ humanam conjunctam fuisse: cum alium illum, qui in carne venit, aliud quoque ipsam carnem esse necesse sit. Respondemus autem, Ioannem, cùm hæc scriberet, istam incarnationem ne somniasse quidem; sed ex sacrarum literarum cōsvetudine, carnis nomine fragilitatem ac infirmitatem, quæ in Christi morte potissimùm apparuit, intellexisse: ut contra Antichristianos spiritus ostenderet, eum Iesum, qui in carne, sive cum carne, id est, infirmitate venit, vel, ut explicatiùs dicam, qui non tantùm aliis malis in vitâ fuit obnoxius, sed etiam acerbissimam crucis mortem expertus est, esse Christum. Hoc enim a multis illius temporis hominibus negabatur, qui cùm Messiam sive Christum expectarent magna cum pompa ac splendore venientem, & vi potentiâque suâ Iudæos ex servitute eripientem, eorumque hostes sibi atque ipsis subjugantem, & maxima cum potestate in terris longè lateque dominantem; conspecta postmodum Christi infirmitate atque acerbissima morte, eum pro Christo agnoscere noluerunt. Hunc autem in modum verba illa construenda esse: *Omnis spiritus, qui confitetur Iesum, qui in carne venit,* [esse] *Christum;* & participium ἐληλυθότα, & Ioannis, aliorumque Apostolorum consilium atque officium apertissimè indicat. Neque enim id præcipuè illis

1 Ioh: 4. 2, 3.

cipuè illis injunctum erat, ut Iesum in carne venisse Iudæis, qui hoc minimè ignorabant, imò contra Apostolos urgebant, confirmarent, sed ut eum, licet in carne venisset, nihilominus illum Christum esse, demonstrarent. Nec insuper eo modo, quo volunt adversarii, alium eum, qui in carne, aliam ipsam carnem esse necesse est, ita nimirum, ut eum aliquando carnem non habuisse, sed in eam postea demum descendisse statuatur: cum a Paulo in carne ambulare, in carne vivere, in carne permanere, non alius quispiam extra carnem, sed is ipse homo dicatur, cujus caro pars quædam est: nisi in hominibus, quibus ista tribuuntur, duas etiam naturas cogitare volumus. Et hanc quidem ob causam quidam locum adulterantes, non *in carne*, sed *in carnem* verterunt, ut verba ipsorum sententiæ magis viderentur consentanea.

2 Cor: 10. 3. Phil: 2. 22, 24. 1 Pet: 4. 2.

Ex illis quoque Baruchi verbis hanc suam sententiam evinci putant, quæ sic in vulgata interpretatione habentur: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum: hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israëli dilecto suo. Posthæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus.* Atqui non solùm libri istius autoritas, apud magnam adversariorum nostrorum partem in dubium venit; verùm etiam, non Deum, sed disciplinam illam sive scientiam postea inter homines visam versatamque fuisse, in græcis codicibus legi potest; quam idem Baruchus, mox in sequenti capite, eam ob causam librum mandatorum Dei, & legem æternam nominat. Ita enim incipit caput sequens: *Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ est in æternum.* Vnde apparet, eum proximè antè de lege hac, seu libro legis, non de Deo, loquutum esse. Ad extremum, si maximè, & canonicum librum esse, & verba ista ad Deum spectare concedamus: num protinus de aliquo æterno filio Dei vox *Deus* accipienda erit, & non potiùs de summo illo Patre? an porrò mox Deum humanam naturam assumsisse hinc efficietur? Nequaquam verò: cum non solùm alium summum Deum præter Patrem extare, adversariis probandum priùs sit, sed Deus etiam ille summus excellentissima quadam ratione, etiam citra istam incarnationem, ab hominibus videri, interque illos versari possit, dum videlicet ea voluntatis suæ mysteria aperit, eaque in ipsorum conspectu opera facit, quæ homines ad ejus cognitionem adducunt; cumque eos subinde familiariter, ut ita dicam, alloquitur, suoque favore præsens illis adest.

Baruch: 3. 36, 37, 38.

Hîc quoque de servi forma, quam Christum assumsisse Paulus testificatur, explicandum esset. Verùm cum suprà de hoc Pauli testimonio

Phil: 2. 7. Cap: præced.

stimonio non pauca dicta sint, ex quibus intelligi queat, id, quod adversarii volunt, inde exsculpi minimè posse; ideò nunc eo prætérito, ad aliud isti perquam simile nos conferemus; quod quidem apud eundem Paulum hunc in modum extat: *Nostis beneficentiam Domini nostri Iesu Christi, quòd, cùm dives eßet, propter vos pauper factus est, ut vos ipsius paupertate ditesceretis.* Ex quibus verbis, cum Deum hominem factum esse adversarii colligere non dubitent; nos respondemus, Paulum hîc de Iesu Christo verba facere, quem nonnisi hominem illum ex virgine natum esse, satis unicuique patet. Is igitur, & non alius ante ipsum, & dives, & pauper fuit. Ex quo fit, ut divitem esse, nequaquam æternum Deum extitisse; nec pauperem factum esse, vel potiùs pauperem fuisse, seu pro paupere se gessisse, (nam id Græcum ἐπτώχευσε significare videtur) humanam naturam assumsisse significet: præsertim cum ibidem Paulus Corinthios etiam divites factos, & alibi, eos omni verbo, omni scientia, omnibus denique divinæ gratiæ muneribus locupletatos affirmet. Cur ergo, eùm de Christi divitiis loquitur Apostolus, non de maxima spiritualium donorum, quibus Christum auxit Deus, copia atque abundantia loqui eum censeamus? quid est, quod suadeat, divinam naturam per istas divitias intelligi aut comprehendi; & ideò Christum pauperem fuisse dici, quia naturam humanam assumserit? Imò res ipsa nos monet, ut tunc Christum, dives cùm esset, paupertatem, nostri ditandi causâ, subiisse, vel pro paupere se gessisse credamus, cùm amplissimis illis cœlestibúsque donis, quibus eum Deus mirum in modum ditaverat, quodammodo depositis, eorumque usu veluti abdicato, sese permisit constringi, flagellari, conspui, cædi, ac denique interfici; unde sempiternas spiritualesque divitias nobis profluxisse certum est.

2 Cor. 8. 9.

1 Cor. 1. 5, 7.

Illos quoque Pauli locos afferre solent, quibus Christus secundùm carnem, tum ex Davidis semine factus, tum ex Israëlitis originem ducere affirmatur; exque iis colligunt, Filium Dei ex semine Davidis Israëlitarumq; carnem assumsisse: & sic hominem factum ex duabus naturis constare: cum caro, quæ naturam humanam designet, alteri, videlicet divinæ naturæ, e regione opponi videatur. Respondemus igitur, vocem carnis in istiusmodi locutionibus, nec humanam naturam, præsertim necessariò, denotare; nec aliam naturam seu substantiam, nempe divinam, præsupponere: cum de Abrahamo Pauloque idem scriptum legamus, quorum ille Iudæorum Pater secundùm carnem appellatur; hic verò fratres cognatosque secundùm carnem habuisse dicitur: nec tamen aliâ illos insuper

Act: 2. 30. Rom: 1. 3. 2 Tim: 2. 8. Rom: 9. 5.

Rom: 4. 1: 9, 3.

insuper naturâ seu substantiâ præditos fuisse, quisquam dixerit. Taceo, etiam Israëlem secundùm carnem, & dominos secundùm carnem ab Apostolo commemorari. Quò accedit, quòd verba *secundùm carnem*, nunquam istis, *secundùm divinam naturam*, sed his, *secundùm spiritum*, opposita leguntur: quod etiam apertissimè fit, cum de Christo sermo est, ut videre licet Rom. 1. 3, 4. Cum autem secundùm spiritum nasci, apud divinos autores, nonnisi spirituali nascendi modo procreari significet; consequens certè est, secundùm carnem gigni, carnali ratione in lucem edi, designare: ut facilè appareat, nequaquam esse necesse, propter ejusmodi loquendi modum duas comminisci naturas. Rem autem istam ita planè, ut diximus, sese habere, inde perspicuum est, quòd Isaacum secundùm spiritum, Ismaëlem verò secundùm carnem ex Abrahamo generatum esse, idem Paulus testificatur: ubi quidem divinam in Isaaco fingere naturam nemo audebit; cum nimis manifestum sit, Paulum hoc dicere voluisse: Isaacum non prorsus carnali modo, seu viribus carnalibus, ex Abrahamo genitum fuisse, ut Ismaël: sed ad illius generationem, divinam quandam virtutem atque efficaciam accessisse, quæ ad hujus generationem non accesserit, utpote naturali prorsus modo perfectam. Hæc si ad Christum accommodentur, loci Rom. 1. ex quo cæteri intelligi queunt, sensus erit: eundem Christum, & Davidis, & Dei filium esse: illius quidem ita, ut carnali ratione ex eo sit natus: hujus verò sic, ut spirituali modo ex illo generatus sit. Nam non modò de spiritu sancto conceptus, sed & sanctificationis spiritu consecratus fuit, idq; perfectissimè tunc, cum a mortuis excitatus, ad regnum ac sacerdotium æternum administrandum a Deo unctus est. Ob has enim causas Christum Filium Dei appellari, ex divinis literis compertissimum est. Hìc verò objicient, Paulum in cap. 9. ejusdem Epistolæ, hanc locutionem *secundùm carnem*, non spiritui, sed divinitati opponere, cùm hunc in modum loquitur: *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Nos verò istam oppositionem hìc non agnoscimus: cum nec verba *secundùm divinitatem* hoc in loco habeantur, nec subaudiri debeant; sed, si quid subaudiendum est, subintelligendum sit illud ipsum, quod nos volumus, nempe *secundùm spiritum.* Neque enim sine nugatione quadam dixeris, Christum esse Deum secundùm divinitatem: rectiùs dixeris, eum esse Deum secundùm sanctificationis spiritum, ut suprà cap. 1. ubi de ratione, quâ filius Dei sit, sermo est. Qua enim ratione Christus filius Dei potissimùm dicitur, eâdem etiam Deus est. Sed

1 Cor: 10. 18. Col: 3. 22.

Gal: 4. 23, 29.

vid: Luc: 1. 35. Ioh: 10. 36. Act: 13. 32, 33. Heb: 5. 5, 6. 1 Ioh: 5. conf: v. 1. & 5.

Cap. XII. De æterna Filii Dei generatione.
Eraſmus.

eſt. Sed præterea nulla ratione conſtat, divinitatem, quam Paulus
Chriſto tribuere videtur, (nam alii punctulo poſt vocem *carnis*
poſito, ad Patrem hæc verba referunt,) divinam ſignificare natu-
ram ſeu ſubſtantiam: imò ex perpetua ſanctarum literarum analo-
gia patet, Chriſtum non naturâ, ſed ſummi illius Dei beneficio,
Deum eſſe atque appellari. nec mirum, Chriſtum hîc ſuper omnia,
vel omnes, Deum benedictum dici: cum Deus Pater omnia ſub pe- 1 Cor: 15. 27, 28.
des ejus ſubjecerit, illumque nomine ſupra omne nomen donave- Eph: 1. 20, 21, 22.
rit. Vnde ſanè nec naturarum iſtarum in Chriſto diſtinctio, nec mi-
rabilis illa incarnatio colligi poteſt: ſed potiùs, illum ipſum Chri- Heb: 2. 8, 9. Phil: 2. 9.
ſtum, qui ex Iſraëlitis naſcendi principium duxit, eſſe ex ſummi o-
ptimique Patris liberalitate, ſuper omnes omniaque Deum bene-
dictum in ſecula.

Ex illa quoque quæſtione, quam Chriſtus Phariſæis propoſuit, Mat: 22: 46.
(nimirum, cum Meſſias ſit filius Davidis, quomodo ab illo Domi-
nus illius appelletur,) iſtam naturæ duplicitatem elicere conantur.
Atqui ut Chriſtus, qui naturali ratione ex Davide generatus eſt, e-
jusdem Dominus jurè dicatur, nequaquam opus eſt, eum prçter hu-
manam, divinâ quoque naturâ præditum eſſe: cum ſatis ſit, illum
Dei Patris beneficio, per mortem ac reſurrectionem eò dignitatis
perveniſſe, ut a dextris Dei conſtitutus, vivorum & mortuorum, & Rom: 14 9.
ſic Davidis etiam dominus eſſet. Quod cum David, utpote vates,
futurum eſſe ſpiritu proſpiceret, Dominum illum in ſpiritu appel-
labat.

Illud etiam Petri teſtimonium, quo Chriſtus mortificatus car- 1 Pet: 3. 18.
ne, vivificatus autem ſpiritu perhibetur, huic adverſariorum ſen-
tentiæ auxilii nihil adfert: cum nec caro humanam, nec ſpiritus di-
vinam naturam ſignificet; nec illa ab hoc aſſumpta eſſe dicatur. Ca-
ro enim hoc in loco infirmitatem, ſpiritus autem virtutem Dei de-
ſignat, ut ſenſus ſit: Chriſtum ob infirmitatem, cui ſubjectus erat,
mortuum fuiſſe, & propter virtutem, quâ Deus vitæ illum reſtitu-
it, reſurrexiſſe. id quod Paulus hunc in modum exprimit: *etſi cruci-* 2 Cor: 13. 4.
fixus eſt ex infirmitate, vivit tamen ex virtute Dei. Spiritus quippe
Dei eſt illa ſupereminens ejusdem virtus, quam, ut alibi teſtificatur
Paulus, efficaciter oſtendit in Chriſto, ſuſcitando illum a mortuis. Epheſ: 1. 19.

Cap: XII.

De æterna Filii Dei generatione.

IAm igitur, quòd Filius Dei ab omni æternitate ex eſſentia Patris
genitus eſſe affirmatur; hoc firmiter conſtituendum eſt, ſenten-

tiam i-

tiam istam & absurdissimam, & planè ex eorum numero esse, quæ fieri nulla ratione possunt; ac proinde nec sacrarum literarum testimoniis confirmari posse. Se enim ipsam evertit. Nam si generatus est Filius, ut sanè generatus est, ab omni æternitate non extitit, sed fuit tempus aliquod, cùm nondum existeret. Omnis enim generatio, præsertim substantialis, quam vocant, ac propriè sic dicta, est mutatio a non esse ad esse. Ex quo consequitur etiam, in Deum illum summum, nempe eum, qui ex substantia Patris genitus dicitur, mutationem cadere. quin etiam in Patrem, qui generavit. Vel enim Filius nondum est penitùs genitus, sed adhuc generatur, & in æternum generabitur; quod & sac. literis, & sanæ rationi repugnat; vel Pater eum generare desiit, & sic ex generante factus est non generans, idque ratione substantiæ suæ, ex qua generasse dicitur. Præterea cum Dei substantia nec in partes dividi, nec multiplicari queat; necesse est, ut si Christus ex Dei substantia generatus fuit, tota ei Patris substantia, eadem numero, communicata fuerit. At hoc seipsum evertit. semper enim aliam ejus, qui generatur, aliam illius, qui generat, substantiam esse oportet. aliàs idem seipsum generaret.

Esa: 66. 9. Hîc verò nonnulli illud Esaiæ testimonium proferunt: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* Verùm ex hoc loco id, quod volunt adversarii, concludi minimè posse, & materia verbis istis subjecta, & interpretationis varietas manifestè ostendit. Ac illa quidem ideò, quòd hîc non solùm ejus partûs mentio fit, quem Deus Sioni promittit, & sic nequaquam illius æterni & essentialis, ab adversariis conficti: sed etiam nonnisi Iudaici populi liberatio, & in pristinum locum restitutio, partûs nomine significatur; perindeque est, ac si hunc in modum Deus loquatur: Scilicet ego alios parere faciam, & ipse non efficiam, ut Sion Iudæorum patria, indigenis suis receptis, liberorum multitudine abundet? At verò aliter Vatablus, homo Hebraicis literis doctissimus, legendum censet, nimirum sic: *Num ego contererem, & non facerem parere? num ego facio parere, & cohibeo?* id est, ut idem interpretatur Vatablus, Egóne, qui do vim pariendi mulieribus, prohibebo, ut Ecclesia non pariat? Nihil igitur hinc, sive hæc, sive illa interpretatio retineatur, adversariorũ opinio potest habere præsidii.

Prov: 8. 22, 23. Verùm videamus, quibus scripturæ præsidiis, ista sempiternæ generationis opinio muniatur. Primò dicunt, de Dei sapientia literis sacris proditum esse, quòd ab omni æternitate constituta ac genita sit.

nita sit. quam cum Dei Filium esse Pauli testimonio comprobari videatur; eundem a sempiternis infinitisq; temporibus ex Dei essentia genitum esse colligunt. Sed perperam hoc ab illis fieri, indicio est, tum propositionis, præsertim in eum, quem illi volunt, sensum acceptæ, tum assumptionis falsitas. Illam enim falsam esse hinc perspicitur, quòd Solomon eo in loco, nec Dei sapientiam, sed sapientiam simpliciter & generatim, vel, ut dicitur, in abstracto consideratam, tanquam personam quandam inducit; nec eam genitam, multò minùs ex Dei essentia genitam asserit, sed formatam, (sic enim hebraicè legitur, ut testis est Vatablus, Pagninus, & B. Arias, homines hebraicis literis doctissimi:) formare autem creare est; nec denique dicit ab omni æternitate, sed *a seculo*, hoc est, ut statim explicatur, ex antiquis, scilicet temporibus, sapientiam constitutam fuisse. Eam enim vocum *a seculo* vim esse, ex aliis sacrarum literarum locis intelligitur. Quæ omnia in unum coacta, sensum efficiunt hujusmodi: sapientiam jam tunc extitisse, Deoque adfuisse, cùm mundi hujus opificium aggrederetur; & intelligentiam fuisse, antequam quicquam conderetur: quia nimirum Deus omnia sapientissimè creârit ac constituerit. Vnde perspicuum est, non id egisse Solomonem, ut sapientiam illam, divinam quandam personam esse ostenderet: sed ideò per prosopopœiam, eam tanta de se prædicantem induxisse, ut hominum animos ejus studio ac cupiditate inflammaret, atque ad eam acquirendam incenderet. Eam ob rem ibidem superiùs hanc illam esse dicit, per quam reges regnant, justitiamque decernunt. Hanc omnes prudentiâ egentes inclamantem producit, stultitiæque, sub fatuæ mulieris persona, eâdem dicendi figurâ inferiùs inductæ, opponit. Hanc ut sororem cognatamque nostram appellemus, id est, ardentissimè amplectamur, studioseque sequamur, acriter nos incitat. Hanc denique alibi sine dubio a Deo sibi donari petit, ut omnia sapienter moderari atque administrare possit. Quæ omnia sapientiam istam nequaquam personam esse evidenter demonstrant. Sed jam ad assumptionem veniendum nobis est, ut ostendamus, eam meritò a nobis falsitatis coargui. Christum enim sapientiam illam, de qua hactenus disseruimus, minimè esse, non una ratione constat. Illa enim sapientia, de qua Salomon loquitur, præterquam quòd persona non est, universè ac simpliciter accepta, ideoque sine Dei mentione prolata, non ejus propriam sapientiam, sed facultatem illam, omnibus sapienter rem aliquam administrantibus communem, declarat: Christus verò & persona est, & non simpliciter apud Paulum sapientia, sed *Dei sapientia* dicitur, quia

Cap: XII. De æterna Filii Dei generatione.
1 Cor: 1, 24.
Esai: 64. 4.
Hier: 2. 20.
Luc: 1. 70.
ỽ 15, 16.
cap: 9. 13.
cap: 7. 4.
1 Reg: 3. 9, 11, 12.
2 Paral: 1. 10, 11.
1 Cor: 1. 24, & 30.

tur, quia nimirum Dei ſapientia in eo manifeſtiſſimè elucet. quo pacto etiam *Dei potentia* ibidem dicitur, quia ſumma Dei potentia in eo fuit exſerta, atq; adhuc exſeritur. qua ratione & Evangelium
Rom: 1:16. *Dei potentia* vocatur; quia in tota Evangelica prædicatione ac diſciplina ſingularis Dei virtus elucet.

Pſal: 110. 3. At certè, inquies, illis Dei verbis hanc Chriſti generationem probari conſtat, quibus ſe *illum ex utero ante luciferum genuiße*, ipſe affirmat. Atqui verba iſta hebraico codice minimè continentur: cum in hebraico, quemadmodum omnes, qui ejus linguæ periti ſunt, nôrunt, & variæ doctorum virorum interpretationes teſtantur, ſic totus verſiculus, ut præcedentia etiam attingamus, legatur: *Populus tuus volũtatum*, (ſeu *voluntarius*,) *in die roboris* (vel *exercitus*) *tui, in ſplendoribus ſanctitatis: ex utero auroræ* (vel *ex aurora*) *tibi ros juventutis* (alii *nativitatis*) *tuæ*. quorum verborum, quæ non Dei ſunt, ut in illa adverſariorũ argumentatione omnino ponitur, ſed Prophetæ Chriſtum alloquentis, hic eſt ſenſus: Quando tu, ô Chriſte, exercitum educere voles ſanctitate ſplendidum, tanta erit in populo tuo promptitudo, ut juvenum, qui tibi militabunt, & ad ſigna tua confluent, tanta ſit multitudo, quanta ſolet eſſe copia roris, quam aurora ſecum adfert, & veluti ex utero ſuo emittit. Cum igitur in Latinis Græcisque veteris teſtamenti verſionibus, ea tantummodo, & rectæ rationis, & doctiſſimorum hominum judicio, vera exiſtimanda ſit, quæ ex hebraicæ veritatis fontibus derivata eſt; profectò omnis, quę aliunde profluit, meritò repudiatur. Quòd ſi apud non paucos, LXX illi interpretes tãtum habent autoritatis, ut ipſis etiam hebraicis literis eorum verſionem præferendam arbitrentur: ii ſciant, magnam inter doctos eſſe controverſiam, utrùm omnia ſacrorum voluminum ſcripta ab illis in Græcam lingvam transfuſa ſint: utpote cum non pauci aſſerant, illos quinque tantùm Legis libros interpretatos fuiſſe, id quod & Ioſephi, qui in Antiquitatum Iud. libris interpretationis illius hiſtoriam refert, & Ariſtææ, qui eandem rem deſcribit, & quorundam Eccleſię Patrum, quos vocant, autoritate probant. Sunt præterea, qui omnem quidem ſcripturam literis græcis eos donâſſe, poſtea tamen hunc eorum laborem periiſſe dicant. Adde, quòd & Hieronymus, non vates illos, ſed interpretes habendos jurè exiſtimat, verſionemque illis aſcriptam adeò vocat in dubium, ut non ſolùm librariorum culpâ, ſed ipſiusmet interpretationis vitio indignam judicet, cui omnibus in locis plenum aſſenſum præbeamus. An non igitur tutius eſt, in tanta diſſenſione, ex ipſis fontibus ſalutarem aquam haurire? Mit-

Cap:XII.De æterna Filii Dei generatione.

rire? Mitto nunc, quòd admissa etiam interpretatione illa, nondum tamen, ab omni æternitate Christum ex Patris essentia generatum, consequatur: cum nec essentię divinę hîc ulla fiat mentio; nec protinus eum, qui ante luciferum genitus est, ab omni æternitate genitum esse sit necesse.

Sed fortassis illud, ad hujus sententiæ confirmationem, aliquam vim habere putabunt, quòd Michæas Christi *egressum a principio, a diebus æternitatis*, ut quidam vertunt, esse affirmat. Atqui tantum abest, ut locus ille quicquam ad hanc sententiam stabiliendam habeat momenti, ut ibi ejus ne vestigium quidem appareat. Præterquam enim quòd Egressus vocabulum latiùs, quàm Generationis, patet; nullo verbo indicatur, hoc loco egressum ex ipso Deo, aut ex divina ipsius substantia intelligi. Sed quid multis opus? annon Prophetæ ipsius verba clarissimè ostendunt, de egressu Christi ex oppido Bethlehemitico, & natalibus ex illustri regum antiquissimorum stemmate, sermonem esse? Præcesserat enim: *Nam ex te* (scilicet Bethlehem) *egredietur mihi dux*. Cur ergo de alio egressuum (nam in Hebræo plurale est) aut natalium genere hîc disputamus? Præterea verba illa, quæ reddita sunt, *a diebus æternitatis*, in Hebræo nil aliud significant, quàm *a diebus sæculi*, nec possunt de ejusmodi æternitate intelligi, quæ omni careat principio. repugnant enim voces *a principio*, pro quibus illæ ponuntur; & ipsa vox *dierum*, quæ nonnisi de certo aliquo tempore usurpatur, reclamat: sed, ut alibi, significant tempora antiqua seu prisca. *Principii* autem vox ad subjectam materiam semper referenda est. Iam verò hoc loco de duce seu de dominatore sermo est, qui Bethlehemi sit nasciturus, quique pascere, h. e. regere ac curare debeat populum Israëliticum. Quare principium illud rectè refertur ad id tempus, quo primò cœperunt ab ipso Deo reges Israëlitici constitui, & quidem ex eodem oppido Bethlehemitico oriundi: ut sensus sit, hunc populi Israëlitici ducem Bethlehemo egressurum, non tantùm suæ ipsius personæ habita ratione, sed etiam habita ratione majorum antiquissimorum, qui primi ad pascendum ac regendum populum Israëliticum electi, ex eodem oppido oriundi fuerunt: vel, præstantissimum illum populi Israëlitici ducem Bethlehemo proditurum esse, quemadmodum in ipso regni Israëlitici primordio, gentis illius rex ab ipso Deo populo datus, ex eodem oppido originem suam duxerat; quem quidem Davidem fuisse nemo ignorat.

Mich: 5. 2.

Esa: 51. 9, 11.
Mal: 3. 4.

Quid autem illud est, dices, quòd hunc Iesum Deus sic alloquitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Annon apertissimè ex ipsa

Psal: 2. 7.

divina substantia, idque hodie, id est, ab æterno, Filium Dei esse genitum affirmatur? At nos istam consecutionem, ut falsam ac ineptam, meritò repudiamus. Non enim, quia se Deus Filium *hodie* genuisse dicit, protinus ab æterno, exque ipsa substantia genuisse consequitur. quandoquidem nec vox *hodie* æternitatis vim uspiam habet; nec Dei simplicissima singularissimaque natura fert, ut usitata communique animantibus generandi ratione ac via, qualis est generatio ex substantia propria, Filium gignere potuerit. Adde, quòd verba ista primo seu literali, ut vocant, sensu, Davidem regem concernunt, quem neque ab æterno, neque ex Dei essentia natum esse manifestum est. Alia etiam prorsus ratione, alioque tempore Deum filium suum genuisse, Paulus & Autor Epistolæ ad Hebręos locupletissimi testes sunt. Hi enim ista Davidis verba tunc reipsa completa fuisse ostendunt, quando Deus Iesum a mortuis excitatum, immortalitateque donatum: ad regii pontificiique muneris perpetuam dignitatem extulit. atque hoc fuit illud gignere. Cum autem Iesus ab infinitis temporibus a mortuis excitatus, atque a Deo rex ac sacerdos reipsa factus nequaquam fuerit; quid absurdius est, quàm in voce hodie ęternitatem cogitare, & non potiùs ad illud tempus eam accommodare, quo Iesus in vitam revocatus istisque muneribus præfectus est?

Act: 13. 33. Heb: 1. 5: 5. 5.

At, inquies, nō tunc demum genitū esse filium Dei, cùm ex morte in vitam revocatus, inq; amplissimo illo honoris gradu constitutus est, illud luculentissimè demonstrat, quòd a Paulo *primogenitus omnis creaturæ* dicitur. Quod quidem nihil aliud sibi vult, quàm eum ante omnes res creatas, ex Dei substantia genitum fuisse. Nos verò hanc sive interpretationem, sive argumentationem, haudquaquam admittimus. Longè enim hæc verba, *Primogenitus ante omnes creaturas*, ab his, *primogenitus omnis creaturæ* distare, hinc perspicitur, quòd qui *primogenitus omnis creaturæ* verè dicitur, is non solùm omnes res creatas tempore dignitateq; antecedere, sed earundem etiam numero contineri, omnino existimandus est. Hoc enim mos loquendi, & vulgo & scripturæ sacræ usitatus, omnino postulat; adeò ut haud aliter, ac primogenitus fratrum, filiorum, gregis, fratribus, filiis, gregi annumeratur, Primogenitus similiter omnis creaturæ, in creaturis habeatur. Sic Vetus interpres Apoc. 1. 5. ubi Christus primogenitus ex mortuis dicitur, Primogenitum mortuorum, quod ad sensum attinet, rectè vocat: nempe quia & ipse in mortuorum fuit numero, & primus ex illis ad vitam sempiternam fuit resuscitatus, atque a Deo genitus. Eodem autem sensu, quo

Col: 1. 15.

Gen: 4. 4. Exo: 13. 15:

quo Christus primogenitus omnis creaturæ dicitur, a Ioanne divinæ creaturæ principium nominatur. Vt igitur aquæ in vinum conversio principium signorum seu miraculorum Christi ita est, ut in Christi signis numeretur: & Amalec principium gentium eo pacto appellatur, ut ex numero gentium sit: sic principium creaturæ Dei, in rebus creatis omnino numerandum est. Ex quo facilè intelligitur, Christum hominem, nec quenquam alium, qui ante eum extiterit, esse primogenitum illum; & creaturam, cujus est primogenitus, non veterem illam, sed novam esse: utpote cum adversarii ipsi fateantur, Christum nonnisi quatenus homo est, inter res creatas numerari posse. Quod cum ita sit; quid, quæso, hæc primogeniti appellatio ad æternam illam generationem conferre potest? Vocatur autem omnis istius, de qua agitur, creaturæ primogenitus, quia & tempore, ut diximus, & dignitate eam antecesserit.

Apoc: 3. 14: Ioh: 2. 11 Num: 24. 20.

Sed instant illi, & porrò nobis objiciunt, Christum & filium Dei viventis, & filium ejusdem unigenitum, naturalem, ac proprium in sacris literis nominari, & porrò fieri non posse, quin ex ipsa Dei essentia sit natus. Sciendum tamen est, omnia hæc Christi nomina, nequaquam istam ex essentia Dei generationem constituere. Primò enim, quòd *Dei viventis filius* dicitur; aut in voce *viventis*, aut in simplici *Filii Dei* appellatione eam vim inesse volumus, quâ ista ex Dei substantia generatio conficiatur. Sed neutram istarum appellationum eam vim habere inde patet, quòd alioquin innumerabiles filios Deum ex sua essentia genuisse statuendum esset: cum omnes, qui in Christum credunt, nunc filii Dei simpliciter, nunc filii Dei [b] viventis dicantur. Neque verò vox *viventis*, Dei nomini apponitur, ad certum aliquem modum, quo Deus filios habeat, exprimendum: sed tantùm ad Deum ipsum a Diis fictis vitaq; destitutis distingvendum. Si dixeris, hunc Dei Filium in communem filiorum Dei turbam conjiciendum minimè esse; propterea quòd non simpliciter Dei filius, sed *ille* Dei filius a Petro dicatur: quemadmodum & Cajaphas Christum per Deum vivum obtestatur, num sit Christus, ille Filius Dei viventis; a quo hac in parte minimè dissidens Ioannes, affirmat, sibi in Evangelio conscribendo fuisse propositum, ut Iesum esse Christum, illum Filium Dei, crederemus. Quibus in locis, inquies, additus articulus non sinit nos Christum reliquis Dei filiis aggregare, sed ad singularissimam in illo Dei filiationem cogitandam planè impellit, videlicet ex ipsa Dei substantia, sempiternâ inexplicabiliq; generatione profectam. Hîc fatemur sanè, singularissima ratione Iesum Dei filium dici & esse: inde tamen

Mat: 16. 16. Ioh: 6. 69. Ioh: 1. 14, 18: 3. 16, 18. Rom: 8. 32.

Rom: 8. 14, 16, 17: Gal: 3. 26: 4. 6, 7: b Os: 1. 10. Rom: 9. 26.

Mat: 16. 16. Ioh: 6 69. Mat: 26. 63.

Ioh: 20. 31.

tamen æternam ejusdem ex divina ſubſtantia generationem conſequi, planè negamus. Vt enim alias Chriſti filiationis cauſas ſuo loco reſervem, & præſentium tantummodo teſtimoniorum rationem habeam; dico, & Petrum locis citatis, & Cajapham, & Ioannem, iſtam Chriſti filiationis ſingularitatem nonniſi in eo ponere, quòd is Chriſtus ſive Meſſias ille ſit, Iſraëlitico populo divinitus promiſſus; id quod nulli alii filiorum Dei tribuitur. Nam præterquàm quòd omnibus iſtis in locis, appellatio *filii Dei* per appoſitionem adjicitur voci *Chriſti*, ad eam uberiùs declarandam; illud quoque accedit, quòd Marcus & Lucas, eandem Petri confeſſionem commemorantes, inq; rem ipſam potiùs, quàm in verba, animum intendentes, nihil ampliùs eum inducunt dicentem, quàm, *tu es Chriſtus*, vel *Chriſtus Dei*: ut facilè appareat, in locis iſtis, *Filium Dei* & *Chriſtum* eſſe, eandem habere ſignificationem. quod etiam ex Ioanne liquet, apud quem idem eſt, credere aut confiteri, Ieſum eſſe filium Dei, &, credere aut confiteri, Ieſum eſſe Chriſtum: quemadmodum verba ipſius diverſis locis extantia, ſi inter ſe conferantur, luculenter oſtendunt. Cujus rei documentum illud quoq; eſt, quòd Iudæi apud Lucam, eo interrogato, num Chriſtus eſſet, idq; ille ſatis apertè fuiſſet confeſſus, ita ſubjiciunt: *Tu igitur es ille filius Dei?* nec non illa Nathanaëlis confeſſio, quâ hunc in modum Dominum Ieſum profitetur: *Tu es ille Filius Dei, tu es rex ille Iſraëlis*; ubi eadem planè res diverſis verborum notis exprimitur. Non negamus igitur, Ieſum ſingularem Dei Filium, utpote Meſſiam ſeu Chriſtum eſſe, ex locis iſtis apparere: ſed quid hoc ad eſſentialem illam ex omni æternitate generationem? cum Meſſiam, hoc eſt, unctum eſſe, nonniſi Chriſto homini conveniat, & res ſit ejusmodi, quæ tunc demum perfecta fuit, cum eum Deus a mortuis excitatum ad dextram ſuam collocavit. Tunc enim, ut in Actis teſtatur Petrus, Deus ipſum fecit Dominum ac Chriſtum. Quare cùm Ieſum Dei Filium dici audimus, qualitatem quandam eximiam Filii hominis exprimi, intelligendum nobis eſt. Cui rei præter alia illud quoque eſt argumento, quòd eo in loco, quem hîc inprimis examinamus, in quo Petrus Chriſtum Filium Dei viventis appellat, quæſtio erat de Filio hominis, quisnam eſſet, ut locus inſpectus unumquenque docet.

Mar: 8. 29. Luc: 9. 20. vid: 1 Ioh 2. 22; 4. 2, 3, 15. c. 5. 1 & 5. 2 Ioh: ỹ 7. Luc: 22. 67, 70. Ioh: 1. 50. Cap: 2. 36. Mat: 16. 16.

Ex eo quoque, quòd Dominus Ieſus Vnigenitus Dei Filius vocatur, æterna illa ex ſubſtantia Dei generatio colligi nequaquam poteſt: quippe cum non ſolùm impoſſibilem eam eſſe ſuprà oſtenderimus, ſed etiam, quia vox *unigeniti* in ſacris literis non ſemel eum ſignificat, qui, cum plures ei ſint fratres, vel iiſdem planè parentibus,

Ioh: 1. 14, 18: 3. 16.

 Cap:XII. De æ-
tibus, vel saltem eodem patre nati, omnibus tamen illis præfertur. terna Filii Dei
Isaac enim, verbi causâ, & Solomon, quia multò erant parentibus generatione.
suis,quàm reliqui,chariores,&multis in rebus illis præponebantur, Gen:22. 2,12.
ideò unigeniti sunt appellati: quamvis ut eodem Abrahamo & I- Heb: 11. 17. Prov: 4. 3.
smaël, sic eodem Solomonis parente utroque plures ipsius fratres 1 Paral: 3. 5.
prognati essent. Patet id vel ex eo, quòd Græca translatio Gen. 22.
ubi de Isaaco, & Prover. 4. ubi de Salomone sermo est, pro voce *u-
nigeniti*, quam Latinus interpres habet, vim Hebrææ vocis expri-
mens,ponit ἀγαπητόν, id est, dilectum. Neque verò ideò prius ex-
emplum alienum ab instituto nostro judicandum est, quòd Abra-
ham Isaacum & Ismaëlem non ex eadem uxore susceperat: cum sa-
tis sit, utrumque ex eodem patre generatum fuisse, & sic Abraha-
mum uno plures filios habuisse: cum Isaacum respectu Abrahami
unigenitum scriptura vocet. Nec illud quicquam causam nostram
infirmat,quòd Solomon non matris suæ, sed coram matre sua uni-
genitus dicitur; sed potiùs id, quod dicimus, illustrat ac confirmat,
nempe eum,qui præ cæteris omnibus fratribus suis maximè, atque
ut dicere solemus, unicè diligitur, unigenitum dici. Significatur e-
nim ea locutione,Solomonem apud matrem instar unigeniti habi-
tum ac dilectum fuisse. Hoc idem nomen & Christo eadem ratio-
ne, citra ullam ex substantia Patris generationem attributum esse,
quis non intelligat? præsertim cum Christum hominem pro salute Ioh: 3. 16.
nostra in mortem traditum, & idcirco ab illa sempiterna generati-
one remotissimum, Vnigeniti, quemadmodum & Proprii filii Dei Rom: 8. 32.
appellatione decoratum esse, in sacris literis videamus. Christo e- Ioh: 1. 13. Rom: 8. 29.
nim plurimos esse fratres, ex eodem Patre Deo generatos, nemo Iac: 1. 18.
fortassis dubitat. At ne hoc quidem dubium esse potest, eum, ut u- 1 Ioh: 3. 9. 10. Heb: 2. 11. 12.
nicè Deo charum, ita reliquis omnibus longè superiorem esse ac
fuisse. qua quidem in re Isaacus, quem Abrahami filium unigeni-
tum appellatum fuisse vidimus, egregiam quandam Christi nobis
exhibet imaginem.Vt enim is Abrahamo unicè fuit charus:ita De- Mat: 3. ult.
us cœlitùs hunc esse filium suum charissimum, sibique acceptum, 17. 5.
bis testificatus est. & ut solus Isaac universam patris adivit hæredi- Gen: 21. 10, 12. 25. 5, 6.
tatem: ita Christus a summo illo Patre omnium hæres constitutus Gal: 4. 30.
est. ut denique ab Isaaco solo vera Abrahami posteritas, ei a Deo Heb: 1. 2.
promissa,denominanda fuerat: ita a solo Christo Dei filiorum pro- d.l.Gen: 21. 12. Rom: 9. 7. & d.
genies nomen traxit: propterea quòd, quemadmodum ex Isaaco Gal: 3. 26, 29.
veri Abrahami filii, promissionum ipsius hæredes, nascebantur: sic
ex Christo omnes, quotquot Dei filiorum ac hæredum nomine
gaudent,genus ducunt. At,inquies, ista quidem vera esse; non pos-

se tamen fieri, quin multò verior causa subsit, cur unigenitus Dei filius nominetur Christus. Cum enim unigenitus eum denotet, qui vel solus ex aliquo sit natus, idque propriissimè, vel certè qui solus excellentissima quadam ratione genitus sit; necesse profectò est, ut non solùm divina charitate divinisque muneribus Christus reliquis antecellat, sed ipsa quoque nativitatis ratione superior sit. quemadmodum & Isaac non solùm favore paterno, hæreditatisque possessione, sed ipsa etiam nascendi ratione Ismaëlem superabat: quippe cum non perinde, ut Ismaël, ex ancilla, sed ex Abrahami uxore, eaque jam senio confectâ, non absque inaudito miraculo genitus esset. Vnde colligi videtur, si Christus est filius Dei unigenitus, eum solum singularissima ratione ex eodem generatum fuisse; & cum nulla possit cogitari alia generatio singularis, quæ Christo soli conveniat, præter illam substantialem; fatendum esse, Christum ex Patris substantia ab immensis temporibus natum extare. Respondemus autem primùm, nulla ratione probari posse, præter causas a nobis explicatas, omnino aliam subesse, ob quam Christus unigenitus Dei filius fuerit appellatus. Licèt enim Vnigeniti vox eum propriè denotet, qui solus ex altero fuerit genitus: ostensum tamen est, & quidem exemplis eorum, qui Christi typum gerunt, etiam aliam vocis istius significationem esse, eamque ejusmodi, quam Christo competere nemo negare queat, quæque locis omnibus, ubi ea vox de Christo effertur, egregiè conveniat. Repone enim omnibus iis in locis pro voce *unigeniti* nomen *charissimi*, omnia optimè quadrabunt. Deinde dicimus, minimè consequens esse, ut, quamvis singularissima ratione Christum ex Deo genitum esse libenter concedamus; mox ex divina essentia id factum esse statuamus. Nam & fieri illud nullo pacto potuisse jam demonstravimus; & longè aliâ viâ factum esse, ex sacris testimoniis constat, sive primam seu naturalem Christi spectes nativitatem, sive posteriorem seu spiritualem. Ad primam enim nascendi rationem quod attinet; solum Christum divini spiritus virtute in virginis utero conceptum, ex eaque natum, & idcirco summi Dei filium nominatum fuisse, quis ex angeli ad Mariam verbis non intelligit? Ita nempe genitus est Christus, ut præter Deum nullum alium haberet Patrem. Altera verò seu spiritualis Christi ex Patre generatio, in Dei similitudine potissimùm consistit. Quæ quidem duplici ratione consideranda est, respectu videlicet tum ad illud tempus habito, quod mortem ac resurrectionem Christi antecessit, tum ad illud, quod fuit consecutum. Illo autem tempore solus & perfectâ rerum divinarum

Luc: 1. 35.

narum scientiâ, & sapientiâ tantâ, ut cogitationes etiam hominum perspiceret, & tantâ in ventos, aliasque res sublunares, itemque in dæmones, morbos, mortem denique potestate atque imperio valebat, ut meritò in Dei forma, Deoque æqualis esse diceretur. Quo loco illud quoque considerandum est, quòd tunc, cùm Christus unigeniti filii nomen ferret, nullus hominum Dei filius, quales quidem sub novo fœdere existere possunt ac debent, extitit: ut manifestum sit, tantò majori jure, ratione istius temporis, hoc ei nomen fuisse tributum. Hoc verò posteriori tempore, videlicet postquam in vitam revocatus, divinissimum statum consecutus est, hoc pacto fuit a Deo genitus, ut solus ab ipso Deo immediatè & ante omnes immortalitatem adeptus, summoque in omnia imperio ac potestate auctus, & porrò Deo quàm simillimus factus fuerit, adeò ut rectissimè eam ob causam unigenitus Dei filius dici queat.

Neque verò difficile ad intelligendum fuerit, quo pacto Christus sit Dei filius naturalis; quamvis eum hoc nomine insignitum esse nuspiam in sacris literis legatur: nimirum quia, ut dictum est, singulari admirabilique Dei virtute, nullo viro interveniente, ex virgine natus est, atque ita ab ipso vitæ principio, non alius patris, præter Deum, filius fuit. Vnde perspicitur, nequaquam essentialem illam, nulloque temporis spatio definitam generationem, contra apertissima, quæ partim scriptura, partim sana ratio suppeditat, argumenta, excogitare opus fuisse, ut Iesum naturalem Dei filium esse ostenderemus.

Hanc tamen summam divinâque sententiâ confirmatissimam veritatem, ita infringere conantur, ut hinc consequens esse affirment, nihil Angelorum filiationem a Christi filiatione differre; propterea quòd itidem, ut Christus, absque seminis virilis interventu, divina virtute procreati sint. Animadvertendum tamen est, non genitos, sed creatos Angelos esse. quod idem & de Adamo, quem simili ratione adducunt, judicandum est. Aliud autem esse simpliciter creari, aliud Dei virtute ex virgine viri nescia propriè gigni, quis ignorat? Ad illud enim perficiendum nequaquam opus est, Dei virtutem virilis seminis vicem quodammodo supplere: hîc verò omnino id fieri necesse est: ut quidem in Filio Dei ex virgine genito evenisse, clarissimo est argumento, quòd Mariæ interroganti, quomodo id fieri posset, cum virum nesciret, respondit Angelus, Spiritum sanctum superventurum, & virtutem altissimi ei obumbraturam; ideoq; illud sanctum, quod ex ipsa sit nasciturum, filium altissimi

Iob: 1. 6. Psal. 89. 7. Luc: 3. ult. Luc: 1. 35.

altiſſimi Dei vocatum iri. Nec ſolùm res ſimpliciter creatas hinc excludimus, ſed omnes etiam ex ſterilibus alioqui parentibus genitos, utpote qui alios veros patres habuerunt; nec illis procreandis divina virtus vicem virilis ſeminis ſupplevit, ſed tantùm vires ad generandum parentibus ſuppeditavit.

Hanc tamen evidentiſſimam naturalis filiationis Chriſti rationem contumaciter repellentes, duo objiciunt. Primò enim ajunt, angelum non ſolùm prædicare, Spiritum ſanctum in Mariam ſuperventurum; ſed virtutem quoque altiſſimi, id eſt, Verbum illud ſempiternum, quod Filius Dei ſit, illi obumbraturam. Quare perinde eſſe, ac ſi hunc in modum locutus fuiſſet: Filius Dei in uterum tuum deſcendens, ex eo carnem aſſumet; ideoque illud, quod ex te naſcetur, filius Dei altiſſimi vocabitur. Hæc verò interpretatio & falſa & abſurda eſt. Nulla enim neceſſitate impellimur, ad aliud quippiam virtutis divinæ nomine intelligendum, præter ipſum Spiritum ſanctum: cum apertiſſimum ſit, vocabulum *Et*, ſæpenumero non copulandi, ſed explicandi vim habere, ut perinde ſit, ac ſi dictum foret: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, id eſt, Dei virtus
Act: 10. 18. te inumbrabit. Quo pacto Deus ſpiritu & virtute Ieſum Naza-
Mat: 3. 11. renum unxiſſe, & ipſe Ieſus ſpiritu & igne ſuos baptizaturus dicitur. Cujus rei argumentum eſſe debet, quòd apud Matthæum nullam virtutis altiſſimi mentionem factam, ſed ſimpliciter ſic ſcriptum
Mat: 1. 18. legimus: *Et inventa eſt uterum ferre ex Spiritu ſancto.* Item: *Quod in*
ib: 20. *ea genitum eſt, ex Spiritu ſancto eſt.* Quòd autem quidam ajunt, ideò hîc virtutem illam minimè commemorari, quia non reddatur ratio, cur Filius Dei appellandus ſit; id frigidum admodum eſt, nulliusque momenti. Etſi enim, cur Filius Dei eſſet appellandus, apud Matthæum non quærebatur: tamen res ipſa non minùs, quàm apud Lucam, poſtulabat, ut, quis conceptionis autor eſſet, angelus Ioſepho ea de re ſiniſtrè ſuſpicanti ſignificaret. Si igitur præter ſanctum Spiritum etiam ſempiternus quidam Dei Filius partûs illius effector fuiſſet; certè id angelum reticere non decuiſſet, tum propter cauſam dictam, tum ut Ioſephus tantò majoris ſanctiſſimam illam Mariæ prolem faceret, eamque non modò aſſumere nil vereretur, ſed etiam vehementer cuperet, & ſibi matris ſecundę, ſi placet, divinitatis perſonæ, atq; adeò illius ipſius divinę perſonæ curã ac tutelam obtigiſſe, ſummopere gauderet. Adde, quòd apud Lucam id revera quærebatur, quo pacto Maria cõcipere ac parere filium poſſet, cum virum non cognoſceret. id enim ipſamet interrogaverat, & ad id angelus revera reſpondet: quamquam ita, ut reſponſionem

ſuam

Cap. XII. De æterna Filii Dei generatione.

suam consectario quodam amplificet, quod ad commendationem sancti illius partus plurimùm pertinebat. Atqui eadem responsio, ad Mariç quæstionem solvendam, atque ad Iosephi suspicionem penitus diluendam requiritur. ex eodem enim revera fonte utraq; manat. Quare eandem responsionem utrobique ab angelo allatam esse, dubitandum non est. Præterea, quàm indigna fuisset cœlesti nuncio ista oratio: id, quod ex te nascetur, sanctum, Filius Dei appellabitur: quia sempiternus Dei Filius uterum tuum ingressurus, in eoque carnem assumturus est? Nam quis nesciat, si Dei Filius concipiatur, Filium Dei dicendum esse illud, quod est nasciturum? Quis igitur non videt, multò veriorem, & ad propositum accommodatiorem hujus rei rationem esse; ideo sanctum illum partum Dei filium nominandum fuisse, quòd Deus spiritu virtuteque sua viri vicem suppleturus esset? Quod enim virtute divina nascitur, hoc ad ipsum Deum, cujus est virtus, tanquam ad patrem, jurè revocatur. quod propterea dicimus, ne quis hinc concludat, Christum Spiritus sancti potiùs filium, quàm Dei dicendum fuisse: cum, ut suo loco docebimus, Spiritus sanctus persona non sit, adeoque Patris rationem habere nequeat. Neque enim virtus, quâ generatio perficitur, pater est, sed is, qui eam habuit & exeruit. Huc accedit, quòd si virtus Dei altissimi sempiternum Dei filium declarat, nihil necesse fuisset, Spiritus s. operationem, si is persona sit a Patre ac Filio distincta, ad hoc negotium convenire; nisi Filium istum Dei infirmum, & porrò huic operi minimè sufficientem fuisse volumus. inf: cap: 14.

Videndum jam porrò est, num ideo ex Dei Patris substantia Christum generatum esse credendum sit, quòd *proprius* Dei Filius dicitur. Id autem vel ex eo consequi statuendum est, quòd *proprium* opponatur metaphorico seu figurato; omnis autem filius, qui ex substantia ejus, cujus filius dicitur, non fuerit generatus, metaphoricè ejus vocetur filius; vel ex eo, quòd, licèt ea vox non opponatur metaphorico, nihilominus tamen voci *Filii* adjecta, vim habeat significandi eum, qui ex substantia illius, cujus filius proprius esse dicitur, sit genitus. Quod ad prius attinet, nunquam vox *proprii* in sacr. literis metaphorico aut figurato opponitur: imò eo modo, quo hîc fit, cõstructa, ne apud prophanos quidem autores. Nam v. g. proprius dominus, proprius servus, proprius pastor, proprius ager, aut liber, nunquam ita dicitur, ut minimè figuratus aut metaphoricus esse intelligatur: sed tantùm ut significetur, eum non esse alienum, aut non esse cum aliis communem. Alieno enim aut communi Rom: 8. 32.

muni vox *proprii*, nomini rei simpliciter adjecta, opponitur. Quoties enim boni autores voce illa indicate volunt, vocabulum aliquod absque tropo intelligendum esse, hujusmodi verbis uti solent: propriè sic dictum, proprio nomine appellatum, propriè loquendo, & similibus. Ex quibus aliquo modo jam intelligitur, quid ad posterius sit respondendum. Etenim cum vox *proprii*, hoc præsertim modo, quo hîc fit, constructa, & in vulgari loquendi usu, & in sacr. literis, opponatur rei alienæ, aut cum aliis communi; appareret, eam vi sua nihil significare aliud, quàm *suum*, seu *omnino suum*: quo pacto *proprium corpus* est corpus suum, *proprius sangvis* nil aliud, quàm sangvis suus: quemadmodum vel ex interpretibus sacrarum literarum constare potest, qui pro voce *proprii* nonnunquam reponunt *suum*. Quare *filius proprius* nihil significabit aliud, quàm *filius suus*, opponeturque alieno, seu ei, qui alium habet patrem. Iam verò Christus præter Deum nullum habet patrem, adeò ut rectissimè filius Dei proprius dicatur. Quòd si, cùm de hominum liberis sermo est, ii, qui filii alicujus proprii dicuntur, ex ejus substantia sunt geniti; id, quod ad vim vocis *proprii* attinet, per accidens est, nec protinus ad Christum, qui Dei filius proprius dicitur, trahendum, nisi aliunde priùs ostendatur, hujusmodi generationem in Deo locum habere; quod nos impossibile esse jam superiùs ostedimus. Et sanè mirum est, eos, qui cæteroquin argumentationes ab humanis ad divina ductas valere pernegant, hîc, ubi minimè fieri oportebat, tam audacter ab humanis ad divina argumentari: cum non tantùm propter rationes superiùs adductas, sed etiam propterea ejusmodi generatio in Deum non cadat, quòd ea instituta sit ad conservandam speciem pereuntibus individuis. Vnde in immortalibus non est generatio: quemadmodum tum ratio sana dictat, tum ex argumentatione Christi, quæ extat Luc. 20. 35, 36. colligitur. Quòd si ne in angelos quidem, aut homines beatos, postquam resurrexerint, cadit, quia illi immortales sunt, hi a resurrectione erunt, licet numero sint infiniti; quantò minùs in Deum cadet, qui non tantùm immortalis est, atque adeò, ut sacr. literæ dicunt, solus immortalitatem habet; verùm etiam unus tantummodò est, ita ut multiplicari nullo pacto queat; quod tamen fieri necesse esset, si generatio substantialis in eum caderet.

1 Cor: 6. 18: 15. 38. Heb: 9. 12: 13. 12.

Iam igitur postquam nullum locum æternæ filii Dei ex substantia Patris generationi reliquisse videmur, magnæ nos impietatis accusabunt adversarii, ut qui Christum adoptatum Dei filium faciamus, infraque angelos ponentes, hominibus, qui in eandem venerunt ado-

runt adoptionem, eum æquiparemus. Quocirca nihil horum meritò in nos conferri, hoc loco demonstrandum nobis est. Ad primum ergo quod attinet; satis apparet, eos, qui id nobis objiciunt, adoptati filii nomen propriè accipere, ita ut adoptivus Dei filius is sit censendus, qui, cum alio patre fuerit prognatus, atque ita naturâ Dei filius minimè extiterit, postea divina benignitate in filiorum Dei numerum receptus sit. Nos verò cum Christum nullum alium habuisse patrem, præter Deum, illiusque inexplicabili virtute ex virgine generatum esse, & porrò naturâ atque a primo ortu Dei filium asseveremus; quomodo, quæso, ea ratione, de qua hîc disputatur, illum adoptivum facimus? quomodo Christum in aliorum filiorum numerum conjicere dicendi sumus? Nam præter alias causas, quas superiùs explicuimus, ob quas eum cæteris omnibus Dei filiis ratione generationis ex Deo longè præferimus, etiam hæc est, quòd homines fideles non a primo statim ortu filii Dei existant, sed postea demum fiant: angeli, licèt a primo statim existentiæ suæ initio filii Dei fuerint, non tamen ab eo fuerint generati, sed creati tantùm. Atqui utrumque, nempe ut & a primo statim ortu, & generationis ratione sit filius, ad filium naturalem constituendum pertinet. quod utrumque cum in Christo, quatenus Dei filius est, reperiatur, nec in quoquam alio; meritò Christus, & quidem solus, naturalis Dei filius appellandus est. Cæterùm si impropria quadam ratione nomen adoptivi sumas, & eum intelligas, qui licèt verè a Deo sit generatus, & a primo statim ortu Dei filius extiterit, non tamen talis, qualis postea evasit; potest Christus, quatenus post primam suam nativitatem alia quadam perfectiori ratione fuit a Deo genitus, adoptivus Dei filius dici. Omnia enim ea, quorum ratione Deo similis, & porrò perfectiori ratione Dei filius evasit, veluti est perfectissima sanctitas, sapientia ac potentia planè divina, immortalitas, & summum in omnia imperium, non a natura, nec a primo statim ortu, sed postea demum, nec eodem omnia tempore, divino munere adeptus est. Verùm hujusmodi adoptio, non tantùm Christi supra cæteros omnes Dei filios eminentiam non tollit, sed etiam constituit. Quia enim per eam Christus inter omnes adoptatos Dei filios principatum obtinuit; meritò hac quoque ratione unigenitus Dei filius dicitur. adeò ut ipsius respectu, ne angeli quidem Dei filii, sed servi potiùs habendi sint. Quanquam, ut hoc obiter adjiciam, non satis propriè homines Christiani adoptati filii Dei dicuntur: cum non solùm filiorum loco habeantur, sed revera etiam sint, utpote ea ratione, quâ Deus generat, ex ipso nati: cum adoptivi filii pro-

lii pro

Rom: 8:23.

lii pro filiis tantùm habeantur, non verò ex iis, a quibus adoptantur, nati ſint. Paulus enim dicens, ſe unà cum aliis adoptionem expectare, non id ſe cæterosque ſibi ſimiles ſperare indicat, ut pro filiis Dei habeantur, ſed ut revera ſint, ut quidem eos futuros eſſe Chriſtus confirmat Luc. 20. 36. Appellantur tamen adoptivi, quia nec ab ipſo vitæ ſuæ exordio Dei filii fuerunt, nec poſtquam filii Dei eſſe cœperunt, ſtatim tales extiterunt filii, quales aliquando demum evadent.

Cap: XIII.

De Exiſtentia Chriſti ab æterno.

Ioh: 1. 1. & 8. 58: 17. 5: 1 Cor: 10. 4. Iud: ℣ 5. Ioh: 12. 41. Eſa: 6. 9. Ioh: 6. 38: 3 13.

SEquitur ut eos locos excutiamus, qui demonſtrare videntur, Chriſtum ab æterno reipſa extitiſſe. Loci autem illi ſunt, quibus Chriſtus in principio, ante Abrahamum fuiſſe, ante conditum mũdum apud Patrem gloriam habuiſſe, populum Iſraëliticum ex Ægypto eduxiſſe, ei in deſerto adfuiſſe, & varia in illum beneficia contuliſſe, item ipſius gloriam ab Eſaia viſam fuiſſe, de cœlo deniq; eum deſcendiſſe dicitur, aut dici videtur. Negamus igitur, ullo iſtorum teſtimoniorum Chriſti ab æterno exiſtentiam probari. Quod enim ad *principii* vocabulũ attinet; animadvertendum eſt, illud, ubicunq; in ſ. literis reperitur, ſemper ejus rei initiũ deſignare, de qua agitur. Cujus rei exempla paſſim apud ſacros autores, atque adeò apud ipſum Ioannem aliquoties habentur. Cùm verò Ioannes, qui libri ſui ab his verbis, *In principio*, exordium capit, nonniſi Evangelium deſcribat; parúmne liquet, principium Evangelii hoc loco innui, quod a Ioannis baptiſmate teſtimonioque illius, quod Chriſto perhibuit, ibidem commemorato duci, teſtis eſt Marcus, ſcriptionem ſuam ſic inchoans: *Initium Evangelii Ieſu Chriſti Filii Dei, ſicut ſcriptum eſt in Prophetis: Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto*, &c. Indicat igitur Ioannes Evangelicæ hiſtoriæ ſcriptor, tunc, cùm Ioannes Baptiſta munus ſuum ſuſciperet atque exequeretur, extitiſſe eum, qui perfectam Dei voluntatem hominibus primùm annũciaturus eſſet, (id enim Verbi ſeu Sermonis nomine intelligi, jam ſuprà ſuo loco oſtendimus) h. e. Chriſtum, qui ſermo ille eſt, jam tum ei muneri fuiſſe a Deo deſtinatum ac præparatum. Ait autem, eum *in principio apud Deum fuiſſe*, vel quòd apud Deum in cœlis tunc temporis fuerit, ut nimirum mandatum a Patre acciperet, quid loqui, quidvé hominibus ipſius nomine annunciare deberet: (ſolent enim legati priùs a regibus ſuis mandata certa accipere, & tum

Ioh: 1. 1.

Dan: 8. 1: Ioh: 15. 27: 16 4: Act: 11. 15: 1 Ioh: 2. 7, 24: & 3. 11: 2 Ioh: ℣ 7.

Mar: 1. 1.

Sup: cap: 10.

Ioh: 12. 49, 50.

demùm

demũm ablegari) vel potiùs, quòd tum temporis hominibus generatim, muneris illius ratione habita, ignotus fuerit, soli autem Deo notus. Opponuntur enim inter se apud Ioannem initio primæ Epistolæ, *eſse apud Patrem*, &, *manifestatum nobis*, cùm ait, vitam æternam fuisse apud Patrem, & manifestatam esse nobis: ut sit sensus: vitam æternam, quatenus nimirum ad nos spectat, antè soli Patri fuisse cognitam, & apud eum quodammodo latuisse, sed nunc etiam nobis innotuisse. 1 Ioh: 1. 2.

Hìc verò sine dubio objicient sequentia Ioannis verba, quibus omnia per sermonem facta esse dicit; satisque apparere affirmabũt, hìc non de Evangelii, sed de omnium rerum creationis initio verba fieri, inque eo principio jam Christum apud Deum fuisse, postquam ab æterno ex ipso generatus esset, sed id a vero alienissimum esse, nos suprà satis ostendimus. sup: cap: 10.

Iam quòd Christus ante Abrahamum fuisse dicatur, id nequaquam Christi æternitatem constituere hinc perspicitur, quòd multi homines (ne de angelis aut dæmonibus nunc quicquam dicam) ante Abrahamum fuerunt, nec tamen æterni. Quanquam ne hoc quidem cum vero conjunctum est, eum nimirum ante Abrahamum extitisse. Quod ita se habere facilè comperiemus, si diligenter locum, quo id probare nituntur adversarii, consideraverimus, & quidem ita, ut græca verba inspiciamus, quæ sic habent, πρὶν ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι, quæque Benedictus Arias, verbum verbo reddens, sic interpretatus est: *Ante Abraham fieri, ego sum.* ubi verbum γενέσθαι secundùm Grammaticos modi infinitivi, aoristi temporis, & porrò pro contextûs ratione, vel per præsens subjunctivi, quod in futurum respiciat, vel per imperfectum reddendum esse, nemo ignorat: ita videlicet, ut si verbum, cui adhæret, fuerit temporis præsentis, per præsens sit vertendum; sin præteriti temporis illud fuerit, hoc quoque per præteritum imperfectum sit reddendum: quanquam & hoc nonnunquam in futurum respicit; unde ab interprete veteri, per præsens subjunctivi tunc vertitur. Cum autem hoc in loco verbum γενέσθαι inter duo præsentis temporis verba positum sit, quorum alterum est *dico*, alterum verò *sum*; fieri non potest, quin per præsens subjunctivi sit convertendum. Eam autem verbi γενέσθαι naturam esse, quam diximus, ex duobus similibus ejusdem Ioannis testimoniis perspicuum est, in quibus vel ob verbi præsentis antecessionem, vel propterea, quòd rem futuram manifestè significet, vetus interpres non *fieret*, sed *fiat*, (ita nimirum, ut hoc ipsum verbum, Ioh: 8. 58.

Cap: XIII. De existētia Christi ab æterno.

bum, quantumvis præsens, in futurum respiciat) illud vertit. Prior locus extat cap: 13. ubi ait Christus: *A modò dico vobis, priusquam fiat*, (in Græco est πρὸ τοῦ γενέσθαι) *ut, cùm factum fuerit, credatis, quòd ego sum*. Posterius extat cap: 14. ubi idem Christus ait: *Et nunc dixi vobis, priusquam fiat*, (Græcè πρὶν γενέσθαι) *ut, cùm factum fuerit, credatis*. Quare verba illa Christi, de quibus disputamus, hoc modo sunt convertenda: *Amen amen dico vobis, antequam Abraham fiat, ego sum*. quo loco verba illa *ego sum* idem valere, quod Ego sum lux mundi, vel Messias, ex collatione similium locorum, quæ apud eundem Ioannem, tum hoc ipso cap: 8. tum alibi extant, apparet. Ex quo haud difficulter intelligitur, verba *Antequam Abraham fiat*, non cum illis *ego sum*, ut adversariorum sententia postulat, sed cum istis *dico vobis*, propriè cohærere: ac porrò nomen *Abraham*, non ipsam Abrahami personam denotare, sed id, quod nomen illud tum origine sua, tum voluntate ejus, qui id Abrahamo imposuit, inspectâ significat, nempe *patrem multarum Gentium*, uti Moses docet. Pater verò multarum Gentium non antea verè extitit, quàm Evangelio ad Gentes extraneas translato, eæ ad fidem perducerentur, & sic spirituales Abrahami filii evaderent, quemadmodum Paulus docet. Id verò quia cum summo Iudæorum detrimento, h. e. cum eorum rejectione futurum erat conjunctum; ideò Christus eos, Abrahami nomine frustra gloriantes, monet, iisque, antequam illud fiat, prædicit, se esse lucem mundi sive Messiam; ut, quando adhuc liceat, in ipsum credant, & sic supplicium, quod iis impendebat, effugiant. Neque est, quòd, si ista interpretatio retineatur, parùm appositè respondisse videatur Dominus Iudæorum objectioni, quæ hæc est: *Quinquaginta annos nondum natus es, & Abrahamum vidisti?* Neque enim hanc eorum objectionem responsione dignam judicabat; utpote quæ nec quicquam ad rem pertinebat, nec cum vero conjuncta erat. Ea enim Dominum dicentem faciebat, quæ non dixerat, videlicet, se Abrahamum vidisse: cum tantummodò diem suum ab Abrahamo visum fuisse affirmâsset. Multò igitur conducibilius, & suâ personâ dignius putavit Dominus, ad illud redire, de quo inter ipsum & Iudæos orta erat disputatio, videlicet, an ipse esset lux mundi, & ita ex Abrahami mentione ab illis facta commodiorem arripere occasionem, non solùm ejusdem rei denuò confirmandæ, verùm etiam Iudæos interim acriter reprehendendi, & præmonendi, ut antequam multarum gentium pater, & sic Abraham reipsa fieret, ipsique porrò cœlesti regno excluderentur, Christum sese esse crederent. Neque novum est, Christum stultis, secundùm

Margin notes: ℣ 19. — ℣ 29. — & cap: 8. ℣ 12, 24, 25, 28: cap: 13. 19. — Gen: 17. 5. — Rom: 4. 11, & d. usq; ad 18. conf. etiā cap: 9. 7, 8: & Gal: 3. 7, 19, 29: c. 4. 28, & d. conf: cum præced: ℣ 22, & d.

cundùm ipsorum stultitiam, ut est apud Solomonem, minimè respondere. Nam & infrà apud eundem Ioannem turbæ quærenti, quomodo Christus exaltandus esset, cùm eum in æternum mansurum ex Lege didicissent, & quis filius ille hominis esset, nihil planè ad id respondet; quamvis multò, quàm hìc Iudæi, ad rem, qua de agebatur, accõmodatiùs videantur interrogasse: sed institutum retinens, eos admonet, ut ambulent in luce, inque eam credant, dum eam habent: quemadmodum etiam hoc nostro loco, si explicatio nostra recipiatur, monet. Habes & alia apud eundem Ioannem loca, ubi Christus ad interrogata aut dicta aliorum, licet bono animo prolata, sed quæ ipse pro sua sapientia responsione directa putavit indigna, aut parùm digna quibus immoraretur, directè nihil respondet. vid. inter alia cap. 4. 10, 16, 32, 34: cap. 12. 23: 14. 24. interdum autem verba, vel a se, vel ab aliis primùm prolata, a vulgari ac proprio sensu ad improprium, respondens deflectit, ut patet ex d. l. Ioh. 4. 10, 13, 32, 34, 35: cap. 6. 27, 35: cap. 8. 39.

Prov: 26. 4. Ioh: 12. 34.

Nunc videamus, an ex eo, quòd ante mundum conditum Christus apud Patrem gloriam habuit, efficiatur, ipsum Christum tunc revera extitisse. Dicimus igitur, longè secùs sese rem habere: cum Christus, quamvis ante conditum mundum minimè existens, apud Patrem gloriam, sibi nempe prædestinatam, non solùm habere potuerit, sed planè etiam habuerit. Nam & nobis ante tempora æterna gratiam datam fuisse, Deumque in Christo nos ante conditum mundum elegisse & amasse, sacra volumina testantur: cum tamen ante mundi fabricationem non fuerimus. Habuisse autem tunc Christum gloriam apud Patrem, non reipsa sibi datam, sed divino consilio sibi designatam, ex ipsius precatione, quâ ad Patrem utitur, clarissimè patet. Si enim eam ante conditum mundum revera habuit, semper habuit, nec unquam eâ spoliari potuit, ut a Patre eam denuò petere necesse haberet. Vt interim taceam, in altissimum sempiternumque Deum, quem Christum esse volunt, nequaquam convenire, ut alicui pro gloria sibi danda supplicet. Si dicas, secundùm humanitatis suæ rationem Deo supplicasse; jam habemus, quod quærebamus, videlicet hominem Christum Iesum, qui ante mundi constitutionem nequaquam reipsa apud Patrem fuit, habuisse gloriam istam apud Patrem, hocque in loco, ut ipso effectu sibi detur, Patrem orare. Quod animadvertentes nonnulli sac. literarum interpretes, haud postremi inter adversarios nominis, idem quod nos, de his Christi verbis senserunt. Ex quibus est Augustinus, in quo quantum ponant adversarii, nemo ignorat, & Wolffgangus

Ioh: 17. 5. 2 Tim: 1. 9. Ephes: 1. 4.

Wolffgangus Musculus, homo inter Trinitarios haud postremo loco habendus, ideoque hac in parte minimè suspectus. Nec est, quòd verbum *habendi* alicui scrupulum injiciat: cum id apud sacros scriptores non semel de iis rebus usurpetur, quæ licet nondum reipsa possideantur ab illis, qui eas dicuntur habere, iis tamen certò sunt destinatæ: quo pacto apud eundem Ioannem fideles vitam æternam habere, cæteri non habere dicuntur; & alibi in sac. literis iidem cœleste domicilium melioremque in cœlo substantiam habere leguntur, licet ista nondum reipsa fuerint assecuti. Quanquam non simpliciter Christus ait, se gloriam illam habuisse ante conditum mundum, sed habuisse *apud Patrem*; quæ verba aliqua ratione vim vocis *habendi* limitare censenda sunt, & indicare, Christũ nondum reipsa atque in seipso gloriam illam habuisse, sed eatenus tantùm, quatenus ei fuerit a Patre decreta, & apud ipsum quodammodo deposita. Vnde Augustinus perinde esse ait, ac si dixisset Christus: claritatem, quam habui apud te, in prædestinatione tua, jam tempus est, ut apud te habeam etiam vivens in dextera tua. Hunc sensum confirmant ea, quæ inferiùs in eadem precatione a Christo dicuntur: *ut videant gloriam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi.* quod quid est aliud, quàm si dixisset: quia ante mundi constitutionem me summo beneficio afficere decrevisti, atq; adeò gloriam hanc mihi destinâsti. Confirmant etiam illa, quibus se gloriam a Patre sibi datam discipulis dedisse ait. Quæ sanè nec æterni Dei gloria esse, nec alia ratione illis dari tunc ab ipso potuit, quàm designatione. Quòd si dixerint, Christum non simpliciter sibi dari gloriam cupivisse, cum eam a sempiternis temporibus haberet, sed eam illustrari, mundoque manifestari voluisse: idque inde colligi, quia Christus, ut se dicit Patrem glorificâsse in terris, id est, ejus virtutem, sapientiam, ac bonitatem, & voce & factis hominibus patefecisse: ita ab eodem Patre petat, ut apud ipsummet glorificetur seu manifestetur. Respondemus igitur, Christum non id petere, ut eodem planè modo a Patre glorificetur, quo ipse Patrem glorificaverat in terra. Alioqui enim nihil sequeretur aliud, quàm Christum orare, ut Pater sibi ipsi ejus gloriam patefaciat; quod adeò est absurdum, ut seipsum refellat. Ait enim Christus: *Glorifica me tu, Pater, apud temetipsum eâ gloriâ* &c. Deinde si Christus ille Deus altissimus fuisset, gloriamque a sempiternis seculis re ipsa habuisset, quid fuisset opus Patrem orare, ab eoque precibus impetrare, ut gloriam ipsius mundo patefaceret? an non enim id pro arbitratu suo, sua ipsius virtute potuisset efficere? Statuimus igitur,

Ioh: 3. 36: 5. 24: 6. 53: 1 Ioh: 2. 15: 5. 12, 13. 2 Cor: 5. 1. Heb: 10, 34.

℣ 24.

℣ 22.

gitur, Christum id a Patre suo petere, ut ipsum a mortuis excitatum, gloriâ & honore antea decreto reipsa coronet. Quod eum propter obedientiam usque ad mortem crucis consecutum esse, compertissimum est. Cap: XIII. De existẽtia Christi ab æterno. Phil: 2. 9.

Porrò Iesum Christum Israëliticum illum populum ex Ægypto eduxisse, ii, apud quos vulgata editio Latina summam habet autoritatem, D. Iudæ testimonio comprobare solent, quod in editione ista ita legitur: *Iesus populũ de terra Ægypti salvans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit.* Verùm cum Iudas græcè Epistolam suam scripserit, inque nullo græco exemplo nomen *Iesu*, *Domini* autem vocabulum in omnibus reperiatur; cumque eadem vox *Domini* ibidem posita, ad vetera illa tempora respiciat, & Deum illum unum Israëlis denotet; quid est, quod ostendat, de Christo D. Iudam fuisse locutum? Quare nihil inde de Christi ante suam ex Maria nativitatem, nedum ab omni æternitate existentia, concludi potest. Iud: ℣ 5.

Adfuisse porrò Filium Dei populo Israëlitico in deserto, iis Pauli verbis probari existimatur, quibus ait, Petram, ex qua Israëlitæ in deserto biberint, eos fuisse secutam, eamque fuisse Christum. nec non illis: *ne tentemus Christum, ut quidam eorum tentaverunt, & a serpentibus perierunt.* Sed neutro istorum locorum, id, quod volunt, probatur. Ad priorem enim quod attinet: quivis facilè animadvertere potest, petram illam, ex qua Israëlitæ biberunt, propriè loquendo Christum nequaquam fuisse, sed figuratè ita appellari: quemadmodum tum ex veteribus sacra: literarum interpretibus nunnulli, tum verò quàmplurimi ex recentioribus animadverterunt: nempe quia figura & imago quædam fuerit Christi. Solemus enim imagines ac figuras nominibus earum rerum appellare, quarum sunt imagines, ut alibi monuimus. Mysticam scilicet petra illa, & aqua ex ea fluens, significationem habebat, & rem futuram occultè adumbrabat. quam ob causam & aqua ista, & petra, quemadmodum & manna, seu cibus, quo pascebantur Israëlitæ, spiritualis eodem loco dicitur. Quicquid enim mysticum habet sensum, ut ait Erasmus, hunc ipsum locum explicans, spirituale dicimus. Sic in Apocalypsi dicitur, civitatem illam magnam, ubi & Dominus noster crucifixus fuit, Sodomam & Ægyptum vocari *spiritualiter*, h. e. mysticè & allegoricè. Cum ergo petram istam spiritualem appellâsset Apostolus, & sic mysticam quandam significationem habuisse indicasset, eam nobis explicans, & rationem dicti sui reddens, ait, Petram illam fuisse Christum, h. e. Christum adumbrasse seu figurasse. Quòd verò ait, petram illam Israëlitas fuisse sequutam; id per metony- 1 Cor: 10. 4. ℣ 9. 1 Cor: 10. 3, 4. Apoc: 11. 8.

metonymiam de aqua ex petra illa fluente accipiendum est, quo pacto etiam ex ea petra iidem bibisse, ab Apostolo hoc loco dicuntur. Etenim cum largissima aqua ex petra illa profluxerit, & sic rivum effecerit, necesse est, illam Israëlitas, quamdiu in iisdem convallibus iter sunt prosecuti, fuisse secutam: præsertim cum ex historia sacra satis constet, totum illud desertum alioquin aquis fluentibus, ex quibus populus bibere potuisset, fuisse destitutum. Videatur inter alia Moses in Devt. & Esaias, apud quem Deus ita loquens inducitur: *glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones; quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo.* Quod ad posteriorem locum attinet, negamus, Paulum dixisse, Iesum Christum tunc ab illo populo tentatum fuisse: cum nos tantùm Christianos admoneat, ne Christum tentemus. Subjicit quidem hæc verba: *Ut quidam eorum tentârunt:* sed non addit *ipsum*, vel *Christum*: verùm ex historia omnibus obvia intelligendum relinquit, quinám is fuerit, quem Israëlitæ olim tentârint. Is autem fuit Dominus, seu Deus, & aliqua ratione Moses. Nam ibi, ubi historia illa describitur, dicitur, quòd Israëlitæ loquuti fuerint, & peccaverint contra Deum, seu Dominum, & Mosen, verbis ad ipsum Mosen propriè directis. Ita enim legimus: *locutusque est populus contra Dominum & Mosen, cur nos eduxisti ex Ægypto, ut moreremur in solitudine?* Et ibidem paulò post: *Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum & te.* Simili ellipsi usus est Auctor D. Epist. ad Hebr. cap. 3. in re simillima. Loquens enim de exacerbatione, qua Israëlitæ in deserto Dominum irritaverunt, ait: *Quidam enim audientes exacerbaverunt*, non addita mentione personæ illius, quam exacerbaverint. Id enim tanquam ex historia satis notum, subintelligendum relinquit.

Devt: 8. 15.
Esa: 43. 20.
Num: 21. 5, 7.
Hebr: 3. 16.

Esa: 6. 9.
Ioh: 12. 41.

Vidisse præterea Esaiam Christi gloriam, illo Ioannis testimonio confirmari existimant: *Hoc dixit Esaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de illo;* hincque colligi ajunt, Christum jam tunc extitisse. Verùm tantum abest, ut his Esaiæ verbis, Christum jam tunc extitisse, probari possit, ut ne gloriam quidem ejus tunc vati eidem apparuisse, necessariò evincatur. Commodissimùm enim verba ista ad Deum referri posse, facilè confitebitur is, qui animadverterit, versiculum 38, unà cum tribus sequentibus, parenthesi includi debere, vel saltem jurè posse. Apertissimum enim est, versiculum demum 42. cum 37. & sensu & verbis conjungi. Iam verò in ista parenthesi non de Christo, sed de ipso Deo, & potissimùm, & proximè sermo fuerat. Etenim paulò antè Evangelista dixerat, eum excœcasse oculos eorum, nempe Iudæorum, ut oculis non viderent,

derent, & non intelligerent corde, ut converterentur, & ipse eos sanaret. Verùm esto, locutus fuerit Esaias de gloria Christi, num hinc necessariò concludendum est, Christum tunc revera fuisse? Nequaquam: cum aliud sit ipsum Christum, aliud ipsius gloriam videre. Dici enim potest, Esaiam tunc, non præsentem, sed futuram Christi gloriam vidisse. Hoc enim prophetarum proprium est, ut futura prospiciant: qua de causa vel inprimis Videntes in divinis literis nominati sunt. (1 Sam: 9. 12.) Verè autem hoc affirmari, illa ejusdem Prophetæ verba indicant: *plena est universa terra gloriâ ejus.* (Esa: 6. 3.) Hæc enim tunc demum exitu verè completa fuerunt, cùm Christus non solùm universæ Israëlitarum, sed omnium etiam gentium nationi notus fieret, eaque ratione Dei majestas in universo terrarum orbe conspiceretur.

Ad extremum, quòd Christus de cœlo descendisse dicitur, ideóque ab æterno eum ibi fuisse statuitur; (Ioh: 3, 13: & 6, 38, 62.) dicimus, hoc a vero sejunctissimum esse: cum omnes loci, istius rei mentionem facientes, luculenter ostendant, filium hominis in cœlo fuisse, eorumq; primus testetur, eum illò ascendisse. Filium autem hominis ante suam nativitatem in cœlo revera fuisse, sine aperta contradictionis, ut loquuntur, implicatione dici non potest. Quòd si ad fictam illam idiomatum communicationem confugientes, hominem Christum Iesum ante Mariam in cœlo fuisse dixerint, non quidem secundùm ipsam humanitatem, sed secundùm naturam divinam, quam secundam trinitatis personam esse volunt; respondemus, hoc perfugium, ut jam suprà satis demonstravimus, falsum esse, & hîc, (sup: cap: XI.) ubi filius hominis in cœlum ascendisse, in cœlo fuisse, ex eo descendisse dicitur, nullum locum habere. Quemadmodum enim non rectè id, quod soli animæ seu spiritui hominum competit, corpori tribuitur: ita non rectè id, quod divinæ naturæ soli competiisset, tribueretur filio hominis, qui a natura humana nil differt: præsertim cum Christus Ioan. 6. cap. affirmet, panem, quem ipse daturus sit, esse carnem suam, quam sit daturus pro mundi vita; (v. 51.) & hunc panem vivificum de cœlo descendisse antea dixerit. An verò caro Christi secundùm divinam naturam de cœlo descendit? an non ex adversariorum etiam mente illi naturæ planè opponitur? Præterea, cum Christi verba propriè accepta nullam pariant absurditatem; nil est necesse ad figuras, eas præsertim, quarum nullum possis proferre exemplum, nisi id ipsum, de quo controversia est, decurrere. Quòd si tamen tropum illis inesse volumus, cur non potiùs ipsum hominis filium disertissimè commemoratum eo sensu de cœlo de-

scendisse dicimus, ut intelligamus, eum a Deo fuisse profectum ac singulari ratione missum? quæ enim a Deo singulari ratione proficiscuntur, e cœlo dicuntur descendere. Verùm, ut dixi, neutiquam nos hoc facere opus est: cum citra ullam incommoditatem, propriissimè loquendo, hominem Christum Iesum in cœlo post nativitatem suam fuisse, affirmare & possimus, & debeamus. Si enim Paulus Christi minister in tertium usque cœlum raptus est; quid tandem de ipso Domino existimandum est, quem Pater rerum divinarum ac cœlestium, apud mundum proponendarum, plenissimâ notitiâ instructum, certissimumque testem esse voluit, ut, quæ vidisset audivissetque hominibus annunciaret, hocque ipso maxima illius dictis autoritas conciliaretur. Hoc autem ita esse, apertissimè patet ex Christi cum Nicodemo colloquio, ubi dicit, se, quæ sciat, loqui, & quæ viderit, testari: & tamen plurimos testimonium suum aspernari, quamvis ad humani ingenii captum orationem suam valde accommodet. magis itaque id facturos innuit, si, prout rerum illarum natura aliquo modo postulet, sublimi ac cœlesti quadam ratione eas explicet. At verò omnino esse a se cœlestia discenda, adeoque verbis suis fidem adhibendam: quandoquidem nemo præter ipsum in cœlum ascenderit, & sic certam plenamque rerum cœlestium cognitionem fuerit adeptus. Ab hac sanè sententia minimè illud dissidet, quod idem Christus alio in loco de se dicit: *Descendi de cœlo, non ut meam, sed ut ejus, qui me misit, voluntatem facerem.* Item illud: *Quid si videritis filium hominis ascendentem, ubi erat priùs?* Nec non illud: *Exivi a Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Quare statuendum est, Christum hominem in cœlum ascendisse, ut ibi voluntatem Patris plenissimè disceret; & postea descendisse, ut eam in hominibus ad sibi credendum adducendis, & porrò conservandis, perficeret: ut nihil hîc sit opus ad distinctionem naturarum, atque ad communicationem idiomatum confugere.

[Marginal references: Matt: 21. 25. Iac: 1. 17. 3. 15, 17. Apoc: 3. 12: 21. 2, 10. — 2 Cor: 12. 2. — Ioh: 3. 11, & d. — Ioh: 6. 38. ibid: ℣ 62. cap: 16. 28.]

Cap: XIV.

De spiritu sancto.

SEquitur, ut postquam falsas de Deo ejusque Filio opiniones satis, ut videmur, diluimus, eam etiam refellamus, quam de Spiritu sancto homines imbiberunt, nimirum eum divinam personam esse putantes. Quod quidem ita esse pernegamus. Primò enim unicam ac simplicem Dei essentiam personarum pluralitatem nequaquam admittere, suprà satis demonstratum est. Deinde plurimis in

[Marginal reference: sup: cap: 9.]

mis in locis Spiritus Dei dicitur, quod alibi declaratur, cùm Spiritus Patris appellatur. At spiritus alicujus non est persona ab eo distincta, cujus est spiritus. Quò accedit, quòd ita statuitur esse in Deo, quemadmodum spiritus hominis est in homine: ut facilè ex illo Pauli testimonio perspicitur, quo perinde, quid in Deo sit, neminem scire dicit, nisi spiritum Dei, ut nec hominis mentem tenere quis potest, nisi hominis spiritus, qui in ipso est. Vnde colligitur, Spiritum sanctum personam non esse, nisi personam personæ inesse volumus, & quidem haud reciprocè seu vice versa, (neque enim Deus est in spiritu suo:) quod fieri nullo pacto potest. Huc accedit, quòd illud, quo baptizari quis dicitur, persona esse nequit: quemadmodum nec aqua, quâ baptizamur, persona dici potest. Cum autem Christi fideles Spiritu sancto baptizari dicantur; parúmne liquet, Spiritum sanctum personam minimè esse? Quid, quòd eum Dei donum esse constat; quod quidem personam divinam, id est, ipsum Deum appellari absurdissimum est: cum nemo sui ipsius donum esse possit. Postremò Spiritum sanctum in Apostolos, aliosq; innumeros Christo fidem adjungentes effusum, & inter eos distributum esse legimus, id quod in divinam personam cadere non potest; imò nulli prorsus personæ convenit. Nulla enim persona pluribus personis, & longissimè quidem inter se distantibus, dari eodem tempore potest.

Mat: 10. 20.

1 Cor: 2. 11.

Mat: 3. 11.
Act: 1. 5.
1 Cor: 12. 13.

Act: 8. 17, 18, 20:

Act: 2. 17, 33.
Hebr: 2 4.

Adversarii tamen nostri, Spiritum sanctum divinam personam esse, duobus modis demonstrare nituntur, nimirum tum rationis, tum scripturæ documentis. Primò enim hunc in modum argumentãtur: Si, inquiunt, Spiritus sanctus non est divina persona, & sic Deus creator omnium, certè creaturam eum esse necesse est: cum omne, quod est, aut creator sit, aut creatura. Respondemus igitur, hoc axioma verum non esse. Nam nec Dei sapientia, justitia, aliaq; divina attributa, personæ divinæ sunt, quamvis nec creatores, nec creaturæ dici possint. Tametsi igitur Spiritum sanctum nec divinam personam, nec creatorem esse contendimus, tamen creaturam eum non esse libentissimè fatemur.

Ex Scripturis quoque sanctis tria potissimùm argumentorum genera ducunt. Primum ex Spiritus sancti sumitur actionibus: alterum ex illis rebus, quæ ab hominibus erga illum fieri dicuntur: tertium ex illis scripturæ locis depromitur, in quibus Spiritus sanctus Patri Filioque adjungitur.

Iam quod ad Spiritus sancti actiones attinet; multas ei tribui dicunt, quæ non nisi personis conveniant: veluti cùm mitti, venire, audire,

Ioh: 16. 7, 8, 13: & 14. 26: Luc: 2. 26: 1 Cor: 12. 11: Act: 15. 28: Ioh: 14. 16, 26: 16. 14, 8: Rom: 8. 26: 1 Cor: 2. 10: Luc: 3. 22. Ioh: 1. 32.

re, audire, loqui, docere, teſtificari, oracula dare, velle, decernere, conſolari, in memoriam revocare, Chriſtum glorificare, mundum arguere, pro ſanctis poſtulare, profunda Dei ſcrutari, ut columba apparere, in vel ſuper aliquo manere, aliaque multa facere, in divinis literis dicitur. Reſpondemus autem, in ſacris literis uſitatiſſimum eſſe, ut ea, quæ perſonis propriè conveniunt, iis adſcribantur rebus, quæ perſonæ non ſunt. cujus rei inter alia innumera illuſtre habes exemplum 1 Cor. 13. 4. &c. ubi Apoſtolus per aliquot verſiculos de charitate, tanquam de perſona aliqua loquitur, ea illi adſcribens, quæ propriè loquendo nonniſi perſonæ conveniunt. Multas profectò actionum earum, quæ Spiritui ſancto in ſacr. literis tribuuntur, aliis quoque rebus adſcribi manifeſtè cernimus. Nam [a] auxilium, [b] redemptio, [c] miſericordia, veritas, [d] ira, [e] eloquium, a Deo mitti; [f] regnum Dei, [g] fides, [h] dies & [i] hora, [k] Dei ira venire; [l] ſermo [m] aliaque hominum facta procedere; [n] cœlum, terra, montes audire; [o] ſangvis Chriſti, [p] Lex, [q] ſcriptura loqui; [r] cœlum Dei gloriam enarrare, firmamentum annunciare; [s] aſtra aliæque res inanimatæ Deum laudare; [t] natura [u] unctioque docere; [x] Chriſti opera, [y] ſangvis, aqua teſtificari; [z] ſpiritus ſeu ventus, & [a] impetus gubernatoris velle; [b] manus Dei decernere; [c] virga & baculus Dei conſolari; [d] ira Dei ſuper aliquem vel aliquo manere dicitur. Quòd ſi quædam actiones Spiritui ſancto attribuuntur, quas alibi rebus aliis attributas vix reperias; cogitandum eſt, idem in aliis quoque rebus contingere. Percurrat quis ea, quæ de charitate a Paulo loco ſuprà citato dicuntur, & comperiet, non pauca de ea dici, quæ alibi de aliis rebus pronunciata haud temerè deprehendas. Accedit, quòd non pauca ex iis locis, quæ actiones perſonarum proprias Spiritui ſancto adſcribunt, per proſopopœiam id fieri apertiſſimè oſtendunt.

a Pſal: 20. 3. b 111. 9. c 57. 4. d 78. 49. e 107. 20: 147. 15, 18: Eſa: 55. 11. f Mat: 6. 10: Luc: 17. 20. g Gal: 3. 23, 25. h Luc: 23. 29: i Ioh: 4. 21, 23. k Eph: 5. 6. l Eph: 4. 29. m Mar: 7. 15, 21, 23. n Eſa: 1. 2. Mich: 6. 2. o Heb: 12. 24. p Rom: 3. 19. q Ioh: 7. 38: 19. 37: Rom: 4. 3. r Pſal: 19. 1, 3, 4. s Iob: 38. 7: Pſal: 148. 3, 4. t 1 Cor: 11. 14. u 1 Ioh: 2. 27. x Ioh: 5. 36. y 1 Iohan: 5. 8. z Ioh: 3. 8. a Iac: 3. 4. b Act: 4. 28. c Pſal: 23. 4. d Ioh: 3. 36.

Ioh: 16. 13.

Quid enim illud eſt, quòd Spiritus ſanctus ea demum, quæ audierit, Apoſtolis dicitur annunciaturus? an fortè audire, & ſic ab alio quicquam diſcere ac cognoſcere, propriè loquendo poteſt? an non manifeſtum eſt, eum inſtar legati cujusdam induci, qui veluti in locum Chriſti ſit ſucceſſurus, & quæ ad religionem ipſius & gloriam pertinent, pleniſſimè ſit explicaturus? quia verò legatus, ſi fideliter officio fungi velit, non a ſeipſo loqui, ſed ea demum, quæ a mittente audierit, debet; ideò idem de Spiritu ſancto dicitur. Similiter igitur de aliis, quæ in eodem Chriſti ſermone Spiritui ſancto tribuuntur, ut quòd diſcipulos conſolaturus, docturus, futura iis annunciaturus, de Chriſto teſtificaturus, eum glorificaturus dicitur, judicandum eſt: quemadmodum ſanè eventus docuit. Neque enim Spi-

ritus

ritus sanctus tanquam persona aliqua vera, ista omnia peregisse deprehenditur, sed ut afflatus quidam cœlestis, seu vis atque efficacia divina, discipulis Christi inspirata. Illo verò Apostoli loco quid apertius, cum ait: *ipsum spiritum interpellare pro nobis gemitibus ineffabilibus: eum autem, qui scrutatur corda, nosse, quis sit sensus Spiritus, quòd secundùm Deum interpellet pro sanctis.* (Rom: 8. 27, 28.) Quid enim? num Spiritus sanctus propriè loquendo orat, & preces ad Deum pro nobis fundit? num propriè loquendo gemit ac suspirat? annon patet, ideò id spiritui tribui, quia is gemitus illos in piorum pectoribus excitet? Similiter cùm *Spiritus* dicitur *scrutari omnia, etiam profunda Dei,* (1 Cor: 2. 10.) satis apparet, id Spiritui sancto tribui, quod is in homine, cui inest, efficit, quodque adeò, propriè loquendo, non nisi illi ipsi homini competit. quo eodem modo charitati tribuuntur ea, quæ ipsa in homine, cujus animum occupavit, efficit, quæque adeò ipsi homini charitate prædito propriè tribuenda sunt. Intelligendum enim est, Spiritum sanctum duplici ratione considerari, vel quatenus Dei ac Christi est, atque ab eo promanat; vel quatenus homini communicatur, atque ita in eo residet. Si priori modo consideretur, ascribuntur illi ea, quæ Deo & Christo propriè conveniunt, quæque is per spiritum suum efficit: quale inter alia est, quòd dona varia hominibus pro arbitrio distribuat, (1 Cor: 12. 11.) quòd Apostolis olim annunciaturus esset futura, (Ioh: 16. 13.) quòd pastores in Ecclesia constituerit: (Act. 20. 28.) quanquam hoc postremum ad homines D. Spiritu afflatos, & ab eo, ut certos pastores Ecclesiis præficerent, impulsos, referri potest. Si posteriori modo Spiritus consideretur, ea illi tribuuntur, quæ illius vi atque instinctu perficiuntur ab homine, quemadmodum paulò antè vidimus.

Consequens igitur est, (ut ex actionibus ducto argumento finem imponam) Spiritum sanctum personam esse demonstrari non posse. nisi fortè, ut hoc insuper addam, illam Spiritus sancti columbinâ formâ apparitionem, eum personam esse indicare volumus. (Luc: 3. 22.) At quis est inter ista nexus? Nam etiamsi tandem columba persona esset; an non id, quod persona nequaquam est, atque adeò res inanimata, externam personæ formam referre potest? Sed deinde columbam personam non esse omnibus constat: cum persona omnis intellectu esse debeat prædita. quomodo ergo ex ejus tantummodò forma specieq; externa colligitur, Spiritum sanctum personam esse? Accedit, quòd non omnino constat, speciem istam columbinam fuisse. Quamvis enim Lucas corporalem speciem commemoret: non tamen dicit, eam columbinam fuisse; sed spiritum in ea

forma deſcendiſſe, ſicut columbam; id quod non ad explicandam formam, ſed ad modum deſcenſûs referri poteſt: præſertim cum conſentaneum ſit, formam iſtam valde fuiſſe auguſtam, & divinum ac cœleſte quippiam præ ſe tuliſſe. Dicitur autem Spiritus ſanctus in forma illa deſcendiſſe, vel quòd præſentis illius efficaciæ divinæ, quâ Chriſtus cœlitus implebatur, ſymbolum eſſet; vel quòd interveniente re aliqua corporea, quanquam cœleſti, vis illa divina cum Chriſto fuerit communicata.

Mat: 28. 19. Mar: 3. 29. Act: 7: 5. Act: 19. 3. Rom: 14. 16. 1 Tim: 6. 1. Tit: 2 '5. 2 Pet: 2 2. Apoc: 13. 6. Rom: 13. 2. 2 Tim: 3. 8, & 4. 15.

Iam ad ea veniendum eſt, quæ ab hominibus erga Spiritum ſanctum fieri dicuntur. Ea autem ſunt, in ipſum baptizari, illum blaſphemare, eidem reſiſtere. Ex quibus quàm ineptè Spiritum S. perſonam eſſe colligant, hinc facilè perſpicitur, quòd & in Ioannis baptiſma illi diſcipuli baptizati eſſe; & noſtrum bonum, doctrina, Dei ſermo, via veritatis, Dei tabernaculum blaſphemari; & denique homines quidam ordinationi divinæ, veritati, & Apoſtolorum verbis reſtitiſſe dicuntur, quamvis iſtorum nullum perſona ſit.

Ad extremum, ex Spiritus ſancti cum Patre Filioque conjunctione omnino effici dicunt adverſarii, illum non minùs, ac iſti, perſonam eſſe, veluti cùm idem cum illis nomen ei tribuitur, & tam in ipſum, quàm in Patrem & Filium baptizari homines jubentur; aut cùm in diſtributione donorum ſpiritualium explicanda, non minùs Spiritûs ſancti, quàm Dei, & Domini, ſeu Chriſti, fit mentio; & denique quando cum iisdem unum eſſe perhibetur.

Matth: 28. 19. 1 Cor: 12. 4. & d. 1 Ioh: 5. 3.

Nos autem primò reſpondemus, nequaquam conſequens eſſe, ut propter *nominis* mentionem, quod primò Patri & Filio, & per unius contextus occaſionem Spiritui ſancto præfigitur, mox eum perſonam eſſe conſtituamus: cùm, ut ſatis oſtenſum eſt, minimè novum ſit, & rebus per dicendi figuram tribui, quæ perſonarum ſunt propria; præſertim cum jam aliis evidentiſſimis rationibus conſtet, eum perſonam non eſſe. Deinde minimè abſurdum eſſe, res in arduis quoque negotiis perſonis conjungi, ex multis ſcripturæ locis apparet. Nam & verbum gratiæ cum Deo in tuendis curandiſque fidelibus, & potentia virtutis cum Domino in iiſdem corroborandis manifeſtò copulatur. Quid? cum Chriſtus ipſe in Apocalypſi ait: *Scribam ſuper ipſum* (qui nimirum vicerit) *nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei, illius novæ Hieroſolymæ, quæ deſcendit e cœlo a Deo meo, & nomen meum novum;* num protinus civitas illa perſona, & quidem divina erit, quia cum Deo ac Chriſto conjungitur, & illius nomen non minùs, quàm Dei & Chriſti, commemoratur? Quid mirum igitur, ſi in baptiſmi negotio, quo homines ad religionis Chri-

Act: 20. 32. Epheſ: 6. 10. cap: 3. 12.

Cap: XV. De auricularí cõfessione.

stianæ disciplinam instituuntur, non solùm Patris & Filii, sed Spiritûs etiam sancti mentio fiat, licèt is non sit persona? Cum enim Pater hujus religionis primus autor ultimusque scopus sit; eaque per Filium tum revelata confirmataque fuerit, tum ad finem perducatur; cum denique istud omne sine Dei efficacia, quæ Spiritus sanctus est, nequaquam factum fuerit vel fiat: quandoquidem religionem Christianam, Deiq; de salute nostra consilium, tum plenè patefieri, tum in nobis obsignari oportuit, quod utrumque per Spiritum sanctum factum est: hinc fit, ut, non quòd persona sit Spiritus sanctus, sed quia unà cum Deo ejusdemque Filio ad salutis nostræ negotium convenit, cum iisdem conjungatur. Eadem causa est, cur in distributione donorum spiritualium cum Deo & Christo conjungatur, nempe quia Deus ac Christus per spiritum suum ista in hominibus efficit. Locus verò, in quo cum Patre & Filio unum esse dicitur, & suspectus est, & nonnisi testimonii unitatem continet, ut suprà, cùm de Trinitate divinarum personarum egimus, demonstratum est, ubi de cæteris etiam duobus locis plura disseruimus. cap: 9. hujus lib.

Cap: XV.

De Auriculari confessione.

HActenus de iis dogmatibus egimus, quæ divinam gloriam non parùm obscurant, & simul rationem salutis in sac. literis explicatam tenebris involvunt: veniendum nunc est ad ea, quæ pietatis studium labefactare queunt, atque efficere, ut salutis viam, quæ in vera pietate consistit, vel non ingrediamur, vel in ea constanter non perseveremus. Eorum autem duo sunt genera. quædam enim salutis viam vehementer impediunt; quædam salutem penitùs auferunt. Priorum rursus alia sunt istorum præcipuè, qui e tenebris illis, quæ orbem Christianum a multis jam seculis oppresserant, emergere omnino noluerunt: alia eorum præcipuè, qui ex illis aliqua ratione emerserunt. Ex illorum numero sunt auricularis confessio, & purgatorium, de quibus hoc loco agere constituimus.

Primò igitur, quod ad Auricularem confessionem attinet; dicimus, eam minimè necessariam esse, & perniciosum quendam errorem in se continere. Ideò porrò eam minimè necessariam asserimus, quòd nec Apostolorum, nec subsequentium Patrum memoriâ ullum in Ecclesia usum habuit. Vigebat enim tunc ea morum disciplina, quam Christus, & post hunc Apostoli, illius tamen nomine, fidelibus præscripserant, quamque divinis literis proditam esse videmus, de qua suo loco fusius explicandum erit. Ex quo fit, lib: 6. cap: 15.

 ut causam

ut causam nullam justam ac legitimam fuisse statuendum sit, ob quam, sanctissimo Christi instituto abrogato, illam susurrationem confinxerint. Perniciosum autem insuper errorem esse hinc constat, quòd tum veram illam disciplinam Ecclesiasticam, tum ejusdem usum, seu finem, in quem instituta est, exterminat. Disciplinam quidem ideò, quòd eam universæ Ecclesiæ a Christo traditam de manibus extorquet, atque ad certos tantùm homines, idque sigillatim alligat.

Vsum autem veræ disciplinæ per istud commentum tolli, ex eo constat, quòd in causa est, utEcclesiam malè audire semper oporteat, hominibus nimirum isto peccatorum operimento tectis, & subinde, istius occultationis, & remissionis, quæ ibi obtineri putatur, fiduciâ, ad flagitia redeuntibus. Vnde simul efficitur, ut publici pudoris reprehensionisque apertæ exemplo sublato, nemo a peccando deterreatur, illudque Apostoli, *Peccantes argue coram omnibus, ut cæteri timeant*, prorsus inane cassumque fiat. Et tamen ad hoc suum commentum stabiliendum, aliquot divinis testimoniis abutuntur. Primò enim ex illis Christi verbis, quibus Petro reliquisque Apostolis regni cœlorum claves, sive ligandi solvendique potestatem promittit, hujusmodi ducunt argumentum: Ad peccata remittenda, inquiunt, autoritate Apostolica opus est: siquidem Apostolis ligandi solvendique potestas concessa est. Atqui autoritas ista, inquiunt, nonnisi penes Ecclesiæ pastores esse potest: quippe qui in ea Apostolis successerint. Consequens igitur esse ajunt, illis, qui peccatis sese obligant, ad pastores confugiendum, ab iisque scelerum veniam petendam esse. Hîc respondemus, nec autoritate Apostolica, præsertim tali, quæ in certis etiamnum hominibus resideat, ad ligandi solvendique officium exequendum omnino opus esse, nec pastores Ecclesiarum in eadem autoritate Apostolis succedere. Ac illud quidem ideò, quòd nulla ratione demonstrari potest, Christum eo pacto hanc Apostolis potestatem fecisse, ut ea non interveniente ligari solvique nemo possit; præsertim ita, ut necesse sit eam in certis personis, quæ ligent solvantque, etiamnum residere, nec sufficiat ea autoritas, quæ in Apostolorum doctrina residet: cū nec verbis Christi hæc sententia contineatur, nec ipsa rei istius ratio nos ita statuere permittat. In Christi enim verbis nihil aliud cernimus, quàm eum Apostolis ligandi solvendique potestatem fecisse. Res ipsa porrò docet, ad solutionem illam, id est, ad peccatorum condonationem adipiscendam satis esse, Christo fidem adjungere, & resipiscere, seu animum ac vitam in melius mutare.

[Margin: 1 Tim: 5.20. — Matth: 16.19. Ioh: 20. 23.]

tare. Hujusmodi enim hominibus sacræ literæ liberalissimè omnium peccatorum condonationem promittunt, nec ulla re alia ad eam obtinendam est opus. Hoc verò alterum ideò a nobis negatur, quia Apostoli, ut infrà suo loco demonstrabitur, in ligandi solvendique autoritate nullum revera habuerunt successorem. Quòd enim Ecclesia etiam ligare solvereq; dicitur, id non fit ejusdem cum Apostolis autoritatis successionisvé ratione habita. Intelligendum quippe est, hoc non nisi ea repetendo fieri, quæ semel ab Apostolis orbi Christiano patefacta, tradita, itaque ab iis sunt confirmata, ut Ecclesia ea repetens, non sua autoritate, quam ab Apostolis successionis jure obtinuerit, sed illorum ipsorum nitatur autoritate, utpote quâ dictorum Ecclesiæ veritas ac certitudo fulcitur. Adde, quòd istud ligandi solvendique munus nequaquam ad solos pastores, sed ad universam Ecclesiam pertinere, ibi docetur. Per ea, quæ in hac responsione dicta sunt, simul & illud diluitur, quod ab iisdem adversariis asseritur, nemini peccata condonari posse, nisi ea cognita habeat Ecclesiæ pastor. Aliter enim, inquiunt, nequaquam dijudicare poterit, an ea ejusmodi sint, quæ condonari possint; nec quibus conditionibus, quoque pacto, pro eorum qualitate remittenda sint, intelliget. Vnde colligi ajunt, necesse esse, ut qui peccata confitetur, is omnia pastori enumerando percenseat, omnesq; eorum circumstantias exponat: cum nonnisi his illorum diversitas, quantóque aliud alio gravius leviúsve sit, perspicuum esse possit. Hanc, inquam, universam ratiocinationem falsissimam esse, satis ex iis constat, quæ paulò superiùs dicta a nobis sunt. Quicunque enim viva fide in Christum præditus est, & porrò qui verâ pœnitentiâ ductus, peccata detestatur, justitiæque studium amplectitur, ac pro viribus in posterum Deo paret, ei ad peccatorum condonationem assequendam nequaquam opus est, ut eorum qualitas ac quantitas a quopiam intelligatur; cum quantávis fuerint, planè expianda sint, adeò ut in aurem cuipiam ea insusurrare nihil necesse sit.

lib: 6. cap: 4.

Matth: 18. 18.

Alter locus est ille ipse, de quo nonnulla modò diximus: *Si*, inquit Christus, *Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quicquid ligaveritis in terra, erit ligatum in cœlis: & quicquid dissolveritis in terra, solutum erit in cœlo.* Verùm quid hæc Christi verba cum auriculari confessione conjunctũ habeant, planè non video: cum nec de privata aliqua confessione peccatorum quicquam hîc dicatur, sed de publica morum disciplina; nec solis ea mandetur pastoribus, sed Ecclesiæ; nec denique de quibusvis peccatis aut peccatoribus hîc sermo sit, sed de iis tantùm, qui ad-

Mat: 18. 17. 18.

qui ad Ecclesiam ordine certo delati, testibusque convicti fuerint.

Matth: 8. 4. Tertius locus est apud eundem Matthæum, ubi Christus leprosum a se mundatum sacerdoti se ostendere jubet, donumque a Mose imperatum offerre, in testimonium illis. Quo pacto autem auricularis confessio hinc effici queat, non apparet. Aut enim volunt, Christum his verbis eam revera mandasse, perpetuoque Ecclesiæ servandam tradidisse; aut per allegoricam dicendi figuram, illam aliqua ratione significasse. Atqui prius falsum esse, quivis per se cernere potest. Ibi enim Christus uni homini præceptum tradit, semel tantùm præstandum: nec confiteri eum peccata jubet, sed se a lepra purgatum esse ostendere, & donum offerre: nec de sacerdote alio, quàm Levitico, (tales enim soli tum publicè erant constituti) verba facit. Causa autem ejus rei erat, ut miraculum testimonio sacerdotis aliqua ratione comprobatum esset illustrius; ut leprosus in populi numerum ac consortium reciperetur, cum id alia via ac ratione fieri nõ posset; & hanc ob causam a Domino hęc verba addi videntur, *in testimonium illis*; ut denique manifestum esset, Christum tunc ceremoniarum legi nihil detrahere: cum hoc ad Propheticum munus, cui tunc præerat, minimè spectaret: spectabat autem ad munus illud regium, cui postmodum præficiendus erat. Quid mirum igitur, Christum leprosum illum admonere ad legi obtemperandum? quidvé manifestius est, quàm auricularem istam confessionem a Christo tunc nequaquam fuisse præceptam? Quòd si eam lege adumbratam fuisse, Christumque his verbis ad eam allusisse volunt, egregiè falluntur: cum non solùm sacerdotes illi legales istorum sacrificulorum typum minimè gesserint; sed, ut alibi explicuimus, summus quidem Pontifex Christi, summi pontificis nostri, cæteri sacerdotes, omnium Christianorum, spiritualesque hostias Deo sacrificantium, imaginem cõtinuerint: verùm etiam leprosus iste nequaquam jussus fuerit lepram suam sacerdoti ostendere: sed eidem sese jam a lepra mundatum exhibere, ejusq; rei declarationem tantùm petere. Quod quidem tantum abest, ut auricularem confessionem stabiliat, ut potiùs eversionem illi afferat. Sic enim non quidem peccata, quæ lepræ contagione adumbrari volunt, sacerdoti enumeranda, & porrò eorum remissio ab illo petenda; sed peccata nostra expiata, nosque illorum remissionem consecutos jam esse, declarandum ei foret. quod quidem ab illorum, cum quibus disputamus, sententia longissimè abest.

Lib: 4. cap: 22.

1 Pet: 2. 5, 9. Apoc: 1. 6: 5. 10. 20. 6.

Iac: 5. 16. Quarto loco illa Iacobi verba in medium proferuntur, quibus monet, ut alii aliis peccata confiteamur. Verùm quis non videt, hîc

non eam præcipi peccatorum confessionem, quæ ad unius sacerdotis aures, personamque sit alligata, sed quæ communiter mutuoq; ab illis fiat, quorum alii alios dicto factóve læserunt, vel, si ita placet, qui peccatorum quorundam conscientiâ urgentur, pœnámve eorum jam sentiunt, a qua liberari cuperent; quam liberationem faciliùs impetrabunt, si peccata illa sua aliis aperuerint, &, ut se precibus apud Deum ea in parte juvent, eosdem rogaverint.

Cap: XVI.

De purgatorio.

IAm ut de purgatorio sermonem instituamus; operæ pretium est, omnium primò, quid de eo sentiant adversarii, animadvertere. Ita ergo ea de re loquitur is, qui præcipuus religionis Pontificię hac ętate propugnator habetur: *Purgatoriũ vocatur locus quidam, in quo, tanquam in carcere post hanc vitam purgantur animæ, quæ in hac non plenè purgatæ fuerunt, ut nimirum sic purgatæ in cœlum ingredi valeant, quò nihil intrabit coinquinatum.* Quod quidem commentum alii ante nos pluribus argumentis confutârunt: nos duabus rationibus hoc loco contenti erimus. Prior est, quòd animæ seu spiritus hominum post mortem, utut incorruptibiles sint, nihilominus tamen, ut alibi explicatum est, & inferiùs, cùm de invocatione Sanctorum defunctorum agemus, pleniùs confirmabitur, propriè loquendo non vivunt, nec porrò actiones, quæ nonnisi actu ipso viventibus conveniunt, obire possunt. quare nec post mortem per afflictiones aliquas, ut illi volunt, purgantur, nec postmodum cœlestibus gaudiis, antequam corpore aliquo induantur, perfruuntur. Posterior ratio hæc est, quòd ea sit divini spiritus consvetudo, ut quæ saluti nostræ vehementer conducunt, nec tamen per nosmetipsos cognosci queunt, sed divina patefactione egent, ea non solùm clarissimis verbis explanet, sed sedulò etiam hominum animis inculcet: ex quorum numero purgatorium omnino esset, si quicquam cum vero conjunctum haberet. Nam eo ignorato, nec viam in cœlum satis nossemus, nec nobis ipsis in futurum ita, ut par esset, prospicere, nec iis, qui in purgatorio sunt constituti, debitum charitatis officium præstare, & sic eos ex tam infelici statu eripere possemus; cum tamen qui in illo sunt constituti, viventium suffragiis, ut istorum fert opinio, liberari ex eo possint. Quoniam autem in omnibus divinis voluminibus, non modò clarè ea res explicata non est, sed, ut postmodum videbimus, ne una quidem hac de re litera extat; parumné liquet, planè commentitium istud purgatorium esse?

Bellarm.

lib: 3. c. 11. h. lib: c 25.

Et tamen

Et tamen isti, ut suum hunc errorem stabiliant, multa sanctarum literarum testimonia ad hoc commentum flectere torquereque non verentur. Quod quidem quàm illis prosperè succedat, videndum tandem est.

2 Mach: 12.46. Ex Vetere igitur Testamento decem potissimùm adducunt locos. Primus 2 Machab. 12. hunc in modum extat: *Sancta & pia est cogitatio pro mortuis exorare, ut peccatis solvantur.* Respondemus primùm, Machabæorum libros, qui in Hebræo canone non habentur, & de quibus nullum certum extat testimonium, eos a viro divino scriptos esse, in Canonicis scriptis habendos minimè esse; ideoque nullum fidei dogma illorum autoritate constitui posse. Quid, quòd ipse librorum istorum autor satis indicat, se divini spiritûs afflatu eos minimè conscripsisse; utpote qui apertissimè styli veniam deprecatur, & fieri posse indicat, ut minùs dignè, quàm historiæ conveniat, scripserit: qua excusatione opus non habet, qui Spiritus sancti afflatu scribit. At, inquiunt, idem & Paulo Apostolo contigisse, qui quantumvis divini spiritus impulsu scripserit, sermonis tamen imperitiam excuset. Atqui Paulus sermonis imperitiam nequaquam excusat: tantùm abest, ut indicet, fieri posse, ut non satis convenienter rei, quam tractabat, loquutus fuerit: imò hujus contrarium satis apertè affirmat 1 Cor. 2. 4; sed tantùm illis occurrit, qui in ipso humanæ eloquentiæ tumorem requirebant, quo sese uti noluisse ipse ingenuè fatetur: quippe qui ad Evangelizandum missus esset, non in sapientia sermonis, ne evacuaretur crux Christi, nevé fides nostra in humana sapientia esset, sed in virtute Dei. Deinde etiamsi maximè Canonici libri hi, ex quibus argumentum petitur, essent; cõsecutio tamen pessimè constituta foret. Posset enim fieri, ut quispiam pro mortuis oraret, &, si modò alioquin id Dei voluntati contrarium non statuatur, precibus suis peccatorum condonationem illis impetraret, nec tamen, hoc ut fieret, ullum necesse esset purgatorium existere. Absolutio enim a peccatis perfecta, secundùm novi Fœderis rationem, revera nihil aliud est, quàm e morte liberatio, & vitæ immortalis donatio. Hanc autem non ante novissimum illum diem, sed tum, cùm Christus ex cœlesti illo tabernaculo egressus fuerit, per ipsummet homines assecuturos esse, planissimè constat. Huc accedit, quòd ex ipso illo autore satis perspicuè patet, nequaquam de purgatorio eum tunc cogitâsse, sed de resurrectione mortuorum, eoque respectu asseruisse, pium esse pro mortuis supplicare, quia hac ratione effici queat, ut mortui a peccatis penitus absoluti, ad resurrectionem habeant aditum, vel

1 Cor: 1. 17. & cap: 2. 4, 5.

nullâ, postquam in vitam redierint, pœnâ afficiantur. Sic enim paulò antè eodem in loco scriptum legimus: *Et facta collatione duodecim millia drachmarum argenti misit* (Iudas) *Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans.* At quid hoc ad purgatorium? Imò, si Iudas, & cum eo Autor iste de purgatorio cogitâsset, & ideò ille pro mortuis offerri voluisset, hic verò orare pro iis sanctum piumque esse judicâsset, quia id ad animas eorum è purgatorio liberandas faciat, id quod ante resurrectionem fieri soleat, fierique omnino possit; quid id, quæso, cum resurrectione conjunctum haberet? an quis ex facto illo rectè concluderet, eum de resurrectione benè & religiosè cogitasse? Certè vel ex hoc ipso loco patet, sententiam illam de purgatorio vanam esse. Ex eo enim colligitur, Iudam, quia pro mortuis orari voluerit, ideo de resurrectione cogitâsse. At si sententia de purgatorio vera esset, consecutio nulla foret: satis enim esset, illum de animabus ex purgatorio liberandis, & sic, ut in cœlum quamprimùm irent, adjuvandis cogitâsse, sive sequutura esset resurrectio, sive minùs.

Alter locus est apud Tobiam: *panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* Hic locus, præterquam quòd non minùs, quàm prior, ex libro apocrypho est depromtus, quid ad purgatorium constituendũ momenti adferat, non video: cum ii ipsi, qui eo utuntur, minimè diffiteantur, panem vinumque suum super sepulturam justi constituere, cumque justis, non autem cum peccatoribus comedere bibereque, nihil aliud esse, quàm justum mortuum sepulturâ, quemadmodum ipse Tobias fecisse scribitur, afficere, conviviumque instituere, & ad illud non facinorosos, sed justos invitare. At, inquiunt, homines invitandi, sunt homines pauperes, qui acceptâ istâ eleemosynâ, orent pro anima defuncti. Hoc verò illorum somnium est; quippe quod nec ex isto loco, ullo pacto elici, nec aliis scripturæ testimoniis comprobari possit. Adde quòd, etiamsi pro mortuo jurè quispiam supplicare posset, hinc tamen, purgatorium istud esse, ineptissimè colligeretur: cum hoc nulla purgatorii ratione habita fieri posse, superiori in loco ostenderimus. Tob: 4. 18.

Tertius locus est 1 Reg. ult. ubi habitatores Iabes Galaad audita morte Saulis septem dies jejunâsse dicuntur. & 2 Reg. 1. Davidem flevisse, & jejunâsse usque ad vesperam, super Saul, & super Ionathan, & super populum Domini, & super domum Israël, scriptum legimus. Verùm quàm ineptè hinc purgatorium colligatur, inde facilè ℣ 13. ℣ 12.

cilè conſtat, quòd non ſolùm nulla ejus iſto in loco fit mentio, ſed etiam ea fletûs jejuniiq́; iſtius cauſa in eodem verborum contextu allata eſt, quæ nullum cum purgatorio habet nexum. Apertiſſimè enim ibidem Spiritus divinus, ideo Davidem fleviſſe ac jejunâſſe dicit, quòd illi gladio cecidiſſent. id quod & adverſarii concedunt, dicentes, hæc facta fuiſſe in ſignum doloris & triſtitiæ. Et quidem omnino ſic ſeſe rem habere, unusquisque facilè intelliget, qui Davidis verba, quibus caſum iſtum lamentatur, diligenter conſideraverit; utpote quibus nullæ preces, ſed meræ querelæ contineantur. Sed ajunt, credibile eſſe, hoc præcipuè factum eſſe ad juvandas animas defunctorum. Quod quidem tametſi a vero alienum eſt, eo tamen confirmari poſſe arbitrantur, quòd irrationabile ſit, in ſignum doloris ſeptem dies jejunare. Quid autem ſi tanto dolore quispiam oppreſſus ſit, ut etiam diutiùs mortem alicujus lugeat? Iejunium porrò luctus teſtandi cauſâ inſtitui conſveviſſe, homines rerum divinarum periti probè nôrunt. Ergóne irrationabiliter, ut adverſariorum verbis utar, fecerunt Iſraëlitæ, qui Moſen demortuum triginta dies planxerint? Quòd ſi id animæ illius ex purgatorio liberandæ cauſâ factum eſſe volunt, non ſolùm id ponent, quod in diſquiſitione poſitum eſt; ſed nullam etiam rationem reddere poterunt, cur Iſraëlitæ diutiùs Moſis, quàm Saulis mortem luxerint; niſi fortè Moſen pluribus gravioribusque peccatis obſtrictum fuiſſe dicant, quàm Saulem, & proinde longiore luctu ad eum liberandum opus fuiſſe. quod quidem quàm abſurdum ſit, omnes intelligunt. Neque verò magis conjectura illa adverſariorum juvatur eo, quòd David jejunâſſe & orâſſe legitur pro filio ſuo infantulo, dum ægrotaret: poſtea verò, quàm audivit, eum eſſe mortuum, jejunare deſiiſſe: quo facto oſtenderit, ſe jejunare ſolitum, ut aliquid a Deo impetraret. Quid enim? an quia legimus, Davidem aliquando non niſi eam ob cauſam jejunâſſe, ut aliquid a Deo impetraret; ideo quoties jejunavit, id, ut quippiam a Deo impetraret, feciſſe cenſendus eſt? quis apertum hîc ſophiſma non cernit? Sed quęrere licet ex adverſariis, cur David deſierit orare pro infantulo defuncto, ſi animæ defunctorum non minùs, quàm homines viventes, piorum precibus juvari poſſunt ac debent, ut hoc pacto tantò citiùs ex ſtatu infeliciori infeliciorem, h. e. in ipſum cœlum, ut perennibus ibi gaudiis fruantur, tranſeant.

[Deut: 34. 8.] [2 Reg: 12.]

[Pſal: 6. 9. & 38. 1.] Quartus locus ex Davidis Pſalmis depromtus eſt: *Domine*, inquit, *ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Ex quo loco, Auguſtini aliorumque ſecuti autoritatem, purgatorium colligunt,

gunt, affirmantes, *in furore argui a Deo*, esse in æternum damnari: *in ira* autem *corripi*, esse severè post hanc vitam puniri, ad correctionem tamen & emendationem. Verùm non multùm nobis hîc laborandum est, ut hoc, si ita appellare licet, argumentum dissolvamus. Meram enim hanc esse conjecturam, nullo fundamento nixam, tum quilibet intelligens homo facilè animadvertit, tum ii ipsi, qui eam afferunt, indicant, dum hæc verba variè explicari posse fatentur. Quod vel solum satis est ad argumentatiunculam istam contemnendam. Adde, quòd David in neutro istorum Psalmorum de pœna post mortem sibi irroganda verba facit: sed utrobique de pœna, quam jam tum sentiebat, loquitur, Deum orans, ut eam a se auferat, nec adeò severè secum agat, ut penitus consumatur, quemadmodum Psalmi inspecti unumquemque docebunt. Neque verò ibi aliud est, *in furore argui*, & *in ira corripi*; sed idem diversis vocibus Hebræorum more, qui in Psalmis inprimis elucet, repetitur.

Quintus locus Psalmo 66. continetur: *transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*. Ex quo, Ambrosii autoritate nixi, tum purgatorium concludunt, tum baptismum. Sed seipsos convellunt, dum fatentur, hunc locum varios habere sensus: ut facilè appareat, nihil nobis de argumenti istius solutione laborandum esse. Placet tamen, ut istorum hominum ineptias ostendamus, pauca hoc in loco dicere. Constat igitur, hîc homines vivos, & sic nullam mortem, nullum purgatorium passos, Dei laudes concinere, eique gratias agere, qui ingentem malorum molem a cervicibus illorum depulerit. Per ignem enim & aquam, maxima mala & pericula gravissima intelligit divinus vates: cum nihil sit, quod celeriùs hominem extingvat, quam vel aquarum inundatio, vel rapidum ignis incendium. Vidit hoc & Augustinus, qui locum istum explicans, nullum cogitavit purgatorium, sed de fidelium tentationibus vatem verba facere statuit. Et mirum est, homines istos, qui ex verbis illis ignem purgatorium post mortem elicuerunt, non elicuisse etiam aquam aliquam post mortem purgatoriam; cum nulla sit causa, cur, si ignis ille, sit ignis, quo animæ post mortem purgentur, aqua etiam illa non sit aqua ejusmodi, qua animę post mortem eluantur, præsertim cum igni in Prophetæ verbis postponatur. Præterea si aqua illa baptismum designat, cur illi non minùs, quàm igni, opponitur refrigerium seu refocillatio? ℣ 12.

Sextus locus apud Esaiam hunc in modum legitur: *Purgabit Dominus sordes filiorum & filiarum Sion, & sangvinem mundabit de medio eorum, spiritu judicii & combustionis*. Quæ verba Augustinum ad Esa: 4. 4.

pœnam purgatorii referre asserunt. Sed adversarios minimè latet, autoritatem ratione destitutam nihil valere. Manifestum autem est, Prophetam de illis verba facere, qui Hierosolymis & in Sion, ex clade paulò antè ibidem memorata residui, & porrò vivi futuri erant, de quorum medio Deus sese sordes, sangvinemque purgaturum, id est, homicidia sangvinisque profusionem ardentissimo judicio suo exterminaturum prædicit. Neque verò sangvis ille seu homicidia, peccata sunt venialia. At his solis expurgandis volunt isti purgatorium ignem esse destinatum. confer cum hoc Prophetæ loco cap. 1. 25, 26, 31.

Malach: 3. 3. Similiter & de septimo loco judicandum est, qui apud Malachiam his verbis comprehensus est: *Et sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in justitia.* Nam præterquam quòd ipsi adversarii fatentur, hîc de eorum purgatione agi, qui sunt in vivis; ipsa verborum complexio indicat, nequaquam de igne propriè sic dicto sermonem haberi, sed de metaphorico, sensumque esse: Deum Levitas, per quos mysticè Christiani homines, qui divino cultui instar Levitarum penitùs sunt consecrati, possunt intelligi, haud aliter ab omni scelerum contagione expiaturum, atque igni aurum argentumque purgatur, ut nimirum ad sacrificandum Deo, id est, ad eum ritè colendum apti sint. Minimè enim ad hanc rem appositi tunc erant, cùm adhuc in scelerum turpitudine versarentur. Hanc autem verbis istis sententiam contineri, ex iis patet, quæ mox vates subjungit: *Et erunt offerentes Iehovæ oblationem in justitia.* id quod de cultu divino, quem in hac vita Deo præstare debeant Levitæ isti, intelligendum esse, quivis facilè videt.

l. 4. c. 22. Plura de hoc loco diximus suprà de Cœna Domini agentes.

Esa: 9. 18. Octavum locum illa Esaiæ verba obtinent: *Succensa est quasi ignis impietas, vepres & spinas vorabit.* Atqui hoc loco non purgatorium aliquod describit Vates, sed supplicium divinum populo Israëlitico in hac vita ob impietatem infligendum, quod eum sit consumturum, & ab infimis ad supremos usque progressurum, non secùs ac ignis succensus vepres spinasque exurere, & hinc ad densiora sylvarum loca progrediens, proceras arbores corripere, omnemque tandem sylvam depasci solet: id quod cuilibet locum istum non oscitanter legenti facilè patebit; aut certè quilibet ea ibi commemorari animadvertet, quæ in vivos tantùm, nequaquam autem in mortuos convenire possunt.

Mich: 7, 8. Nonus locus apud Michæam extat: *ne læteris*, inquit, *inimica mea: consur-*

consurgam cum sedeo in tenebris: Dominus lux mea. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, & faciat judicium meum. Educet me in lucem, & videbo justitiam ejus. Hîc certè mirari satis non possum, quo pacto Pontificiis, ex verbis istis purgatorium extruere, in mentem venerit: cum nihil sit apertius, quàm divinum vatem introducere populum Dei adhuc viventem, peccata casumque suum, in quem inciderat, seu vastitatem ac desolationem terræ, lugentem, & interim de Dei misericordia atque clementia plurimum sibi pollicentem, eaque de causa hostes, aliosq; invidos monentem, ne ob suum illum casum exultent: quia brevi iterum sit erigendus a Deo, & in meliorem statum transferendus.

Decimo loco illa Zachariæ verba ponuntur: *Tu autem*, inquit, *in sangvine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* Verùm non minùs absurdè hinc, quàm ex aliis scripturæ locis, purgatorium constituitur. Aut enim hæc propriè a Vate dici volumus, aut figuratè. Si propriè dicuntur, quid, quæso, lacus aquâ carens momenti habet ad purgatorium constituendum? si autem per quandam dicendi figuram proferuntur, ut omnino fieri statuendum est; multò certè minus ad hoc cõmentum stabiliendum ponderis habebunt. Qua de causa nec Hieronymus, nec Augustinus, in quorum autoritate isti plurimum ponunt, ausus est hoc loco ad purgatorii fabulam abuti: cum ille per lacum istum supplicium intelligat æternum: hic verò humanæ miseriæ siccam profunditatem, ubi non sunt fluenta justitiæ, sed sterilitatis lutum. Non dubium autem est, quin vates liberationem populi e Babylonica captivitate sermone persequatur, & interim spiritualem divini populi liberationem, quæ resurrectione vitâque æternâ continetur, Spiritus sancti impulsu adumbraverit. Zach: 9.11.

Sed jam tempus est, ut eos locos excutiamus, qui ex Novo Testamento ad purgatorium probandum atque firmandum adducuntur. Sunt autem numero undecim potissimùm.

Primus illis Christi verbis continetur: *Quisquis blasphemaverit Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.* Hinc, inquiunt, sancti patres colligunt, quædam peccata remitti in futuro seculo. Id quod nos, si modò constanter & secundùm scripturæ sensum dicatur, facilè concesserimus. Sed quid hoc ad purgatorium? cum in eo peccata, si istorum opinio vera est, puniantur, non remittantur. Puniri enim peccata, eademque remitti, contraria sunt. Adde, quòd purgatorium ejusmodi, quale illi confinxerunt, futuro seculo secundùm scripturæ consvetudinem acce- Matth: 12. 32.

pto, adscribi nequeat. Futurũ enim seculum, nisi simpliciter significet ætatem futuram, quo pacto centuriam annorum secuturam, respectu hujus, in qua nos vivimus, futurum seculum possis appellare; non significat tempus post uniuscujusque hominis mortem secuturum, sed id, quod post universæ hujus vitæ animalis finem secuturum est, cujus initium adventus Christi secum adferet. At purgatorium jam extare, & homines statim post mortem suam in illud transferri, ipsumque purgatorium in Christi adventu cessaturum, isti contendunt. Remissio autem illa, quæ hominibus in futuro seculo continget, est a morte, quæ propria peccati pœna est, liberatio, & immortalis vitę donatio, quę hominibus piis cõtinget, cùm e mortuis resuscitabuntur, & spiritus eorum incorruptibilibus corporibus induentur, id quod in ipsa statim resurrectione fiet. Mortui enim, ut Paulus ait, resurgent incorruptibiles: cæteri autem, nempe viventes, immutabuntur, id quod illis resurrectionis erit loco. Ex quo patet vanitas argumenti, quo hoc loco ad purgatorium extruendum utuntur: Peccata illa, inquiunt, quæ in futuro seculo remittuntur, vel remittuntur in cœlo, vel in inferno, vel in tertio aliquo loco seu statu animarum. At non in cœlo, nec in inferno. Ergo in tertio aliquo loco, nempe in purgatorio. Quid enim? an in purgatorio animę seu spiritus piorum immortalitate donantur, seu corporibus incorruptibilibus induuntur, & sic ipsi homines pii a morte perpetua liberantur? haudquaquam. Quòd si alibi id fit, alibi etiam illis contingit peccatorum remissio, quam in resuscitatione sitam esse docuimus. Si dixerint, pœnam quidem tunc remitti, non autem culpam, seipsos jugulabunt. Sic enim consequens erit, nullum esse purgatorium, in quo pœnę peccatorum solvantur. Aliter enim, quomodo pœna illis postmodum remitti dicetur, qui jam purgatoriis ignibus injecti, satis illam persolverunt? Ad culpæ remissionem hîc confugere nequeunt: cum pœna tolli nequeat, culpâ nondum condonatâ: siquidem condonatio culpæ, ut jam cum illis loquamur, remissionis pœnæ sit causa; & ipsi Pontificii velint, culpæ remisionem iis, qui ignes purgatorios experiantur, dum adhuc in vivis sunt, contingere. Quid ergo hic locus ad purgatorium probandum facit? & cur non potiùs sacrę scripturæ tenorem sequuti, hunc Christi verborum sensum agnoscimus, ut eos, qui in Spiritum sanctum blasphemi sunt, & temporariis hujus vitæ pœnis, & sempiternis suppliciis vindicandos esse intelligamus?

(margin: 1 Cor: 15. 52.)

1 Cor: 3. 15. Secundus locus apud Paulum est, qui ad Corinthios scribens ita loquitur: *ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Atqui

Apostolus

Apoſtolus haudquaquam iis in verbis aſſerit, ignem ibi verum fore,& hominem illum,de quo loquitur,per ignem tranſiturum: ſed tantùm perinde fore, ac ſi per ignem, &,ut vulgò loqui ſolemus,ex incendio evaſiſſet:quia nimirum,quemadmodum paulò antè dixerat, opus ejus, in quo conſtruendo multùm deſudaverat,& ex quo præmium apud Deum ſperaverat, igni probationis (de eo enim ibi loqui Apoſtolum fatentur adverſarii)exuretur,& in fumum abibit, ac nullum ipſi homini fructum ac præmium afferet. Quare ipſe nihil ſecum auferet, ſed nudus interitum vix effugiet,ut illis contingere ſolet, qui per ignem, vel ex incendio effugiunt. Itaque nos facilè concedimus id, quod volunt adverſarii, in ultimis his verbis non eundem intelligi ignem, qui antea fuerat intellectus, cùm dixit Apoſtolus, igni uniuscujusque opus probatum iri. poteſt enim in ultimis verbis ignis vulgaris intelligi: cùm ſimilitudine tantùm ab eo petita utatur Apoſtolus: licet ob mentionem prioris illius ignis,& exuſtionis operum,in hujus mentionem inciderit, & ſimilitudine hac uſus fuerit. Mirum autem eſt,cum iidem adverſarii omnino contendant, Apoſtolum ſuperiùs dicere voluiſſe,diem ultimi judicii manifeſtaturam uniuscujusque opus; eos id, quod conſequens iſtius manifeſtationis eſt, nempe damnum, ſeu, ut ipſi volunt,pœnam illius hominis,cujus opus arſerit,quam in tranſitu per ignem conſtituunt, ad ignem purgatorium referre,quem tamen in ultima die non ampliùs extiturum eſſe dicunt. Manifeſtatio enim illa per operum explorationem fiet. Exploratio autem illa, cauſa eſt antecedens,illic quidem mercedis,hìc verò damni,aut,ſi ita placet, pœnæ. Quòd ſi ergo manifeſtatio illa in ultimo demùm judicio fiet; quomodo pœna, quæ illius conſequens eſt, in purgatorio, ante judicii diem, infligetur? Quamquam non dicit Paulus,ut iſti urgent,illi homini prçter operis mercedisque ſperatæ jacturam, aliam adhuc pœnam a Deo eſſe infligendam. Rationes, quæ ab illis pro ſententia iſta afferuntur,nullius ſunt momenti. Primùm ajunt, hominem iſtũ dici ζημιοῦσθαι. hoc autẽ eſſe mulctari, ac pœnas dare. Atqui ζημιοῦσθαι, etſi nonnunquam ſignificat mulctari ac pœnas dare, non rarò tamen ſimpliciter eſt jacturam facere, ſeu damnum ac detrimentum pati: quemadmodum hoc ipſo Pauli loco reddidit vulgata interpretatio, quæ apud ipſos ſummam obtinet auctoritatem. Exemplum ejus ſignificationis habes apud eundem Apoſtolum Philip: 3. ubi etiam ζημία, unde ζημιοῦσθαι, ſimpliciter jacturam ỹ 7, 8.
aut detrimentum ſignificat,quemadmodum & alibi in novo Teſtamento. Quòd ſi mulctandi verbo reddere placet,intelligendum erit,mul- Act:27 10,21.

rit, mulctę inſtar eſſe jacturam operis, & mercedis ſperatæ fruſtrationem. Mulctam enim illam non ſignificare pœnam aliquam ipſi homini, ſeu perſonę ipſius infligendam, ſed tale quippiam, quod extra illius perſonam cernatur, manifeſtè indicant Pauli verba, qui ita loquitur: *Si cujus opus arſerit, detrimentum* [quidem] *patietur*, ſeu mavis *mulctabitur: ipſe autem ſervabitur*. Quòd ſi mulcta illa, quemadmodum adverſariorum ſententia poſtulat, æquè in ipſa hominis illius perſona cerneretur, ac ſalus, cujus in poſterioribus verbis fit mentio; non rectè, poſtquam dixiſſet, eum mulctatum iri, ſubjunxiſſet, *ipſe autem* ſervabitur. Sic enim, ſi iſtam adverſariorum ſententiam ſequaris, loqui cenſebitur Apoſtolus: ſi cujus opus arſerit, ipſemet, præter operis jacturam, pœnâ afficietur: ipſe autem ſervabitur. quæ oratio quàm ſit inconcinna, & Apoſtolo indigna, nemo non videt. At ſi ita verba accipias, ac ſi dixiſſet Apoſtolus: ſi cujus opus arſerit, operis quidem ac laboris in id impenſi jacturam faciet, ſperatâque mercede fruſtrabitur, ſed ipſe nihilominus ſervabitur; ſic omnia erunt apta ac concinna. Deinde ajunt, Apoſtolum in ultimis loci verbis uti ſimilitudine tranſeuntis per ignem, quæ ſignificet pœnam & dolorem. Qui enim, inquiunt, tranſiret per ignem ſine ulla læſione, non diceretur tranſire per ignem, quaſi per ignem, ſed quaſi per flores. At primùm non dicit Apoſtolus, hominem eum tranſiturum per ignem, quaſi per ignem: ſed, eum ſalvum fore, verùm ita, quaſi per ignem. Quantum autem hæc ab illis differant, quivis facilè perſpicit. Illa enim, quibus utuntur adverſarii, ſignificant, eum hominem revera tranſiturum per ignem: at Apoſtoli verba id nequaquam poſtulant, ſed modum tantùm, quo homo iſtiuſmodi ſalvus fiat, ſimilitudine declarant, ab eo petita, qui per ignem, rebus omnibus igni conſumtis, vix evaſerit. Deinde ſi quis omnino urgeat, læſionem ac dolorem aliquem iſtis Apoſtoli verbis ſignificari: non erit tamen neceſſe ſtatuere, veram aliquam pœnam homini illi a Deo inflictum iri. ſufficere enim ad læſionem illam poteſt dolor, ac pudoris, ſeu mavis ignominiæ nota, quam ignis ille, quo opus ipſius exuretur, ipſi inuret, etiamſi ipſemet cæteroqui ſalvus ſit evaſurus. Denique ajunt, Apoſtolum opponere tranſitum per ignem mercedi. Mercedem autem illam ſignificare aliquid præter ipſum bonum opus, & præter læticiam, quam id ex ſe afferat. Vnde concludunt, etiam detrimentum, ac tranſitum per ignem, eſſe aliquam pœnam præter jacturam operum & confuſionem, quam ea ex ſe afferat. Non dicere Apoſtolum, hominem iſtum tranſiturum per ignem, antea oſtendimus. Sed eſto nunc ita, oppo-

natus

natur transitus per ignem mercedi, quemadmodum detrimentum eidem opponitur. Annon jactura operis, quæ in mercedis denegatione revera consistit, & transitus per ignem, qui jacturam istiusmodi afferat, mercedi rectè opponitur? Neque enim in eo simpliciter jactura illa consistet, quòd opus sit arsurum; sed in eo, quod arsionis consequens est, nempe quòd homo iste operæ suæ pretium, ac laboris præmium sit perditurus. Nam alioquin, ut in similitudine ab Apostolo usurpata persistamus, posset opus alicujus ardere, & igne penitus consumi; nec tamen is, qui id fabricatus est, jacturam illius facere: quia nimirum id illi abunde compensetur; id quod hîc nequaquam fiet. Itaque jure dicitur, hujusmodi hominem veluti per ignem salvum fore, vel, ut suprà diximus, veluti ex incendio vix nudum evasurum.

Sed jam ad tertium locum veniamus, qui 1. Cor. 15. extat: *quid facient*, inquit Apostolus, *qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgent? ut quid baptizantur pro illis?* Hîc adversarii, ut purgatorium suum constituant, baptizandi verbo baptismum lachrymarum & pœnitentiæ intelligendum esse ajunt, qui suscipiatur orando, jejunando, beneficentiam exercendo, proque mortuis sese affligendo. 1 Cor: 15. 29.

At verò istud argumentum multis modis vitiosum est. Primò enim baptizandi verbum eo pacto, quo isti volunt, usurpatum nullibi apud sacros autores reperitur. Tametsi enim Christus se suosque Apostolos afflictionis baptismo baptizandos esse dicit: tamen cum non solùm non de spontaneis, sed aliunde illatis calamitatibus, Christum eo in loco verba facere constet, iisque tantis, ut quispiam iis immergatur, & quoad carnem penitùs obruatur; verùm etiam, precum beneficentiæque studium baptismi nomine comprehendi, nec ulla ratio suadeat, nec ullum divinum testimonium comprobet; quis non videt, quàm inane id sit commentum? Deinde, si maximè baptizandi verbo id, quod isti volunt, alicubi significaretur, quod quidem nos pernegamus: tamen cum plures habeat significatus, ideoque ambiguum sit, inepta fuerit consequentia ista: quidam baptizantur pro mortuis. Ergo hoc fit orando, jejunando, benigneque cum pauperibus agendo: cum alio modo pro illis baptizari possint. Præterea, etiamsi baptizari hoc in loco nihil aliud designaret, quàm quod illi asserunt: nihil tamen hinc ad purgatorium stabiliendum concludi posset: cùm, ut suprà diximus, pro mortuis aliquid fieri queat, quamvis in nullo purgatorio existentibus. Et sanè, si, ut e purgatorio mortuorum animæ in cœlum e- Mar: 10. 38, 39.

 volarent,

volarent, id homines illi fecissent; Apostolus inde haudquaquam potuisset colligere, eos resurrectionem futuram credere. Potuissent enim id, quod fecissent, facere, etiamsi nullam resurrectionem, post illam e purgatorio liberationem, sequuturam credidissent. Perperam autem ii, cum quibus nobis res est, unà cum aliis quibusdam sententiis & hanc rejiciunt: nimirum fuisse quosdam, qui pro mortuis fidelibus, qui fortè sine baptismo decesserant, ne id eorum saluti quicquam obstaret, aquâ baptizarentur. Baptizandi quippe verbum absolutè a Paulo isto loco positum est, nec ullo constat argumento, a proprietate vocis recedendum esse, & de alio prçterquam aquç baptismo orationem haberi. Non dubium autem est, quin, qui hoc fecerunt, in magno errore versati fuerint. Et hanc quidem ob rem, non tam illorum factum, quàm animus a Paulo spectatur, cui propositum erat ostendere, istos, quantumvis ipso facto non leviter errantes, animo tamen menteque multò firmiùs mortuorum resurrectionem comprehendisse, quàm Corinthios quosdam: apud quos cùm sine dubio illi, propter insignis cujusdam pietatis aut sapientiæ opinionem, plurimùm autoritate valerent, idcircò Apostolus illud ab eorum facto argumentum ducit, apud Corinthios saltem non parùm valiturum. Hujusmodi argumenta πρὸς ἄνθρωπον dicere solent viri docti: quia etsi non per se atque adeò nec apud omnes valent, valent tamen apud eos, cum quibus res est: quo pacto adversarios ex propriis eorum opinionibus, licèt falsis, convincere solemus. Atqui, inquiunt, insinuasset saltem Apostolus, sententiam istam errore implicatam esse, ne errandi occasionem daret. Respondemus, Apostolum id, quantum instituti ipsius ratio, resque ipsa postulabat, eo ipso insinuâsse, quòd in tertia tantùm persona de iis loquatur, & quidem ita, ut se ab illis manifestè sejungat. Nam postea statim subjicit: *Quid etiam vos periclitamur quâlibet horâ.* At si id erroneum non judicâsset, sed potiùs pium aliisque salutare; cur seipsum non inclusisset? an non ille vel primus fuisset, vel inter primos, qui idem factitaret? cum nemo majori pietate ac charitate esset præditus, nemo magis in fidelium salutem incumberet. Quòd autem apertiùs eum errorem non reprehenderit, partim illa fuit causa, quòd, ut ex ipsa sermonis complexione satis perspicuum est, ipsius consilium esset, sine ulla orationis interruptione, continuataque verborum serie, ea percensere, quibus ad resurrectionem mortuorum demonstrandum opus esset; partim quòd error iste ejusmodi esset, qui nec fidem Christo

ad hominem

haben-

habendam everteret, nec eos de salutis æternæ possessione dejiceret. Errandi verò materiam hominibus eo ipso subtractam fuisse constat, quòd non modò nullum apparet indicium, quo ei factum istud probatum fuisse admoneamur, quamvis præclaram illorum de resurrectione sententiam ei mirum in modum placuisse statuendum sit; verùm etiam non obscurum in contrariam partem extat indicium, quemadmodum ostensum est.

Quartum locum illa Christi apud Matthæum verba continent: *qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui dixerit fratri suo racha, reus erit concilio: qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Hîc Augustini autoritate probare nituntur, tum omnia ista tria animarum pœnas designare; tum ea inter se distingvi, ita ut priora duo pœnas temporarias complectantur, solum autem tertium, sempiternum supplicium nobis ob oculos ponat. Hinc consequens esse asserunt, post hanc vitam hominum animas pœnis temporariis affici, & porrò esse purgatorium. Verùm non solùm nihil nos ad istum modum verba Christi interpretari cogit, sed etiam falsissimam ex illis consequentiam confectam esse constat. Ac prius quidem inde patet, quòd planè verisimile est, ut idem quodammodo homicidii facinus, quod hîc Christus oratione persequitur, variè committi solet: ita & unius ejusdemque generis supplicium, sceleri isti constitutum non uno modo efferri. Alludere quippe Dominus ad ea voluit, quæ tunc inter Iudæos vigebant, vel alioqui vulgo nota erant; ut sermonem suum ad illorum captum accommodaret. Vigebat autem tunc judicii administratio; vigebat consessus seniorum populi; vigebat denique facinorosorum hominum interemptio, quæ in valle Hinnon, seu filiorum Hinnon fieri solebat; vel saltem vulgo nota erat crudelissima illa liberorum, quæ in ista valle olim viguerat, combustio, quam Christus gehennæ ignem nominat: qua de re suo loco fusiùs a nobis explicatum est. Iam quod ad posterius, nimirum consequentiæ falsitatem, attinet; dicimus, si maximè duæ priores pœnæ temporariæ essent: nequaquam tamen hinc effici, eas hominibus post mortem demum irrogandas esse, cum in hac vita sumi de illis possint. Nec est, quòd hîc de divinis suppliciis orationem haberi quispiam objiciat: cum ea in hac etiam vita locum habeant. Solet quippe Deus etiam in præsenti seculorum ætate, varias de peccatoribus pœnas expetere.

Quintus locus est apud eundem Matthæum, ubi Christus: *Esto consentiens,* inquit, *adversario tuo citò, dum es cum eo in via, ne fortè tradat te adversarius judici, & judex ministro, & mittaris in carcerem.*

Mat: 5. 22. | lib: 4. cap: 14. | Mat: 5. 25.

*rem. Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas novissimum quadran-
tem.* Hîc verò adversarii in purgatorio suo constituendo multùm
desudant atque elaborant, ut nimirum quæ sit ista via, quis adver-
sarius, quis judex, quis tortor, quis carcer, & quadrans explicent,
satis interim suam rerum divinarum imperitiam prodentes. Tota
enim hæc Christi oratio allegorica est, ideoq; nequaquam requi-
ritur, ut res, quæ cum altera confertur, per omnia ei respondeat:
cum satis sit in ea parte quandam esse utriusque convenientiam,
de qua potissimùm agitur, quamque sibi autor tanquam scopum
præfixam habet. Agitur autem hic de periculo, quod illis imminet,
qui fratrem offensum reconciliare negligunt. Cujus periculi exag-
gerandi causâ Christus omnia ista percensendo enumerat. Sed jam
videamus, qua ratione testimonium istud ad purgatorium adhibe-
atur. Dicunt igitur adversarii, illis verbis, *Non exibis inde, donec ul-
timum quadrantem persolvas*, purgatorios ignes demonstrari. Aper-
tissimum enim esse ajunt, Christum hîc de eo supplicii genere lo-
qui, quod temporarium est, & a quo tandem, satisfactione confe-
cta, quispiam liberari possit. Nos verò & consequentiam istam re-
pudiamus, & hanc Christi verborum explicationem divinæ verita-
ti repugnare constanter asseveramus. Ac illud quidem duas ob cau-
sas. primò enim particula *donec* non semper eam vim habet, ut cer-
tum rei alicujus finem terminumque declaret. Sæpenumero enim
verba, in quibus particula ista ponitur, perinde accipienda sunt, ac
si diceretur *nunquam*, cùm nimirum res, quæ exprimitur, impossi-
bilitatem quandam continet; sive impossibilitas ista vera sit, sive
vera esse videatur: veluti cum Iobus dicit, hominem, postquam
Hiob: 14. 12. occubuerit, non resurrecturum, *donec atteratur cœlum*, id est, ho-
minem, ut tunc putabatur, nunquam resurrecturum. In qua qui-
dem sententia ipsum etiam Iobum fuisse, ex eo constat, quòd li-
V. 7. gna ea re homini præponit, hunc in modum loquens: *lignum ha-
bet spem; si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami ejus pullulant. Si
senuerit in terra radix ejus, & in pulvere emortuus fuerit truncus il-
lius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quasi cùm primùm
plantatus est: homo verò cum mortuus fuerit, & nudatus atque con-
sumptus, ubi quæso est?* Constat igitur, si Iobi mentem spectes, locu-
tionem illam, *donec atteratur cœlum*, idem designare, quod *nunquam*:
licèt interea divinus spiritus sensum mysticum, quo & destructio
cœli, & resurrectio hominis prædicitur, sub istis verbis occultârit.
Videbatur nempe tunc, ut & hodie multis videtur, cœlum nun-
quam destruendum esse. Eodem modo & de illis Christi verbis ju-
dicandum

dicandum videtur: *Donec transeat cœlum & terra, jota unum, aut unus apex non transibit a Lege, donec omnia fiant.* h. e. nunquam quicquam transibit a Lege, usque dum omnia fiant. Quemadmodum autem in negativis enunciationibus, verba illa, in quibus est particula *donec*, idem significant, quod *nunquam*: ita in affirmativis enunciationibus idem significant, quod perpetuò vel æternùm. ut cum dicit David de Christi regno vaticinans: *orietur in diebus ejus justicia & abundantia pacis, donec auferatur luna*, id est, perpetuò, seu in ęternum. Sed accommodatissimus instituto nostro locus est apud eundem Matthæum cap. 18. ubi Christus itidem, ut in loco controverso, utitur similitudine solutionis debiti. Ait enim ibi Christus, Dominum illius servi, qui conservo noluerit centum remittere denarios, sed eum in carcerem conjici curaverit, tradidisse illum tortoribus, *donec redderet omne, quod ipsi debebat.* Atqui debitum illud est decem millium talentorum, & significat omnia peccata, quæ in Deum commisimus, quæ non nisi ęterno supplicio exsolvi possunt. Quare sensus est, eum hominem perpetuò in tortorum manu fore, seu æternum supplicium luiturum, quod idem de loco controverso statuendum esse, paulò pòst meliùs intelligetur.

Mat: 5. 18.

Psal: 72. 7.

v 34.

Altera causa, cur argumenti istius consecutionem minimè admittamus, est, quòd si maximè Christus hoc in loco de temporariis suppliciis orationem haberet; non efficeretur tamen continuò, purgatorium aliquem ignem esse, quo homines post mortem torqueantur. Potuisset quippe Dominus de illis pœnis loqui, quæ justissimo Dei judicio in hoc seculo iis irrogari soleant, qui eos, quos offenderunt, reconciliare negligunt. Christus sanè citò, dum quidem in via sumus, id est, dum Dei judicio jamjam imminente non opprimimur, nos cum inimico in gratiam redire jubet.

Iam tandem videndum nobis est, qua ratione explicatio istius loci ab adversariis excogitata, divinę veritati repugnet. Constat igitur, fratrem offendere, deque illius animo sibi reconciliando minimè laborare, facinus esse, non temporario tantùm, sed sempiterno etiam supplicio vindicandum. Si enim fratri, a quo offensi sumus, non ignoscere, peccatum est ejusmodi, quod cœlesti patrimonio homines excludit, cum Christus eo sese obstringentibus peccata remissum iri neget: quid tandem de illo existimandum nobis est, qui cum ipse fratrem læserit, de eo sibi reconciliando nullam curam suscipit? Hinc colligitur, eos, qui hîc a Christo temporarias tantummodo, nempe purgatorias pœnas illis, qui cum fratre offenso in gratiam non redierunt, constitui asserunt, divinam veritatem

Mat: 6. 15. 18. 35.

apertè

aperte oppugnare. Quæ quidem res quò planiùs appareat, operæ pretium est, nostram de hoc loco sententiam paucis exponere. Intelligimus igitur, Christum his verbis nos cohortari, ut, si fratrem offendimus, id quàm primùm agamus, ut in gratiam cum eo restituamur, aliis tum profanis negotiis, tum ipsis etiam actionibus, quibus religio divinique cultus ratio continetur, quæque differre ullo modo licet, interim posthabitis, atque in aliud tempus rejectis. Neque enim fas est arbitrari, ullum cultum Deo gratum acceptumq; esse, quantávis religione ei adhibitum, nisi priùs frater injuriâ a nobis affectus reconcilietur, vel saltem, si id statim reipsa præstari nequeat, id nos, cùm primùm queamus, facturos decernamus. Quod quidem quò magis nobis Dominus persvadeat, similitudine utitur ducta a creditore, suum debitorem in judicium vocante. Quæ similitudo hanc continet sententiam: si contingat, ut debitor cum creditore jam viam ad judicem ingrediatur, certè debitor pessimè suis rationibus consulit, nisi aut statim debitum solvat, aut tolerabili quadam ratione cum creditore transigat. Fiet enim cæteroquin, ut creditor eum apud judicem accuset convincatque, judex autem eum damnatum in custodiam tradendum curet, ex qua nequaquam emittatur, dum rem debitam persolvat. Eodem igitur pacto evenire necesse est, si quis cum fratre offenso in gratiam minimè redire curat, dum tempus habet, id est, antequam Dei judicio opprimatur, damneturque. quod si fiat, nihil ei de pœna remittetur, sed universam exsolvere cogetur; quæ cum sit æterna, nunquam ab ea liberabitur. Verùm quia Christus similitudine utitur a debitis propriè dictis petita, quæ utut non semper a debitore solvantur, solvi tamen sæpe possunt, ac solent; ideo utitur voce *donec*, quæ, cùm res, cui adjungitur est extitura, certum designat terminum; si verò existere nequeat, eum perpetuò removet. Non est autem mirum hac in parte claudicare similitudinem: cùm id etiam eatenus fiat, quatenus dicitur adversarius, qui hîc est frater offensus, nos traditurus judici. neque enim statuendum est, fratrem offensum verè proprieque de illo, a quo offensus est, puniendo laboraturum. Is namque frater, si modò verè frater est, nunquam hoc facere, ne per somnium quidem cogitabit. Quia tamen, qui fratrem a sese violatum nulla ratione placare curat, pœnas omninò daturus est, ideoque ille, qui læsus erat, in causa, quantumvis per accidens, est, ut hic supplicio afficiatur; evenit, ut per quandam dicendi figuram Christus perinde rem istam exposuerit, quasi frater offensus alterum judici traditurus sit. Quo pacto & sangvis Abelis clamâsse ad Deum, & animæ

Gen: 4. 10. Apoc: 6. 9, 10.

propter

propter Dei sermonem occisorum itidem clamâsse, & vindictam de iis, a quibus occisi fuerant, expetiisse leguntur; quia nimirum in causa essent, cur Deus, illic quidem Cainum, hîc verò parricidas piorum hominum punire vellet.

Quod quò rectiùs intelligatur, jam sextum scripturæ locum excutiamus, qui apud Lucam his verbis exprimitur: *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Vbi per eandem dicendi figuram illi, quibus benefacimus, in ęterna tabernacula nos recepturi dicuntur, non quòd illi verè propriéque id perficiant; sed quia, dum a nobis beneficiis afficiuntur, causa quodammodo existunt, nostri in æternam vitam recipiendi. Vnde simul efficitur, locum istum ad purgatorium constituendum ineptissimè proferri; quod exsculpi hinc non posset, etiamsi post mortem demum preces pro hominibus beneficis funderentur, quæ illis ad felicitatem æternam prodessent. Luc: 16. 9.

Septimus locus ex latronis illius verbis sumitur: *Memento mei,* inquit, *cùm veneris in regnum tuum.* Hîc primò animadvertendum est, ex græco, non *in regnum tuum,* sed *in regno tuo,* legendum esse. Sed deinde quid hic locus ad purgatorium? An si nullum sit purgatorium, non potest ejus Christus in regno suo veniens meminisse, hoc est, ei benefacere, eumque ex morte ereptum vitâ sempiternâ donare? Et etiamsi tandem legeretur, *cùm veneris in regnum tuum,* idque de eo tempore intelligeretur, quo Christus regnum in cœlis adeptus est: satis tamen latronis illius Christus meminit, cum, ut omnium fidelium ac piorum, ita latronis quoque illius spiritum in manus curamque suam suscepit, eum aliquando ipsi redditurus, & immortali corpore circumdaturus. Luc: 23. 42.

Octavus locus a Bellarmino ex Apostolorum Actis his verbis adducitur: *quem* (s. Christum) *Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri eum ab illis.* Quid autem hæc verba ad purgatoriũ momenti habeant, planè non intelligo. Quòd si de eo locus hic accipiendus est, sequetur, ipsum Christum purgatorii pœnas tulisse. de eo enim solo hîc sermo est. Illud autẽ quàm sit absurdum, ipsi quoq; purgatorii ignis patroni facilè vident. Sed quidnám, quæso, est, quod de purgatorio sermonem hîc esse svadeat? Primùm in græcis codicibus non *inferni,* sed *mortis* fit mentio. Deinde etiamsi inferni mentio fieret, ut quidem tum ex Syriaca, tum ex vulgata editione planum facere nituntur, nihil tamen id ad rem propositam faceret: cum hîc non de inferno, sed de purgatorio agatur. Inferni autem vocabulum apud divinos autores plærumque Act: 2. 24.

rumque

rumque non nisi statum mortuorum designat, licèt is instar loci cujusdam subterranei, in quem homines per mortem descendant, cōsideretur, & in sacris literis depingatur. statum verò mortuorum cum purgatorio nihil conjunctum habere, tum res ipsa ostendit: cum is nihil aliud sit, quàm hominem, qui antea erat, jam non existere ampliùs, ita nimirum, ut nulla ejus pars reliqua sit, quæ actu ipso vivat, & vel agat quippiam, vel patiatur: tum ex eo etiam facilè constat, quòd vel sanctissimi homines in mortis statu sunt; (unde etiam in infernum dicuntur descendere, cùm moriuntur; aut ei appropinquare, cùm morti sunt vicini; aut ab illo liberari, cum ab hâc liberantur;) & tam diu futuri sunt, donec Christus infernum unà cum morte in lacum ignitum conjiciat, h.e. mortem ipsam, & porrò etiam hunc ejus statum destruat atq; aboleat, & sic homines pios in illo collocatos eripiat. Iam quòd adversarii ex his verbis, *solutis doloribus inferni*, purgatorium elicere conantur, in eo frustra sunt. Etenim dolores mortis hoc loco nihil aliud sunt, quàm mors violenta, seu mors ea, quam dolores ac cruciatus intolerabiles attulerant, per metonymiam causę efficientis. Quare Deum solvisse dolores mortis, nihil aliud est, quàm eum, qui morte illa attinebatur, nempe Christum, ab ea liberasse. Occasionem autem isti locutioni prębuit locus Psalmi 17. & Gręca ejus interpretatio. Ibi enim David Christi typus, atque adeò Christus ipse, in Davidis persona de se ait, si Hebræa potiùs verba, quàm Græcam versionē inspicias: *Circumdederunt me funes mortis:* & iterum: *Funes inferni* (vel *sepulchri*) *circūdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.* ubi Græca interpretatio pro voce *funium*, posuit ὠδῖνας seu *dolores*, propter vocis Hebrææ ambiguitatem, quæ & funes & dolores significat: & quia utraque significatio rei, de qua agitur, convenit, ac licèt prior illa concinniorem reddat metaphoram, nihilominus tamen posterior distinctiùs explicat genus mortis, quod Christus sustinuit; ideo Petrus, vel potiùs Lucas verba ejus græcè describens, Græcam interpretationem sequutus est: præsertim quia fieri facilè potest, ut Spiritus sanctus sub ambiguitate vocis Hebrææ, quâ in Psalmis est usus, utramque significationem complecti voluerit. Sed quicquid sit, illud apud omnes in confesso est, Christum passionem suam ita in cruce consummâsse, ut post mortem nullos ampliùs dolores sustineret. Quare non de dolore aliquo, quem post mortem, antequam resurgeret, sustinuerit, hoc loco sermo est: multò autem minùs de purgatorio.

Gen: 37. 35: 42. 38: 44. 29. Iob. 14. 13. 17. 13, 16. Psal: 6. 6: 16. 10: 18. 6: 49. 16: 86. 13: 88. 4: 94. 17: 140. 7. Esa: 38. 10, 18. Dan: 9. 88. Apoc: 20, 14.

11 Nonum testimonium ex illis Ioannis Baptistæ verbis petunt: *Ipse vos* Mat: 3. 11.

pse vos

ipse vos baptizabit spiritu & igne. Vbi adversarii, Hieronymi, Basilii, Gregorii Nazianzeni autoritate confirmare instituunt, hoc in loco tum de baptismate spiritûs, qui in hac vita fidelibus contingat, tum de baptismo ignis, quo in purgatorio tingantur homines, verba fieri. Verùm cùm virorum istorum autoritas nulla nitatur ratione, sola inficiatione repelli potest. Diximus autem suprà alicubi, particulam & eo loco non res diversas copulandi, sed, quod in sacris literis creberrimè accidit, explicandi, seu mavis, diversas ejusdem rei descriptiones aut nomina conjungendi, vim habere. quo pacto crebrò in sacris literis, ut alii quoque animadverterunt, dicitur, *Deus & Pater*, quod nonnulli interpretes ita verterunt, *Deus, id est, Pater*, possesque eodem sensu reddere, *Deus qui est Pater*. Sic Paulus ait, Deum nos servasse *per lavacrum regenerationis & renovationis*, (seu mavis *renovationem*) *Spiritus sancti*: sic Petrus in Actis: Deum unxisse Iesum *spiritu & virtute*: quibus in locis res eadem diversis modis describitur. Idem autem etiam in loco controverso fieri, illud est argumento, quòd Marcus & Ioannes Apostolus ignis mentionem omittant, Baptistæ verba referentes, non omissuri, si rem a spiritu sancto prorsus diversam significaret. aliàs enim dimidiam tantùm verborum Baptistæ sententiam referrent. Addita autem est Ignis appellatio, ad Spiritus sancti proprietatem quandam, seu mavis proprietates, ante oculos ponendas, ut simul etiam tantò elegantiùs aquæ, quâ Ioannes baptizabat, tanquam rei humili ac terrenæ opponeretur. Proprietates autem illæ sunt, quòd vim habeat animos hominum incendendi, collustrandi, repurgandi. has enim vires ignis, sed in aliis rebus habet. Id quod Christus, hanc Ioannis, suamque ipsius promissionem reipsa præstans, significare voluit, dum sub ignis specie Apostolos Spiritu sancto baptizavit, ut ex Actis constat. Quare ipse rei eventus docet, Ioanni hæc verba facienti nullius purgatorii in mentem venisse, eumque non de pœna aliqua, sed de singularissimo Dei beneficio, nec de re, quæ post mortem demum obventura hominibus esset, sed quæ in hac vita iis contingere deberet, orationem habuisse. Factum enim hoc esse statim post Christi in cœlos ascensum, idque in die pentecostes, ut & ipse Christus paulò antè ea Baptistæ verba repetens, futurum prædixerat, adeò in promptu est, ut res disputatione non indigeat.

[cap: 12. | Tit: 3. 5. | c. 10. 38. | Marc: 1. 8. | Ioh. 1. 33. | vid: Act: 1. 5. & cap: 2. 3.]

Decimus locus ex illo Petri pronunciato depromtus est: *mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu: per quem spiritibus, qui erant in carcere, veniens prædicavit, olim immorigeris*. Hîc adversarii Petrum asserere ajunt, Christi animam ad inferni carcerem descendisse, [1 Pet: 3. 18, 19.]

ſcendiſſe, ſpiritibusque, id eſt, animabus in purgatorio exiſtentibus prædicâſſe. Atqui longè ſecùs ſe res habet. Tantum enim abeſt, ut hæc ſententia Petri verbis contineatur, ut ne conſequentię quidem vi ex illis elici poſſit. Nam nec purgatorium hîc aliquod eſſe, nec ad illud Chriſti animam ſpiritibus prædicatum deſcendiſſe, ſcriptum legimus. Quòd ſi hoc illis verbis ſignificari dicant, quibus aſſeritur, Chriſtum in ſpiritu veniſſe vel abiiſſe, & ſpiritibus in carcere prædicâſſe; reſpondemus, ipſam ſermonis complexionem ſatis indicare, ſpiritus illius in quo Chriſtus venerit, nomine non Chriſti animam, ſed admirandam Dei virtutem, quâ Chriſtus & a mortuis excitatus, & ſimul etiam impletus fuit, intelligendam eſſe. In
cap: 11. hoc enim eodem ſpiritu, quo vivificatus fuit, quem ſuprà Dei virtutem atque efficaciam eſſe docuimus, dicit Apoſtolus, eum veniſſe, & prædicâſſe ſpiritibus in carcere. Ex quo illud etiam intelligitur, non de ejusmodi re hîc eſſe ſermonem, quam Chriſti anima, antequam is a mortuis reſuſcitaretur, ſed quam ipſe Chriſtus a mortuis divina virtute excitatus perfecerit: nempe quòd virtute illa, quâ tum pleniſſimè inſtructus fuit, non fuerit uſus, ut quidem poterat, ad ulciſcendos hoſtes ac parricidas ſuos, qui extrema meriti, veluti in carcere quodam, tanquam iræ divinæ captivi, ad ſupplicium aſſervabantur: ſed potiùs, quòd ſumma erga eos uſus lenitate ac clementiâ, ultrò, non expectatâ eorum reſipiſcentiâ, & ad ſe converſione, ad eos, vi ſpiritus, quo fuit præditus, abierit, iisque Evangelium prædicârit, & ſic peccatorum omnium remiſſionem, ac ſuppliciorum jam jam illis imminentium condonationem, modò reſipiſcerent, obtulerit; non quidem in ſua ipſius perſona, ſed per Apoſtolos, quos ſpiritu ac virtute ſua implevit, & legatos ſuos effecit. quo pacto Paulus in ea epiſtola, quam ad Epheſios ſcripſit, ait, Chriſtum inimicitiis, quibus Iudæi ab Ethnicis diſſidebant, per
Eph: 2. 17. crucem abolitis, *veniſse & annunciâſse pacem, tum iis, qui longè*, h. e. Ethnicis, *tum iis, qui propè*, nempe Iudæis: licèt omnibus ſit notiſſimum, Chriſtum ipſum ad Gentes nunquam abiviſſe, iísve pacem ſempiternamque felicitatem annunciâſſe; ſed per Apoſtolos ſuos, atque inprimis per Paulum ipſum, id præſtitiſſe. Quemadmodum autem paulò poſt Petrus *Octo animas* dicit pro octo hominibus, quod & alibi in ſcriptura eſt uſitatiſſimum: ita etiam homines, de quibus ſermo eſt, in verbis controverſis *ſpiritus* a potiore ſui parte, nempe animo ſeu mente, denominavit: propterea quòd veriſſimæ pacis beatæque immortalitatis annunciatio, ad mentem illorum dirigebatur, eâque percipienda erat. Atqui, inquient, Petrus hîc eos ſpiri-

os spiritus nominat, qui tempore Noæ fuerunt. Respondemus autem, illos egregiè falli: cum potiùs Petrus ea, quæ Noæ tempore gesta fuerunt, arcamque ab illo extructam, exempli causâ hoc in loco commemoret, & typum cum antitypo conferat, quò res, quam agebat, pateret illustrius, id quod ex v. 21. apertissimum est. Vnde colligitur, post verba illa, *olim immorigeris*, subaudiendum esse adverbium similitudinis, more hebraico, cujus in sacris literis non pauca a viris doctis observantur exempla, omissum, nimirum hoc pacto: *sicut cùm semel expectaret Dei lenitas in diebus Noæ, cùm apparabatur arca.* Et sanè mirum esset, Christum nominatim spiritibus, qui in diluvio perierant, prædicâsse: cùm ii ob suam impietatem & contumaciam æternùm perierint, nec venialium tantùm peccatorum, quæ sola isti in purgatorio lui existimant, sed mortalium rei fuerint, nec resipuerint. Vnde Petrus in Epistola posteriore de iis loquens, mundo impiorum diluvium ait esse inductum. Atqui animas hominum ejusmodi non in purgatorio, sed in inferno esse adversarii asserunt, & inde liberari negant. Vt taceam, animabus corpore solutis prædicari non posse; nec si posset, ulla, ut id fieret, ratio suaderet, ut in sequentis loci examinatione docebitur.

vid: inter alia Psal. 3.1: 11.1: 22.14: 68.18: Hos: 7 5 Nah: 3.13: Heb: 1.7: 1 Pet: 3.4.

c. 2. 5.

Vndecimus locus apud eundem Petrum extat, qui *ideò & mortuis Evangelium prædicatum fuisse* ait, *ut judicarentur quidem secundùm homines carne: viverent autem spiritu secundùm Deum.* Quo in loco nequaquam adeò inconsideratos nos esse decet, ut ea dicentem faciamus Apostolum, quæ nullo pacto fieri possunt, nimirum mortuis, quàm diu mortui sunt, illorúmve animabus, Evangelicam disciplinam propositam fuisse: cum, ut suprà demonstravimus, hominum animæ post mortem personæ aliquæ nequaquam sint, quæ actu ipso vivant & intelligant, & porrò etiam Evangelium audire, ac fidem ei adjungere queant. Quamquam etiamsi daremus, eas post mortem hominum vivere; absurdum nihilominus censeri deberet, iis Evangelium annunciari. Quorsum enim id fieret? an fortè ut resipiscant? quid? an purgatorius ille ignis eos non satis admonet? vel an possunt etiam non resipiscere, si modò ulla ibi resipiscentia locum habet? Adde, quòd nullo pacto ostendi queat, quomodo ex eo, quòd animabus in purgatorio igne existentibus Evangelium fuerit prædicatum, consequi possit, mortuos judicari secundùm homines carne. quis enim hujus cum illo nexus? quod vinculum? Atqui Petrus hunc illius finem ex parte constituit. Præterea, nullus hoc pacto nexus inter hæc & superioris versiculi verba ostendi potest: cùm tamen hîc istorum afferatur ratio, ut docet particula

1 Pet: 4. 6.

 ticula

ticula *enim*, quâ verba hæc cum illis connectuntur. Quare alius omnino sensus, qui & rationi, & scopo Apostoli sit consentaneus, quærendus est. Potest autem vox *mortuorum*, duobus modis accipi, nempe vel propriè, vel impropriè. Propriè pro iis, qui tunc, cùm iis Evangelium prædicaretur, in vivis quidem erant, sed cùm
Rut: 1. 9. Petrus ista scriberet, e vivis excesserant. quo pacto olim Noëmi dixit, nurus suas fecisse misericordiam *cum mortuis*, & secum, hoc est, benignè egisse cum maritis suis, cùm viverent, sed qui tunc, cùm ita loqueretur Noëmi, mortui erant. Impropriè pro iis, qui spiri-
Mat: 8. 22. tualiter sunt mortui, seu mortui in peccatis: quo pacto Christus dixit: *sine, mortui sepeliant suos mortuos*; spiritualiter nimirum mor-
1 Tim: 5. 6. tui, sepeliant verè mortuos; & Paulus ait, viduam in deliciis agen-
vid. ℣ 3, 4. tem, vivam esse *mortuam*. *Iudicari* autem *secundùm homines carne*, duo videtur comprehendere, nempe damnationem hominum impiorum, Christianos propterea blasphemantium, quòd non ampliùs suis cupiditatibus vivant, nec ad eandem luxuriæ confusionem secum concurrant, unà cum ejus rei caussâ, nempe quòd Christiani homines carne jam passi (ut v. 1. indicatur) h. e. ratione appetitûs carnalis mortui fuerint, ac porrò peccare, hominumque cupiditatibus sese accommodare desierint. Opponitur enim hoc verbum *judicandi* verbo *vivendi*. *Vivere* verò *secundùm Deum spiritu*, est spiritualem vitam agere, & divinæ voluntati ac judicio eam pe-
℣ 2. nitus approbare, quod ut faceremus, suprà monuit Apostolus. Quare vel hoc dicere voluit Apostolus: Neque est, quod putetis, me novi aliquid vobis imponere. Nam non vobis tantùm, sed etiam iis, qui jam mortui sunt, atque adeò ab ipso Christianæ religionis initio, Evangelium ideo prædicatum est, ut carnis ratione mortui, hominum quidem judicio damnentur, sed interea secundùm Dei voluntatem viventes, ejus se judicio penitùs approbent: vel: Etiam hominibus pessimis, & peccato penitus immersis, quales imprimis sunt Ethnici, eum in finem prædicatum est Evangelium, ut judicentur quidem &c. quod quid sit, jam dictum est.

Et hæc ferè sunt divina testimonia, quibus purgatorium adstrui solet. Afferuntur præterea rationes quædam, sed adeò frivolæ, ut eas memorare pigeat, nedum in illis refutandis tempus frustra conterere, & lectori nauseam afferre sit animus. Eam tamen, quæ omnium firmissima esse videtur, refellere haud sanè gravabimur. Hujus enim futilitate ante omnium oculos constituta, reliquæ sua
Apoc: 21. ult: sponte corruant necesse est. Dicunt igitur, Ioannem asserere, in cœlum nihil immundum intrare. cum verò & sanctissimi homines

Cap: XVII. De Prædestinatione.

interdum prolabantur, sæpissiméque eveniat, ut celeriùs opinione, lucis hujus usuram amittant, ideoque de peccatis illis per pœnitentiam eluendis, nullam suscipere possint cogitationem, necesse esse ajunt isti, ut antequam in cœlum recipiantur, purgatorias pœnas luant. Respondemus autem, nequaquam ex perpetuo scripturæ sanctæ tenore illos spiritualiter immundos (nam dehis sermo est) existimandos esse, qui interdum vel per ignorantiam, vel incogitantiam, vel fragilitatem a recto vitæ cursu deflectunt: interim tamen viva fide confirmati, perpetuò sese in rectè agendi studio exercent, ita quidem, ut nec peccati consvetudine teneantur, nec enorme aliquod facinus, quod in hominem vero Dei timore prædítum non cadit, in se admittant; sed contrà omnium virtutum Christianarum habitu sint ornati, eamque pietatem ad extremum usque spiritum retineant: quales sunt illi omnes, quibus cœlestis vitæ hæreditas est promissa. Hos enim Deus, pro incredibili sua clementia atque benignitate, perinde justos mundosque reputat, quasi nullo peccato obstricti sint, semperque sine ulla prolapsione ex illius lege vitam composuerint, adeò ut, licet repentina morte extingvantur, nequaquam tamen igne aliquo purgatorio ad sese purgandos indigeant. Quo fit, ut non hos, sed illos, Ioannes immundos nominet, cœlestique urbe excludendos asserat, qui aut peccatorum, licèt non enormium, consvetudine implicati, vel perpetuò, vel plerunque in iis versantur, aut enormia in se aliqua flagitia admittunt. quod facilè apparet ex cap. seq. ubi locus iste aliqua ratione explicatur. Ita enim ibi loquitur spiritus sanctus: *Beati, qui faciunt mandata ejus, ut sit potestas eorum super lignum vitæ, & portis ingrediantur in urbem: foris autem canes, & venefici, & homicidæ, & idololatræ, & omnis qui amat ac facit mendacium.* Confer etiam cum his verba cap. 21. 8.

Cap: XVII.

De aliis quibusdam dogmatibus, & primùm de prædestinatione.

Videndúm jam tandem nobis est, quo pacto hostis noster illis potissimùm imposuerit, qui nugatoria dogmata, hactenus a nobis excussa, propter summam eorum futilitatem rident atque contemnunt, & tum horum, tum aliorum errorum causâ, Pontificiæ religioni ultimum vale dixerunt. Animadvertendum autem est, errores, quibus nihilominus & isti implicati sunt, quinque potissimùm numero esse. Primus falsam divinæ prædestinationis explicatio-

plicationem continet. Alter servum hominis arbitrium constituit. Tertius homines etiam renatos peccati consvetudine teneri statuit. Quartus in svadendo Christi merito satisfactioneq́; , quam Deo pro nobis exsolverit, occupatur. Quintus denique quorundam Christi præceptorum depravatione continetur.

Vt igitur primo loco prædestinationis dogma examinemus; intelligendum est,ejus hanc esse summam, ut statuatur, Deum a sempiternis tēporibus, de universis ac singulis hominibus nominatim, immutabili decreto constituisse,ut alii sempiterna subirent supplicia, alii verò ad immortalem vitam deducerentur, idq́ue nulla habita ratione illorum vel probitatis, vel improbitatis, sed quia illi ita placuerit. Hoc autem nihil cum vero conjunctum habere inde constat, quòd Christus, qui divinæ voluntatis locupletissimus interpres fuit, omnibus, sine ullo discrimine, vitæ beatæ possessionem detulit. Adde, quòd hæc sententia magnam vim habet ad religionis studium prorsus exterminandum. Si enim vera est, sequitur, sempiterna necessitate definitum esse, ut alii pietatem colant, alii sceleribus sese astringant: cùm ut quispiam salutem assequatur, ab eáve excludatur, necesse sit, eum vel virtuti studere, vel flagitiorum contagione sese polluere. Ex quo fit, ut, si ita sese res habet, nihil sit,cur ullum in pietate ac religione studium ponamus. Quorsum enim attinet in illis rebus elaborare, quæ vel absque ulla opera curaq́ue nostra evenire necesse est,vel utut maximè laboremus, fieri nequaquam possunt? & porrò hac sententia retenta, quo pacto religio in terrarum orbe constabit? Verùm hæc absurditas aliam gignit intolerabiliorem, utpote in ipsum omnium rerum moderatorem redundantem.Deum enim justissimum opinio ista summæ injustitiæ, candidissimum funestissimæ fraudis, sapientissimum insignis stulticiæ,rectissimum denique atque optimum magnæ pravitatis atque maliriæ insimulat. Cum enim, ut istorum fert opinio, Deus quosdam homines sempiterno designaverit exitio, exitium autem nonnisi hominum scelera atque peccata consequatur; nonne manifestum est, Deum ipsum, homines ad æternam perniciem destinando, simul quoque ad flagitia concipienda eosdem designasse? Quo quidem posito atque constituto, an non injustissimus existimandus ille est,qui ob peccata illos damnat,æternisq́ue addicit suppliciis, a quibus ea vitari nullo pacto potuerunt? An præterea non fraudulentissimus simulator ille habendus est, qui omnes ad pietatis studium sempiternamq́ue felicitatem clarissimis verbis vocare non dubitat, interim verò ne ipsius monitis aures præbere,

salutisque compotes fieri possint, a sempiterno tempore constituit? An porrò non stultissimus is meritò dicitur, qui fieri non posse optimè novit, ut, qui ad scelus sempiternumque supplicium destinati sunt, virtutis studium amplectantur, immortalitatemque consequantur; & tamen de illis cœlesti lumine illustrandis, & ad virtutem traducendis, inque cœlesti sede collocandis, vehementer aut laborat, aut saltem laborare videri expetit? An denique non ipsâ malitiâ atque pravitate deterior is est, qui, ut homines scelera exitio sempiterno digna patrarent, sempiterno decreto definivit? Nihilominus tamen isti, ad funestissimum hunc errorem stabiliendum, sacris testimoniis abuti non verentur; quæ quidem nos, ordinis servandi causâ, in quatuor classes distribuemus: quarum prima illa scripturæ continet testimonia, quæ prædestinationis divinique consilii aliquam faciunt mentionem: altera illos locos habet, qui de scriptis in libro vitæ commemorant: tertia in iis occupatur sententiis, quæ de divina agunt electione: quarta denique eos complectitur locos, in quibus verbum Vocandi habetur.

Prima Classis.

In primæ igitur classis objectionibus diluendis ita versabimur, ut priùs illos locos, qui prædestinationis explicitam, tum eos, qui implicitam continent, aut certè continere videntur mentionem, justis ponderibus examinemus. Loci porrò expressè prædestinationem commemorantes, duo potissimùm sunt: quorum primus in ea, quæ ad Romanos scripta est, epistola habetur, ubi Apostolus, Deum, quos præscivit, etiam ad filii sui similitudinem prædestinâsse affirmat. Vnde facilè colligi posse ajunt, non omnes, sed certas hominum personas nominatim ad immortalitatem ab æterno immutabiliter designatas esse. Respondemus autem, locum istum nihil minùs continere, quàm certarum personarum seu individuorum ad sempiternam vitam designationem ab æterno factam, in qua nulla pietatis ipsorum hominum, tanquam conditionis cujusdam, habita fuerit ratio: cum Paulus non de certis personis nominatim, sed generatim de omnibus, quos Deus præsciverat, id est, antea approbaverat, sermonem instituerit, eosque non alios esse significet, præter illos, qui Deum diligunt, id est, Evangelii doctrinam amplexi, illi sese audientes præbent. Hos enim secundùm Dei propositum vocatos esse ait. Propositum quippe Dei in hoc constitutum est, ut homines salutarem veritatem sibi annunciatam amplectantur, ex eâque vitam instituant. Quare qui auditam Christi disciplinam fa-

Rom: 8. 29, 30.

ỿ 28.

nam factis ipsis sequuntur, secundùm istud Dei propositum vocati esse dicuntur. Hos omnes Deum jam olim & præscivisse seu approbâsse, & ad filii sui conformitatem destinâsse, & deinceps, ut consilium ac decretum istud suum ad exitum perduceret, per Evangelii prædicationem ad sempiternam vitam vocâsse, & porrò etiam, cùm ex sua parte id fecerint, quod ab illis requiritur, nempe Deum dilexerint, justificâsse, ac glorificâsse, h.e. Deum eos vocare, justificare, ac glorificare solere, seu certò aliquando glorificaturũ esse. Prçterita enim ista tria pro prçsentibus, quodvis tempus indefinitè significantibus, ponuntur. Sensus porrò universi illius loci hoc argumento contineri potest: Quoscunque Deus antea approbavit, illis omnia, etiam afflictiones, cedunt in bonum. Atqui Deus omnes, qui ipsum diligunt, antea approbavit. Ergo istis omnibus omnia, etiam afflictiones, cedunt in bonum. Cujus quidem argumenti assumtio priùs probatur, idque hac ratione: quia ii, qui Deum diligunt, secundùm ipsius propositum sint vocati. At quicunque secundùm Dei propositum vocati sunt, eosdem etiam Deus antea approbavit. Propositionem autem verissimam esse eo ostenditur, quòd Deus omnes a sese antea approbatos ad id designavit, ut filio ipsius, qui eorum salutis antesignanus est, in sempiterna felicitate similes essent. Qui verò tales sunt, iis non possunt non omnia, etiam ipsæ afflictiones, in bonum seu ad salutem cedere.

Ephes. 1. 5. Alter locus, qui apud eundem Paulum legitur, huic perquàm similis est, in quo homines Christianos a Deo in filiorum adoptionem destinatos esse ait. Vtrobique enim de Christianis hominibus generatim, non de certis individuis agitur; nec de prædestinatione ejusmodi, quæ nullam ex parte hominum requirat conditionem, sed quæ fidei, ac proinde pietatis, quæ illius anima quædam est, conditionem postulet. Sub hac enim conditione nobis Christus adoptionem in Dei filios, qua in re sempiterna nostra felicitas continetur, obtulit. Ait autem Apostolus, Deum nos prædestinâsse ad adoptionem filiorum per Iesum Christum. Quare quâ conditione nobis eam adoptionem ~~nobis~~ obtulit Christus, eâdem etiam Deus olim destinavit.

1 Petri 2. 8. Locorum porrò, quæ implicatam hujus rei mentionem contineant, aut continere videantur, primus est ille Petri, qui quosdam ad verbo Christi offendendum positos esse affirmat. Atqui his verbis Petri adversariorum errorem minimè stabiliri posse, inde perspicuum est, quòd hoc illis contingere ibidem testificatur, qui nec credunt, nec sese divinis monitis obedientes præbent; ideoque con-

tumaciæ

tumacis animi ſui pervicaciâ promerentur, ut illis ſit Chriſtus lapis offenſionis. Quandoquidem Deus omnes, Chriſtum ipſiusque doctrinam repudiantes, ad id deſignavit, ut hoc lapide offendâtur atque conterantur: quemadmodum e contrario de ei fidem habentibus, ne pudefiant, decretum eſt. Antecedentia enim Petri verba docent, aliud eſſe offendere ad verbum, aliud inobedientem eſſe, & hoc præcedere, illud conſequi, ſeu hoc illius cauſam eſſe. Huc pertinent & illa Lucæ verba, quibus omnes ad vitam æternam ordinatos crediddiſſe aſſerit. Videtur enim hinc effici poſſe, ideò multos Evangelicæ diſciplinæ aſſenſum minimè præbere, quòd ad ſalutem ſempiternam eo, quem ſuprà expoſuimus, modo non ſint deſtinati; alios autem ei fidem adjungere, quia ad vitam æternam eo pacto ſint a Deo ordinati. Atqui præterquam quòd iſti homines non dicuntur *præordinati*, ſed ſimpliciter *ordinati* ad vitam æternam, ita ut non ſit neceſſe, id de decreto aliquo æterno, vel ante eos natos facto accipere; non dicitur etiam, eos *a Deo* fuiſſe ordinatos, ſed ſimpliciter, ordinatos. id quod perinde poteſt accipi, ac ſi dictum fuiſſet, eos ad vitam æternam aptos ac diſpoſitos fuiſſe. nempe quia probi fuerint animi, ac proinde ad fidem in Chriſtum, quâ vita æterna obtinetur, apti. quo pacto ſignificabitur, etiamſi non omnes illi Ethnici, qui Apoſtolorum doctrinam audierant, ei crediderint, crediſſe tamen eos omnes, qui animi fuerint probi. Quòd ſi omnino contendas, perſonam hîc aliquam ſubaudiendam eſſe, a qua iſti fuerint ordinati, nil prohibet, quominus intelligatur, eos a ſeipſis ordinatos fuiſſe atque diſpoſitos. Nam paſſiva, Hebrçorum prçſertim more, cujus exempla multa annotantur a viris doctis, ſæpe reciprocam habent ſignificationem; id quod in hujus ipſius, quo Lucas utitur, verbi compoſitis manifeſtum eſt. Etenim ὑποτάττεσθαι etiam tum, cùm ſecundùm Grammaticam omnino paſſivum eſt, ſignificat ſeſe ſubjicere, ſeu obtemperare alteri, cujus rei complura occurrunt exempla in ſac: literis; ἀντιτάττεσθαι ſeipſum opponere, ſeu reſiſtere. ſic ταπεινοῦσθαι in iisdem ſacris literis eſt ſeſe humiliare. & paulò antè eodem Actorum loco στρεφόμεθα, eſt, *convertimus nos*. Hoc ſi admittatur, egregia erit inter Ethnicos, qui crediderunt, & Iudæos incredulos, quorum antea facta fuit mentio, antitheſis. De his enim dictum fuerat, quòd indignos judicârint ſeipſos vitâ æternâ: de illis autem dictum intelligetur, quòd ſeipſos ordinârint ad vitam æternam. Denique etiamſi intelligendum eſſet, eos a Deo fuiſſe ad vitam æternam ordinatos, non ſequeretur tamen, eos, nulla

Act: 13. 48.

Rom: 10. 3. 1 Cor: 15. 18. loco poſteriori. Heb: 12. 9. Iac: 4. 7. 1 Pet: 5. 5. Iac: 4. 10. 1 Pet: 5. 6. Act: 13. 46.

nulla habita ratione illorum probitatis, ac sine ulla conditione in posterum præstanda, fuisse ad vitam æternam designatos, cæteros autem nullo prorsus pacto ad eandem ordinatos censeri debere, ac proinde nullo modo credere ac salutem obtinere potuisse: sed tantùm intelligendum esset, priores illos propter animi probitatem peculiari ac perfectiori quadam ratione fuisse a Deo ad vitam æternam designatos, idque sub ea conditione, quam Evangelium ubiq; inculcat, nempe fidei per charitatem efficacis: cæteros autem, quia ea probitate caruerint, eo pacto ad vitam æternam designatos non fuisse: licet interea, ut & ipsi probi fierent, & porrò fidem amplexi, salvi fierent, Deus cuperet, ac per ipsam Evangelii prædicationem curaret.

Ioh: 10. 16. Act: 18. 10. Illa quoque Christi verba, quibus, diversis in locis, tum alias oves, intellige inter gentes extraneas, tum magnum Corinthi populum sese habere asserit, omnino aliquod divini decreti indicium continere videntur, quo Deus homines quosdam jam olim nominatim, citra considerationem animi ipsorum aut factorum, ad fidem, ac porrò ad salutem sempiternam immutabiliter designaverit; alioquin enim non videtur apparere, quomodo isti homines, quos Christus intelligit, tunc, cum nondum in ipsum crederent, vel oves ipsius, vel ipsius populus nominari potuerint. Verùm ejusmodi Dei decreto, quale ab adversariis constituitur, ad eam rem nequaquam fuit opus. Potuerunt enim homines illi oves Christi, aut populus ipsius ideò appellari, quia ob animi probitatem apti essent, ut ipsius discipuli ac populus evaderent; quod ut reipsa fieret, ipsemet curaturus esset, aut jam curaret; & licèt isti homines nondum ipsum agnovissent, tamen ipsius, tanquam pastoris & animarum episcopi curæ, jam essent a Patre commissi, ut eos in ovile, seu ecclesiam suam convocaret, eos pasceret, & sempiternâ tandem vitâ donaret. Non haberi autem in ista ovium appellatione rationem istiusmodi decreti divini, quale illi volunt, satis ex eo patet, quòd Christus Iudæis objicit, quòd non sint ex ovibus ipsius, iisq; id eum in finem exprobrat, ut appareat, eos suâ culpâ in ipsum non credere. At si homines ideo Christi oves dicerentur, vel non dicerentur, quia ejusmodi de illis Dei decretum factum esset, vel non esset, id potiùs ad excusandos homines pertineret, utpote qui per divinum decretum Christi oves fieri, inque ipsum credere non possent; tantum abest, ut id ullam ipsorum culpam ostenderet. Quòd si ob animi probitatem alii oves Christi esse, alii ob improbitatem non esse dicuntur, rectissimè id illis Christus objicit atque exprobrat.

Ioh: 10. 26.

Compro-

Comprobat hanc sententiam collatio hujus loci cum aliis apud eundem Ioannem extantibus, in quibus Christus similiter, ut in isto, rationes affert, cur homines, & nominatim Iudæi, vel credant, vel non credant Evangelio. Ita autem ea de re loquitur inter alia Christus suprà cap: 3. *Hoc est judicium* (h. e. judicii, seu damnationis ac supplicii causa) *quòd lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim mala ipsorum opera. Omnis enim qui mala agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ne arguantur opera ipsius: qui autem facit veritatem* (h. e. sincerè rectéque agit) *venit ad lucem, ut manifestentur ipsius opera, quia* (vel *quòd*) *in Deo sunt* (vel *sint*) *facta*. & cap: 7. *Si quis velit voluntatem ipsius* (h. e. ejus, qui misit me) *facere, cognoscet de doctrina, utrùm ex Deo sit, aut* (seu *an verò*) *a me ipso loquar*. & cap: 8. *Qui est ex Deo, verba Dei audit*, (h. e. is demum verba Dei audit:) *propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*. Docuimus autem alibi, *esse ex Deo*, significare Dei voluntatem velle facere, & sic animo probo esse, earumq; rerum, quæ Deo placent, studio teneri. Quare cum Christus cap: 10 ait, Iudæos ideò vocem illius non audire, h. e. eam pro vera non agnoscere, seu fidem ei non adhibere, quia ex ovibus ipsius non sint, significat, ideo id fieri, quia animi probitate non sint præditi, adeoque nec apti, qui ipsius fiant discipuli, & ab eo ad sempiternam vitam pascantur. Vnde facilè apparet, cur ex adverso homines etiam ii, qui in ipsum nondum credunt, oves, aut, quod eódem recidit, populus ipsius dicantur.

℣ 17.

℣ 47.

lib: 4. c. 1.

Testimonium quoque illud Pauli, quo de Esavo rejiciendo, Iacobo verò eligendo, antequam nascerentur, bonoque vel malo opere perfungerentur, prænunciatum fuisse confirmat, magnam vim ad istam adversariorum prædestinationem stabiliendam habere videtur. Nos verò egregiè istos falli dicimus. Primò enim, si thesin a Paulo superiùs constitutam spectes, ad quam comprobandam etiam hoc Iacobi & Esavi exemplum affertur, animadvertes, eum longè aliud ex hoc Iacobi & Esavi exemplo concludere, quàm istam prædestinationem. Quandoquidem hanc thesin confirmandam, contraque Iudæos defendendam susceperat, quòd Deus in eligendis hominibus, aut pro veris Abrahami filiis reputandis, non spectet carnalem ex Abrahamo, sed spiritualem propagationem, quæ ex divinis promissis pendet; qua de causa illi, qui sic nascuntur, filii promissionis ibidem nominantur. Atqui cum conclusionem argumenti ad thesin confirmandam adhibiti, eandem cum thesi esse debere, nemo ignoret; quomodo, quæso, admirabilem istam prædestinationem, Rom: 9. 11.

ſtinationem, præter Apoſtoli mentem atque ſententiam, hinc colligemus, quæ nec eadem eſt cum theſi propoſita, nec ex ea conſequitur? An verò parùm liquet, Apoſtolum hunc in modum argumentari velle: Si Deus in hominum electione carnalem ex Abrahamo ſpectaret generationem, certè non minùs Eſavum elegiſſet, quàm Iacobum, imò fortaſſe magis: cum is non modò Abrahamo prognatus fuerit, ut Iacobus, ſed inſuper primogenitus extiterit. Atqui contrà factum eſſe videmus; cùm Eſavo Iacobus præpoſitus fuerit. Conſequens igitur eſt, Deum carnalis generationis in hominibus eligendis rationem non habuiſſe. Quæ quidem hujus argumenti concluſio, quantum ab adverſariorum prædeſtinatione diſtet, quis non videt? Et quidem ut magis adhuc liqueat, hoc, non verò id, quod adverſarii volunt, ſibi Apoſtolum velle, operæ pretium eſt videre, cur Paulus dixerit, id a Deo Rebeccæ dictum fuiſſe, *nondum natis pueris, cùm nondum quicquam boni aut mali feciſſent*. Dici igitur poteſt, ideò id a Paulo fuiſſe commemoratum, non ut theſin aliquam iis confirmaret, ſed tantùm ut ſuam illam, quam vidimus, argumentationem contra Iudæorum ſuperbiam muniret atque defenderet, & tacitæ eorum objectioni reſponderet, quæ quidem hujusmodi eſſe videtur: Negamus, Paule, ideò Eſavum præ Iacobo neglectum fuiſſe, quòd Deus nullum ad carnalem ex Abrahamo propagationem habuerit reſpectum, ſed id eam ob cauſam factum eſſe dicimus, quòd Eſavus malus, Iacobus verò bonus fuit. Reſpondet Paulus, id a vero longè abeſſe: quandoquidem hoc ita fore, Rebeccæ, etiam antequam naſcerentur, boniqúe vel mali aliquid facerent, prædictum fuit, ita ut nulla meriti, ſive hujus, ſive illius, habita fuerit ratio. Vnde apparet, id, quod Paulus ſibi confirmandum propoſuerat, ratum fixumqúe permanere, nimirum non filios carnis, ſed ut antea dictum eſt, ſpiritûs, vel promiſſionis, in Abrahami poſteris numerandos eſſe.

Hîc verò, eſto ſanè, inquies, noluerit Paulus theſin propoſitam his verbis confirmare, ſed tacitæ tantummodo objectioni occurrere: cum tamen interim Deum, quid de utroque Iſaaci filio futurum eſſet, nulla operum utriusque habita ratione, decreviſſe affirmet, quid prohibet, quominùs nos, nulla Paulini propoſiti habita ratione, iſtam prædeſtinationem noſtram hinc colligamus? Reſpondemus igitur, prædeſtinationem iſtam cum hoc de Eſavo atque Iacobo decreto nec ejusdem generis eſſe, nec eandem prorſus utriusq; rationem eſſe: quandoquidem illa ſempiterno Dei de hominibus vel immortalitate donandis, vel exitio devovendis, ac ſupplicio

ſempiterno addicendis, continetur conſilio: hoc verò non niſi temporariam reſpicit benignitatem, quam interdum, nulla meritorum habita ratione, aliis tribuit, ab aliis verò removet. Etenim Eſavo quidem beneficium denegatum, nullum verò ſuplicium irrogatum eſt: quorum illud ei quoque citra injuriam contingere poteſt, qui nullo ſeſe ſcelere aſtrinxit; hoc verò nequaquam. Verba enim illa, *Eſavum odio habui*, non hanc continent ſententiam, ut Eſavum damnatum, ſed, ut Iacobo minùs amatum fuiſſe, intelligendum ſit, quemadmodum ex ſimilibus locis intelligi poteſt. In prædeſtinationis autem, quemadmodum diximus, negotio longè ſecùs ſe res habet: cum, qui reprobantur, pœnâ inſuper affici dicantur. At, inquies, cum Paulum hoc in loco de electione atque reprobatione, ſempiternæ ſalutis reſpectu, diſputare palàm ſit, conſequens omnino eſt, ut hujus rei typus ſaltem, ſive adumbratio quædam hoc exemplo contineatur, niſi Paulum fruſtrà hac exceptione uſum eſſe volumus. Nos verò & de electione improbationeque Paulum verba facere, & Eſavum cum Iacobo, utriusque typum quendam fuiſſe, libentiſſimè confitemur: verùm inde ea, quæ colliguntur, effici planè negamus. Cum enim Pauli verba, de utroque nondum nato, deque nullo ab illis nec bono, nec malo opere facto, ita queant accipi, ut non niſi ad tacitam objectionem diluendam ſpectent; parumné liquet, inde concludi non poſſe, in hoc Eſavum cum Iacobo ſempiternæ beatitatis exitiique rationem adumbrâſſe, quòd nullo operum reſpectu huic ille prælatus fuit: ſed in illo, quod ſibi Apoſtolus confirmandum propoſuerat; quatenus nimirum Deus in Iacobo eligendo, Eſavo verò poſthabendo, non carnalem ſecutus eſt naſcendi rationem, ſed voluntatis ſuæ arbitrium. Hac enim ratione ſalutem noſtram Chriſti operâ illum moderari compertiſſimum eſt, dum nimirum in nobis ad ſupremam felicitatem perducendis nequaquam, quibus quis ſecundùm carnis conditionem parentibus natus ſit, conſiderat: ſed an ea ratione ex Abrahamo principium ducat, quæ cum ipſius voluntate maximè congruit, nimirum per fidem Chriſto adjunctam. Sed jam concedamus, verba illa, *cùm nondum nati eßent, aut aliquid boni malive egißent*, non tantùm ad objectionem tacitam diluendam, ſed ad quippiam a theſi ſuperiùs poſita diverſum comprobandum, ab Apoſtolo fuiſſe prolata; ac porrò ea etiam in re Eſavum & Iacobum exitii ac ſalutis noſtræ rationem adumbrâſſe: non ſequeretur tamen, de ſingulis hominibus nominatim, antequam naſcerentur, & quippiam boni malíve agerent, conſtitutum fuiſſe, hos quidem in æternum ſervandos, illos autem

Luc: 14. 26. Mat: 10. 37.

perdendos

perdendos esse, nedum immutabiliter, ac sine ulla in posterum conditione. Etenim Esavus & Iacobus non gerunt imaginem singulorum hominum, seu individuorum aliquorum, præsertim simpliciter, & absque certis qualitatibus, quarum Deus in salute aut exitio eorum decernendo rationem habeat, consideratorum; sed typum exhibent duorum populorum, atque, ut ita dicam, nationum, Esavus quidem hominum infidelium, quà tales sunt, atque inprimis Iudæorum, de carnali præ gentibus prærogativa gloriantium, & operibus suis fidentium; Iacobus autem fidelium, utut secundùm carnem viliorum, (plærique enim ex Gentibus extraneis erant orti) &, si præcedentem eorum vitam spectes, Iudæis de justitiæ operúmve bonorum laude non parum concedentium. Sic Isaacus universum Christianorum, seu spiritualium Abrahami filiorum typum gessit: Ismaël Iudæorum, qui secundùm carnem tantùm Abrahami erant filii: id quod paulò antè hoc cap. indicârat Paulus, sed clarissimè explicuit in Epist: ad Gal. cap. 4. Ita autem rem se habere, facilè animadvertere quivis ex eo potest, quòd in verbis illis, *major serviet minori*, itemque istis, *Iacobum dilexi, Esavum verò odio habui*, non ipsæ Esavi & Iacobi personæ, sed eorum posteri, Idumæi nimirum & Israëlitæ intelligantur, seu mavis, Esavus & Iacobus ratione posterorum, qui ex ipsis essent orituri. Indicat id partim res ipsa, partim ea scripturæ loca, unde verba illa citantur. Nam quod ad rem ipsam attinet, Esavus ipse nunquam Iacobo fratri suo servivit, imò hic illum tanquam potentiorem aliquando metuere, & coram eo se demittere, eumque muneribus placare coactus est, & dominum suum appellavit: sed Idumæi, posteri Esavi, servierunt Israëlitis tempore Davidis & Salomonis; servituri etiam diutiùs, nisi se Salomon falsorum Deorum cultu contaminasset. Quòd verò ad scripturæ loca attinet, unde verba illa deprompsit Apostolus, ita loquitur Deus, oraculum Rebeccæ reddens: *Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex utero tuo dividentur, populusque populum superabit, & major serviet minori.* ubi vides manifestè, de populi unius supra alterum dominio agi. In loco autem Malachiæ, ad hoc ipsum oraculum, & quæ ejus vi consequuta sunt, respicitur; nec alium in finem verba ista de amore erga Iacobum, odio verò in Esavum, proferuntur, quàm ut ostendatur, Deum Israëlitas magis, quàm Idumæos dilexisse, quemadmodum unicuique locum inspicienti patebit. Quare ex eo Dei decreto, quod de Esavo & Iacobo factum est, colligi non debet, de singulis hominibus nominatim, antequam nascerentur, & quicquam sive boni sive mali patrarent, præsertim immutabi-

Rom: 9. 7, 8, 9. Gal: 4. 22. & d. inprimis ℣ 28, seqq.

Gen: 32. 17, & d. 33. 1. & d.

2 Sam: 8. 14. 3 Reg: 11. 14, & d.

Mal: 1. 2. & d.

Cap. XVII. De Prædestinatione.

immutabiliter, ac ſine ulla conditione decretum eſſe, eos aut ſalvos fore, aut æternùm perituros: ſed tantùm concludendum eſt, de tota fideliũ natione, ſeu ſpirituali Abrahami poſteritate generatim conſiderata, longè antè a Deo conſtitutum eſſe, eos juſtificationem ac felicitatem ſempiternam aſſeqvuturos: de infidelium autem natione decretum eſſe, eos æternùm perituros; in eoque decreto nullam fuiſſe habitam rationem, vel carnalis propagationis, vel operum, quo alii alios antecelluerint. Interim tamen per hoc Dei decretum unicuique licet, poſtquam ei Evangelium annunciatum eſt, vel fidelium, vel infidelium nationi ſe aggregare, & ſic juſtificationem aſſequi, vel non aſſequi. Neque enim in hoc capite id quæritur, cur hi credant, illi non item; id quod perinde fuiſſet, ac ſi (ut in exemplis ab ipſo Apoſtolo allatis perſiſtamus) quæſiiſſet, cur hic Iſaacus fuerit, ille Iſmaël: aut cur hic Iacobus, ille verò Eſavus; cùm quærendum eſſet, cur Iſaacus & Iacobus electi, Iſmaël & Eſavus præ illis repudiati a Deo fuerint: Sed id quæritur, cur ii, qui non credunt, ac nominatim Iudæi, juſtificationem non aſſequantur, imò etiam indurentur, & ad grave ſupplicium, quo Dei potentia illuſtretur, aſſerventur, etiamſi ex Abrahamo & Iſraële ſecundùm carnem ſint nati, ac præterea bonorum operum ſtudio antecelluerint aliquando eos, qui fidem ſunt amplexi: contrà autem fideles, ac nominatim Gentes, ex quibus ii magnam partem conſtabant, juſtificentur, etiamſi nec ex Patriarchis illis ſecundùm carnem ſint propagati, nec juſticiæ aliquando ſtuduerint. Patet res ſatis clarè vel ex concluſione totius illius diſputationis, quæ habetur verſic. 30. & ſeqq. ubi ita ait Apoſtolus: *Quid ergo dicemus? quod Gentes, quæ non perſequebantur juſticiam, aſſequutæ ſint juſticiam, juſticiam* [redacted] *autē ex fide: Iſraël autē perſequens legē juſticiæ, ad legem juſticiæ non pervenerit. Cur? quia nō ex fide, ſed tanquam ex operibus legis.* Vbi non quæritur, cur Gentes crediderint, Iudæi non crediderint: ſed cur illæ juſtificationem fuerint aſſeqvutæ, hi non item; nec reſpondetur, quia Gentes illæ ad ſalutem æternam nominatim atque immutabiliter fuerint prædeſtinatæ a Deo, Iudæi verò prædeſtinati ad eam rem non fuerint, quemadmodum adverſariorum de hoc capite ſententia poſtularet: ſed quia illæ crediderunt, hi non crediderunt. In tota autem hac diſputatione pro conceſſo ſumitur id, quod tribus primis hujus epiſtolæ capitibus abundè probatum eſt, neminem eſſe, qui operibus ſuis juſtificationem mereatur, quique nihil unquam peccaverit. Inde enim ſequitur, Deum pro ſuo arbitrio, tanquam Dominum abſolutum, jure conſtituere potuiſſe, ut credentes

dentes tantùm justificentur, non credentes autem, qualescunque alioqui sint, damnentur, ac indurentur, relictâ interim eâ unicuique libertate, ut vel huic, vel illi hominum generi sese aggreget, præsertim tunc, cum primùm ei Evangelium annunciatur, ipseque nondum contumaciâ suâ commeritus est, ut a Deo aliqua ratione induretur, atque ad supplicium asservetur.

Mat: 25. 34. Præterea & hoc objiciunt adversarii, Christum nimirum affirmare, quibusdam hominibus regnum Patris sui a mundi constitutione paratum fuisse, idque ad prędestinationis, qua de agitur, constitutionem plurimum valere asserunt. At quomodo ex eo loco elici potest ejusmodi Dei decretum, quo certis quibusdam hominibus nominatim regnum cœleste, nulla habita ratione operum ab ipsis præstandorum, destinârit? An non clarissimè patet, Christum eo in loco istius suæ assertionis hanc afferre causam, quòd nimirum sibi esurienti, sitienti, peregrinanti, nudo, ægrotanti denique atque captivo, opem atque auxilium tulissent? ut facilè appareat, nihil aliud eum asserere, quàm omnibus, qui hæc similiaque in illum, h.e. in ipsius fideles, conferunt beneficia, regnum illud destinatum esse; & porrò, quia illi justi, quos eo pacto alloquuturus dicitur, ista præstiterint, ideo illis regni illius hæreditatem a condito mundo esse paratam. Cum verò omnibus hanc Christo beneficentiam præstare liberum sit; nónne apertissimum est, nequaquam tunc nominatim de unoquoque, sed potiùs generatim de omnibus, qui tales sese præbuerint, divinum istud decretum factum esse?

Adducitur etiam ad hunc errorem stabiliendum Iudæ Iscariotæ, tum scelestum illud in Dominum Iesum nefariumque factum, tum quod ex eo consecutum fuit, exitium, ad quorum utrumque designatus fuerit: cum Christus apud Ioannem eum periisse dicat, ut, quod scriptum erat, impleretur. Respondemus autem primùm, hoc Iudæ tum facinus, tum supplicium singulare quiddam continere, & porrò ad communem generalemque salutis humanæ rationem, quam in hac disputatione persequimur, nihil pertinere. Quia enim præter alia innumera, hoc quoque summæ patientiæ specimen Deus in Christo elucere, nobisque in exemplum proponere voluit, ut etiam a domesticis, quos singularibus beneficiis affecerat, injuriosè fraudulenterque tractari sustineret, nosque ad idem injuriæ genus, quod acerbissimum esse solet, ferendum incitaremur; nequaquam mirum cuipiam videri debet, illum, hac singularissima ratione impulsum, multò antè decrevisse, ut hoc aliquando eveniret, idque ideò in Davidis persona, cui idem contigerat, adumbrâsse. Dein-

Margin notes: Joh: 13 18. 17. 12. (beside "gnatus fuerit"); Joh: 13. 18. (beside "Deus in Christo"); Psal: 41 10. (beside "ret, idque ideò")

Cap: XVII. De Prædestinatione.

se. Deinde nequaquam existimandum est, cum jam olim Iudam nominatim, idque sine ulla conditione, ad eam rem designâsse: sed potiùs generatim constituisse, suo tempore eum hominem ad hoc facinus deligere, qui & scelere suo eam pœnam commereretur, & porrò ad id, quod parabatur, aptissimus esset; quales quidem semper exstituros esse prævidere pro sua sapientia facillimè potuit. Dignus autem eâ pœnâ, & ad facinus istud valde accommodatus fuit is, qui avarus esset, & ad pecuniam etiam contra fas jusque colligendam sua studia conferret. Qualis cum Iudas iste fuerit, quippe quem & furem, & (cum nulla ad hoc peccatũ egestate incitaretur) avaritiæ deditum fuisse videmus; parúmne liquet, eum meritò ad eam rem adhibitum fuisse, & sic debitas suo sceleri pœnas luisse? Avaritiâ autem ac pecuniæ cupiditate eum ad tam horrendum facinus incitatum fuisse, vel ex illis ipsius verbis constat: *quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam.* Ioh. 12. 6. Mat. 26. 15.

Simile quiddam & illud argumentum continere, similique responsione infringendum videtur, quo adversarii nostri istud prædestinationis dogma constituere nituntur, quòd nimirum singulari Dei decreto constitutum fuerit, ut Iesus Nazarenus, & multis a gente Iudaica malis, & tandem truculentissima morte afficeretur; & nihilominus ob id ipsum eadem Iudęorum natio gravissimo supplicio punita fuerit. Occurrimus enim primùm, & perinde istud singulare quiddam esse asserimus, ut illud, quod de Iuda paulò antè vidimus. Deinde non ita absolutè, & absque ulla prorsus conditione id a Deo decretum fuit, sed quatenus prævidit, id quod vel ex perpetua ferè illius populi consvetudine æstimari facilè poterat, gentem eam dignam fore, quæ ad rem tam indignam perpetrandam adhiberetur. & quia illi nihilominus sponte sua tantum scelus perpetraverãt, jurè tam graviter a Deo fuerunt puniti. Quanquam antequam pœna illa infligeretur, remissio tanti facinoris, ut & cæterorum omnium, parricidis illis oblata fuit, ita ut supplicium commeritum, si resipiscere voluissent, adhuc potuissent effugere.

Secunda Classis.

Agendum nunc nobis est de illis locis, quibus hominum quorundam nomina in libro vitæ scripta esse legitur, præsertim cum alicubi addatur, factum id esse a condito mundo: id quod istam de unoquoque nominatim factam prędestinationem vehementer videtur confirmare. Operæ pretium igitur est ostendere, testimonia illa nihil prorsus habere, quo ista prædestinationis opinio defendi possit Phil. 4. 3. Apoc. 11. 8. 17 8. 21. 27.

possit. Id autem vel ex eo apparet, quòd apud omnes rerum divinarum peritos, eosque ipsos, cum quibus disputamus, in confesso sit, locutiones istas, Regnum videlicet Dei cuipiam designatum, aliquem in vitæ libro scriptum esse, eandem vim habere. Vt igitur, quemadmodum paulò antè demonstratum est, non nominatim unicuique, sed generatim omnibus, qui pietatem culturi sint, divini regni possessio a condito mundo destinata est: quæ tum demum certis hominibus nominatim destinatur, cùm ii pietatem reipsa colunt: ita nec nominatim quisquam a condito mundo in libro vitæ scriptus censeri debet, sed generatim omnes, qui sempiternæ felicitatis viam ingressi, ac Christi vestigia persequuti fuerint: postea demum nominatim inscribendi, cùm jam certi homines extiterint, qui vestigia Christi sequantur. Neq; enim nominum inscriptorum mentio, nominatim factam destinationem stabilire potest: cùm nihil sit apertius, quàm locutionem istam metaphoricam esse, ab iis nimirum desumtam, qui illorum nomina in librum aliquem referunt, de quibus quippiam cogitant atque decernunt. Cum porrò Deus omnibus, qui Christo sese obedientes præbent, vitam sempiternam decreverit; rectè eorum nomina in libro vitæ scripta dicuntur, etiamsi nomina eorum propria nondum essent certa ac definita. Satis enim est, qualitatem quandam, quâ ii omnes definirentur, fuisse certam, quæ in metaphorica hac loquendi ratione proprio nomini respondet. Iam verò Christo parere in uniuscujusque situm est arbitrio, cui Evangelium annunciatum fuerit. Quid est igitur, quòd idem de scriptione in libro vitæ non judicemus? Adde, quòd ne tum quidem, cùm aliquis nominatim in libro vitæ scriptus censeri debet, absque ulla conditione, ac prorsus immutabiliter vitæ æternæ sit destinatus, quamdiu adhuc vivit, & nondum penitùs omnique ex parte vicit. Quandoquidem satis apertè indicat divinus spiritus, nomen alicujus ex libro vitæ deleri posse, nempe si a pietate discedat. vide Apocal. 3. 5: 22. 19. itemque Exod. 32. 33. & Psal. 69. 29.

Tertia Classis.

Sed jam ad illa scripturæ testimonia veniendum est, quæ divinam nobis electionem ob oculos ponunt; propterea quòd istam prædestinationem haud leviter fulcire putantur. Verùm si rem ipsam justis ponderibus examines, nihil tale deprehendas. Nemo enim reipsa a Deo electus dicitur, nisi consensus ipsius, aut factum aliquod, a libera ipsius voluntate profectum, accesserit; adeò ut electio ista ex absoluta solius Dei voluntate ac decreto non pendeat, nec

at, nec

at, nec ad effectum, nisi nobis ita volentibus, perducatur. Nam licèt ipsum Eligendi verbum per se non postulet, ut is, qui eligitur, aliquid in se habeat, quod in eo non reperiatur, qui non eligitur: sacræ literæ tamen neminem Electum dicere solent, (de ea loquimur electione, quæ ad illius, qui eligitur, salutem spectet) nisi in eo quippiam reperiatur, quod in iis non extet, qui non eliguntur. Id verò est, vel assensus veritati Evangelicæ adhibitus, vel præter assensum pietas ad Evangelii normam exacta. Duplex enim potissimùm est electio ea, de qua loquimur: infirmior, & firmior. Illa omnibus illis tribuitur, qui Evangelio assentiuntur: hæc verò illis tantùm, qui vitam ex Evangelii præscripto componunt. Et de priore quidem electione, quæ omnibus iis competit, qui Evangelio assentiuntur, Paulus in prioris Epistolæ ad Thessalonicenses cap. 1. hunc in modum loquitur: *Scitis, fratres dilecti, vestram a Deo electionem: quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed in veritate & spiritu sancto.* A quibus verbis minimè dissident ea, quæ posterioris ad eosdem epistolæ cap. 2. hunc in modum scribit: *Elegit vos Deus ab initio in salutem, in sanctificatione spiritûs, & in fide veritatis, ad quod vocavit vos per Evangelium nostrum.* Eandem illius vocis significationem habes etiam in priore ad Corinthios Epistola cap. 1. quemadmodum dicemus inferiùs, ubi de Vocandi verbo disseremus. Sed & Petrus de ea loquitur, dum omnes, ad quos scribit, initio prioris epistolæ Electos vocat; alibi verò monet, ut electionem & vocationem suam firmam efficere studeant, & quidem, ut superiora ejus loci verba ostendunt, per bona opera, ut expressè etiam legitur in vulgata editione, cui græca quædam exemplaria adstipulantur. Firmam autem seu ratam eam vult effici ex nostra parte, seu eatenus, quatenus ei conditio quędam a nobis præstanda adjuncta est, quâ non præstitâ, in irritum cadit, seu bonum illud, ad quod electi dicimur, nobis reipsa non adfert, neque adeò ad finem suum pervenit. Cæteroquin, quatenus ea ex solius Dei voluntate pendet, ea semper rata ac firma est: cum Deus nequaquam sit inconstans ac mutabilis, quem beneficiorum suorum aut decretorum in hominum bonum factorum pœniteat. Quare illud tantùm restat, ut electio, quemadmodum diximus, ex nostra quoque parte rata fiat, & sic ad finem perducatur, eumque nobis afferat fructum, ad quem spectat. Ex quibus facilè intelligitur, quid de firmiore illa, quam ita appellavimus, electione statuendum sit; nempe eam nihil esse aliud, quàm hominis, non modò veritati Evangelicæ assensum præbentis, verùm etiam secundùm eandem viventis, a reliqua ho-

1 Thess: 1,4.

℣ 27., 28.

1 Pet: 1. 1.

2 Pet: 1, 10.

minum multitudine segregationem a Deo factam, atq; ad regnum cœleste destinationem. Et quia hæc electio priore illa,ut res ipsa ostendit, multò est perfectior; inde fit, ut nonnunquam ii soli,qui ea ratione selecti a Deo sunt, Electi in sacris literis dicantur; cæteri verò,qui imperfectiori tantùm ratione electi sunt, h.e. qui veritati tantùm assensum adhibuerunt,interim tamen secundùm illius præscriptum vitam ac facta sua non composuerunt, ab Electis distingvantur, & Vocati tantummodo appellentur. id quod illa nuptiarum parabola clarissimè ante oculos nostros constituit. Hominem enim,qui in nuptiis quidem comparuisse, nec tamen veste nuptiali indutus fuisse dicitur, quique eorum omnium imaginem gerit, qui divinæ vocationi assensum præbentes, ei sese obedientes minimè præstant, Vocatum quidem dici, Electum autem nequaquam, ex his verbis colligitur: *Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eũ in tenebras exteriores. ibi erit fletus & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Vocatus enim ideo dicitur, quia ad nuptias comparuerat, h.e. Evangelicam doctrinam receperat, seque eo pacto Ecclesiæ aggregaverat: sed electus non dicitur, quia vestem nuptialem,seu pietatem,felicitate illa,ad quam vocatus erat, dignam, non attulerat. Ex his omnibus perspicuum est id, quod ab initio diximus, nempe hoc electionis divinæ negotium omninò postulare, ut in eo, qui eligitur, aliquid insit, quo a reliquis omnibus sejungatur, & proinde ut id possideat,quod in reliquis desideratur, sive infirmam spectes electionem, sive firmam: & ad infirmam quidem requiri assensum divinæ disciplinæ adhibitum, sine quo nemo electus dicitur: ad firmam verò, obedientiâ Evangelio debitâ opus esse, quippe a qua electionis illius firmitas pendet. Vnde porrò consequitur, electionem etiam penes nos ex aliqua parte esse,& non ita a Deo procurari, ut interim nulla nostra opera eam ad rem accedat. Atqui, inquies,ante mundi ædificationem tantum abesse,ut aliquid tale in nobis fuerit,ut ne ipsi quidem tunc extiterimus:& tamen,nos jam tum electos fuisse,Apostolum affirmare. Verùm animadvertendum est, Apostolum nequaquam ibi de ipso electionis actu,sed de eligendi divino consilio,verba facere: quo pacto & Deum homines Christianos unâ cum Christo in cœlis collocasse, & gratiam ante secula nobis dedisse, idem Paulus asserit. Quanquam id, quod de electionis consilio diximus, non ita accipiendum est, quasi Deus ante conditum mundum certos quosdam homines nominatim, cœteris pro arbitrio suo præteritis, ad sempiternam vitam eligere constituerit; sed quòd homines sub certa conditione

Matt:22. ℣ 13, 14. Ephes: 1. 4. Ephes: 2. 5, 6. 2 Tim: 1. 9.

ad vitam

ad vitam sempiternam vocare decreverit; quam conditionem quia non omnes amplectuntur, ideo illos, qui eam aliqua saltem ratione amplectuntur, dicitur elegisse, seu eligere decrevisse. Propriè ergo decretum illud nihil aliud fuit, quàm decretum homines ad sempiternam vitam sub certa conditione vocandi; ex eventu autem vocatio illa hominum electio evasit. Reliquum igitur est, nequaquam Deo assignandum esse, quòd pauci admodum inter electos referuntur: cum eum omnium saluti consultum velle, hinc satis perspicuum sit, quòd per Evangelicæ disciplinæ divulgationem omnibus benignitatem atque clementiam suam offert. Quo fit, ut hominum pestis atque interitus ad ipsorummet contumaciam animique pervicaciam revocandus sit.

Quarta classis.

Iam tandem illos locos videamus, in quibus verbum *vocandi* habetur: quos quidem adversariorum opinioni nihil quicquam suffragari, argumento est, quòd inter vocationem atque infirmam electionem, nihil interest. Id quod illa Pauli verba luculenter testificantur, quibus vocationem cum electione confundens, Corinthios hoc pacto alloquitur: *Videtis vocationem vestram, fratres, quòd non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut sapientes confundat: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destruat &c.* 1 Cor: 1, 26. Vt igitur infirma electio, quam a vocatione nihil quicquam differre dicimus, citra hominis assensum constare non potest: ita & vocatio non nisi ad illos referri solet, qui divino verbo assentiuntur; ita ut ii, qui ei non assentiuntur, si vel millies illud auribus usurpent, τῶν κλητῶν seu vocatorum numero excludantur. Eam ob rem Paulus ibidem Vocatos, tam Iudæos, quàm Græcos, illis Iudæis atque Græcis opponit, quibus Christus crucifixus offensioni stultitiæque fuit, & porrò eos in vocatis minimè numerat, quamvis illis idem Christus fuerit prædicatus. ℣ 23, 24. Hîc, esto, inquies, habeat sanè Vocationis nomen eandem vim, quam Electionis: interim tamen, cum electionem in hominis potestate sitam non esse, satis ibidem Apostolus doceat, non ad hominis arbitrium, sed ad Dei, qui paucos sapientes, potentes, nobiles elegerit, consilium eam revocando, quod fuit, ut sapientes, ut fortes, ut nobiles pudore afficeret; consequens est, ut idem de vocatione sentiendum nobis sit. Hîc respondemus, Paulum nequaquam electionem ad istiusmodi Dei consilium re-

Prædeſtinatione.

vocare, quo ſimpliciter & absq; ulla conditione paucos ſapientes, nobiles, atque potentes eligere conſtituerit: ſed potiùs ipſo electionis eventu oſtendere, viam, quâ Deus homines ſervare decrevit, ejusmodi eſſe, ut pauci ſapientes, nobiles, atque potentes eam agnoſcere, ac ingredi velint. Via quippe ea ac ratio homines ad ſempiternam felicitatem deducendi, quam diſciplina Evangelica oſtendit, in omnis generis pietate, atque inprimis in vera animi demiſſione, rerum hujus mundi omnium deſpicientia & contemtu, omnium deniq; afflictionum ac contumeliarum patientia conſiſtit, quas virtutes quia homines carnali ſapientia, potentiâ, ac nobilitate nixi, plerunque refugiunt; ideò diſciplinæ Evangelicæ, quæ ejusmodi ad cœlum viam oſtendit, fidem non adhibent, ac proinde non eliguntur: ii verò, qui præ illis ſtulti, infirmi, ignobiles, & propè nulli ſunt, faciliùs virtutes illas, & porrò etiam diſciplinam Evangelicam, quæ in iis iter ad ſupremam felicitatem conſtituit, amplectuntur, ac proinde eliguntur. Inter alias autem cauſas, cur ejusmodi viam ad ſalutem in Evangelio proponi vellet, quæ non tam ſapientibus, potentibus, nobilibus, quàm ſecundùm carnem ſtultis, infirmis, & ignobilibus eſſet accommodata, hanc etiam fuiſſe docet Paulus, ut ſapientum iſtorum, potentum, ac nobilium faſtum reprimeret, oſtenderetque, apud ſe nihil carnalia iſta bona, quibus illi tantopere ſuperbiant, & propter quæ omnia ſibi deberi exiſtiment, valere, itaque fieret, ut nulla caro coram eo gloriari poſſet, & dotes iſtas ſuas jactare: ſed omnes in iis tantùm bonis gloriarentur, quæ Deus per Chriſtum in eos contulit, eaq; ſoli ipſius benignitati imputarent. Quare nihil eſt, quòd quis ex hoc loco concludat, iſtam paucitatem electorum ex numero hominum ſapientium, potentium, ac nobilium, voluntati ac conſilio Dei ſimpliciter atque abſolutè adſcribendum eſſe: ſed multò magis illorum hominum contumaciæ, quâ fit, ut ſeſe divinæ voluntati in Evangelio revelatæ accommodare ac ſubmittere nolint.

Ex iis, quæ hactenus diximus, etiam illud falſum eſſe colligitur, quòd Dei prædeſtinationem, electionem, atque vocationem per nosmetipſos irritam fieri poſſe negant. Cum enim, ut demonſtravimus, iſta omnia conditionem certam ſibi annexam habeant, & ſic ex parte in hominum aſſenſu obedientiaque conſtituta ſint; nónne manifeſtiſſimum eſt, his ceſſantibus, ipſam quoque prædeſtinationem, electionem, ac vocationem deficere, & effectum in nobis haudquaquam ſortiri? Poſſe autem homines aſſenſum divinis vocibus antea præbitum abjicere, a fide atque obedientia diſcedere

dere

dere, & sic officium prodere, apertissimum est. Quorsum enim pertinerent tot virorum divinorum adhortationes, quibus homines jam divinæ veritatis lumine collustratos, ad fidei pietatisque constantiam inflammant? Vt enim alia multa reticeam, quæ nostri in officio retinendi causâ scripserunt Apostoli; quid, quæso, opus erat, lugendum illum populi Israëlitici casum, summamque, in quam incredulitate sua inciderant, calamitatem nobis ob oculos ponere, tantaque sollicitudine cavere, ne simili modo fidem frangentes, ex Dei gratia excideremus, si fieri nullo modo potest, ut is, qui semel divinam veritatem, virtutisque studium amplexus est, aliquando ad scelus revertatur, & fidem susceptam abjiciat? Quid, quòd Petrus Apostolus, ut vidimus, Christi fideles sedulò admonet, ut electionem vocationemq; suam, in pietatis studio sese exercendo, firmam efficiant. id quod neutiquam faceret, si electio vocatioque nostra irrita fieri non posset. Huc pertinent & illa scripturæ testimonia superiùs a nobis adducta, quibus eorum, qui officium deserunt, nomina de libro vitæ deletum iri significatur. Hîc verò, si ita res habet, inquies, frustrà Christus suos lætari jussit, quòd eorum nomina in libro vitæ *inscripta* essent. Atqui nihil hac consecurione ineptius cogitari potest: cum certissimam salutis viam ingressum esse, in eoque versari statu, in quo & possis constanter perseverare, & si perseveres, sempiternam felicitatem omnino sis consequuturus, satis magnam homini incredibilis lætitiæ causam afferat. Videt namque homo talis, & quasi oculis cernit, si modò sibi ipsi deesse noluerit, sempiternam felicitatem in sua jam positam esse manu; præsertim cum Deus auxilium, quo ad constantiam in fide ac pietate opus est, omnibus liberalissimè promiserit. Quid enim? an frustrà is gaudio perfundi existimandus est, qui ex summis miseriis emergens, in amplissima fortuna constituitur, quamvis per stulticiam supinamq; negligentiam statum illum suum amittere possit? Custodem illum carceris, unà cum omni familia sua, vehementissimè gavisum fuisse, quòd fidelis factus esset, ex divinis literis accepimus, licèt nequaquam credibile sit, eum arbitratum esse, se fidem illam deserere nequaquam posse, id quod ipsa ratio statim refellit. Atqui Christum ipsum asserere, inquiunt, electos perire non posse, quia dixerit apud Matthæum, surrecturos pseudochristos & pseudoprophetas, & edituros signa magna & miracula, *ita ut seducant, si possibile, etiam electos.* Cùm enim ait, *si possibile*, indicare, inquiunt, id esse impossibile. Sed dum ita concludunt, pro concesso sumunt, subaudiendum istic esse verbum *esset;* cum possit etiam subaudiri *sit* vel

Rom: 11. 20, & d.

2 Pet: 1. 10.

Exo: 32. 33.
Psal: 69. 29.
Apoc: 3. 5: 22. 19.
Luc: 10. 20.

Act: 16. 34.

Mat: 24. 24.

fuerit, & quidem rectiùs, ut paulò pòst docebitur; quod si fiat, non tantùm inde non concludetur, Christum omnino asserere, id esse impossibile; sed etiam concludi rectè poterit, eum in dubio aliqua ratione relinquere, utrùm id futurum sit possibile, nec ne; & indicare, electos, si officium suum facere velint, & se adversus istorum hominum fraudes munire, efficere posse, ut in irritum cadant omnes malèferiatorum hominum conatus, quos ad eos seducendos sint adhibituri. Solent enim verba illa, *si possibile*, tunc usurpari, cùm de re ejusmodi loquimur, quam, utut multùm coneris, fortasse tamen perficere nequeas; quia ea non sit penitus in tua potestate, & difficultatem aliquam secum conjunctam habeat, vel impedimentum aliquod appareat, quod tuo conatui obstare facilè possit: licèt interea nequaquam pro concesso sumatur, rem eam esse impossibilem. Exemplis res fiet manifestior. Lucas in Actis ita

℣ 16. loquitur de Paulo cap. 20. *properabat, si possibile esset ipsi, ut die Pentecostes veniret Hierosolymam.* ubi certè nequaquam sumitur pro concesso, Paulo fuisse impossibile, ut ad diem dictum Hierosolymam veniret: alioqui cur properasset, ut eo die ibi esset? sed tantùm significatur, fieri potuisse, ut, licèt festinaret, temporis tamen brevitate excluderetur, aut aliud aliquid interveniret, quominus ad eum diem metam sibi præfixam attingeret. Relinqvunt ergo verba ista in incerto, utrùm id fieri possit, nec ne; sed ita, ut ex facto Pauli appareat, visam illi potiùs rem, si modò celeritate uteretur,

℣ 18. possibilem. Similiter ipse Paulus loquitur Rom. 12. *Si possibile, quantum ex* (vel *in*) *vobis, cum omnibus hominibus pacem colite.* quid? num putamus Paulum dicere voluisse, id esse impossibile? Ea certè ratione non modò nos ad eam rem non fuisset adhortatus, sed etiam a conatu absterruisset. quid enim coneris ea, quæ fieri nequeunt? Hoc ergo tantùm significare voluit, fieri nonunquam, ut ob aliorum hominum improbitatem, utut omnia coneris, non possis tamen cum illis pacem reipsa colere: quo tempore sufficit, nos pro virili nostra id, quod ad pacem ac concordiam pertinet, agere, seu nostra ex parte pacem colere. Christum autem in verbis controversis nequaquam asserere, impossibile esse electos seduci, inde liquet, quòd

℣ 5, 6. & ab initio istius sui sermonis discipulos suos monet, ut videant,

℣ 23. ne quis ipsos seducat. Multos enim venturos in ipsius nomine, dicentes, ego sum Christus: & proximè ante verba controversa eosdem monuit, ut, si quis illis dixerit, hîc aut illic esse Christum, ne crederent. Quorsum enim opus erat monitione aut cautione ista, si fieri non poterat, ut seducerentur, idque ipsos Christus in sequentibus

tibus ſtatim verbis docere volebat? Erant enim illi, cum quibus Chriſtus loquebatur, eorumque ſimiles, haud dubiè electi, &, ſi adverſæ ſententiæ patronis credimus, omnes Chriſtiani tenentur credere, ſe ex iſtorum electorum eſſe numero. Adde, quòd in verbis controverſis ratio redditur pręcedentis monitionis, nempe ne credant dicentibus, Chriſtum hîc, aut illic eſſe. an verò hæc ejus rei ratio eſt, quia ſurrecturi ſint ejusmodi homines, qui tanta ſint patraturi miracula, ut etiam electos, ſi id fieri poſſet, ſeducturi eſſent: verùm id fieri non poſſe? haudquaquam. ſed ſi ita verba Chriſti accipias, ac ſi dictum eſſet, iſtos tanta endituros miracula, ut non tantùm alios, ſed ipſos etiam electos, in quorum numero Apoſtoli eſſent, ſeducant, ſi id fieri poſſit, h.e. ſi electi illi ſibi cavere, & adverſus præſtigias veteratorum iſtorum animum munire neglexerint; omnia rectiſſimè cohærebunt. Sed concedamus nunc, Chriſtum diſertis verbis dixiſſe, electos ſeduci non poſſe: non erit id tamen ſimpliciter ac ſine ulla conditione, quæ tacitè in his verbis comprehendatur, & ipſo electorum nomine indicetur, accipiendum; ſed intelligendum, ſeduci eos non poſſe, ſi, ut quidem electos facere omnino conſentaneum eſt, ſaluti ſuæ advigilaverint, & precibus aſſiduè ad Deum fuſis, diligenter ſibi a perditorum hominum fraudibus caverint. Idem de eo exiſtimandum eſt, cum ii, cum quibus nobis hîc res eſt, urgent, Electos perire non poſſe. Id enim non aliter eſt admittendum, quàm ut ſtatuatur, eos perire non poſſe, ſi in electorum officio perſiſtant, cujusque rei gratiâ electi ſint, cogitationem nunquam dimittant, id eſt, ut Petrus explicat, in rectè vivendi ratione ſeſe exercentes, electionem ſuam firmam ratamque faciant, aut facere pergant. Hac enim lege atque conditione eos minimè caſuros, ſed ampliſſimum in Chriſti regnum aditum ſibi comparaturos, idem Apoſtolus affirmat. Quod idem & de Chriſti ovibus judicandum eſt, quas ipſe non perituras, nec ex ſuis Patrisque manibus eripi poſſe aſſerit. Dum enim oves Chriſti ſeſe præſtiterint, ſemper eas a ſempiterno interitu, ipſo protegente atque conſervante, tutas fore certum eſt. quo pacto contrà etiam dicitur, *eos, qui in carne ſunt, Deo placere non poſſe*, nempe quàm diu in tali ſtatu perſeverant. At ſi carnis imperium excutiant, & ſecundùm ſpiritum vivant, id quod omnes veri Chriſtiani faciunt, Deo placere poſſunt. Animadvertendum nempe eſt, non eatenus aſſerere Chriſtum, oves ſuas non perituras, quatenus fieri nequeat, ut eæ ſponte ſua oves ipſius eſſe deſinant, & vel hircorum, vel luporum naturam, quam aliquando exuerant, aſſumant: ſed quatenus fieri non

2 Pet: i. 11.

Ioh: 10. 27.

Rom: 8. 8.

poteſt,ut,dum ovium naturam retinent,& paſtorem ſuum non deſerunt, illis quisquam ſalutem eripiat, easvé ex paſtoris ſui manu extorqueat. Chriſtus enim dicti ſui rationem reddens, non negat, eas in hircos aut lupos mutari, aut ab ipſo profugere poſſe : ſed eas ſibi a nemine vi extorqueri poſſe aſſerit.

Cap: XVIII.

De libero hominis arbitrio.

IAm ut de ſervo, quemadmodum adverſarii loquuntur, arbitrio dicamus; animadvertendum, eam illius ſecundùm ipſos rationem eſſe, ut nequaquam in ipſius hominis poteſtate eſſe cenſeant, in Chriſtum credere, & voluntatem ſuam ad mandatis ejus parendum flectere atque componere, etiamſi ei doctrina Evangelica proponatur, & argumentis, quibus eam confirmatam eſſe novimus, comprobetur. Quâ quidem ſententiâ admiſſâ, omne pietatis ſtudium,omnem juſtitiæ honeſtatisq́: cultum extingvi neceſſe eſt. Quod ne fiat, primò demonſtrabimus, nequaquam hominis voluntatem ita adſtrictam eſſe, quin poſſit velle aut nolle aliquid facere, in rebus ad religionem ſalutemq́ue æternam ſpectantibus, & porrò etiam, ubi Evangelicam doctrinam auribus perceperit, reipſa credere, ac Dei præceptis, ipſius ope accedente, parere. deinde ea, quibus hæc divina veritas oppugnatur, quantum in nobis eſt, propulſabimus.

Vt igitur hominis voluntatem, etiam in rebus ad ſalutem pertinentibus liberam eſſe confirmemus, illud diligenter conſiderandum eſt, quod inter omnes conſtat, Deum nempe in ipſa hominis creatione eam illi dediſſe voluntatem,quâ liberè quippiam vel eligere approbareq́ue,vel fugere atque improbare poſſet. Cum igitur nulla planè ratio ſvadeat, hominem poſtea voluntatis ſuæ libertatem amiſiſſe; quinimò jam inde a mundi primordio Deum & rectè agendi voluntatem, & vitæ innocentiam ab hominibus exegiſſe, animiq́ue contumaciam ſuppliciis mactâſſe conſtet; quorſum attinet, rem tam claram,tamq́ue manifeſtam, magno cum pietatis detrimento impugnare? Quid, quæſo, cauſæ fuit, cur Deo Abrahami v. g. animus,quem ad filium ſacrificandum applicaverat,tantopere probaretur, nefarium contrà Balaami de Iſrëalitis maledicendo conſilium vehementer diſpliceret, niſi quòd tam hic, quàm ille, cùm aliter voluntatem regere poſſet, maluit tamen vel in hanc, vel in illam partem eam inclinare? quorum neutrum ullum haberet locum,ſi neceſſitate quadam immutabili hominum voluntates adſtri-

Gen: 26.

Num:22. & 24. 13.

adstrictæ essent. Quam verò aliam ob causam Iudaicam nationem rejectam excæcatamque esse putabimus, quàm quòd Christum fide non fuit complexa? Hoc autem quo jure fieri potuit, si Christo fidem adhibere atque obtemperare in illorum potestate non fuit? quo pacto illa Christi pronunciata constabunt, quibus animi contumaciam Iudæis exprobrat, & eos propriâ suâ culpâ perire ostendit: *quoties volui tuos congregare natos, quomodo gallina suos pullos sub alas congregat, & noluistis.* Mat: 23 37. Et illud: *Vos non vultis ad me venire ut vitam habeatis.* Ioh: 5. 40. Itaque confitendum necessariò est, liberam esse uniuscuiusque voluntatem. Voluit quippe Deus virtuti vitioque, præmio ac pœnæ locum relinquere: voluit nos habere, quod illi semper sacrificaremus, nimirum voluntatem animumq; liberum, inque nostra potestate positum. Neque enim illis delectatur victimis, quæ semper in ejus manu sunt atque fuerunt: sed illud demum Deo acceptissimum sacrificium est, quod, in nostro arbitrio positum cum sit, & ideo a nobis fieri & non fieri possit, voluntaria tamen animi inductione ipsi facimus. Hoc enim illud est, quod ipse Deus de sacris sibi olim confectis hunc in modum loquitur: Psal: 50. 10. *non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniã meæ sunt omnes feræ sylvarum, & quadrupedes, quæ in mille montibus pascuntur. Cognovi omnia volatilia montium, & bestiæ campestres mecum sunt. Si esuriero, non dicam tibi. Meus est orbis terræ, & plenitudo ejus. Nunquid manducabo carnes taurorum? aut sangvinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua*, &c. id est, ut præclarè Flaminius interpretatur, vitæ tuæ cursum piè sanctéque institue. Vnde efficitur, cum hoc laudis sacrificium, illis, quæ Dei jam sunt, opponatur, id ejusmodi esse, quod non Dei, sed nostrum censeri debeat: non quòd ulla res sit, quam Deus summa potestate non complectatur: sed quòd is, ordinaria ratione voluntatem nostram, ex qua vitæ pietas & proficiscitur, & æstimatur, in nostro arbitrio sitam esse voluit; licet interim externum ipsius actum vel promovere, vel impedire, vel permittere pro arbitrio soleat. Ex quo etiam illud consequitur, Deum voluisse, ut homines ipsius voluntati sese opponere possent, licèt interim id unicè cupiat ac desideret, ut sese ad virtutis studium, non ad scelera applicent: nempe quia ea demùm illi probatur obedientia, quam nulla vi coacti illi persolvimus. Atqui, inquient adversarii, si ita se res habet, multum de Dei gubernatione, quę in mundo regendo cernitur, detrahetur: siquidem maxima istius gubernationis pars, in hominum voluntate constituta sit oportet. Respondemus autem, internum

voluntatis nostræ actum, quem solum ordinariè in nostra potestate Deus collocavit, in mundi gubernatione nullum habere momentum, sed externum ejus effectum, qui in solius Dei potestate situs ita est, ut nihil, nisi aut Deo decernente juvanteq;, aut permitente fieri queat. Quo fit, ut liberum arbitrium eòusque vim suam porrigat, ut Deo nunc juvante, nunc permittente tantùm, homo non solùm de re quapiam peragenda cogitationem suscipere, sed etiam exitu eam complere possit. Quinimò quod ad bonas actiones attinet, ordinariè Deus eas a nobis perfici vult, quamvis id sæpissimè absque ipsius auxilio fieri non possit. Vnde efficitur, cum Deus præclara facta nobis imperet, malefactaque suppliciis vindicet, in nobis ea, quâ dictum est, ratione situm esse, ut in fidei sanctitatisque studio versemur. Neque enim existimandum est, Deum auxilium suum ulli homini, suppliciter ad ipsum accedenti, denegaturum esse. Quòdsi quis divino auxilio destitutus, illius præceptis non obtemperaverit; is sibi ipsi culpam assignet, & sic nullam peccati excusationem habeat necesse est: propterea quòd aut Dei opem seriò non imploraverit, aut, quæ Deus illi ad pietatem colendam suppeditavit, adjumenta noluerit amplecti, ac porrò suo ipsius vitio pereat. Hoc autem malum nonnisi ab ipsius improbitate fluere credendum est. Hac enim fit, ut voluntatem suam ad ea non accommodet, quæ Deo probantur: quod si faceret, dubium nullum esset, quin ea perficiendi omnem viam rationemque tentaret, &, quod consequens est, ad divinam opem nunquam non confugeret, & sic eâ circumseptus, facilè & rerum divinarum scientiam consequeretur, & in Dei studio totam mentem defigeret, ut alibi a nobis demonstratum est.

Duplici porrò ratione Deus hominum conatibus opitulatur: quarum altera externa est, & vel in minando, vel in promittendo consistit: quanquam in promissis major vis est homines Dei studio inflammandi. altera verò internum auxilium est, quod tunc nobis Deus affert, cùm vel promissa nobis facta ac externis documentis confirmata, animis nostris divina virtute penitiùs insculpit, vel pleniori voluntatis suæ notitiâ nos instruit.

Iam ut adversariorum argumenta ponderemus; intelligendum est, eos, qui huic veritati obsistunt, duplicem hominis statum considerare, in quorum altero ante miserrimum illum Adæ casum fuerit; in alterum verò post eundem lapsum inciderit. Ajunt igitur, hominem dum in priore positus esset statu, voluntate fuisse liberrima: simul ac verò illo dejectus fuit, arbitrii libertatem, præsertim

Cap: XVIII. De libero arbitrio.

In rebus ad religionem & pietatem pertinentibus, amisisse. Quod quidem quàm verè ab illis dicatur, partim ex iis constare potest, quæ hactenus disputavimus: partim ex illis, quæ postea dicturi sumus, intelligetur. Primò igitur dicimus, non solùm nihil esse, cur, cùm homo ante lapsum liberam voluntatem habuerit, eandem post lapsum minimè habeat; sed insuper causam esse, cur etiamnum hominum consilia, cogitationes, animorumque inductiones, liberas existere planè statuatur. Ac illud quidem ideò, quòd ipsa rei natura nequaquam postulabat, ut hominis peccatum liberę voluntatis privatione mulctaretur: cum aliam illi Deus pœnam irrogare potuerit, ut & fecisse eum apertissimè constat. Neq; enim hanc rem in illis suppliciis, quibus Deus primum hominis peccatum ulturum sese dicit, numerari, ullamvé ejus mentionem fieri videmus. Hoc verò posterius ideò fatendum est, quòd nihil a Dei justitia magis abhorret, quàm hominis voluntatem ita impedire atque alligare, ut minimè in nobis situm sit, ea cogitare atque moliri, quæ bona cumque virtute conjuncta sunt. Cum enim, ut suprà diximus, Deum illos, qui cum justicia minimè vivunt, omnino etiamnum punire, & aliquando sempiterni interitus supplicio puniturum esse compertissimum sit; nónne qui opinionem istam defendunt, & peccati autorem, & injustissimum eum faciunt, qui cum hominis voluntatem tanta necessitate devinctam esse voluerit, nihilominus tamen, quia verbo illius audiens non sit, suppliciis eum mactare non dubitet.

vid: Gen: 3. 16, 17, 18, 19.

Verùm cum, qui hominis libertatem oppugnant, ii firmissima sese erroris sui argumenta habere putent, singula diligenter excutienda sunt. Eorum autem duo sunt genera: quædam enim ex falsissimis deducuntur principiis: quędam ex veris quidem sumuntur, non tamen rectè intellectis. In primo genere illud potissimùm est, quod ex peccato, ut vocant, originali depromitur: de quo ita disputant, ut crimen a primo parente conceptum in sobolem derivatum esse defendant, ejusque contagione, tum omnes humanas vires corruptas ac depravatas, tum potissimùm voluntatis libertatem destructam esse asserant. Quod quidem dogma ut tantò meliùs excutiamus, omnium primò videndum est, quo pacto ab istis peccatum originale definiatur. Cùm verò magna in loci hujus tractatione doctorum hominum varietas dissensioque sit, quam hoc loco ingredi, & longum & infiniti negotii esset; idcirco illud tantummodo arripiendum videtur, in quo omnes ferè consentiunt, atque inprimis ii, qui liberam homini post lapsum voluntatem adimunt, nimirum originale

originale peccatum esse cupiditatem quandam malam, seu ad peccandum proclivitatem, ex illo Adami lapsu in omnem ipsius posteritatem naturali propagatione transmissam. Unde colligitur, hîc simul statui, nisi Adamus peccâsset, totam ipsius posteritatem a peccandi proclivitate liberam extituram fuisse: eodem porrò peccato hominis voluntatem ita alligatam esse, ut non nisi mala desiderare, decernere, ac facere, nisi divina aliqua occultaque virtute in contrarium flectatur, possit. Quæ omnia nos pernegamus, utpote & sanæ mentis rationi, & divinæ scripturæ contraria. Rationi: quia planè a recto ejus judicio alienum est, unum peccandi actum tantam vim habere, ut totam hominis naturam, & sic etiam hominis voluntatem destruere possit: cum ne unius Adami quidem naturam corrumpere potuerit. Nam alioqui, si singuli peccandi actus tantam vim haberent, cum, ex istorum hominum sententia, Adamum post istud tempus per tot annorum centurias, infinities peccâsse necesse sit, ne vestigium quidem ullum virium humanarum mansisset in eo reliquum: quanto autem minus in ipsius posteris, qui longa serie eum secuti, numerum istum peccatorum infinitis aliis auxerunt. certè nos ab Adamo, utut in peccatum illud primum jam lapso, tantum distaremus, quantum a cœlo terra, & ne millesimam quidem eorum partem, quæ Adamus jam lapsus præstare potuit, nos hodie præstare possemus. Quòd si dicas, peccatum Adami per se quidem hanc vim non habuisse, sed hanc ei pœnam a Deo ob peccatum istud inflictam fuisse; id jam paulò antè refutavimus. Scripturæ verò sententia ista adversatur: quia non solùm nusquam literis prodita est, sed etiam ea ibi scripta leguntur, quæ illam penitus convellunt. Non minùs enim, verbi causâ, Abel, quàm Cain, ex Adamo natus erat: nec tamen peccatum paternum ei ingeneratum fuit, ut nimirum & naturam & voluntatem ipsius a divinis præscriptionibus averteret: quinimò ob pietatis studium, justum eum appellatum fuisse legimus. Similiter & Enochus tam ex Adamo originem duxerat, quàm cæteri omnes: nec tamē naturam voluntatemque scelere contaminatam eum habuisse inde perspicitur, quòd propter singularissimam pietatis præstantiam in cœlum translatus est. Eodem modo & de Noacho aliisque quàm plurimis judicandum est.

Matt. 23. 35. 1 Ioh. 3. 12. Gen. 5. 22, 25. c. 6. 9. Heb. 11. 4, & d.

Adde, quòd, si humana natura unius hominis casu ita corrupta est, ut non possint homines non peccare; Deum, utpote omniscium, hoc latere nequaquam potuit. Atqui hoc illum ignorâsse, (si modò ignorari id rectè dicitur, quod planè non existit) ex compluribus

pluribus ipsius factis clarissimè patet. Nam ut alia plurima, quæ rei a nobis affirmatæ evidentissima continent argumenta, reticeam, parúmne apertum illud est, quòd universo hominum generi propter scelera eluvionem immisit? Neque enim ullo pacto Deus, qui ipsa justitia & bonitas est, pœnam, præsertim tam gravem, toti hominum generi inflixisset, si flagitia concipere illis innatum esse animadvertisset. Accedit, quòd cùm homines omni flagitiorum genere coopertos esse videret, tanquam si novum admirabileque illi quippiam accidisset, ita sese hominem creâsse indoluit, ut ex his Mosis verbis intelligitur: *videns autem Dominus, quòd multa malitia hominum eßet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eßet ad malum omni tempore: pœnituit eum, quòd hominem fecißet in terra* &c. Gen: 6. 5. 6: 8. 21.
Hîc verò adversarii contradicendi studio abrepti, vel hoc ipso Mosis testimonio abundè confirmari dicent, Adami peccatum ita in ipsius sobolem transfusum fuisse, ut non nisi malum meditari posset. Respondemus autem, tantum abesse, ut hic locus adversariorum opinioni ulla ex parte suffragetur, ut vix quicquam afferri possit, quod plus ad eam prorsus evertendam habeat momenti. Non solùm enim hîc hominum generi malitiam innatam esse minimè dicitur; sed etiam Deus, tum per Noachum, ut ab ea malitia homines desisterent, admonuit: tum quia illius monita fuerunt aspernati, diluvio eos perdidit. Quorum illud temerarium, hoc injustum fuisset, si hominibus id innatum fuisset: cùm nequaquam fas sit, aliquem ob id supplicio afficere, quòd ea non præstet, quæ præstari ab illo minimè possunt: sed eum pœnas dare, qui cùm quippiam ex divina præscriptione exequi valeat, nolit tamen, imò Dei jussa contumaciter repudiet, id demum justitiæ consentaneum est. Sensus ergo Mosis verborum est, homines illos, non quidem suâ naturâ, sed voluntariâ animorum inductione, semper ad malè agendum propensos fuisse, ideoque propriâ suâ culpâ diluvii pœnam sibi accersivisse, quam omninò vitâssent, si perinde, ut Noachus, pietatis studiosi fuissent, vel saltem ab eo moniti resipiscere atque ad frugem redire voluissent. Huic simile & illud est, quod apud eundem Mosen dicatur, *figmentum cordis humani malum eße ab adolescentia sua.* Gen: 8. 21.
Nam primùm de eadem malitia hîc sermo est, de qua in loco præcedente, a nobis jam excusso. Ibi autem non de innata hominibus malitia, sed de voluntaria sermonem esse docuimus, in quam homines ab adolescentia, (non, ut multi volunt, ab infantia) sponte sua ruant præcipites. Adde, quòd eo loco non dicitur figmentum cordis humani malum *est* ab adolescentia, ut vulgò legitur. Neque enim

enim in Hebræo verbum est expressum; &, si loci sententiam spectes, subaudiendum potiùs est verbum *sit*: nec verba hæc ita sunt a præcedentibus divellenda, ut utraque per se sententiam integram absolvant; sed ita inter se connectenda, ut una quędam ex iis constituatur sententia, hoc nimirum pacto: *Nō addam maledicere ampliùs terræ propter hominem, quia figmentum cordis hominis malum* [sit] *ab adolescentia.* quasi dicat: etiamsi contingat, ut denuo eò progrediatur hominum malitia, quò antea progressa fuit, ut nimirum ab ipsa adolescentia, pessima quæque cogitent ac moliantur: non tamen ea tantam apud me vim habebit, ut illius causâ terræ maledicam, omnemque viventem animam, ut nunc feci, interimam. Nam alioqui, si, ut vulgò solent, locum legamus & interpretemur, statuendum erit, Deum ea ipsa re permotum fuisse ad eluvionem orbi terrarum non ampliùs immittendam, quâ paulò antè permotus fuerat ad eam immitendam: quo nil cogitari potest absurdius.

Iob: 4.17, & d. & 14. 4. & 15. 14, 15, 16. & 25. 4. & d. Quid autem, inquient, illud est, quòd apud Iobum scriptum legitur, hominem abominabilem, inutilē, seu fœtidum esse, imbibereq; iniquitatem, ut aquas? Item: hominem esse impurum in conspectu Dei; quia ejus fundamentum sit e pulvere, & ipse res sit frivola & fragilis, & tanquam putredo quædam. Hinc enim omnino effici videtur, hominum naturam depravatam ac corruptam, ejusque rei originem ad illud Adami peccatum referendam esse. Atqui consecutio ista pessimè constituta est. Etenim ut nunc concedamus, ista omnia propriè accipienda esse; quid, quæso, aliud significare possunt, quàm ista, quę commemorantur, ab hominibus fieri? quod quidem ad rem, quam adversarii parant, nihil quicquam pertinet: cùm non simpliciter aliquid tale ab hominibus fieri, sed necessariò ac planè naturaliter, non libera hominum voluntate fieri; neque hoc tantùm, verùm ex Adami peccato id profluere, demonstrandum fuerit. Sed deinde, illud omnino figuratè intelligendum est, & vel hyperbolicè, vel saltem non prorsus universè dictum censeri debet,

c. 15. 16. hominem iniquitatem aquæ instar bibere. Talem enim ipsum Iobum non fuisse, ex iis satis constat, quę is de se toto cap: 31. narrat.

cap: 4. 17, 18. Constat insuper, tum eodem in loco, tum in aliis duobus, a nobis e

cap: 25. 4, 5. cap: 4. & 25. citatis, non solùm hominibus, sed angelis etiam, itemq; cœlis ac stellis impuritatis contagionem expressè assignari, quos tamen originali peccato contaminatos esse nemo dixerit. Intelligen-

Vid l: d. c. 25. 5. dum autem est, hîc comparationem quandam hominum cum Deo fieri, ad quem respectu habito, homo immundus dicitur; utpote ex materia vilissima abjectissimaque formatus: quod idem de verbis

cap. 14.

cap:14. statuendum est. Denique animadvertendum, si locum capitis 14. excipias, verba illa omnia, non Iobi esse, sed amicorum ejus, qui causæ non planè justæ defensionem susceperant, & toti in illo erant, ut Iobo integritatem ac justiciam illius detraherent, eumq; ob peccata sua affligi ostenderent, id quod cum vero non congruebat.

Hîc verò ad illa Davidis verba confugient: *Ecce in iniquitate conceptus sum, & in peccato calefecit me mater mea.* Verùm ne hinc quidem peccatum originale constitui potest. Vel enim hæc propriè a Davide, vel figuratè dici volumus. Si propriè intelligenda sunt, quo jure ad omnes refertur id, quod David sibi soli tribuit? quid etiam causæ est, cur id ad primum hominis peccatum sit referendũ: cum David tantummodo dicat, se a matre sua in peccatis fuisse calefactum? si verò per aliquam dicendi figuram prolata sunt: quo pacto, quæso, hinc peccatum originale concludi potest? cum isto loquendi genere uti soleat scriptura ad exaggerandam hominis alicujus malitiam atque impietatem, cui ita sit immersus, ut ei videatur innata. cujus rei exempla habes Psal: 58. 4: Esa: 48. 2, 8: & 49. 1. & Ioan: 9. 34. Simili loquendi modo in re contraria utitur de se Iobus, cum inquit: *Ab infantia mea crevit mecum miseratio: & de utero matris meæ egreßa est mecum.* Licèt autem hæc verba alii aliter ex Hebræo legant: nihilominus illi quoque Iobum ita loquentem faciunt: *& ab utero matris deduxi eam*, sc. viduam. quod sine hyperbola quadam nequaquam intelligi potest: nisi fortè etiam originalem quandam miserationem & benignitatem erga viduas hinc placet exsculpere. Similiter & ipse David de fiducia, quam in Deo reposuerit, loquitur Psal. 22. 10, 11. Quanquam non est reticendum, verba Davidis controversa ita posse accipi, ut is proclivitatem potiùs ad peccandum, quàm ipsum peccatum suum exaggeret, & sic gravitatem facti sui aliquo modo minuat atque excuset. quasi dixisset: non mirum est, me in flagitium hoc incidisse: cum plærumque tanta sit hominum ad scelera proclivitas, ut in illis concepti natique esse videantur.

Psal: 51. 7.

c. 31. 18.

Hactenus vidimus, quo pacto adversarii, ex falso principio humani arbitrii servitutẽ constituere nixi fuerint: sequitur, ut videamus, quomodo idem facere conentur ex principiis veris illis quidem, nõ tamen rectè perceptis. Principia verò ista illis continentur sac. literarum testimoniis, quæ ita salutis nostræ rationem aut Deo adscribere, aut nobis adimere videntur, ut nihil ea in re libertatis nobis relinquant. Ea porrò testimonia, quæ de Deo inprimis loquuntur, in duo

in duo genera distribui possunt. Alia enim de divinis decretis, alia de divinis factis loquuntur. Ac de prioribus quidem quid statuendum sit, satis ex iis intelligi potest, quæ de divina prædestinatione diximus. Ad ea autem argumenta, quæ ex divinis factis sumuntur, quod attinet; ejus generis sunt ista, quòd Deus hominum corda tangere, aperire, nos convertere, cordibus suam voluntatem insculpere, cor novum dare, fidem donare, efficereque ut velimus & perficiamus, dicitur. Item, quòd nostra sufficientia ex Deo esse asseritur. cum quo conjungi potest ille Apostoli locus, ubi, ne superbè gloriemur, nos monet, quasi quæ possidemus, ea ex nobis, non autem ex Dei benignitate profecta sint. Item, quòd Deum, cujus velit misereri, quem item velit, indurare, cumq; homine, veluti figulus cum luto, agere pro arbitratu suo posse, divina oracula testificantur. quibus adde, quòd Deus quibusdam cor ad intelligendum, oculos ad videndum, aures ad audiendum non dedisse scribitur. Quæ singula ordine ponderanda nobis sunt, atque ostendendum, ex illis haudquaquam consequi, hominem libero voluntatis arbitrio carere, vel saltem in rebus ad salutem pertinentibus hominem nihil liberè agere.

Primò igitur perperam ex illis locis dogma istud colligitur, in quibus Deus cor hominis tangere aperireque perhibetur. Neque enim ita eum hoc facere intelligendum est, ut vim quandam illis afferat: cùm hoc satis fieri tunc credendum sit, quando persvasionum vi ac dulcedine quadam, aliisvé rebus externis, hominum proborum & sequacium mentes ad ea flectit allicitq;, quæ ipsi probantur. Eorum enim, verbi gratiâ, Deus cor tetigisse dicitur, qui Samuelis oratione commoti, Saulum regem comitabantur. Interim tamen in eorum fuisse potestate, illum vel comitari, vel non comitari, indè constat, quòd cùm in eum finem oratio illa haberetur, ut omnes ad regi honorem habendum perducerentur, non tamen apud omnes locum habuit. Cujus rei causam divinus spiritus ibidem, non ad Deum, sed ad hominum illorum pertinaciam refert. Dicit enim, eos fuisse filios Belial, id est, homines improbos, omniaque salutaria monita contumaciter respuentes. Unde facilè colligitur, illos, qui eum secuti fuerunt, fuisse homines probos, atque inde esse factum, ut horum cor Deus tetigerit ac commoverit, illorum verò non item, licet eorum etiam corda tangere ac commovere voluerit. Similiter & de Lydia judicandum, cujus cor Deum aperuisse, Lucas testificatur. Neque enim quicquam est, quod statuere cogat, id per vim quandam internam atque occultam, cui

1 Sam: 10.26.

Act: 16. 14.

tam, cui

tam, cui Lydia resistere non posset, factum esse. Non injuriâ enim dici potest, id factum esse vi orationis Paulinæ, quam Dominus ori ejus indiderat, quæ fœminæ huic adeò probæ, & Deum, ut Lucas ibidem testatur, colenti, statim aliquid eximium, imò divinum ac cœleste spirare visa sit, ita ut dignissimam judicaret, cui animum penitus adverteret, & quàm diligentissimè attenderet, eique porrò assentiretur. Neque est, quod dicas, inde seqvuturum, Dominum omnium istarum, quæ simul aderant, & Paulum loquentem audiebant, fœminarum cor aperuisse: quia ea orationis Paulinæ vis non minùs ad cœteras, quàm ad Lydiam permovendam pertinuerit: cum tamen nonnisi de Lydia legamus, Dominum ejus cor aperuisse. Animadvertendum enim est, nos apertionem illam cordis ita orationi Paulinæ, quę ipsius Christi per eum loquentis erat, adscribere, ut interim probitatem animi, quâ Lydia præ cæteris imbuta erat, haudquaquam excludamus. Hanc enim in causa esse, cur homines doctrinam Christi amplectantur, tum alibi, tum superiori capite docuimus. Nec frustra Lucas, dicturus, Lydiæ cor fuisse a Domino apertum, hæc verba præmisit, eam fuisse fœminam, quæ Deum coleret; id quod de cęteris non testatur. Quare non mirum est, hujus cor fuisse apertum a Domino, de cæteris id non dici. Sed etiamsi tandem Christus in fœmina hac religiosa ad fidem perducenda, eo præsertim loco, ubi nomen ipsius nondum fuerat auditum, nec ullum fidei exemplum extabat, miraculosa quadam virtute fuisset usus, & occulta vi animum ejus commovisset, ut Paulino sermoni attenderet; non sequeretur tamen, tantam illam vim fuisse, ut Lydia illi nulla ratione resistere posset, nec aliter facere, quin doctrinæ Christi fidem adhiberet; multò minùs, tantam fuisse, ut fidem semel receptam abjicere nullo pacto posset: nec protinus hoc exemplum ad omnes, quotquot in Christum credunt, esset trahendum, sed pro extraordinario habendum.

Ex iis, quæ de duobus illis scripturæ locis diximus, facilè potest intelligi, quid de iis testimoniis sit sentiendum, quibus, [a] Deum nos convertere, [b] suas leges hominum animis inscribere, eisque cor, ut ipsum nôrint, aut cor novum dare, docemur: nempe illud nequaquam violenter nobisque invitis fieri. Hinc enim ipsimet homines [d] sese ad Deum convertere, [e] sibi cor novum ac spiritum novum facere, &, quod eódem recidit, [f] seipsos lavare ac mundare jubentur. sed intelligitur, quemadmodum ipsæ locorum circumstantiæ docent, Deum beneficiorum, aut etiam promissorum, quorum certissima extent documenta, magnitudine homines commotu-

a Ier:31.18. b 33.
b Heb: 8.10: 10.16.
c Ier: 24.7. Ezech:36.26: 18.30. & seqq. 33.8, & d. Esa:1.16. & d.
d Ier:18.11: Ezech: 19.27, 30: e ib: ỽ 31.
f Es:1.16, & d.

rum, ut se ad ipsum convertant, legum ipsius observantes reddantur, & animum alium induant. Neque enim significatur, Deum id omnino ac necessariò in hominibus effecturum, quod verba sonant: sed Deum nihil eorum omissurum, quæ ad id efficiendum, libertate voluntatis nostræ salva, pertineant. Eodem etiam modo Deus efficit, ut velimus & perficiamus; efficit id, inquam, beneficiorum magnitudine, & promissionum tum certitudine, tum summâ præstantiâ atque amplitudine, non quidem ut velle possimus, (facultas enim volendi nobis inest naturaliter) sed ut reipsa velimus, ac porrò opere ipso id, quod ad salutem nostram pertinet, compleamus. Non agi autem eo loco de ejusmodi Dei efficacia, cui homines resistere nequeant, ex eo liquidissimò apparet, quòd Paulus istic monet, ut salutem nostram cum timore & tremore operemur; & in verbis controversis ejus cohortationis rationem affert. At si Deus sine libero voluntatis nostræ assensu, studioque nostro, id in nobis efficit, quid ista cohortatione, quid timore ac tremore est opus?

Phil: 2. 13.

℣ 12.

Ioh: 6. 44. &c.

Eodem porrò modo & trahi a summo illo Patre dicimur, propterea quòd is nihil non agit, ut nos ad Christo confidendum adducat. Id autem eum, cœlestem nobis disciplinam tradendo, efficere, ipse Christus in eodem sermonis contextu his verbis confirmat: *scriptum est*, inquit, *in vatibus: eruntque omnes divinitùs docti. Quisquis ergo ex Patre audivit, ac didicit, is ad me venit.* Quæ quidem verba satis indicant, Deum docendo, & voluntatem suam omnibus per Christum proponendo, id agere, ut eos ad Christum pertrahat: non omnes tamen reipsa pertrahi, sed eos tantùm, qui facilem Deo docenti aurem præbeant, & ab eo erudiri se patiantur: quod quidem omnes faciunt, qui probi sunt animi, & ad virtutem compositi.

Ephes: 2. 8.
Phil. 1. 29.

Iam quòd fides Dei donum appellatur, id nequaquam ostendit, hominem in ea vel amplectenda, vel repudianda, voluntatis suæ arbitrio ac libertate non uti. Ideò enim Dei donum dici meretur, quia ea nobis absque ullo nostro merito, solâ Dei benignitate, per Evangelii prædicationem oblata est, seu occasio eam amplectendi data, non verò, quia ea nobis invitis aut otiosis inserta fuerit. Patet id ex eo Apostoli loco, qui in Epistola ad Philippenses scripta extat, ubi hunc in modum loquitur; *donatum est vobis pro Christo, non solùm ut in eum credatis; sed ut etiam pro illo patiamini.* Hinc enim intelligitur, eadem ratione Philippensibus, ut pro Christo adversa paterentur, donatum a Deo fuisse, quâ, ut illi fidem haberent, donatum

Philip: 1. 29.

natum fuerat. Atqui ita illis, afflictionibus divexari datum erat, ut ejus rei divinitùs offerrentur occasiones. Ergo eodem modo de fidei donatione judicandum est.

Iam quòd Apostolus nostram sufficientiam ex Deo esse, nosque, qui aliquid per nos ipsos cogitemus, minimè esse idoneos asserit; item quòd Corinthios admonet, ne illis glorientur, quæ aliunde habent; id nimirum ad rem nihil quicquam pertinet: cum neque hîc, neque illic de fide Evangelio adhibenda, aut obedientia Deo præstanda agatur: sed in illo quidem loco, de rebus ad munus Apostolicum pertinentibus, qualis erat Corinthiorum ad fidem conversio: in hoc verò, de spiritus sancti donis aliísve charismatis, & eorum effectis, quæ nonnullis Corinthiorum magnos fecerant spiritus. Sed etiamsi tandem in utroque loco de fide & obedientia Deo præstanda sermo esset; non sequeretur tamen, in nostro arbitrio non esse positum, ut, postquam Evangelium nobis annunciatum, & argumentis variis confirmatum est, vel credamus, vel non credamus, & Deo parere aut velimus aut nolimus. Ad id enim, ut fides ac obedientia, earumque rerum voluntas, non ex nobis, sed ex Deo esse dicatur, satis est, nos non ultrò, ac nemine monente, sed nonnisi Deo auctore, qui occasiones nobis, licèt eo beneficio indignis præbuerit, variisque nos incitamentis ad id impulerit, ea de re cogitationem suscepisse, & animum ac voluntatem nostram ad eam rem applicuisse. Adde, quòd in priori loco vox *aliquid* ex sacrar. literarum Novi fœderis consvetudine, non simpliciter quippiam, qualecunque tandem illud sit, sed quippiam eximium magnique momenti denotet, vel saltem denotare possit.

2 Cor: 3. 4, 5.
1 Cor: 4. 7.

vid: 1 Cor: 3. 7.
cap: 10. 19.
Gal: 6. 3.
Act: 5. 36.

Veniendum nunc est ad illum locum, ubi Deum, cujus velit, misereri, quem contrà velit, indurare dicitur. Vnde similiter colligi solet, hominem omni credendi, vel non credendi, & Deo obtemperandi, vel non obtemperandi libertate destitui. Sed quomodo hoc inde sequatur, non apparet: cum potiùs necesse sit statuere, libertatem hominum præcedere debere, ut partim misericordiæ illi, de qua sermo est, partim indurationi sit locus. Neque enim statuendum est, Deum hominum ita misereri, ut miserationis hujus effectum iis penitùs præstet, nisi illi benignitatem ipsius sponte amplexi fuerint: tantum abest, ut eos, nullâ eorum culpâ præcedente, induret. Induratio enim pœna est, & quidem gravis. Pœna autem quævis, antecedentem hominis culpam, & gravis quidem gravem postulat. Culpa verò sine voluntatis libertate nulla est. Pharao certè, ex cujus exemplo Apostolus id, quod de induratione pronunciat, infert,

Rom: 9. 14, 18.

at, infert, graviſſimis ſceleribus iſtam indurationis pœnam commeruerat. Quare etiamſi tandem miſericordia illa, ejúsve in homine effectus, & contraria ei induratio, nullum in poſterum libertati voluntatis noſtræ locum relinqueret: non ſequeretur tamen, idem de tempore miſerationem aut indurationem antecedente ſtatuendum eſſe: imò contrarium potiùs omnino eſſet intelligendum. Quòd ſi Pauli ſcopum attendas, animadvertes, eum non alium in finem iſta dicere, quàm ut oſtendat, Deum pro voluntatis ſuæ arbitrio, illis, qui Chriſto fidem adhibent, beatam immortalitatem tum polliceri, tum reipſa largiri: qui verò ſecus fecerint, illos cujuscunque tandem ſint nationis, quæcunque cœteroquin ipſorum opera, debitis ſuppliciis vindicare, & eos induratos, ad grave ſupplicium, ut olim Pharaonem, aſſervare. Hanc autem verbis Pauli ſententiam contineri, cuilibet totum illud caput, præſertim autem ea, quæ ſub ejus finem ſcripta ſunt, non oſcitanter legenti clariſſimè patebit. Sed præterea ne induratio quidem, quatenus a Deo proficiſcitur, generatim loquendo, libertatem voluntatis penitus tollit, ſed tantùm vehementer impedit, quominùs homines reſipiſcant; non ita tamen, ut prorſus impoſſibile ſit, per illa impedimenta ac difficultates eluctari, & vincula, quibus homines quodammodo conſtricti tunc tenentur, perrumpere; quemadmodum colligi poteſt ex iis, quæ de hominibus induratis in hac ipſa Pauli diſputatione leguntur. vid. v. 22. hujus cap. 9. & cap. 11. 13, 14, (quem locum confer cum v. 19, cap. præced.) & v. 23. Multò autem minùs miſericordia illa divina homini libertatem adimit in incredulitatem incidendi, & a gratia deficiendi. vide inter alia innumera hujus rei teſtimonia cap. 11. v. 20, 21, 22.

Ex iis autem, quæ de mente ac ſcopo iſtorum Pauli verborum diximus, facilè etiam illa intelligentur, quæ apud eundem Apoſtolum de figulo ejusque figmento ſubjunguntur, quorum quidem
℣ 21. hæc eſt ſumma: ut figulo ex eadem maſſa unum vas honeſtum, alterum turpe effingere liberum eſt: ita multò magis in Dei poteſtate conſiſtit, ſalutarem ſuam gratiam in illos conferre, qui ipſi confidunt, cujuscunque tandem loci ordinisque ſint; & eandem ab illis, qui fide ipſum complecti nolunt, removere, eosque indurare. Non enim exiſtimandum eſt, Paulum hoc loco ad hominum creationem reſpectum habere, ut dicat, Deum quosdam ad interitum, quosdam verò ad ſempiternam felicitatem perfruendam condidisſe; nec maſſa materiam deſignat, ex qua homo formatus ſit: ſed univerſum genus humanum ſignificat, iis jam moribus præditum, ut

damnari

damnari jurè posset. Locus certè Hieremiæ, ex quo hæc verba aliquomodo deprompsit Apostolus, apertè docet, massam illam, non materiam hominum formandorum, nec homines simpliciter consideratos, sed certis jam moribus præditos significare, ob quos Deus vel præmio, vel pœnâ eos afficere decreverit ac pronunciaverit; quos si mutent, Deus quoque se pro arbitrio ac potestate sua, decretum de illis suum mutaturum, & sic homines ipsos ratione status ac conditionis reficturum esse affirmat. Quare vas in honorem fingere, non est, aliquem ad fidem ac pietatem, præsertim citra liberum ipsius consensum, perducere; sed ei, si crediderit ac piè vixerit, gloriam sempiternam destinare: contrà etiam vas ad dedecus, seu turpem usum fingere, non est aliquem incredulum impiúmve efficere, nedum citra liberum ejus consensum; sed eum, si incredulus ac contumax fuerit, ad interitum, ignominiamque sempiternam designare. Id nempe indicare voluit Apostolus, etiamsi nulla foret causa, ob quam ii, qui in Christum credunt, præferendi essent iis, qui credere nolunt: nempe quia hi illis ob natalium prærogativam, ac factorum antecedentium præstantiam, videantur æquandi: Deo tamen pro arbitrio suo ac liberrima potestate licuisse iis tantùm, qui credunt, gloriam sempiternam destinare: eos verò, qui credere nolunt, æterno supplicio & ignominiæ addicere, & ne eam pœnam effugere facilè queant, eos indurare.

Ier: 18. 6, & seqq.

Sequitur, ut illum scripturæ locum examinemus, ubi legimus, non dedisse Deum hominibus cor ad intelligendum, & oculos ad videndum, atque aures ad audiendum. Ex eo autem humani arbitrii servitutem concludi minimè posse hinc perspicitur, quòd, ut verborum contextus indicat, nequaquam ita Deus non dedisse cor ad intelligendum, oculos ad videndum, aures denique ad audiendum, a Mose dicitur, ut dare noluerit, aut quantum in ipso erat, non dederit. Si enim ad illius consilium, & rerum, quas in eum finem præstitit, vim respicias, omninò dare illum voluisse comperies: cum Moses ibidem populo Israëlitico voluntariam animi stupiditatem ac cœcitatem, atque adeò contumaciam objiciat; quippe qui innumeris Dei tum miraculis, tum beneficiis invitatus, nequaquam tamen cor ad intelligendum, oculos ad videndum, aures ad audiendum applicare voluerit. Opera enim tam stupenda in ipsorum oculis edendo, eosque infinitis muneribus cumulando, id efficere Deus voluit, hoc est, animos illorum ad considerandam ipsius potentiam ac providentiam exuscitare studiosissimè curavit. Reipsa tamen illis cor, oculos, aurésve ejusmodi non dedisse rectissimè a Mose dicitur:

Deut: 29. 4.

dicitur: cum, nisi sit, qui accipiat, dari ipso effectu nihil possit. Atque etiam Paulus hoc pacto verbum *dandi* omnino usurpare videtur, cum inquit: *si quando Deus det illis pœnitentiam*, id est, si quando jam omnibus oblatam resipiscendi occasionem arripiant, & sic reipsa illis Deus pœnitentiam donet.

2 Tim: 2, 25.

Restat, ut de illis scripturæ locis nonnihil dicamus, qui ipsis hominibus apertè videntur adimere omnia, quæ ad fidem, pietatem, salutemque pertinent, ita ut nullam iis in rebus homini libertatem relictam esse statuendum sit. Ii verò sunt, in quibus dicitur, non esse hominis viam ejus: non omnium esse fidem: non esse volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei. Vt ergo verba Hieremię, quibus non esse hominis viam ejus asserit, excutiamus; intelligendum est, ea ad propositam quæstionem nihil quicquam pertinere: cum eo in loco nequaquam de ea hominis via sermo sit, quę ad mores ipsius pertineat, & probitatis aut improbitatis, virtutis aut vitii ratione contineatur; nec de consiliis, cogitationibus, ac voluntatibus humanis; sed de consiliorum actionumque humanarum eventibus, quos Deus in sua potestate collocatos esse voluit, quemadmodum superiùs monuimus. unde vulgò etiam dicitur, hominem proponere, Deum disponere.

Ier: 10, 23. 2 Thess: 3, 2. Rom: 9, 16.

Porrò quòd Paulus dicit, non omnium esse fidem, id nullam vim habet ad voluntatis libertatem tollendam: cum ipsa verba ita simpliciter, uti sonant, accipi queant, ut nimirum significent, non omnes, qui fidei studium profitentur, fide revera præditos esse, quod genus hominum, cum Evangelii cursum vehementer impediat, ideo Deo supplicandum esse monet, ut ab illis liberemur. Ex eo verò, quòd non omnes fidem revera habeant, nequaquam consequitur, id ea de causa factum esse, quia eam amplecti, & animum ad eam appellere non potuerint. Sufficit enim, eos id facere noluisse. Sed demus, aliquid ampliùs istis verbis significari, nempe non omnes ad fidem esse aptos atque habiles, vel etiam, si ita placet, non omnes credere posse: non sequetur tamen, id propria ipsorum voluntate ac culpâ non esse factum, eosque ea facultate, de qua loquimur, semper caruisse: imò ne illud quidem inde consequitur, nulla prorsus ratione fieri jam ampliùs posse, ut fidem amplectantur: sed tantùm, eos ob improbitatem animi fidei veræ esse incapaces, ita ut illa durante, hanc amplecti nequeant, etiamsi interim non sit prorsus impossibile, ut illam animi improbitatem aliquando deponant, & sic fidei capaces reddantur. Sic Christus Pharisæis dicit: *quomodo potestis bona loqui, cum mali sitis?* & alibi Iudæis: *quomodo*

2 Thess: 3, 2.

Mat: 12, 34.
Ioh: 5, 44:

modo potestis credere, cum gloriam alii ab aliis accipiatis? non quòd ii malitiam aut gloriæ humanæ amorem deponere, & sic bona loqui, aut in ipsum credere nequeant: sed quòd durante illa malitia aut ambitione, facere ista non possint. unde tacitè monentur, ut illam animorum pestem deponant, ac porrò bona loquantur, aut in Christum credant.

Cap: XIX. An renati consvetudine peccati teneantur.

Ille verò ejusdem Apostoli locus, *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*, tantum abest, ut libertatem voluntatis humanæ tollat, ut etiam stabiliat. Significant enim verba ista, posse hominem velle ac currere; sed ex ea voluntate ac cursu salutis nostræ rationem verè ac propriè, seu mavis, primò non pendere, verùm ex Dei misericordia. Nisi enim Deus hominis misereretur, eique salutem destinaret aut offerret, etiamsi is maximè vellet ac curreret, salutem tamen non consequeretur: cum nulla hominis opera rem tantam mereri queant; id quod ad alia etiam Dei beneficia extendi potest. Vnde intelligitur, non de ea voluntate ac cursu hominis Apostolum loqui, qua quis officium Deo debitum præstare, & fidem pietatemque amplecti ac colere velit: sed quâ quis justificationem ac salutem, aut etiam alia beneficia a Deo consequi cupiat: eamque voluntatem ac cursum per seipsum, atq; a promissionibus ex divina misericordia manantibus sejunctam hîc considerare. Nam alioqui, postquam Deus ex singulari misericordia salutem homini sub certa conditione obtulit, eique ad tantum bonum aditum patefecit, jam porrò aliqua ratione etiam currentis ac volentis est, modò quis ex Dei præscripto velit ac currat, in eoque secundùm Dei misericordiam, salutis ratio consistit. Vnde Paulus ipsemet, ut coronam illam adipisceretur, strenuè in pietatis studio cucurrit, & alios currere jussit, quod alibi quoque divinus spiritus monet.

Rom: 9. 16.

1 Cor: 9. 24. & d.
Phil: 2. 12, 14.
2 Tim: 4 7, 8.
Heb: 12. 1, 2.

Cap: XIX.

In quo quæritur, an homines regeniti peccati consvetudine teneantur.

SEd jam videamus, quàm vera illa sententia sit, quâ homines etiam sanctissimos peccati consvetudine teneri statuitur. Adducuntur autem duo potissimùm scripturæ sacræ testimonia ad eam comprobandam: quorum alterum est apud Ioannem, alterum apud Paulum extat.

Ac Ioannes quidem sic loquitur: *Si dixerimus, nos peccatum non habere, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Atqui aliud est, peccatum habere; aliud, peccati consvetudine teneri. Illud enim, pecato-

1 Ioh: 1. 8.

renati consvetudine peccati teneantur.

peccatorum, utut multò antè perpetratorum, reum esse declarat: hoc verò, etiamnum in sceleribus versari significat. Ac prius quidem verissimum esse, primò ex ipso verborum contextu patet: cum Ioannes, paucis interjectis, eandem rem luculentioribus verbis exprimens dicat: *Si dixerimus, nos non peccâsse, mendacem facimus ipsum, & sermo ejus non est in nobis.* Non ait, si dixerimus, nos *non peccare*, sed si dixerimus, nos *non peccâsse*. Deinde & aliis in locis, locutione ista nonnisi hanc, quam diximus, rem explicari, manifestum est. Sic Christus apud eundem Ioannem in Evangelica historia de Pharisæis loquens: *Si cœci essetis*, inquit, *non haberetis peccatum: nunc autem dicitis, videmus. itaque peccatum vestrum manet.* Vbi non id dicere vult Christus, si cœci illi essent, eos non peccaturos: sed peccati reos non futuros, utpote qui aliquam peccati sui excusationem essent habituri: nunc autem eos peccati reatu teneri. in quam sententiam & illa verba Christus protulit: *Si non venissem, & locutus fuißem eis, peccatum non haberent. nunc autem excusationem non habent peccati sui.* Quo in loco apertissimè *peccati sui excusationem habere*, & *habere peccatum* inter se opponuntur. Cum igitur peccati sui excusationem habere, haudquaquam significet, non peccare, sed peccati reum non esse; consequens omninò est, peccatum habere, non esse peccare, sed peccati reum esse. Quid quòd ibidem paucis interjectis Christus hunc in modum loquitur: *Si non fecissem opera in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Quis autem dixerit, illos, si Christus admiranda illa opera non patrâsset, peccaturos non fuisse? Id rectè dicitur, eos aliqua saltem ratione excusabiles futuros, & pœnæ non penitùs obstrictos, si Christus opera illa non patrâsset, quæ hominum illorum contumaciam arguerent, utpote qui illis convicti, Deum tamen ac Christum agnoscere, eique obtemperare noluerint.

℣ 10.

Ioh: 9. 41.

Ioh: 15. 22.

℣ 24.

Rom: 7. 14, 15.

Iam ut illud ponderemus testimonium, quod apud Paulum reperitur; intelligendum est, adversarios in ea sententia esse, ut putent, eundem Apostolum de seipso jam renato asserere, se carnalem, sub peccato venundatum esse, non bonum, quod velit, sed malum, quod non velit, facere. Animadvertendum autem est, Paulum hæc verba de seipso, quatenus nimirum regeneratus erat, nequaquam fecisse: sed, ut ipse docet cōtextus, per prosopopœiam quandam, ipsi non inusitatam, depingere statum conditionemq; hominis sub Lege existentis. Contulerat enim inter se Apostolus statum illorum, qui sub Lege vivunt, cum statu eorum, qui sub Christo, ut horum præ illis felicitatem ostenderet. Eandem igitur rem ampliùs decla-

℣ 5, & 9.

Cap: XIX. An renati consvetudine peccati teneantur.

ūs declaraturus, priorem illius comparationis partem verſ: 5. expreſſam, h. e. ſtatum eorum miſerabilem, qui ſub Lege adhuc vivunt, hoc capite deinceps in ſua perſona depingit: poſtea initio cap: ſeq: incipit alteram collationis illius partem, verſ. 6. hujus 7. cap: expreſſam, h. e. felicitatem eorum, qui ſub Chriſto vivunt, in eadem perſona ſua depingere. Hinc eſt, quòd in verbis cap: 7. v 7, & ſequentib. apertiſſimè homini iſti, cujus perſonam ſuſtinet, tribuit, quæ in hominem renatum nequaquam conveniunt, quæque ipſemet alibi, atque in hac inprimis epiſtola, tum paulò ſuperiùs, tum inferiùs, ab homine Chriſtiano, ſeque adeò ipſo longiſſimè removet, quale præter cætera, quæ antea commemoravimus, eſt, peccatum in aliquo operari omnem concupiſcentiam, in eo revixiſſe, illumque occidiſſe. Hæc enim a Chriſtiano longiſſimè abeſſe, inde conſtat, quòd idem Paulus alibi aſſerit, eum [a] carnem cum libidinibus & cupiditatibus crucifixiſſe; [b] peccatum in corpore ipſius mortali non regnare, [c] eive dominari; item, eum [d] peccato mortuum, & veterem hominem (id eſt, vitam anteactam) eſſe crucifixum, & corpus peccati, id eſt, ipſum peccatum, eſſe deſtructum: item, [e] eum non exiſtere in carne, [f] a peccatoque liberatum eſſe: item, [g] eum non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum ambulare. Quid, quòd homo a Paulo introductus de ſumma ſua miſeria conquerens, liberatorem quærit, inquiens, [h] *quis me liberabit a corpore mortis hujus*, i. e. ab hac ipſa morte? Chriſtianus verò homo, ut teſtis eſt idem Paulus, [i] jam a Lege peccati & mortis liberatus eſt. Nec obſtat, quòd Apoſtolus vocabulo *Ego* ubique utitur: cum, ut diximus, illi inuſitatum non ſit, ut ſub ſua perſona alios intelligat, quemadmodum ex his locis perſpicuum eſt, Rom: 3. 7: 1 Cor: 6. 12: & 10. 23, 29, 30: & 13. 2: Gal: 25. 18. Nec illud opponi meritò poteſt, quòd homo a Paulo introductus dicit, ſe divinæ legi mente ſervire: cum hoc nihil aliud ſit, quàm divinam legem mente animoque approbare; quod etiam ab illo fieri poteſt, qui per ſpiritum Chriſti nondum eſt renatus, ſed adhuc ſub Lege vivit. Quòd ſi dicas, hominem carnalem ſive animalem non intelligere ea, quæ ſunt ſpiritûs Dei: ſpiritualem autem omnia dijudicare; ex eoque conſequi, iſtum hominem, de quo Paulus loquitur, ſpiritualem nihilominus fuiſſe, ac proinde regenitum; quippe qui legem divinam & intellexerit, & comprobaverit: id nil eſt aliud, quàm clariſſima Pauli verba oppugnare: cum apertè homo iſte, quamvis videat, Legem eſſe ſpiritualem, id eſt, ſpiritualia præcipere, ſeipſum tamen carnalem eſſe affirmet, & porrò ſpiritualem eſſe neget. Animadvertendum autem

a Gal: 5. 24.
b Rom: 6. 12. ib: ℣ 14.
c ℣ 2, 11.
d ℣ 6.
e Rom: 8. 9.
f cap: 6. 18, 22.
g cap: 8. 1, 4, 12, 13.
h Rom: 7. 24.
i Rom: 8. 2.
Rom: 7. 25.
1 Cor: 2. 14.
Rom: 7. 14.

1 Cor: 3. 3, 4.

est, aliud esse animalem, aliud carnalem esse: siquidem Corinthii jam animales esse desierant, carnales tamen ab Apostolo appellantur, & satis apertè spirituales esse negantur. Unde facilè apparet, non protinus eum spiritualem evasisse, qui animalis esse desierit: cum possit adhuc carnalis esse. Carnalis autem spiritualis nondum est, ac proinde nondum verè renatus. Itaque etiamsi is, de quo Paulus loquitur, ea quæ sunt spiritûs Dei intelligeret, & sic non ampliùs animalis esset; non protinus tamen sequeretur, eum spiritualem renatumque esse. Deinde aliud etiam est, Legem Dei mente percipere, aliud ea, quæ sunt spiritûs Dei, id est, quæ per Christi disciplinam nobis patefacta sunt atque confirmata, tenere. Cum enim Lex Dei per Mosen tradita, humanam rationem non videatur superare, ideoque etiam ab animali homine, id est, naturali intelligentia nixo, intelligi possit: contrà verò divinissima novi Fœderis promissa, & ratio eadem obtinendi, ab humana intelligentia longè sint remota; fieri non potest, ut qui animalis est, ea mente comprehendat.

Rom: 7. 25.

Quòd si quis urgeat, Paulum, postquam infirmitatem suam lamentatus fuisset, Deo gratias agere per Iesum Christum, hocque nonnisi in hominem Christianum convenire; & sic consequens esse dicat, hoc in loco Paulum omninò de seipso, quatenus Christianus renatusque fuit, orationem habuisse: respondemus, consecutionem istam ideo malè constitutam esse, quòd hæc gratiarum actio in parenthesi includi potest, atque adeò debet: propterea quòd nec cum antecedentibus, nec cum consequentibus verbis quicquam commune habet. Nullum enim beneficium Dei commemorat, sed potiùs de miseria sua fuerat conquestus; quam querimoniam etiam in sequentibus persequitur, in quibus, utut se mente Legi divinæ servire, id est, eam approbare dicat; fatetur tamen, se carne servire legi peccati, atque adeò id, quod peccatum præcipiat, carne exequi. Intelligendum autem est, eam ob causam Apostolum istam gratiarum actionem interposuisse, ne quispiam illum ex hominum legalium, de quibus tot verba fecerat, numero esse suspicaretur; utque significaret, quantopere gaudeat, se ab ista miseria, quam sermone explicabat, jam liberatum esse; id quod cap. seq. initio luculenter ostendit.

conf: inprimis ℣ 2. cap: 8. cum ℣ 24, & 25, c 7.

Cap: XX.

De merito Christi.

HOc in loco de illo quoq; errore nobis agendum est, quo Christo ejusmodi affinguntur merita, quibus Deo justiciæque ejus pro nobis

pro nobis locóve noſtro ſatisfecerit. Hæc enim ſententia,ut & reliquæ a nobis hucusque ponderatæ, magnam per ſe vim habet, ad homines non ſolùm ſecuros lentosque in officio reddendos, verùm etiam in omnia ſcelerum genera impellendos. Vt igitur errorem hunc repellamus, primò intelligendum eſt, nec meriti vocabulum, cùm de Chriſti factis ſermo eſt, usquam apud divinos ſcriptores reperiri,nec quicquam ab illis dici,quod rem verbo iſto notatam aut exprimat, aut aliqua ſaltem ratione demonſtret: contrà autem, quæ huic ſententiæ planè repugnent,atque adeò eam evertant,ea facilè inveniri poſſunt. Loquimur enim hoc in loco de merito vero proprieque ſic dicto, cujus tum ea natura eſt, ut rem, quam quispiam meretur, omni ex parte adæquet, minimeque ab ea ſuperetur, tum ea vis, ut is, qui promeretur, ad rem illam,quam promerendi cauſâ ſuſcepit, nullo cæteroquin jure nullaq; Lege adſtringatur. Niſi enim labor præmio adæquatus fuerit,certè hoc illi non ex merito, ſed ex gratia tribuetur: quemadmodum etiam, niſi quis merè voluntaria inductione,nullaq; lege jam antea obſtrictus, quicquam faciat, is non mereri aliquid verè proprieque loquendo, niſi forte ipſius innocentiæ laudem, atque impunitatem, quæ ad ipſum tota ſpectet,ſed debitum officium perſolvere dicendus eſt. Cap: XX. De merito Christi.

His ita conſtitutis, videndum eſt, an ullum proprium Chriſti meritum conſtitui poſſit.Hoc autem quò rectiùs a nobis fiat, intelligendum eſt,adverſarios noſtros duplex illius meritum excogitâſſe. Primò enim aſſerunt, Chriſtum & legem illam, & omnia alia, quæ nos præſtare debebamus, noſtro loco pleniſſimè conſervaſſe, eaque ratione tum ſibi ſupremam gloriam, tum nobis vitam æternam commeruiſſe. Deinde ajunt, eum cruenta morte ſua, debita, quibus Deo obſtricti eramus, cumulatè perſolviſſe. Licèt autem utrumque, tum meriti,tum ſatisfactionis nomine inſigniant:nihilominus tamē interdum, diſcriminis cauſſâ, illud prius meritum,hoc poſterius ſatisfactionem, ſtrictiùs utroque nomine accepto, indigitant. Vt igitur de priore aſſertione primùm agamus; facilè ex iis, quæ paulò antè diximus, intelligitur, eam a vero alienam eſſe. Manifeſtè enim ex iis evincitur, Chriſtum, propriè loquendo, nec ſibi ipſi gloriam iſtam, nec nobis ſempiternam felicitatem meruiſſe. Sibi ipſi ideò, quòd omnia, quæ fecit, quæ ſubiit paſſusque eſt, præmio, quod tulit, adæquari non poſſunt; nec ea illius fuit conditio, ut, quæ ſuſcipiebat, nulla lege obligatus faceret. Nam cum homo eſſet natus, & quidem ſub Lege, ut Paulus affirmat, Legi eum naturâ ſubjectum, & ut Dei mandatis obtemperaret, obſtrictum fuiſſe con- Gal: 4. 4.

Ioh: 6. 38.
Phil: 2. 8.

se constat. Iam verò quicquid Christus unquam præstitit, ex divino Patris imperio eum præstitisse constat: cum eum non ut suam, sed ut Patris voluntatem faceret, de cœlo descendisse, & usque ad crucis mortem Patri obtemperâsse legamus. Adde quòd, si maximè Christus nullo Legis vinculo adstrictus fuisset: nequaquam tamen unica illius Legis conservatio, quantumvis plenissima, quam Deo præstitit, universorum hominum loco fieri potuisset. sic enim, quot sunt homines, tot opus fuisset divinæ Legis conservationibus: & porrò una Legis conservatio, quam Christus executus est, nequaquam universorum singulorumque hominum censeri potest. Neq; est, quòd quispiam existimet, summam Christi personæ excellentiam, tantam ad ejus obedientiam attulisse accessionem, ut non tantùm Christo ipsi sufficeret, sed etiam vices expleret obedientiæ illius, quam singuli homines Deo debebant, nec tamen præstiterant. Nulla enim ratio svadet, eum, qui vel dignissimus sit omnium, legi, quâ tenetur, parendo, plus facere eo, qui tenuissimâ fortunâ cum sit, æquè tamen ac ille, eadem lege vitæ statum componit. Quicquid ille hac in parte præstat, in eo suum unius officium explet, non alienum. Licet interim haudquaquam negemus, imò ultrò fateamur, ac contendamus, Christum summo nostro bono Legi divinæ paruisse, &, quicquid ipsi a Patre mandatum fuit, explevisse. Ea enim, quæ Christus ex divino mandato præstitit, causæ justificationis ac sempiternæ salutis nostræ extiterunt. qua de re superioribus libris explicatum est.

Cap: XXI.

De imputatione justitiæ Christi.

Ex hoc simul & illa adversariorum opinio falsitatis convincitur, quâ justitiam Christi nobis ita imputari statuunt, ut ea nobis licet injustissimis a Deo applicetur, & non secùs, ac si nos ipsi eam præstitissemus, attribuatur, ac nostra esse censeatur, utpote quæ nostro loco fuerit a Christo præstita. Si enim Christus nostro loco Legem non conservavit, quemadmodum ostendimus; parúmne liquet, illius justitiam nobis nequaquam ita imputari posse, ut nostra esse censeatur? Verùm operæ pretium est, ista paulò fusiùs disputare, hancque sententiam a vero alienissimam esse, luculentissimè docere. Duobus igitur potissimùm modis hoc ostendi potest. Primò enim nullibi apud sacros autores, sive literas syllabasque, sive rem sententiamque ipsam spectes, id scriptum extat: cum tamen nequaquam credibile sit, divinum spiritum rem tantam prætermissu-

Cap: XXI. De imputatione Justitiæ Christi.

missurum fuisse, si quicquam cum vero conjunctum haberet. Deinde quia sententia ista sac. literis repugnat. Prius facilè constabit, si ea sac. scripturæ loca excusserimus, quæ ad eam sententiam stabiliendam ab illius patronis citari solent. Duplex autem testimoniorum genus in medium isti afferunt: quorum alterum expressam illius imputationis mentionem continere videtur: alterum verò ejusmodi esse putatur, ex quo ea colligi facilè possit. Ac in primo quidem genere illa sunt, quibus vel fides nobis ad justitiam, vel justitia imputari, vel non imputari nobis peccata dicuntur. Verùm quis non videt, aliud esse *Christi* justitiam nobis imputari, aliud verò imputari nobis justitiam simpliciter, vel fidem ad justitiam, vel, quod idem est, non imputari nobis peccata? cum his locutionibus, nequaquam significetur, alienam justitiam seu sanctitatem nobis imputari, sed fidem, quam Deo per Christum adjungimus, nobis justiciæ loco duci, h. e. Deum ob eam fidem, quam in ipso collocamus, pro sua benignitate ita nobiscum agere, ac si justi essemus, nec ullum unquam supplicium fuissemus commeriti: quod nihil aliud est, quàm peccata nobis propterea, quòd Christo, & per hunc Deo confidimus, ex Dei benignitate condonari. Idem enim Paulo esse, remitti iniquitates, peccata tegi, & peccatum non imputari, quod imputari justitiam sine operibus, facilè cuilibet constabit, quartum epistolæ ad Romanos caput studiosè legenti. Quæ quidem quid cum alienæ justitiæ sanctitatisque imputatione conjunctum habeant, non intelligimus. Idem ex Abrahami etiam exemplo intelligitur, cui justitiam imputatam esse, idque propter fidem, quam Deo adhibuerat, scriptum legimus. Atqui non aliena justitia Abrahamo imputata, sed propter fidem ita cum ipso actum fuit, ac si planè justus atque innocens fuisset. Eâdem igitur ratione & nobis justitiam imputari, ex illis Pauli verbis constat: *non est autem scriptum propter ipsum solum, quòd imputatum ei fuerit; sed etiam propter nos, quibus futurum est ut imputetur, qui credimus in eum, qui excitavit Iesum Dominum nostrum a mortuis.* Vbi sanè nulla alienæ justitiæ cuipiam imputandæ fit mentio; sed hoc tantùm dicitur: quemadmodum Abraham propter fidem, quam Dei verbis adjunxerat, justus reputatus est, seu ita cum illo actum est, quemadmodum cum justo agere convenit: ita & nobis fidem, quam inde hausimus, quòd Deus Filiū suum a mortuis excitavit, justitiæ duci, seu in causa esse, ut Deus nobiscum, tanquam cum justis, agat. Præterea ex eo etiam apparet, phrasin illam, *imputari alicui justitiam*, non significare, alienam, nempe Christi justitiam cuipiam imputari, quòd fides nobis

Rom: 4. 3, 5, 8, 11, 22.

2 Cor: 5. 19.

d. l. Rom: 4. 23, 24

Rom: 10. 9, 10.

Rom: 4. 5, 9.

dicitur

imputatione Justitiæ Christi.

dicitur imputari ad justitiam. Neque enim verba illa significant, fidem alienam ad justitiam nobis imputari, & ad justiciam quidem Christi: sed fidem nostram ex Dei benignitate eò nobis cedere, ut pro justis habeamur, seu in justorum statu ac conditione ponamur.

Sed jam ad illa sacra testimonia veniendum est, ex quibus justitiæ Christi imputatio colligi posse videtur. Ea autem duo potissimùm sunt. Primum illud est, quo Christum nobis a Deo justitiam factum esse asseritur; quod ab adversariis perinde intelligitur, quasi Christum loco nostro justum fuisse, & proinde ejus justitiam nobis imputari dictum sit. Nos verò consecutionem istam minimè admittimus: cum Christum nobis a Deo justitiam factum fuisse perinde intelligi possit, ac si dictum fuisset, Christum ex Dei voluntate ac virtute nobis extitisse causam justitię, seu justificationis, h. e. Deum per Christum nos justificâsse, & a peccatorum omnium reatu absolvisse. Id quod cum ipsius Christi justitiæ ac sanctitatis imputatione nihil habet conjunctum. Debere autem omninò ista Pauli verba ita, ut diximus, accipi, ex eo perspicuum est, quòd in eadem verborum complexione, eodem prorsus pacto, idem Christus, & sapientia, & sanctificatio seu sanctitas, & redemptio nobis a Deo factus fuisse dicitur. Quod quidem nequaquam ita accipiendum esse, ut nobis stultis, profanis, & mortis æternæ ac corruptionis servis interim manentibus, Christi sapientia, sanctitas & redemptio imputetur, ipsi etiam adversarii facilè concesserint, sine ulla dubitatione, si modò quippiam sapiunt, unà nobiscum, ita Christum & sapientiam, & sanctificationem, & redemptionem nobis factum fuisse statuent, ut eum nobis sapientiæ, sanctitatis, & redemptionis seu liberationis causam extitisse, Deumque ejus operâ nos sapientes, sanctosque effecisse, & aliquando a morte cæterisque malis omnibus, quibus nunc subjecti sumus, liberaturum esse statuant. Quid igitur causæ est, quin eadem planè ratione illum & justitiam nobis factum esse intelligamus?

1 Cor: 1. 30.

Rom: 5. 18, 19.

Alterum testimonium illâ Christi cum Adamo collatione, a Paulo in Epistola ad Romanos institutâ, continetur; cujus quidem hanc vim esse adversarii affirmant: quemadmodum ea de causa homines ob Adami peccatum inobedientiamque damnati mortuique sunt, quia illis peccatum inobedientiaque Adami fuit imputata: ita per Christi justitiam obedientiamque ideò absolvuntur & vivunt, quia illis ea justitia obedientiaque imputatur. Nos verò pernegamus, Adami peccatum illius posteris imputari: cum id nullo nec rationis, nec scripturæ divinæ præsidio confirmari possit. Quòd enim illa

nim illa verba adducunt, *in quo omnes peccaverunt*, nihil ad rem iſtam conficiendam momenti habet: cum verba græca ἐφ' ᾧ, non ſolùm poſſint, ſed etiam debeant, *quatenus*, ut Eraſmus fecit, vel *eò quòd*, converti. Ac illud quidem inde patet, quòd idem Paulus alibi quoque, vel iiſdem, vel ſimilibus vocibus cum eadem ſignificatione utatur. Infrà enim hac eadem epiſtola cap. 8. ita ſcribit: *quod enim impoſſibile erat Legis*, *quatenus*, vel *eò quòd* (Græcè eſt ἐν ᾧ) *per carnem debilitabatur*. & in altera ad Corinthios: *nam & qui ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus gravati, eò quòd*, vel *quatenus* (Complutenſis editio habet ἐφ' ᾧ) *nolumus expoliari*. Similiter divinus Auctor ad Hebr: loquitur: *nam eò quòd*, vel *quatenus* (Gr. ἐν ᾧ) *perpeſſus eſt ipſe*, nempe Chriſtus. Debere autem verba iſta eo, quo diximus, modo hoc in loco accipi, ipſa verborum ſtructura convincit, utpote quæ inepta, aut nulla planè eſſet, ſi iſtæ duæ voces *in quo*, ita eſſent accipiendæ, ut ad Hominis vocabulum ſuperiùs commemoratum referrentur. Primò enim, ſi dictio *quo* tanquam relativum ad vocem Hominis reſpiceret, omninò proximè, nullaque oratione interjecta, illi adjuncta fuiſſet. Hoc autem modo poſita, quo eam collocatam videmus, ut ad vocem *Hominis* referatur, nullius lingvæ uſus patitur. Quòd ſi particula *quo* ad hominem ſuprà nominatum reſpectum haberet, non *in quo*, ſed *in eo*, Apoſtolus dixiſſet. Quid, quòd non præpoſitione ἐπὶ, ſed ἐν, uſus Apoſtolus fuiſſet, ſi ita, ut iſti volunt, res ſeſe haberet. Neque enim, cùm aliquid in aliqua re vel perſona, aut per eam, factum fuiſſe ſignificatur, dici ſolet ἐπ' αὐτῷ, ſed potiùs ἐν αὐτῷ, id fuiſſe factum. Quod animadvertentes viri quidam docti, contenderunt ἐπὶ pro ἐν eſſe poſitum: quod jurè illis, ſine ratione, imò cum manifeſta quadam principii, ut loquuntur, petitione affirmantibus, negatur. Quare, non quia peccatum Adami illis imputatum ſit, mortem in omnes pertranſiiſſe dicitur: ſed quia vel quatenus omnes peccaverint. Adde etiam, hinc patere, de proprio &, ut loquuntur, actuali ipſorum hominum peccato, non verò de imputatione peccati alieni iſtic verba fieri, quòd Apoſtolus dictum iſtud ſuum declaraturus ac confirmaturus, ſtatim ſubjicit: *Nam usque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputatur non exiſtente Lege*. Quivis enim cernit, de peccato actuali, adverſùs quod lex Moſaica lata eſt, quodque ipſi Adami poſteri perpetrârunt, ſermonem eſſe. Quare cum de imputatione peccati Adami non loquatur Apoſtolus; nec de juſtitia Chriſti nobis imputata inde quicquam colligi poteſt. Quod quò rectiùs

intelligatur,

[Margin notes: ℣ 12. — ℣ 3. — 2 Cor: 5. 4. — Heb: 2. 18.]

Cap: XXI. De imputatione justitiæ Christi.

intelligatur, addenda est altera pars collationis, a Paulo brevitatis causâ prætermissa; ut tota comparatio hoc modo constituatur: sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, eò quòd, vel quatenus omnes peccaverunt: sic per unum hominem obedientia in mundum intravit, & per obedientiam vita, & ita in omnes homines vita pertransiit, eò quòd, vel quatenus omnes obediverunt. Vndè apparet, in altero hoc collationis membro veram, atque ab hominibus ipsis præstandam obedientiam, ex Pauli mente intelligendam esse. Animadvertendum autem est, si in posteriore collationis parte de universo hominum genere sermonem institutum esse volumus, potiùs *quatenus*, quàm *quia*, sive *eò quòd*, ponendum fuisse: cum nequaquam totum genus hominum, nemine prorsus excepto, Deo obediat: si verò de omnibus, qui ex Christo nati sunt verba fieri credimus, dictiones *eò quòd* sine ulla dubitatione retinendæ sunt. Atqui, inquiet quispiam, imputationem tum peccati ab Adamo cõmissi, tum Christi obedientiæ, ex hoc Pauli loco apertissimè colligi, quòd postmodum Apostolus luculentissimè dicit, *ut unius delicto multi cõstituti sunt peccatores: sic unius obedientiâ multos justos constitutos fuiße*. Hoc autem, inquiunt isti, nonnisi per imputationem, illinc quidem peccati ab Adamo commissi, hinc verò obedientiæ a Christo præstitæ, fieri potuit. Sed nos hoc pernegamus: cum præter confictam istam imputationem, longè veriorem locutionis istius causam res ipsa nobis suppeditet; nimirum ideò ob Adami delictum omnes constitui peccatores, id est, morti æternę obnoxios, quia ex illo sint nati, ideoque in eodem cum illo statu positi: haud aliter ac illos, qui ex patre, sceleris cujusdam causâ in servitutem tradito, prognati sunt, eandem conditionem subire necesse est, non quòd scelus paternum illis imputetur, sed quia ita fert ipsius genituræ vis atque natura. Quod idem & de illis sentiendum est, qui ex Christo per obedientiæ imitationem sunt geniti. Nam ut Christus, spiritualis noster pater, per obedientiam vitæ sempiternæ possessionem adeptus est: ita ab ipso per fidem atque obedientiam nati, eundem divinum statum assequentur, non quidem imputationis, sed spiritualis generationis ratione habita.

1 Pet: 1. 15, 16. 3. 10, 11. 2 Pet: 3. 11, 14. Heb: 12. 14.

Sequitur ut sententiam istam cum divinis literis pugnare demõstremus. Constat igitur, sanctissima Dei oracula a nobis exigere, ut sancti atque ab omni impuritatis labe immunes simus, omnémque deponamus malitiam atque impietatem, si in beatæ immortalitatis possessione collocari velimus. At si Christus nostro loco ju-

stus ac

stus ac sanctus fuit, eaque justicia nobis imputatur, quemadmodum quidem necesse est, si nostro loco fuit præstita; nostrâ ipsorum sanctitate nequaquam erit opus; nec quicquam prohibebit, quominùs, etiamsi in peccatis perseveremus, regni tamen cœlestis hæreditatem adeamus, contra apertissima Apostoli verba, qui ita in Epistola ad Galatas, enumeratis non paucis operum carnalium generibus, subjicit: *De quibus prædico vobis, quemadmodum etiam prædixi, quòd qui talia patrant, regnum Dei non sint hæreditate accepturi*: & ad Corinthios: *Neque fornicarii, neque idololatræ, neque adulteri, neq; molles, neque masculorum concubitores, neque avari, neque ebriosi, neq; maledici, neque rapaces, regnum Dei sunt poßeßuri.* Adde, quòd apertè Ioannes, ut ab hujusmodi errore nobis caveamus, monet, dum ait: *Filioli, nemo decipiat vos. qui facit justitiam justus est, sicut & ille* (Christus) *justus est*, quasi dicat, ne vobis persvaderi patiamini, alia ratione quempiam justum apud Deum evadere posse, quàm si justitiam factis ipsis colat, eaque in parte Christo sit similis, qui eo pacto justus evasit, & justitiæ præmio potitus est: non quòd quisquam Christo ea in re par evadere possit; sed quòd eum hac in parte imitari, & vestigia ejus sequi, pro virili sua unusquisque debeat, ut ita meritò ei similis dici queat. Quòd si dicant illi, suam sententiam ejusmodi sanctimoniam non tantùm non excludere, verùm etiam postulare: quia justitia illa Christi non nisi fide nobis applicari, & sic nostra fieri queat: fides autem necessariò ex se pariat ejusmodi sanctitatem; in eo bis falluntur. primò, quia, si Christus nostro loco Deo paruit, & sic pietatis nostræ defectum justiciæ suæ exuberantiâ implevit, nulla alia applicatione præter eam, quam res ipsa secum fert, est opus. Quemadmodum enim, cùm pro aliquo reipsa solutum est debitum, nil opus est, ut eam solutionem debitor sibi applicet, si a debito eo liberari velit: quia is, cui solutum est, accepta ab altero solutione, jam non potest ab eo debitum illud jurè exigere: sic cum Deo pietatis officia a Christo fuerint loco nostro præstita ac persoluta, non potest is eadem a nobis ipsis exigere, sed ipsius justitiæ & æquitatis vi impellitur, ad Christi justitiam nobis applicandam, & nos ab eadem obedientia præstanda liberos pronunciandos. Deinde cum isti fidem salvificam nihil velint esse aliud, quàm ut quis firmiter credat, a Christo pro se esse satisfactum, & propter eum peccata sibi remitti; bona autem opera ad salutem esse necessaria, & conditionem quandam, ad quam Deus in salute reipsa conferenda respiciat, esse pernegent: nulla ratio svadet, istiusmodi fidem necessariò sanctimoniam eam, quam sacræ literæ requirunt, pro-

Gal: 5.21.

1 Cor: 6, 9, 10.

1 Ioh: 3.7.

ducere; imò ejusmodi fides in homines pessimos æquè atque in bonos cadere potest, & ne de pietate admodum sollicitus sit, unicuique suadet, quemadmodum ex dictis nostris patet. Nulla fides pietatem necessariò efficit, nisi quæ hoc ipsum ponit atque in se comprehendit, pietatem ad id, ut Deo placeamus, & porrò salutem assequamur, omninò esse necessariam: cum Deus ac Christus unicuique secundùm opera ipsius redditurus sit; ac porrò nos, si secundùm carnem vixerimus, morituros; sin spiritu actiones corporis perimamus, victuros.

Rom:2. 6.
Apoc:2. 23: 20. 12. 22. 12.
Rom: 8. 13.

Cap: XXII.

De satisfactione Christi.

Postquam jam Christum pro nobis, seu vice nostra, Legem minimè præstitisse, nec officii, quod Deo debemus, partes nostro loco explevisse ostendimus; consequens est, ut nec illum cruenta morte sua justiciæ Dei pro nobis satisfecisse, seu debita nostra, quæ peccatis nostris apud Deum contraxeramus, persolvisse, demonstremus. Intelligendum igitur est, illos, qui Christum morte sua nostro loco ea, quæ divinæ justiciæ debebamus, persolvisse asserunt, tum sanctæ scripturæ, tum rectæ rationis judicio obsistere. Ac illud quidem inde constat, quòd Christi mortis finem effectumque suprà a nobis explicatum planè evertit: idque duplici potissimùm ratione. Primò enim homines in pietatis studio negligentes socordesque efficit, ne dicam planè ab illo abducit, inque scelera impellit, aut in illis relinquit. Quid enim causæ est, cur is, qui satisfactionem istam persvasam habens, & Christum pro omnibus peccatis, & jam commissis, & porrò committendis, solutionem plenissimam Deo præstitisse credens, aliquid in repellenda a se impietate, justitiaque colenda, laboris sibi ponendum existimet? Deinde sacræ literæ creberrimè prædicant, Deum nobis peccata debitaque nostra omnia remittere ac condonare, idque per viscera misericordiæ, & secundùm divitias gratiæ suæ; & Christum in hunc ipsum finem esse mortuum, ut remissionem peccatorum adipisceremur. Atqui remissio condonatioque debiti satisfactionem ac solutionem pro eo creditori præstitam penitus excludit. Ad illam enim constituendam requiritur, ut creditor ex mera benignitate nomen expungat, & non modò ab ipso debitore, sed nec a quoquam alio quicquam eo nomine accipiat, quo illud debitum compensetur. Nam si quis v. g. centum aureos alicui debeat, etiamsi ipse debitor eos non sol-

Mat: 18: 23. & seqq.
Ephes: 4. ult:
Col: 2. 13.
Luc. 1. 77, 78.
Ephes: 1. 7.
Matth: 26. 28.

vat, sed alius ejus loco, creditor tamen nihil dicetur remisisse. Quare si Deo pro nobis a Christo debita nostra sunt persoluta, ac pro iis abundè satisfactum; nihil nobis a Deo remittitur, nihil condonatur; nedum ut viscera misericordiæ, & divitiæ gratiæ ejus, ea in re apparuerint. Adde, quòd Deus ab ipso mundi initio hominibus nulla vera satisfactione accepta peccata remiserit. Cur ergo non multò magis novi fœderis tempore, ubi gratia Dei maximè viget? Ioh: 1. 17. Rom: 5. 15, 17, 20, 21. c. 6. 14. & tamen commenti istius propugnatores, aliquot, ejus stabiliendi causâ, divinis testimoniis abutuntur.

Primò enim illos locos in medium afferunt, quibus Christus pro Rom: 5. 8. 1 Pet: 4. 1. nobis mortuus passusque esse dicitur, ut demonstrent, eum vice nostra mortem teterrimam subiisse, & sic nostram veluti personam in pœnis perferendis sustinuisse. Cujus argumenti infirmitas suprà a nobis ostensa fuit, cùm præpositionem *pro*, in his similibusque lib. 3. c. 18. locutionibus, idem valere doceremus, quod *causâ* vel *propter:* cum ipse Paulus in eadem sententia exprimenda particulas illas inter se commutet, quemadmodum unicuique manifestum fiet, si loca ista Rom. 14. 15. & 1. Cor. 8. 11. inter se contulerit. Idem etiam facit, cùm de afflictionibus suis Ecclesiæ bono susceptis loquitur, ut liquet ex collatione istorum locorum: Ephes. 3. 1, 13: Col. 1. 24. & 2. Tim. 2. 10. quibus adde 2. Cor. 1. 5, 6. Quòd si interdum commutationem quandam ista particula in ejusmodi loquendi formulis significare videtur, ea nulla alia est, quàm quòd Christus eum in finem sit mortuus, ne nos mortem, quam commeriti fueramus, subire cogeremur; non quòd vices nostras revera subierit, & id, quod nos pati debebamus, perpessus fuerit. Nos enim sempiternam mortem meriti eramus: Christus verò sempiterno interitu extinctus nequaquam est, nec id, quod tantundem valeret, est perpessus: cum tertia die a mortuis resurrexerit, sempiternamque vitam, cum ineffabili gloria, summoque in omnes res imperio, adeptus fuerit. mortis autem triduanæ, & talis quidem, quam infinita felicitas ac gloria fuit consecuta, ad mortem æternam quæ proportio? Deinde si Christus nostro loco tanta perpessus fuisset; consequens esset, nos ab omnibus calamitatum angustiis, morteque violenta, quam ipse perpessus est, immunes factos esse. Hoc autem contrà se habere inde patet, quòd Christus sese nobis ad ista omnia perferenda ducem autoremque præbuit, proque nobis ita passus est, ut exemplum nobis relinqueret, nosq; ejus vestigia persequeremur. Quid, 1 Pet: 2. 21. quòd ita Christum sequi nostri est officii, ut quemadmodum ipse 1 Ioh: 3. 16. pro nobis animam posuit, ita & nos pro fratribus animas ponamus?

 id quod

id quod Paulus Priscillam & Aquilam pro se fecisse, seque ipsum multa adversa pro Ecclesia sustinuisse ait. Quare nos nequaquam ab eo, quod Christus pertulit, immunes sumus; & illud Christi ratum esse oportet: *Qui vult post me venire, abneget seipsum, & tollat crucem suam quotidiè, & sequatur me.* itemque illud Pauli: *Omnes qui piè volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Postremò nihil divinæ justitiæ magis contrarium est, quàm insontem sontis loco puniri. Non solùm enim hominibus Deus eam legem præscripsit, ne patres pro filiis, nec filii pro patribus occiderentur, quilibet autem peccati sui pœnam lueret: verùm etiam sibi ipsi eandem legem quodammodo imposuit, hunc in modum apud Prophetam loquens: *filius non portabit iniquitatem Patris, neque Pater portabit iniquitatem filii.* Hinc colligitur, si hanc legem justis ponderibus examines, multò magis contra Dei justitiam fore, si non pater pro filio, aut filius pro patre, (quod ob tam arctam personarum istarum conjunctionem, tolerabilius esse videretur) sed alius quispiam nostro loco puniatur. Homines quidem vindictæ cupiditate incensi, vel innocentes unà cum nocentibus diris suppliciis mactant, vel, cùm ipse nocens e manibus ipsorum effugit, in insontes, cum nocente aliqua ratione conjunctos, sæviunt: sed ut nocente sponte dimisso, eoque impunitate donato, innocentes tantùm, & sibi, quàm nocenti, conjunctiores chariores que supplicio subjiciant, id prorsus inauditum est. Et tamen id in hoc negotio factum esse asserunt satisfactionis patroni, dum statuunt, Deum nobis, qui nocentes eramus, quosque punire semper poterat, sponte dimissis, filium suum unicum charissimumque, sibi per omnia obsequentem, pœnis subjecisse, & suas in illo injurias ultum esse.

Rom: 16. 3. Luc: 9. 23. 2 Tim: 3. 12. Devt: 24. 16. 2 Reg: 14. 6. Ezech: 18. 20.

Ex redemprione quoque per Christum facta, & ex eo, quòd semetipsum dederit pretium redemptionis, hanc satisfactionem efficere conantur. Verùm si illa, quæ [a] suprà ea de re diximus, ritè examinentur, facilè patebit, hanc eorum sententiam consistere non posse. Nam & metaphoricè hîc Redemptionis vocem accipi ostendimus, & quam significationem habeat, satis luculenter docuisse videmur. Tantum autem abest, ut redemptio hæc satisfactionem, quâ Deo pro peccatis nostris pretium persolutum fuerit, complectatur, ut ipse potiùs Deus, quemadmodum istic vidimus, is sit, qui redemptionem istam confecerit, filiumque suum ad nos redimendos quasi impenderit. Qua de causa Deus redemptionē populo suo fecisse, & nos redemisse, suoque sangvine sibi acquisivisse dicitur. Vt enim totus Christus Dei est, ita & ejusdem sangvis, quem Patris sui

Rom: 3. 24. Ephes: 1. 7. Col: 1. 14. 1 Tim: 2. 6. Mat: 20. 28. a lib: 3. c. 18. Luc: 1. 68. Act: 20. 28.

tris ſui juſſu pro nobis impendit. Cùm igitur ipſe Deus redemptionis noſtræ autor effectorque ſit, quomodo, quæſo, fieri poteſt, ut ipſi Deo, ejusque juſtitiæ, redemptionis noſtræ pretium ulla ex parte datum ſit? Adde, quòd non ex Dei manibus, ſed ab iniquitatibus, [Tit: 2. 14.] a vana converſatione a patribus tradita, a legis maledictone, quæ [1 Pet: 1. 18. Gal: 3. 13.] peccati pœna erat, Chriſti ſangvine nos redemptos, ſive liberatos eſſe, paſſim in divinis literis videmus, quibus ſanè rebus nihil fuit perſolutum. Vt taceam, Paulum *redemtionem* interpretari peccatorum remiſſionem, [Epheſ: 1. 7. Col: 1. 14.] quam cum ſatisfactione penitus pugnare paulò antè oſtendimus.

Oblationem præterea ſive ſacrificium Chriſti magnum ſatisfactionis iſtius argumentum continere exiſtimant: quod quidem hoc pacto conſtituunt: Veteres, inquiunt, victimæ expiatoriæ [Heb: 8. 2. & ſeqq.] Chriſti ſacrificii typum imaginemq; geſſerunt, illudque adumbrarunt. Cum autem priſca illa ſacrificia ſatisfactionem pro peccatis [10. 1. & ſeqq.] continuerint; conſequēs eſſe ajunt, ut ſimiliter & de Chriſti ſacrificio judicemus. quandoquidem par eſt, figuratum figuræ, adumbratumque umbræ ſuæ reſpondere. Hîc reſpondemus, nec omnia illa priſca ſacrificia expiatoria Chriſti ſacrificium adumbraſſe, nec ea, quæ adumbrârunt, quicquam cum ſatisfactione conjunctum habuiſſe. Ac illud quidem ideò, quòd ſacrificia, quæ ſtata non erant, ſed ex certa occaſione, aut ipſorum hominum volūtate pendebant, ac maximè ea, quæ pro privatis fiebant, majorem cum noſtris ſacrificiis, quàm cum ſacrificio Chriſti ſimilitudinē habent: quemadmodum & ſacerdotes, qui ſummo ſacerdoti ſuberant, quique hujusmodi ſacrificia ferè offerebaut, non Chriſto ſummo Pontifici, ſed [1 Pet: 2. 5, 9.] nobis, qui itidem ſacerdotes ſumus, reſpondent. Patet id, quod di- [Apoc: 1. 6. & c. 5. 10. c. 20. 15.] ximus, inde, quòd illa ſacrificia nec pro omnibus fiebant, nec ex mero Dei decreto, ſed ex hominum etiam ipſorum voluntate proficiſcebantur. In Chriſti autem ſacrificio utrumque contineri manifeſtum eſt. Sacra porrò expiatoria Chriſti ſacrificii imaginem habentia, erant ſtata, atque inprimis illa anniverſaria, quæ ſummus Pontifex ſemel quotannis in ſancta ſanctorum ingrediens peragebat; utpote quæ & pro omnibus immolabantur, & nequaquam ab hominum arbitrio voluntateque, ſed a ſolo Dei decreto pendebant. Qua de cauſa diviniſſimus ille Autor Chriſti ſacrificium [Heb: 7. 27. 9. 7, 12 & d. & ℣ 25 & c. 10. & ſeqq. & c. 13. 11, 12.] cum veteribus illis oblationibus conferens, nonniſi ad illud anniverſarium ſacrum, tanquam ad illius typum, reſpicit. Hoc verò totum ſacrificandi genus, (ut alterum quoque, quod aſſeruimus, doceamus) nullam continuiſſe ſatisfactionem inde conſtat, quòd

Satisfactione Christi. non solùm nulla causa est, cur hoc credamus: cùm summum de ea re apud divinos autores sit silentium: verùm etiam maxima est causa, cur hanc sententiam falsam esse nobis persvadeamus. Nam vel in ipsismet victimis vim illam satisfaciendi fuisse, vel eam ex Pontificis persona manasse credendum est. Verùm neutrum cum vero conjunctum est. Ac prius quidem ideò, quòd nec tanta pecudibus cum homine aut æqualitas aut conjunctio erat, ut illis mactatis pro homine satisfieret; nec Deo ea res pretii loco persolvi poterat, quæ jam illius erat; ut quidem & de universa terra, & omnibus brutis animantibus, ipse Deus loquitur. Vnde consequitur, sacrificia illa satisfactionem, per Christi sacrificium præstandam, non adumbrâsse. Semper enim in re adumbrante, aliquid ejusdem generis, saltem analogi, cum eo est, quod adumbratur; licet hoc perfectum, illud imperfectum esse necesse sit. Quomodo enim, verbi causâ, serpens æneus a Mose erectus Christi exaltati figuram gessisset, nisi utrobique & exaltationis & sanationis cujusdam haberetur ratio? Sic victima victimam, oblatio oblationem, expiatio expiationem, sacerdos sacerdotem, sacrarium terrenum sacrarium cœleste adumbrat. Cum igitur, ut demonstratum est, priscæ illæ victimæ vim satisfaciendi minimè habuerint; sequitur, nec eas satisfactionis typum sive imaginem continuisse.

Psal: 50. 8. & seqq.

Joh: 3. 14.

Posterius itidem falsum esse inde conspicitur, quòd legalis ille Pontifex victimas quidem sacrabat, seipsum tamen minimè Deo offerebat. Neque enim ulla alia ratione ex illius persona ad victimas satisfaciendi vis redundare potuit. Ex quo fit, ut, quemadmodum satisfactio, quæ in persolvenda pecunia consistit, non illius, qui solvit, dignitate, sed ipso pecuniæ numero ac pretio ponderatur; ita & de victimis illis sacerdotumque personis statuendum sit. Ex quo satis intelligitur, in sacerdotis persona nequaquam Christi satisfactionem fuisse adumbratam: propterea quòd, ut diximus, ea est rei adumbrantis natura, ut rei adumbratæ quandam contineat imaginem: cum alioqui typus illius sive figura dici nequaquam possit. Atqui olim Pontifex ille nihil minùs, ut ostendimus, fecit, quàm offerendo, Deo debitum aliquod persolvit; sed id tantùm fecit, quo ritè peracto, ex Dei benignitate, ac promissione in fœdere comprehensa, peccatorum leviorum remissio consequebatur. Vnde ubiq; ferè additur: *Et remittetur ei*, id est, homini illi, pro quo sacrificium confectum est, peccatum condonabitur; id quod omnem satisfactionem prorsus exterminat. Eodem igitur modo & de Christi sacrificio judicandum est. Et quidem ut satisfactionem istam, quæ

Lev: 4. 26, 31, 35. & 5. 10, 16, 18. & 6. 7.

Christi morte perfecta sit, ex ejusdem sacrificio concludi minimè posse apertissimè constet, illud meminisse oportet, non tunc Christi oblationem, & sic etiam peccatorum expiationem absolutam fuisse, cùm is in crucem tolleretur, sed eam, postquam a mortuis excitatus in cœleste tabernaculum ingressus est, perpetuò peragi: ut facilè appareat, oblationem expiationemque istam, satisfactionem in se minimè continere, (neque enim in cœlo cuiquam Christus satisfacit) &, si contineret, nequaquam tamen ex eo, Christum morte sua pro nobis Deo satisfecisse, ullo pacto evinci.

Heb. 8. 1, 2, 4. & 9. 12, 24.

His omnibus adversarii & illa scripturæ testimonia addunt, quibus Christum Dei hominumque mediatorem esse, peccatorum nostrorum placamentum esse, per eum nostram cum Deo reconciliationem factam esse comprobatur. Verùm horum nullum ad satisfactionem istam constituendam quicquam habere momenti, sigillatim ordineque docebimus. Primò igitur, Mediatorem esse nihil aliud significat, quàm internuncii sive interpretis officio fungi, per quem quispiam & fœdus alteri parti deferat, &, quid ab ea fieri velit, aperiat; veluti de Mose accepimus, quem mediatorem veteris illius Fœderis fuisse divinæ literæ docent, quòd Dei verbis cum populo Israëlitico fœdus illud percusserat, divinæque voluntatis rationem ei exposuerat. Ipse enim de se hunc in modum loquitur: *Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, ut annunciarem vobis verba ejus.* Quæ quidem res quàm a satisfactione diversa sit, nemo, credo, non videt. Et quoniam Christus eadem ratione mediatoris partes sustinuit, ut suo loco docuimus; quis hinc satisfactionem colligere audebit? Atque id magis etiam inde apparet, quòd Deus fœdere isto novo, cujus Christus mediator est, peccatorum condonationem nobis sancivit. Inquit enim: *Propitius ero injustitiis eorum, & peccatorum iniquitatumque ipsorum non recordabor ampliùs.* Quid autem peccatorum remissio cum satisfactione commune habet?

1 Tim: 2. 5. Rom: 3. 25. Ioh: 2. 2. & 4. 10. Rom: 5. 10. 2 Cor: 5. 18, 19.

Heb: 8. 6. Lev: 26. 45. Devt: 5. 5. Gal: 3. 19. vid: Exod: 20. 19. & d. c 24. & d.

d. l. Devt: 5. 5.

lib: 3. c. 11. & hoc lib: c. 17.

Heb: 8. 12. 10. 17.

Iam quòd Christus placamentum seu propitiatorium, Græcè ἱλαστήριον dicitur, satisfactionem istam minimè constituit: cum non quia Deum iratum nobis placet, sed quia eum jam placatum minimeq; iratum esse testificetur, isto nomine appellatus fuerit. Primò enim locus, in quo nomen istud Christo tribuitur, apertissimè de gratia Dei peccatorumque condonatione agit, eamque in omnes Christo fidem adjungentes summa Dei liberalitate conferri docet. Deinde Apostolus in ea appellatione ad arcæ operculum omnino

Rom: 3. 25.

videtur alludere, quod similiter a Græcis Vet. Test. interpretibus ἱλαςήριον, seu propitiatorium appellatum fuit: non quòd Deum iratum Israëlitico populo placaret; sed quòd Deus eo in loco responsa populo dabat, quidque fieri ab illo vellet, per Mosen significabat, & porrò suam erga eundem populum benevolentiam declarabat. Id quod in Christum optimè quadrat; utpote per quem Deus voluntatem suam nobis aperiendo, sese placatum sive propitium, & nostri valde amantem præstitit. Quòd autem Apostolus dicit, Christum in sangvine suo placamentum constitutum fuisse; id ideò facit, quòd tunc verissimè Deus sese nobis placatum præbuit atque ostendit, cùm Filium suum unigenitum salutis nostræ constituendæ causâ in truculentissimam mortem tradidit. Quòd verò Christus apud Ioannem ἱλασμὸς seu propitiatio pro peccatis dicitur; animadvertendum est, vocem illam apud Græcos interpretes Vet. Testamenti, creberrimè Expiationem denotare, ut verbum, unde fluit, Expiare: cujus rei exemplum habes etiam Hebr. 2. ubi Christus in cœlis jam degens dicitur ἱλάσκεσθαι, seu expiare peccata populi, hoc est, eorum reatum ac pœnam tollere. Quare id dicere vult Ioannes, Christum eum esse, per quem peccata nostra expientur, nosq; ab eorum reatu ac pœna liberemur. Et in priori quidem loco sermo est de Christo apud Patrem in cœlis existente: in posteriori de effectu ingentis charitatis, quâ nos Deus prior complexus fuerit, qui esse non potuit, efficere, ut a Christo placaretur, & ex irato propitius nobis redderetur. Verùm, ut demus illud, quod falsissimum jam esse ostendimus, Christum nimirum Deum nobis placasse: nequaquam tamen satisfactio inde rectè concludetur: cum ad quempiam placandum satisfactio non sit necessaria. Fieri namque potest, ut quis vel precibus, vel persvasionibus ita permulceatur, ut de suo jure penitùs concedat, & porrò nulla satisfactione indigeat.

Exod: 25. 22. 30 6. Num: 7. 89. — 1 Ep: 22. c. 4. 10. — ℣ 17.

Non major autem vis ad satisfactionem probandam, in reconciliatione nostri cum Deo per Christum facta continetur. Intelligendum enim est, duabus potissimùm rationibus patere, nequaquam ex reconciliatione illud satisfactionis dogma colligi posse. Primò quia pro concesso sumitur, reconciliationem operâ Christi ita perfectam fuisse, ut is Deum sceleribus nostris offensum placaverit; id quod nullo, nec rationis, nec scripturæ præsidio defendi potest. Ratione, quia cum sanæ mentis judicio pugnat, Deum, qui jam antequam Christus munus suum aggrederetur, & porrò acerbissimam mortem subiret, nulla expectata placati-

ta placatione, ſponte ſua gratuitam nobis peccatorum condonationem offerre, & in eum finem Chriſtum mittere, eundemq; in truculentiſſimam mortem noſtrâ cauſâ conjicere conſtituerat, Chriſti demùm morte delinitum, nobiſque reconciliatum fuiſſe. Scripturâ autem eandem ſententiam confirmari minimè poſſe, altiſſimum, quod ea de re apud ſacros ſcriptores eſt, ſilentium indicat. Non diffitemur quidem; divina oracula teſtari, nos per mortem Chriſti reconciliatos eſſe Deo, nec non ipſum Deum ſibi mundum reconciliaſſe, peccata hominibus non imputando. Atqui quis adeò hebes eſt, quin aliud eſſe intelligat, nos Deo per Chriſtum reconciliatos eſſe, & aliud, Deum offenſum nobis reconciliatum fuiſſe? Sed deinde, ſi maximè concedatur, Deum nobis per Chriſtum reconciliatum placatumque eſſe, ineptè tamen ſuper illud ſatisfactionis commentum ædificari, ſatis ex iis conſtare poteſt, quæ paulò antè de placamento, quod Chriſtus eſt, diximus.

Rom: 5 10. 2 Cor: 8. 19.

Cap: XXIII.

De quorundam Chriſti præceptorum depravatione.

Cap: XXIII. De quorundam Chriſti præceptorum depravatione.

IAM tandem, ut quo pacto Diabolus mandata Chriſti depravare conetur videamus, intelligendum eſt, eum diſciplinam illam, quâ Chriſtus ſuos ad animi demiſſionem, ad manſvetudinem, ad patientiam, deniq; ad inimicorum dilectionem apud Matth. potiſſimùm cap: 5. inſtituit, jam ad ſolos verbi divini miniſtros referendam eſſe, contendere, jam verò Chriſtum nihil Moſe perfectius ad ſanctè vivendum tradidiſſe, eamque ob cauſam præcepta iſta ſua, non Moſis diſciplinæ, ſed falſis Phariſæorum interpretationibus oppoſuiſſe. Ac primum quidem falſiſſimum eſt. Nam ut taceam, ex perpetuo Chriſtianæ religionis tenore, & plurimorum ſcripturæ locorum cum illis Chriſti dictis collatione ſatis intelligi, omnibus, qui ſanctiſſimam ejus diſciplinam ſunt amplexi, ita, ut eo in loco præſcribitur, vitam inſtituendam eſſe; contextus quoque Chriſti verborum apertiſſimè indicat, eum diſcipulos ſuos promiſcuè alloqui. Diſcipulorum porrò nomen tam amplam apud Evangeliſtas ſignificationem habet, ut non tantùm Apoſtolos, ſed etiam omnes Chriſti doctrinam amplectentes deſignet. Quorum quidem non exiguum fuiſſe numerum, ex illis Lucæ verbis perſpicuum eſt, cùm vel eundem, vel ſimilem Chriſti ſermonem deſcripturus, *turbam diſcipulorum* unà cum Chriſto in campeſtri loco ſtetiſſe aſſerit. Adde quòd, ut idem Lucas teſtificatur, ex diſcipulis iſtis jam antea factis Apoſtolos elegit. Quòd ſi dicant, ſolos ſæpe Apoſtolos κατ' ἐξοχὴν

Mat: 5. 17 & 7. 28, 29.

Luc: 6: 17.

℣ 13.

ἐξοχὴν Christi discipulos nominari; id hoc loco nullius momenti est: cum hoc nonnisi illis in locis fieri constet, ubi ipse sermonis contextus, de Apostolis tantummodo sermonem esse, convincit. Atqui hîc non solùm nihil tale videmus; sed duabus insuper rationibus, de solis Apostolis orationem nequaquam haberi, demonstrari potest. Primò constat, Matthæum in iis, quæ Christus & dixerat & gesserat, describendis ordinem sat diligenter conservâsse. Vndè colligitur, tunc, cùm Christus concionem illam haberet, nondum quenquam Apostolico muneri præfectum, sed omnes communi quadam ratione Christi discipulos fuisse. Apostolorum quippe creatio, decimo demùm ejusdem libri capite explicatur. Adde, quòd Matthæus, hac oratione finita, mox subjungit, eum turbas instituisse: per quas certè non soli Apostoli intelliguntur. Altera ratio est, quòd Christus apud Matthæum, Mosaicis præceptis ea ex parte vel addit vel opponit sua, quatenus Moses universum populum Israëliticum olim docuerat, legibusq; devinxerat. Hinc enim perspicuum est, Christum quoque universum populum suum ad pleniorem vitæ sanctimoniam erudire. At, inquiunt, ad solos Apostolos referenda omnia illa præcepta esse ex eo constare, quòd & Prophetas ibidem, qui ante ipsos populum Dei instituerant, commemorat; & eos, quos alloquitur, salem terræ, & lucem mundi nominat; & quod caput est, tum docere, tum facere illos jubet. quę omnia non nisi in doctores convenire asserunt. Nos verò nullum horum vim aliquam hîc habere dicimus. Primò enim Prophetas memorando, non ad ipsorum officium, sed ad insectationes varias, quibus vexati fuêre, respectum habet; ut ita ostendat, tantum abesse, ut discipuli ipsius ob istiusmodi mala tristari ac conturbari debeant, ut potiùs & gaudere debeant, se viris tam sanctis ac Deo tam charis hac in parte similes esse, & certam præmii apud Deum repositi spem concipere: cum minimè sit dubitandum, amplissimam Prophetas a Deo reportaturos esse patientię ac pietatis suæ mercedem. Salis quoque & lucis titulum, omnium Christianorum communem esse, nemo ignorare potest, qui sacras Novi Testamenti literas legit. Ad extremum in his verbis: *qui fecerit & docuerit* &c. conjunctio *&* nequaquam eam vim habet, ut significet, eos omnes, ad quos hic sermo pertinet, simul & facere & docere debere; sed, si contingat, ut is, qui Christi discipulus sit, simul etiã docendi fungatur munere, eum non modò ea, de quibus sermo est, facere, sed etiam docere debere. Quamvis ergo in eo, qui docendi partes sustinet, utrumque convenire debeat: tamen cum multi sint, qui mu-

[Margin notes: c. 7. 28, 29. — Mat: 5. 12, 13, 14. — ℣ 19. — Luc: 14. 34, 35. Ephes: 5. 8. Phil: 2. 15.]

nere

Cap: XXIII. De quorundam Christi præceptorum depravatione.

nere alios instituendi minimè fungantur, interimque nihilominus Christi mandata exequi jubeantur, quemadmodum vel ex his ipsis verbis intelligitur; fit, ut hoc loco adversariorum sententia constitui nequeat; sed potiùs colligendum sit, alios de ipsius populo futuros fuisse, qui illius jussa reliquis tum proponerent, tum exequerentur: alios verò, qui ea perficerent tantùm.

Sed jam alteram excutiamus sententiam, quâ Christum non Mosaicis præceptis, sed Pharisæorum falsis interpretationibus suam doctrinam opposuisse statuitur. Eam igitur a vero alienissimam esse hinc perspicitur, quòd in omnibus istis præceptis, quibus Christus sua opponit, nihil continetur, quod antea in lege Mosaica, vel verbis ipsis, vel sententiâ non fuerit comprehensum. Quòd si quis ex illis Christi verbis opinionem istam constitui putat, *Nisi enim abundaverit justitia vestra plus, quàm scribarum & Pharisæorum, in regnum Dei non intrabitis;* idque eam ob causam, quòd his verbis proximè antè usus fuerit Christus, quàm istas doctrinarum oppositiones institueret; respondemus, thesim, quam Christus confirmandam susceperat, non istis verbis revera contineri, sed illis superioribus: *Nolite putare, quòd veni solvere legem & Prophetas: non veni solvere, sed implere.* His per quandam occasionem subjunxit, eum, qui solvat unum ex minimis Legis mandatis, sicque homines doceat, minimum vocatum iri in regno cœlorum. Verùm cum hoc illis, apud quos Scribæ Pharisæiq; multum habebant autoritatis, durum videri posset, quippe qui Legis quidem disciplinam hominibus explicarent, eam tamen ipsi magna ex parte non exequerentur; occurrit Christus, eumque, qui Pharisaicam justitiam ad cœlestem felicitatem consequendam satis esse putet, toto cœlo errare docet: cum ut quis ad tantam felicitatem perveniat, multò perfectiore justitia præditus sit oporteat. Constat igitur, Christum hæc de Pharisæorum justitia verba, nonnisi per occasionem, ad tacitæ nimirum objectioni occurrendum, fecisse, & porrò non, ut sequentium thesin constitueret, sed ut præcedentia confirmaret, ea protulisse. Mat: 5. 20.

Verùm ut errorem istum planè convincamus, singula ista præcepta percurrenda videntur, ut & Christum verba sua Legi Mosaicæ opponere, & adversariorum objectiones inanes esse manifestò appareat. Primum igitur hoc est: *Audivistis, quòd dictum sit antiquis, Non occides. qui autem occiderit, reus erit judicio.* Hîc adversarii negant, Mosis præceptum adduci: cum apud eũ verba ista, *Reus erit judicio*, non reperiantur. Atqui satis superq; est, eorum inveniri sententiam. Quid enim aliud significat, judicio reum esse, quàm dignum v. 21.

Cap: XXIII. De quorundam Christi præceptorum depravatione.

gnum esse supplicio? Adeò autem nihil hîc de Lege immutatur, ut quod Christus summatim breviterque dicit, idem multò & fusiùs & luculentiùs in illa exprimatur. Quid, quòd Christus hæc verba, *Reus erit judicio*, cum dictis legalibus opponeret sua, retinuit; quod nequaquam fecisset, si ea, ut perperàm a Pharisæis usurpata, rejicere instituisset. Non igitur dictiones istas corrigere, sed totum de non interimendo præceptum augere voluit, aperteq; docere, non illum tantummodo judicio reum esse, qui alteri manu sua vitam eripit, sed illum etiam, qui fratri irascitur.

Exod: 21. 12, 14: conf: Gen: 9. 6.

¶ 27. Alterum est: *Audivistis dictum esse antiquis*, Non mœchaberis. *Ego autem dico vobis, quòd omnis, qui aspexerit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. Hîc certè adversarii nihil habent, quo suam opinionem stabiliant: cum ipsa Legis verba hîc recitentur, illisque Christi doctrina luculentissimè opponatur.

¶ 38. Exod: 21. 23, 24, 25. Similiter & de illis judicandum; *Oculum pro oculo, & dentem pro dente*, quæ in ipsa Lege expressa sunt, quæ ita corrigit Christus, ut id, quod in illis parti læsæ permittitur, nempe ut vindictam per magistratum repetat, prohibeat. Nec illud dissimile est, quod de divortiis traditum erat; utpote quod iisdem planè verbis a Christo profertur; quamvis, ut brevitati consuleretur, divortii causa omissa sit. Quòd si vel ex hoc ipso constare dicas, Christum hoc in loco Pharisæorum commentum rejicere, affirmantium, ob quamlibet causam uxorem dimitti posse, & porrò non propter solam fœditatem

Deut: 24. 1. a Mose expressam; nos ita rem sese habere pernegamus: cum neque istam Pharisæorum opinionem Christus exprimat, quod omninò fecisset, si eam reprehendere in animo habuisset; nec, si maximè eam hîc subintelligendam esse fingamus, adversarii causam suam obtinebunt, nimirum Christum nihil Mosaicæ Legi addidisse: cum sic unà cum Pharisaico errore, & ipsum Mosaicum ea de re præceptum correxisset. Verbis enim suis, quæ e regione posuit, non solùm quamcunque, sed etiam eam ipsam divortii causam excludit,

¶ 32. quam Moses expresserat. Sic enim loquitur: *Ego autem dico vobis, quòd omnis, qui dimiserit uxorem suam, exceptâ causâ fornicationis, facit illam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat*. Neque enim fœditas illa, quæ olim divortii causam afferebat, stuprum istud seu adulterium erat, quod Lex morte plectere jubebat, nedum ut adulteræ juberet dare divortii libellum, quò alteri nubere posset: sed ea, ob quam, ut testis est Moses, mulier in viri sui oculis gratiam non inveniebat. Cujus quidem multa præter stuprum alia genera esse potuerunt. Quod sine dubio Tigurini animadvertentes, verba

illa hoc

illa hoc pacto converterunt: *si inveniat in ea rem aliquam fœdam.* Videamus porrò etiam de illo Mosis præcepto, quo, ne pejeremus, prohibemur: *Audistis*, inquit, *dictum esse antiquis, non pejerabis, reddes autem Domino juramenta tua.* Vbi adversarii asserunt, verba ista posteriora, *Reddes Domino juramenta tua*, addita a Pharisæis fuisse. Quod quidem falsissimum esse inde constat, quòd eadem planè sententia, quantumvis non iisdem verbis, longè tamen luculentiùs a Mose hunc in modum pronunciatur: *Vir si votum voverit Iehovæ, aut juraverit juramentum, ad ligandum ligamento animam suam, non polluet verbum suum: secundùm omne, quod exivit ex ore suo, faciet.* Quamquam res etiam ipsa unumquemque monet, Legis sententiam omnino fuisse, ut si quis aliquid juramento interposito vovisset Deo, id redderet ac persolveret; alioqui perjurium commissurus, quod Lex apertissimis verbis prohibet.

ỷ 33. Num: 30. 3.

Reliquum est illud ultimum hujus generis mandatum: *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Quo in loco adversarii negant, verba ista, *Odio habebis inimicum tuum*, apud Mosen reperiri. Quod quidem nos facilè concesserimus: ipsum tamen verborum sensum a Mose expressum fuisse affirmamus. Cum enim inimicus hic proximo opponatur, & porrò hostem significet, Deusque hoc illis servatæ Legis præmium tribuere voluerit, ut hostes suos funderent, dissiparent, in fugam converterent, omnibusque bonis eversos interimerent; quis non videt, nequaquam Pharisæos demum istam sententiam in divinum populum importasse; & porrò ipsam Legem hîc a Christo corrigi?

ỷ 43. Levit: 26. 7, 8. vid: etiã Exod: 23. 27: Devt: 7. 2. & d. cap. 25. 17, 18, 19. conf: cũ Exo: 17. 14, 16.

Cap: XXIV.

De Idololatria.

SEd jam ad ea dogmata veniendum est, quæ non solùm pietatis, & sic salutis nostræ cursum impediunt, verùm etiam prorsus a sempiterni boni possessione homines repellunt; utpote quæ vel idololatriam, vel Christi contumeliam blasphemiamq; inducunt. Ac de idololatria quidem ex ea tantùm parte dicendum nobis hoc loco est, quatenus istius patroni divinis eam literis confirmare nituntur. Reliqua enim suprà jam suo loco explicata sunt. Hoc tamen repetere operæ pretium duximus, idololatriam in illis sive rebus sive personis religiosè colendis constitutam esse, quæ Deus nequaquam sunt, nullamq; divinam potestatem habent: veluti sunt hac tempestate omnes imagines, statuæ, sancti demortui, panis eucharisticus, & alia non pauca, quibus honor singulari religione, vel potiùs superstitione

lib: 4. c. 12.

perstitione tribuitur. Quod quidem peccatum esse gravissimum, tametsi suprà a nobis demonstratum est: cum tamen sacrarum literarum testimoniis illud comprobari posse existimetur; videndum tādem est, quàm rectè id fiat. Ac primò quidem, ut imagines adorandas esse convincant, & æneum illum serpentem honoratum, & cherubinos illos propitiatorii religiosè cultos, & scabellum Dei adoratum, & locis sacris reverentiam adhibitam fuisse, literis proditum esse ajunt. Animadvertendum autem est, hoc in loco non de quovis honore, sed de religiosæ adorationis cultu orationem haberi. Ex quo fit, ut etiamsi id honoris rebus paulò antè enumeratis habitum fuisse statuatur, ut nequaquam profanæ, sed sacræ a communiq; usu
Exod:29.26,34. sejunctæ existimarentur: tamen inde religiosè adoratas fuisse colli-
Levit 24 5, 9. gi nequaquam possit. Nam & victimæ, & panes propositionis conse-
1 Sam:21. 4, 6. crati fuerunt; nec tamen adorationis cultu honoratos fuisse, dici ul-
Mat:23.17,19. lo modo debet.

Bellarm. Vt igitur primò de imaginibus dicamus; intelligendum est, adversarios, ut eas adorandas esse convincant, tria testimoniorum sacrorum genera in medium afferre. Primùm, inquiunt, expressè de imaginibus agit, nimirum de Cherubinis propitiatorii, & de æneo
Exod. 25. 18. serpente. Imagines enim, ajunt, Cherubini super arca existentes ne-
1 Reg: 6. 27. cessariò adorabantur ab illis, qui arcam adorabant. Atqui nec arcam ipsam revera adoratam, nec porrò ipsosmet Cherubinos eodem cultu honoratos fuisse, ullo scripturæ testimonio comprobari po-
Num: 21.9. test: quod idem & de serpente æneo dicimus. nec mirum; cùm non ideo in sublimi loco positus fuerit, ut adorationis illi cultus adhiberetur; sed ut, qui eum aspicerent, sanarentur. Vt taceam, id, quod de rebus aut imaginibus Dei ipsius jussu constitutis, quibus ipse aliqua ratione præsens adesse censebatur, dicitur, non protinus esse trahendum ad eas imagines, quas nec confici jussit Deus, nec præsentiâ suâ consecrare ostendit, imò quas, ut suo loco ostendimus, fieri vetuit, quasq; proinde penitùs adversatur. Id quod potissimùm dicimus propter arcam & cherubinos: cum super arca inter Cherubinos istos Deus aliqua ratione resideret, & singulari virtute ac providentiâ suâ præsens adesset. Alterum testimoniorum genus illud esse ajunt, quo doceamur, creaturas religiosè honorandas esse, pro-
Psal 99.5. pter solam relationem ad Deum: veluti illud est: *adorate scabellum*
Mat:5. 34,35. *pedum ejus.* & illud: *Nolite jurare per cœlum, quia thronus Dei est: neq; per terram, quia scabellum est pedum ejus.* Atqui hæc testimonia, præterquam quòd ad propositum nihil faciunt; cum hîc de imaginibus disputetur, quas veram aliquam ad Deum relationem, quæ eas venerabiles

nerabiles reddere queat, habere nihil constat, sed potiùs Deo ejusque voluntati adversas esse, ex multis scripturæ locis patet; etiam nullo modo id comprobant, quod ab adversariis affirmatur, nimirum creaturas propter relationem ad Deum adorandas esse. Primò enim apud doctiores interpretes non legitur: *Adorate scabellum pedum ejus*: sed, *prosternite vos ad scabellum pedum ipsius: sanctus enim est*. Quod sanè non ipsum scabellum adorare est; sed eo in loco procumbendo, Deum, qui sese præsentem ibi præstabat, colere. Quam quidem versionem Franciscus Vatablus, doctissimus sacrarum literarum interpres secutus, sic in ejus loci margine annotavit: *prosternite vos ad scabellum pedum ipsius, id est, in templo, vel ante arcam, in qua præsentiam suam exhibebat Deus*.

Deinde quòd ex Christi verbis de jurejurando factis, primariò Deo honorem, secundariò verò creaturis tribui asserunt; siquidem ad rem loqui censeri debent, gravissimè falluntur. De adorationis enim honore hîc sermo est. Num verò is honor capiti nostro, aut terræ, quam calcamus, a nobis debetur? num quisque caput suum, aut terram adorare, eique religiosum aliquem honorem exhibere debet? similiter urbi Hierosolymitanæ, & cœlo? certè nihil jam erit, cur non & solem, lunam, stellasque adoremus, ac religiosè colamus, id quod Deus olim severè prohibuit. Illud tantùm Christus indicare voluit, res illas vel aliqua ratione Deo sacras esse, vel saltem non in nostra, sed in solius Dei esse potestate, ita ut affirmatio, ad quam confirmandam earum mentio adhibetur, tacitè ad Deum ipsum respiciat, & sic pro affirmatione religiosa, proque juramento sit habenda, quæ proinde nequaquam vilipendenda, aut, cum nulla cogit necessitas, adhibenda sit. Per cœlum enim, terram, Hierosolymam, caputque nostrum jurare, perinde esse, ac jurare per Deum, cujus cœlum est sedes, cujus terra est pedum scabellum, cujus Hierosolyma urbs est, qui denique caput nostrum condidit. Deut: 4. 19.

Tertium ultimumque eorum testimoniorum est, quæ docent, creaturas dici sanctas, propter relationem ad res sanctas, veluti illud est Exod. 3: locus, in quo stas, terra sancta est; & vestes sacerdotum dicuntur sanctæ, propter eandem causam. sic scriptura, sacrarum literarum nomine appellatur, propterea quòd sacrarum rerum signum est. sic verba ipsa prolata, inquiunt, venerari consuevimus, & Evangelium audimus detecto capite. at imagines Christi & sanctorum sunt etiam institutæ ad significandas & repræsentandas res sacras. cur ergo eas honorare non liceat? Hæc ferè illi. Atqui ista omnia nihil ad rem faciunt. Nam & multas res a Deo institutas, tum

sanctas,

sanctas, tum modo quodam venerandas esse libentissimè concedimus: verùm tota istius venerationis summa, nonnisi in hoc consistit, ut easdem res nequaquam profanas, aut in communi usu positas, sed ab aliis vulgaribus rebus segregatas, & vel mysticum aliquid in se continentes existimemus, vel conveniente religione tradamus. Quorum utrumque absque adoratione, quâ ipsæ colantur, fieri tum posse, tum debere, firmiter nobis constitutum est. Quis enim verbi causâ vel diem festum adorat, quia sanctus est? vel eandem ob causam ante victimas aut panes olim a Deo consecratos procubuit? aut ante vasa sacra, quibus olim in templo utebantur sacerdotes? Hæc tamen nequaquam de illis rebus dicta existimari volumus, quæ hominum arbitrio, contra expressam Dei voluntatem inventæ atque intrusæ sunt. In quo genere sunt imagines, aliaque innumerabilia in Ecclesiam invecta, de quibus ob causam modò allatam, ne honorificè quidem sentire convenit, nedum eas adorationis cultu venerari.

Cap. XXV.

De invocatione Sanctorum.

IAm quod ad sanctorum vitâ functorum invocationem attinet, similiter eam rem esse tum maximo errore implicatam, tum impiam, asserere non dubitamus. Primò enim ex divinis literis clarissimè patet, in precibus iis, quas sacras ac religiosas appellare licet, quæque ad eum diriguntur, qui longissimè etiam absit, ita ut naturæ cursu inspecto, preces eas percipere nequeat, sed ratione naturæ limites transgrediente, nonnisi aut Deo ipsi immediatè supplicandum esse, aut ei, quem Deus divino imperio ac potestate donavit, ita ut ipsius auxilium implorari meritò queat: tertium nihil a divinis autoribus proponi videmus. Ac de Deo quidem implorando, idque immediatè, quod dicitur, nulli sanæ mentis homini dubium esse potest: cùm hęc res, & mandato, & sanctissimorum virorum exemplis præscripta nobis sit. Eum verò qui in tam alto summæ potestatis gradu constitutus sit, ut jure a nobis invocari possit, non nisi Iesum Christum esse cernimus. Ex quo fit, ut prępter hos duos nemini religiosas preces adhibere nec possimus, nec debeamus. Et hanc
1 Cor: 8. 6. quidem ob causam Paulus Apostolus, cum de divino cultu agit, istos duos, tum Diis gentium, tum omnibus diis dominisque qui in cœlo terraq; existunt, opponit, ut hos solos a Christiano populo divina ratione colendos esse doceat. Nec ullum apud divinos autores mandatum exemplumvé extat, quo pręter Deum Christumq;

alium quempiam religioſè invocandum eſſe, aut invocatum fuiſſe demonſtrari queat.

Deinde neceſſe eſt, ut is, cui abſenti religioſæ preces adhibendæ ſunt, perſona aliqua ſit, quæ non modò vivat, & actu ipſo intelligat, ſed etiam omnia, utut longiſſimè diſſita, intueatur ac percipiat, intimasque mentis humanæ partes perſpectas habeat, eaque inſuper poteſtate autoritateque polleat, ut precantes juvare poſſit. Atqui homines ſancti, qui vitam cum morte commutârunt, non eſſe ampliùs in ſacris literis dicuntur, &, cùm mortui ſunt, actu ipſo nequaquam vivunt atque intelligunt, tantum abeſt, ut intimos hominum ſenſus calleant, preces eorum, & quidem ubivis terrarum, eodemque temporis momento fuſas audiant, hominibusque ſuppliciter ad ſe confugientibus auxilium ferant. Relinquitur igitur, nihil iſto commento vanius, nihilque futilius eſſe. Quanquam enim, ut ſuo loco a nobis demonſtratum eſt, ſpiritus hominum ad illum redeunt, qui eos dedit: tamen eosdem ſpiritus a corpore ſejunctos perſonas quasdam eſſe, quæ aliquid agant, ſentiant, & ſic preces noſtras audiant, voluptatibusque ſempiternis jam perfruantur, non ſolùm nullo ſanctarum literarum teſtimonio docemur, ſed contrà etiam rationibus evidentiſſimis facilè convincitur, ſententiam iſtam divinis oraculis repugnare. Paulus enim aſſerit, ſi mortuorum reſurrectio deſperanda ſit, nihil eſſe, cur de pietate laboremus, aut tantas calamitates veritatis cauſâ ſuſtineamus, imò Chriſtianos omnium hominum miſerrimos eſſe. Quod ſanè a vero alieniſſimum foret, ſi hominum ſpiritus etiam absque reſurrectione in tanta tum voluptate, tum autoritate conſtituti eſſent, ut non ſolùm ipſi æternis bonis perfruerentur, verùm etiam religioſè invocari hominibusque auxiliari poſſent. Tanta enim felicitas eſſet, ut vix aut ne vix quidem aliqua per reſurrectionem ad eam acceſſio fieri poſſe videretur, imò nulla revera fieret. Illa quoque Chriſti ratiocinatio, quâ Abrahamum, Iſaacum, & Iacobum a mortuis reſurrecturos eſſe demonſtrat, peſſimè conſtituta eſſet, ſi iſta adverſariorum opinio conſtaret: cùm ſic ex eo, quòd Deus illorum Deus ſit, non eos a mortuis excitandos, ſed jam vivere potiùs concludendum fuiſſet. Quanquam autem apud Lucam Dominus Ieſus eos Deo vivere aſſerit, tamen ipſa orationis complexio indicat, id non niſi ea de cauſa ab eo dici, quod Deus illos a mortuis excitare ſempiternâque vitâ donare planè conſtituit. Si enim ſimpliciter proprieque Deo viverent, nequaquam requireretur, ut a mortuis reſurgerent; eamque ob cauſam Deus illorum Deus meritò nominari poſſet, nulla

vid: Pſal: 37. Io: 39 14. Ierem: 31. 15. Mat: 2.18 Thren: 5. 6.

1 Cor: 15. 30, 31, 32. conf: cum ỹ 18, 19.

Mat: 22. 31, 32.

Luc: 20. 38.

nulla resurrectionis habita ratione. Quid, quòd si spiritus demortuorum sanctorum preces nostras audire, nobisq; quacunq; ratione prodesse possent, haud verè Esaias hæc verba scripsisset: *Tu pater noster: & Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos: tu Domine Pater noster & redemptor noster, a seculo nomen tuum.* Nec quicquam adversariorum causæ præsidii affert, quòd ajunt, Abrahamum Israëlemque non quidem naturalem rerum nostrarum noticiam habere, habere autem supernaturalem, Deo nimirum, quæ nobiscum agantur, illis patefaciente. Primò enim manifestò id pro concesso sumitur, quod falsum esse jam demonstravimus, nimirum Abrahami & Israëlis spiritus personas esse, & ideò illis aliquid patefieri, nosque ab illis juvari posse. Adde, quòd nequaquam verè Israëlitæ dicere potuissent, Abrahamum Israëlemque ipsos ignorare, si per divinam patefactionem eorum res perspectas habuissent. Quinimò cum divina patefactio naturali cognitione mille partibus certior atque præstantior sit, non conqueri Israëlitæ de illorum ignorantia, sed potiùs plurimùm sibi gratulari debuerunt, quòd, quid secum ageretur, illi non naturali, sed planè divinâ scientiâ tenerent. Ex his, quæ diximus, colligitur, omnia, quæ isti de rerum humanarum patefactione, quæ sanctis demortuis contingat, loquuntur, inania prorsus esse, nec eam illis elabendi viam hîc patere, ad quam cæteroqui confugere solent, quòd non quidem, ut bonorum datores, sed ut impetratores sancti demortui invocentur: cùm neutrum in illos, qui personæ aliquid cogitantes atque agentes minimè sunt, cadere possit. Atque hinc multò clariùs patet, quàm insulsè adversarii illa scripturæ testimonia adducant, quibus homines sanctos, dum in vivis essent, pro aliis orâsse comprobatur: quasi verò eadem protinus facere possint mortui, quę vivi: aut quasi sequatur, si sancti hîc vivẽtes, preces aliorum vel coràm audire, vel absentes naturali aliqua ratione resciscere; & iis impulsi Deum etiam pro illis rogare queant, eosdem etiam in cœlis, hominum in terris existentium, & quidem infinitorum, ac longissimè etiam a se invicem dissitorum, preces eodem temporis momento percipere, & ipsa eorum cogitata, tacitaque animi vota & suspiria videre atque intelligere. Quocirca etiamsi tandem concederetur, sanctos mortuos actu ipso vivere, id quod seipsum evertit, eosdemque pro nobis Deo supplicare; non tamen protinus hinc consequeretur, eos invocandos esse. Potest enim aliquis etiam non rogatus pro aliis orare: quemadmodum sanè pii creberrimè faciunt: nec necesse est, ut is, qui pro aliis orat, singulos nominatim nôrit, ac, quid quoque tem-

Esa:63.16.

Bellarm.

pore ſigillatim unicuique neceſſarium ſit, intelligat: ſed ſatis eſt, eum nôſſe generatim illos, aut de certis hominum generibus, quæ inter illos extent, ſcire, & quis illorum ſtatus ſit aut eſſe ſoleat, quibus rebus vel ſemper, vel plerumque indigeant, intelligere.

Sed videamus tamen, quomodo adverſarii oſtendant, hoc ipſum in mortuos cadere. Vt ergo id obtineant, tum divitem Lazarumq; adducunt; tum animas martyrum, Deum inclamantes, in medium proferunt; tum ſanctos illos amictos ſtolis albis, & ante thronum Dei ſtantes, eique dies ac noctes ſervientes, commemorant; tum denique ſanctos demortuos, nunc pro nobis Deo ſupplicare, ſacris teſtimoniis comprobare nituntur. Primò igitur reſpondemus, ea, quæ Chriſtus de divite ac Lazaro narrat, parabolico, non autem hiſtorico propriove orationis genere proferri. Quanquam enim nulla eo in loco parabolæ mentio adjicitur: nihil tamen prohibet, quominus parabola revera ſit: quandoquidem tum capitibus præcedentibus, tum hujus ipſius capitis initio, parabolas videmus narrari, licèt nihil præmittatur, quod indicio ſit, parabolicè ea dici. Vt verò manifeſtè appareat, ita ſeſe rem eo, de quo agimus, loco habere; animadvertendum eſt, iſtud hiſtoricè nequaquam accipi poſſe, quòd Chriſtus divitem rogantem inducit, ut Lazarus digito in aquam intincto, illius lingvam refrigeret. Digitos enim lingvasque habere, aut aquâ refrigerari poſſe, in ſpiritus corporibus exutos nequaquam cadit. Intelligendum igitur eſt, Chriſtum, orationem ſuam ad captum popularem accommodando, hoc docere inſtituiſſe, pauperem pietatis ſtudioſum, qui hîc deſpicatui ducitur atque negligitur, aliquando in beatis ſedibus collocandum eſſe: divitem contra luxurioſum atque immiſericordem ſempiterno interitu ulciſcendum.

Luc: 16. 19.

c. ap 14. 16. 15. 12. 16. 1.

Iam quod ad animas clamantes attinet; miror ſanè, locum illum ad commentum iſtud ſtabiliendum adductum fuiſſe: cùm nihil ſit manifeſtiùs, quàm viſionem ibi narrari, cujus non eſt ea ratio, ut ſignificet, rem ipſam, quæ per imagines exprimitur, ita planè geſtum iri, quemadmodum verborum fert proprietas: ſed magna ex parte figuratè ad rem ipſam ſunt accommodanda ea, quæ in imaginibus illis exhibentur, aut de iis pronunciantur, quemadmodum inter omnes conſtat. Iam verò in hac viſione proſopopœia manifeſta eſt. Animæ enim inſtar perſonarum quarundam introducuntur, iiſque clamor qui in animas certè hominéſve mortuos propriè nequaquam cadit, & preces vindictam ſpirantes tribuuntur, quales ii, qui pro Chriſti nomine occiſi ſunt, etiamſi tandem orare poſ-

Apoc. 6. 9. 10.

sent, minimè funderent, rogaturi potiùs, ne Deus illis, a quibus occisi sint, peccatum istud imputet. Quare id tantùm hac prosopopœia significatur, Deum nequaquam acerbitatum, quas ipsius fideles in hac vita sustinuêre, memoriam deposuisse, sed adeò firmiter eam tenere, ut ad illum rei illius gratiâ clamare videantur; & quamvis pro incredibili sua benignitate innocentis sangvinis vindictam differat, fore tamen, ut eum omnino ulciscatur. Eadem prorsus ratione & sangvis Abel ad Deum clamâsse dicitur: propterea quòd Deum cædes ipsius ad vindictam de Caino sumendam impelleret, ejusque rei rationem Deus habere vellet. Gen: 4. 10.

Apoc: 7. 13, 14, &c. Iam ut de sanctis illis dicamus, quos Ioannes stolis albis amictos esse, & ante thronum Dei stare, illique dies ac noctes servire ait; animadvertendum est, hinc perperam concludi, sanctorum spiritus personas esse, in cœlo aliquid rerum gerentes: cùm Ioanni per divinissimam hanc visionem, non quid nunc sancti in cœlis agant, sed quę olim illorum conditio futura sit, pręmonstratum fuerit. Quamquam nil prohibet, duplicem illis verbis inesse sensum, ita ut non tantùm, quæ olim sit futura piorum in cœlis felicitas, hîc doceatur; sed etiam populi Christiani adhuc in terris existentis, sed Antichristianis persecutionibus jam perfuncti conditio exprimatur. Neque verò obscurum parúmve apertum est, hunc Ioannis librum, earum rerum, quæ futuræ sunt, patefactionem ab ipso autore inscriptum esse. Non obstat autem, quod eas citò futuras fuisse dicit, cùm præcipui quidam inter eos, adversus quos disputamus, viri rectè scripserint, ideò eas citò futuras dici, quia earum rerum generatim sumtarum initium citò sit extiturum, non quod omnia, quæ ibi narrantur, citò sint complenda. Etenim nemo non agnoscit, etiam ea ibi esse scripta, quæ vel sub ipsum mundi finem, vel post eum sunt extitura. Adde, quòd Christus in eodem libro se citò venturum dicit, & unà secum mercedem, ut reddat unicuique prout opus ipsius fuerit. Quare rectè, atque ex mente divini spiritus dicitur, citò extituram illam piorum in cœlis felicitatem, quæ ab adventu illo Christi incipiet. Apoc: 3. 11. Cap: 22. 12, 20.

Sed jam tandem videamus, quo pacto sanctos mortuos nunc Deo pro nobis supplicare demõstrent. Primò igitur hoc ex illis Dei constare verbis ducunt: *si steterint Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ergo, inquiunt, Moses & Samuel jam mortui poterant & solebant orare pro populo Israëlitico. Egregiam verò argumentandi rationem, nimirum huic similem: Etiamsi angelus de cœlo prædicaverit vobis Evangelium præter id, quod Ier: 15. 1. Gal: 1. 8.

prædi-

Cap: XXV. De invocatione ſanctorum.

prædicavimus vobis, anathema ſit. Ergo Angeli poſſunt & ſolent aliud Evangelium annunciare. Cur non potiùs hujusmodi loquendi formis, quandam, ut ſic dixerim, rei, de qua agitur, impoſſibilitatem declarare agnoſcimus? Quod verò iſti in verbo *ſteterit* ſive *ſtabit* philoſophantur, inaniſſimum eſt: cùm apud Hebræos unum futurum, exprimat & indicativi, & ſubjunctivi apud latinos modi, interdum etiam imperativi, futurum; & ipſa rei ſubjectæ natura doceat, ſive hoc, ſive illo modo verbum iſtud exprimatur, nullam aliam ſententiam ſermone hoc contineri, quàm hanc: Etiamſi Moſes & Samuel viverent, vel a mortuis reſurgerent, proque populo iſto orarent, nihil proficerent: ut facilè appareat, nequaquam, ut quidem iſti aſſerunt, ineptè locuturum eſſe eum, qui eodem ſenſu dicat: Etiamſi Cicero Demoſthenesque huc venerint, iſtud tamen non perſvadebunt. Non diffitemur autem in hujus generis locutionibus ſæpe haberi rationem earum rerum, quas illi, qui commemorantur, olim, dum in vivis eſſent, geſſerint, ut nimirum verbi gratia intelligatur, Ciceronem & Demoſthenem eloquentiâ plurimis aliquando, quæ voluerunt, perſvaſiſſe. Eodemque modo de Moſe Samueleque judicandum eſt, quorum preces hoc in loco ideò memorantur, quòd fuit tempus, ipſis nimirum viventibus, cùm populo Iſraëlitico precibus ſuis plurimùm profuerunt, & divina ab illo ſupplicia averterunt.

vid: Exod: cap: 32. 33, 34. Num: 16. 22: 20. 6: 21. 7. 1. Sam: 7. 5, 8, 9, 10.

Deinde & illum locum, qui eſt 2. Macchab. ultimo, adferunt, ubi Iudas in viſione quadam vidit Oniam pontificem & Ieremiam Prophetam, qui jam antea obierant, orantes pro populo Iudæorum. Hîc primùm unà cum aliis reſpondemus, hunc librum non eſſe Canonicum, ſeu non eam eſſe illius autoritatem, ut dogma aliquod illius præſidio defendatur. Quamvis autem adverſarii concilii Carthaginenſis teſtimonio, librum iſtum canonicum eſſe comprobare nitantur: ipſe tamen ejus autor, ſtylum in eodem capite excuſans, ſatis indicat, nequaquam ejusmodi ſua ſcripta eſſe, quæ a ſpiritu ſancto quodammodo dictata cenſeri debeant, ut alibi etiam a nobis diſputatum eſt. Verùm demus, librum iſtum & canonicum, & ideo fide digniſſimum eſſe; num protinus conſequetur, Oniam & Ieremiam pro populo tunc oraſſe? Nequaquã verò: cùm apertiſſimè dicatur, Iudæ viſum ſeu ſomnium quoddam objectum fuiſſe. In viſis autem divinis nequaquam opus eſt, ut, quæ hominibus tunc occurrunt, ea planè ita ſeſe, ut apparent, habere credamus: ſignificatio earum rerum, inveſtiganda eſt; ut paulò antè de illo viſo diximus, quo Ioanni animæ martyrum Deum inclamantes exhibitæ

ſup: cap: 16.

Cap: XXV. De invocatione sanctorum.

hibitæ fuerunt; ut intelligeretur, Deum piorum afflictiones haud aliter memoria tenere, iisque ad vindictam de parricidis sumendam impelli, ac si clamore suo eum ad injuriarum suarum vindictam sollicitarent. Ita autem etiam de hac Macchabæi visione statuenduem esse illud indicat, quòd ibidem narratur, Ieremiam extensa dextra dedisse Iudæ gladium aureum, his additis verbis: Accipe sanctum gladium, munus a Deo, quo dejicies adversarios populi mei Israël: id quod propriè ac reipsa ita, ut in visione fuit repræsentatum, factum nequaquam fuit, quemadmodum unusquisque facilè intelligit. Existimandum igitur est, Deum tum ipsi Iudæ, tum universo populo, perinde de sua benevolentia, deque superandis hostibus persvasum voluisse, quasi Onias Ieremiasque, viri olim incredibili sanctitate præditi, plurimumque apud ipsum gratiâ valentes, assiduas sibi pro illis preces funderent, ipseque Deus gladium insignem ad eam rem perficiendam Iudæ suppeditâsset.

¶ 8, & d. Locus etiam ille, qui est Apocal. 5. ubi quatuor illa animalia, & viginti quatuor seniores ante agnum procidisse dicuntur, habentes singuli citharas, aureasque phialas suffimentorum plenas, quæ sunt sanctorum supplicationes: hic, inquam, locus nihil adversariorum causæ opis afferre potest. Non enim necesse est, ut, quemadmodum paulò ante diximus, res, quæ hominibus divinis per effigies atque imagines quasdam animo objectas ostenduntur, semper ea planè ratione sese habeant, quâ in visis illis cernuntur. Aliter enim plurima absurda consequerentur, præsertim apud hunc nostrum Ioannem, cui per divinam hanc visionem, multa sese obtulerunt, quæ si verè proprieque accipere velimus, in magnas absurditates incurrere nos oporteat. Indicat id hoc loco ipsa illorum animalium figura, cithararum, phialarum, aliarumque rerum, quas in cœlo revera non extare omnes nôrunt, mentio. Sic infrà draco habens septem capita & cornua decem, similiter in cœlo, unà cum altero viso mulieris amictæ sole, &c. apparuisse legitur: licèt per eam fœminam ecclesia in terris existens significetur; per draconem autem Diabolus ei insidias struens, & iis, quos illa gignit, imminens, intelligatur. Quod si quis ea, quæ cap. 4, & 5. Apocalypseos scribuntur, justis ponderibus examinaverit, animadvertet, non injuriâ statui posse, in eo, de quo disputatur, loco, florentissimum illum ecclesiæ statum ante oculos nostros constitui, in quo mox, Ephes: 2. 20. postquam Christus in cœlos ascenderat, & a dextris Dei collocatus fuerat, versari cœpit. Tunc enim novum carmen universa ecclesia canere cœpit. Nam & Christum suum Dominum agnovit, & eum adorati-

Cap: XXVI. Iesum esse Christum docetur.

adoratione religiosa venerata est, & denique sanctissimas illi preces libavit. Quorum nihil antea in Dei populo auditum fuerat. Soli enim Deo olim hæc tribuebantur: nunc verò, ipso sic volente, etiam agno pro nobis mactato assignantur. Quare per istos seniores, perque animalia ista, non animæ piorum defunctorum, quæ in cœlis vivant, sed viri præcipui, qui in populo divino, in terris licèt degente, extent, repræsentantur.

Cap: XXVI.

In quo docetur, Iesum esse Christum sive Messiam.

Reliquum est, ut ea Diaboli stratagemata repellamus, quibus homines ad Christum blasphemandum contumeliâque afficiendum, quantum in ipso est, perducit. Ea autem in duo genera distribui possunt. Vel enim Iesum minimè Christum illum esse hominibus persvadere conatur, ut quidem Iudaicæ nationi jam olim persvasit: vel eo mentis errore implicat, ut ore lingvaque Iesum esse Christum confiteantur: reipsa tamen idem pernegent, iis nempe rebus eum spoliando, quæ ad Christum constituendum necessariò requiruntur. Ac priorem quidem sententiam potissimùm per Iudæos, quos primùm dementia ista occupavit, inculcare solet. Quibus quidem duplici ratione ac viâ occurrendum est. Vel enim danda opera est, ut illos ipsos Christi notitiâ imbuamus; vel ne ab illis circumveniamur, summo studio providendum. Vt autem, quod priore loco a nobis propositum est, assequamur, ex illis principiis argumenta ducenda nobis sunt, quæ ipsi Iudæi firma rataq; habent. Ea autem vel veteris Testamenti scripturâ continentur; vel sunt Iesu Nazareni admiranda opera, quæ ab ipso facta esse idem genus hominum confitetur, aliaque argumenta, quæ manifesta quadam ratione nituntur, partim a natura Christianæ religionis, partim ab effectis eorum, quæ veritatem illius comprobant, ducta. Ac prior quidem via magis videtur fuisse expedita circa Christianæ religionis initia, cùm multa a Prophetis olim prædicta ante oculos ita versarentur, ut negari non possent; & sensus quorundam scripturæ locorum mysticus, ad Christum spectans, a Iudæis, ut apparet, facilè admitteretur; quæ subsidia nobis hodie cum Iudæis disputantibus desunt. Vnde fit, ut nobis ea cum Iudæis agendi ratio aliquanto sit difficilior, ob paucitatem eorum veteris scripturæ testimoniorum, quæ ad nullum alium præter Iesum Nazarenum accommodari queant. Plæraque enim, quæ vates olim de Messia prædixerunt, duplicem patiuntur sensum, alterum literalem, ut vocant, seu mavis, hi-

Cap:XXVI.Iesum esse Christum docetur.

vis, historicum, alterum mysticum, eumque sæpe ita reconditum, ut ne ipsi quidem Christiani ad Christum ea referre cogitarent, nisi tum ipsius Christi, tum Apostolorum autoritate commoverentur. Adde, quòd haud temerè ita sese abjecerit Iudæus, qui sese, ut ait Apostolus, cæcorum ducem, lumen eorum, qui sunt in tenebris, imprudentium præceptorem, imperitorum magistrum esse profitetur, ut ab homine ethnico, cui lex divina nunquam fuit lata, quique eam ipsam ob causam minimè ejus tenere scientiam videtur, Mosis vatumque cæterorum scripta sibi explicari aut velit, aut permittat. Illud tamen Esaiæ testimonium præ cæteris adeò perspicuè atque evidenter in Iesum Nazarenum convenit, ut præter hunc nemini accommodari posse videatur, quod cap. 53. apud eum vatem extat. Quanquam enim maxima Iudæorum pars totam istam vaticinationem ad populum Israëliticum refert: perperàm tamen hoc fieri inde perspicuum est, quòd non solùm ea isto in loco vates illi, quem oratione persequitur, tribuit, quæ in Israëliticum populum cadere minimè possunt, sed etiam quæ illum ab eodem populo manifestò distingvunt. Nam & eum, de quo loquitur, interficiendum, mortemque truculentam subiturum, & animam suam positurum, ut longævum semen videat, & cognitione sui multos justificaturum, illorum iniquitates portando, & iniquitatem non facturum, nec dolum in ipsius ore inventum iri prænunciat. Quæ omnia qua ratione populo Israëlitico verè assignari possint, nemo unquam demonstrabit. Quid, quòd eum, de quo sermo est, propter populi transgressionem percussum esse, ejusdemque populi iniquitatem portâsse, langvores illius tulisse: item, omnes errâsse, Deum autem in eum omnium iniquitatem fecisse incurrere, vates asserit. Ex quo intelligitur, illum nequaquam ipsum populum esse, sed ab eo perpetuò apertissimeque isto in loco separari. Nec solùm in populum Israëliticum hæc, quæ a vate dicuntur, minimè quadrare constat: sed nullus etiam alius proferri potest, cui ista omnia ad ungvem respondeant, ut Iesu Nazareno, qui Christus nuncupatus est. Hæc quanquam ita sunt in promptu, ut res disputatione non videatur egere: placet tamen perniciosissimum hunc Iudæorum errorem alterâ viâ rationeque convincere. Ea autem ex admirandis Christi factis, quæ doctrinæ suæ confirmandæ causâ edidit, nascitur. Quia enim Iudæi ipsius rei veritate convicti, ingenuè fatentur, Iesum Nazarenum & certam hominibus disciplinam tradidisse, & eam ejusmodi miraculis corroborâsse, quæ non nisi divina virtute edi potuerint; promtissimũ sanè est illos eò compellere, ut fateantur, Iesum

Nazarenum

Marginal notes: Rom:2.19. (beside "it Apostolus"); ℣ 8. & d. (beside "mortemque truculentam"); ib: ℣ 8. ℣ 4, 11. ℣ 6. (beside "monstrabit ... portâsse")

Cap: XXVI. Iesum esse Christum docetur.

Nazarenum divinum hominem fuisse,& porrò quæcunq; unquam dixit,ea vera,divina, omniumq; assensu dignissima esse. Cum autē sese ex mortis faucibus eripiendum , a dextris Dei constituendum, omniq; in cœlo terraq; potestate donandum prædixerit ; fieri non potest,quin Iudæus cordatus,religionisque studio incensus, hæc omnia certissimo eventu comprobata esse planè sibi persvadeat:prçsertim si simul eorum, qui sese Iesum a mortuis excitatum vidisse, cum præsentissimo vitæ periculo confirmaverant, & cæterorum, qui illorum fide nixi fuerunt admirabilem constantiam animo cōsideret. Sic enim eveniet , ut nullum ampliùs locum apud eum habeat impudentissimum illud mendacium , quo Iesum , qui insignis Cabalista fuerit , malis artibus Dei nomen, id est, portenta faciendi potentiam, sibi comparâsse, nationi isti persvasum est. Facilè enim præter id,quod paulò antè diximus, animadvertet,ita de Iesu Nazareno, portentisque ab illo editis sentire, nihil aliud esse,quàm cum ratione insanire: cùm fieri nullo pacto possit , ut quispiam divinam potentiam, tot tantaque miracula patrandi,ipso Deo aut invito,aut ignorante , quantâvis vi astutiâque ad se rapiat. Tanta enim est Dei virtus , tantaque sapientia , ut nullâ nec humanâ nec angelicâ , nec diabolicâ potentiâ calliditateque superari possit. Relinquitur igitur, Iesum Nazarenum non solùm,ut diximus,hominem divinum, sed etiam illum Dei Christum esse; &sic nullam causam Iudæos habere, quin eum fide complectantur , ipsiusque ductum sequantur.

Verùm cùm fortassis nondum genti isti ex tenebris , in quas propter lucis contemptionem , justissimo Dei judicio depressa est , emergendi facultas , seu mavis opportunitas data atque concessa sit; & ideo, Deo una ex parte permittente, ex altera autem diabolo sedulò curante , quotidie plures errorum laqueos quærant , quibus sese irretiant , alios quoque , si possint, iis libenter implicaturi : sequitur, ut diligenter videamus , quo pacto nobis cavendum sit , ne iisdem irretiti laqueis, Christum, & unà cum eo sempiternam felicitatem perdamus. Hoc igitur ante omnia sedulò nobis faciendum est , ut Christi disciplinam , semel animis nostris infixam, tenacissimâ memoriâ custodiamus,quibusque rationibus nobis confirmata sit,cogitationem nunquam dimittamus.Hinc enim consequens fuerit,ut etiam in illis vaticinationibus, quas Iudæi propter quandam earum ambiguitatem in alienum sensum detorquent,de Iesu Nazareno sermonem esse planè intelligamus. Neque enim dubium est, quin tum ipsius Iesu , tum omnium Evangelistarum atque Apostolorum testimonia plurimum apud nos ponderis sint habitura ; &

porrò, cùm veteris scripturæ autoritate, Iesum esse Christum, passim demonstrent, planè ita se rem habere, firmiter credituri simus. Et sic fiet, ut eum,[a] quem ex virgine procreandum, Emanuelemque &[b] Nazaræum appellandum,[c] quem Bethlehemi nasciturum, quem ex [d] Ægypto vocandum, quem [e] spiritu divino donandum, quem admodùm mitem, & ab omni contentione atque ambitione alienum futurum, quem in [f] parabolis os suum aperturum, quem [g] pauperibus atque afflictis Evangelium annunciaturum, quem [h] mansvetum asinoque insidentem Hierosolyma ingressurum,[i] quem dolores langvoresque nostros ablaturum, vibicibus suis nos sanaturum, nosque ovium instar errantes ad se conversurum, quem ut ovem ad mactationem ducendum, nec os suum instar agni aperturum, quem, postquam [k] ut offensionis lapis ab architectis repudiatus esset, in angularem lapidem ita evasurum, ut ipsi [l] fidem adhibens nō pudefieret, quem [m] per mortem ac resurrectionem in gloriam suam ingressurum, quem [n] Prophetam illum populo Israëlitico suscitandum, quem [o] a Dei dextris collocandum, [p] ab omnibúsque divinis angelis adorandum, quem [q] clarissimam omnibus gentibus lucem prælaturum, quem denique [r] omnibus in ipso fiduciam collocantibus peccata condonaturum, vates prænunciârunt, ut, inquam, eum, nullum alium præter Iesum Nazarenum esse, constantissimè credamus. In hoc enim ista omnia eventu completa esse, uno ore omnes Novi Testamenti scriptores testificantur. Quinimò tantos animos nobis veritas ista parit, ut fœdissimum hunc Iudæorum errorem & contemnere, & apertissimè convincere non dubitemus: idque iis Veteris Testamenti testimoniis, quæ non solùm apud homines Christi disciplinâ imbutos maximum semper pondus habuerūt, sed etiam a Iudæis non facilè eludi possunt; quippe quæ Iesum esse Christum tantùm non indice digito ostendunt, dum & tempus, quo venturus erat, aliasque circumstantias exprimunt, ex quibus id, quod hoc loco quæritur, evinci potest.

a Esa: 7. 14. Matth: 1. 22.
b ib: c. 2. 23.
c Mich: 5. 2. Matth: 2. 4.
d Ose: 11. 1. Matth: 2. 15.
e Esa: 42. 1. & d. Mat: 12. 17. & d.
f Psal: 78. 2. Matth: 13. 35.
g Esa: 61. 1. Luc: 4. 18.
h Zach: 9. 9. Matth: 21. 5.
i Esa: 53. 4: Mat: 8. 17: Esa: 53. 5, 6: 1 Pet: 2. 24, 25. Esa: 53. 7: Act: 8. 32.
k Psal: 118. 22.
l Esa: 28. 16. Matth: 21. 42.
m Esa: 53. 10, 11, 12. Luc: 24. 25, & d. & ỳ 44, & d. 1 Pet: 1, 11: Psal: 2. 7: Act: 13. 33 Psal: 16 8: Act: 2. 25: 13. 35.
n Deut: 18. 15 Act: 3. 22.
o Psal: 110. 1. Act: 2. 34.
p Psal: 97 7. Heb. 1. 6.
q Esa: 49. 6. Act: 13. 47: & 26. 22, 23.
r Esa: 53. 10, 11. Ier: 31. 34 Ioël 2. 32: Act: 10. 43. Rom: 10. 13.

Gen: 49. 10. Primò igitur prodeat in medium pater ille divinus Iacobus, qui luculentissimis verbis prædicit, in Iudæ stirpe sceptrum, id est, reges ac principes, reique publicæ moderatores non defuturos, donec adveniet Siloh, cui sese populorum multitudo aggregatura sit, quem Christum sive Messiam esse nemo dubitat. Cùm igitur non solùm stirps illa jam a multis seculis nullos reges, nullos principes, nullos Iudaicæ Reipublicæ moderatores edat: sed ipse etiam reipublicæ Iudaicæ status prorsus convulsus, horrendæque desolationis tenebris demersus atque sepultus sit; quanta cæcitas est, non

credere, hunc Iesum esse Christum, quem exploratissimum est, non solùm tunc fuisse natum, cum principatus gentis illius, quæ Iudæ nomine a multis jam seculis fuerat appellata, ad extraneos deferri cœpisset; sed eidem quoque jam inde a religionis Christianæ primordio, tandem variarum nationum multitudinem adhæsisse, ut nonnisi in hoc uno Iacobi vaticinationem eventu comprobatam esse luculentissimè appareat. Cap: XXVI. Iesum esse Christum docetur.

Quid verò de Daniele dicemus, qui ut Messiæ adventum certo temporis spatio definiat, septem & rursus sexaginta duas hebdomadas numerat, intra quas Messiam & venturum, & ungendum, & occidendum, & fœdus per eundem confirmandum, & hostias atq; sacrificia legalia obliteranda, & urbem sanctam excindendam, templum diruendum, & universam Israëliticam nationem miserabiliter dissipandam prænunciat. Etsi autem proculdubio numerus ille sit mysticus, & hebdomades illæ non dierum, sed annorum sint, (nã intra tam paucas dierum hebdomadas, seu intra annum & quatuor quinque menses, ista nequaquam evenerunt) licèt etiam nonnulla de initio, & sic etiam de termino istius temporis exquisitè sumto, sit inter doctos controversia: res ipsa tamen nimis clarè ostendit, non solùm tempus istud effluxisse; sed nulli etiam pręter Iesum Nazarenum totam hanc vaticinationem accommodari posse. Dan: 9, 24. & d.

Aggæus quoque vates illam Iudæorum amentiam convincit, dum, stante adhuc posteriore templo Hierosolymitano, illum cunctis Gentibus desideratum venturum præmonstrat. quippe per quem Deus majore posterius, quàm prius templum, gloriâ completurus esset. Agg: 2. 8, 9, 10.

Verùm nondum satis tuti a Iudæorum incursionibus futuri sumus, nisi illa eorum tela, quæ magis videntur ferire, repellamus. Neque enim in iis retundendis laborandum videtur, quę leviora hebetioraque esse, ipsi fortassis, maximè autem, qui reliquis prudentiâ antecellunt, animadvertentes, rarò in nos conjiciunt. Illorum autem, quæ alicujus momenti esse videntur, duo sunt genera: quorum alterum Iesu Nazareni facta quædam complectitur; alterum verò ad Messiæ, ejusque regni qualitates spectat. Vt igitur de Iesu Nazareni factis priùs loquamur; intelligendum est, Iudæos hunc in modum ratiocinari. Quicunque, inquiunt, populum Dei a religione divinitus illi præscripta ad alium Dei cultum traducere conatur, is, si vel maxima edat miracula, tantum abest, ut verus Messias sit habendus, ut potiùs in capitalissimis Dei inimicis, in illisque vatibus meritò numeretur, de quibus Deus apud Mosen

Cap:XXVI. Iesum esse Christum docetur.

Deu: 13. 1.

hunc in modum loquitur: *Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & evenerit, quod locutus est, & dixerit tibi: eamus & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis: non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris.* Et paucis interjectis ait: *Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur: quia locutus est, ut avertat vos a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, & redemit vos de terra servitutis; ut errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus: & auferes malum de medio tui.* Atqui, inquiunt, quis unquam repertus est, in quem omnia ista planè conveniant, præter Iesum Nazarenum? Is enim & idola innumera in Christianorum templa invexit, hominibusq; colenda exhibuit: & universum Dei cultum, qui in ceremoniarum religione consistebat, exterminavit, aliamq; in illius locum Dei colendi rationem substituit; & sic populo Dei a recta divinitusq; sibi præscripta via aberrandi causam attulit. Hinc colligi ajunt, eum nequaquam Messiam illum, sed falsum vatem, dignumque fuisse, qui ita, ut factum est, in crucem ageretur. Respondemus autem, ea, quæ hîc in Iesum Nazarenum conferuntur, partim falsissima, partim verò nequaquã ejusmodi esse, ut eum Messiæ titulo privandi ullam vim habeãt. Primò enim, simulachra eum in templa minimè intulisse, ex ipsius disciplina suprà a nobis explicata planissimè constat. Ceremoniarum porrò abolitionem nequaquam efficere, ut Iesus Christus Messiasvé habendus minimè sit, primò inde perspicuum est, quòd, ut suprà suo loco demonstratum est, non Iesus præcipuè, sed per hunc ipse Deus, idque non quatenus prophetæ, sed quatenus jam regis officium gerebat, ceremoniis illis finem attulit, & vel hoc ipso eum Messiam esse, ostendere voluit: cum leges figere atq; refigere regum sit proprium. Quemadmodum autem Deus pro arbitrio leges illas ceremoniales, quæ, si ipsius voluntatem atq; auctoritatem demas, neminem obligant, ferre potuit: ita etiam, cùm id illi visum fuit, easdem abrogare, per quem illi placuit, jure suo potuit. Decuit autem, ut non nisi per Messiam, per quem omnem imperfectionem cultus divini tolli, & omnes homines, etiam gentes extraneas, ad Deum colendum adduci conveniebat, id faceret. Deinde constat, Mosen in loco suprà adducto ejusmodi vatem describere, qui homines a Deo abstrahat, illisque ad alienos Deos colendos autor sit. Quod sanè flagitium is nequaquam suscipere existimandus est, qui quamvis modum veri Dei colendi, idque aliqua tantùm ex parte commutet, eundem tamen Deum, & præter hunc nullum alium colendum esse urgeat:

præsertim

præsertim si ejus colendi rationem non propriâ, sed ipsius Dei autoritate mutet. Quinimò si rem istam ritè perpendere voluerimus, tantum abesse comperiemus, ut ex hac ceremoniarum abrogatione concludi possit, Iesum eum fuisse, qui homines a Deo abduxerit; ut potiùs nullum aptius instrumentum, omnes orbis nationes in Dei studium perducendi, reperiri potuerit, hac ipsa religionis mutatione. Hæc enim ceremoniarum religio septi illius interstitium erat, quod tolli oportuit, ut per Christum omnibus terræ nationibus ad unum illum Deum Patrem aditus patefieret. Discant igitur Iudæi tandem, Deum illum omnium conditorem, omnium Deum esse voluisse, Messiæque officium fuisse, omnibus hominibus ad Deum cognoscendum, fideq; complectendum, viam aperire; & porrò, ut hoc perficeret, ad eum pertinuisse, omnia, quæ sanctissimo huic negotio impedimenta opponerent, tollere atque exterminare. Adde quòd, si Iesu Nazareno homines a Deo disjungere, alienorumque Deorum cultu obstringere propositum fuisset, non ceremoniarum legem, quæ huic ipsius consilio aut parùm aut nihil obfuisset, sed legem, quam dicunt, moralem omnino rescidisset. Hanc enim qui ritè conservat, Deos alienos, idolaque religioso cultu venerari nullo pacto potest: illam verò maxima ex parte eos etiam custodire posse, qui cultum Deo debitum ad idola transferunt, inde constat, quòd Israëlitæ a Ieroboamo in hoc scelus impulsi, sine dubio & circumcidebantur, & sabbata agebant, & sacrificia faciebant, & corpora abluebant, & id genus alia peragebant. Neque enim Ieroboam, ut, quod volebat, assequeretur, ista auferre aut poterat, aut necesse habebat. (Cap. XXVI. Iesum esse Christum docetur.)

Iam quod ad Messiæ ejusque regni qualitates attinet, hoc pacto Iudæi argumentantur: Messiæ, inquiunt, regnum & terrenum, & omni bellorum metu vacuum, ideoque pacatissimum, & omnis felicitatis, opum atque divitiarum abundantiâ affluentissimum fore Prophetæ prædixerant. Cum autem Iesus Nazarenus, nec terrenum regnum habeat, nec, ut pacem mundo afferret, sese venisse ipse fateatur, nec denique ulla terrena felicitate, divitiarumque copiâ vel ipse abundaverit, vel alios locupletaverit; meritò hinc colligi dicunt, eum Messiam illum promissum nequaquam esse. Hîc primùm respondemus, nequaquam Prophetas fore prædixisse, ut Christus statim rectaque, id est, nullis intervenientibus perpessionibus, regnum suum intraret. Quinimò multas afflictiones mortemque adeò truculentam ei priùs subeundam fuisse testificantur: ut ex Esaiæ, qui reliquorum vatum interpres non immeritò nominari (Matth: 10.34. & d.) (Esa: 53.)

Cap: XXVI. Iesum esse Christum docetur.

nari potest, verbis clarissimè patet, quibus tum antecedentes Christi passiones, tum consecuturas glorias commemorat. Ac illas quidem hoc pacto, ut eum & despicatui fuisse, & vulneratum, attritum, percussum, cum sceleratis reputatum, & sicut ovem, quæ ad occisionem ducitur, os non aperuisse, & sicut agnum coram tondente obmutuisse, & denique de terra viventium abscissum, animamq; pro peccatis posuisse, vates asserat. Has verò, nimirum Christi glorias sic describit: *Si posuerit pro peccatis animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in ejus manu dirigetur. Pro eo quòd laboravit, anima ipsius videbit, & saturabitur*, &c. Deinde dicimus, ut Iesum Messiam illum a Prophetis promissum esse constet, plus quàm satis esse, ejus regnum eo florere splendore atque tranquillitate, iisque affluere opibus ac fortunis, quæ omnem terrenam amplitudinem, pacem, ac divitiarum magnitudinem infinitis partibus superent, ideoque ab illis vix adumbratæ dici possint. Qui enim plus præstat, quàm promisisse videbatur; quomodo, quæso, non cumulatissimè promissis stare dicendus est? Cum igitur Deus per sanctos vates terrenorum bonorum affluentiam, unà cum Christi regno promisisse videatur, interim autem cœlestibus opibus suos per Iesum cumulet; quid causæ est, quin hunc Iesum Christum illum Dei esse, firma animi assensione credamus? Hoc autem Deum per Iesum facere, ideo hoc loco pro concesso sumimus, quòd suprà adeò id verum manifestumque esse ostendimus, ut non nisi ab insano, vel scelerum consvetudine prorsus excæcato homine negari possit; nedum ut ab homine Iudæo, vel Iudaicis placitis dedito, falsitatis accusari meritò queat: quippe cum talis nequaquam firmiorem veterum scriptorũ libris assentiendi causam habeat, quàm nos Novo credendi. Quinimò ut, quod res est, dicam, multò certioribus ad novæ scripturæ credẽdum argumentis impellimur, quàm illi ad veterem amplectendam: propterea quòd eorum, quæ veritatem scriptorum novi fœderis probant, aperta adhuc extant vestigia atque effecta: eorum verò, quæ veteris Testamenti autoritatem comprobent, si novi autoritatem repudies, adeò obscura, ut propè nulla esse videatur: imò si illinc quidem veteris illius fœderis promissa, terrenam felicitatem, victorias de hostibus, pacem ac tranquillitatem, omniumque rerum abundantiam populo Iudaico pollicentia, hinc verò calamitosum illius populi statum, exilium, atque servitutem per tot jam secula durantem respicias; nihil est causæ, quin fidem iis penitus deroges, nisi id, quod nos volumus, admittas, populum hunc tam gravem, tamque diuturnam pœnam eo

h. lib: c. 5.

commeri-

Cap: XXVI. Iesum esse Christum docetur.

commeritum esse, quòd Messiam sibi a Deo datum atque exhibitum repudiârint, ac crudelissimè interfecerint, eumque resuscitatum, atque ad dexteram Dei exaltatum, cum ejus rei clarissima haberent documenta, admittere noluerint. At verò quanta adhuc eorum, quæ N. Testamenti veritatem comprobant, quamque illustria extent argumenta, ex iis quæ de sacræ scripturæ N. fœderis autoritate suprà disputavimus, patet. Taceo quòd, ut eodem loco dictum est, omnes illi, qui Christi disciplinam literis consignârunt, partim ejusdem dictis rebusque gestis interfuerunt, partim ab illis ea acceperunt, qui Christo usi sunt familiarissimè. Quorum neutrum de multis veteris testamenti scriptoribus affirmari potest. Vt enim reliquis omissis primarium veteris scripturæ autorem Mosen consideremus; quis nescit, illum multa scriptis suis mandâsse, quæ nec ipse oculis usurpare, nec ex aliis hominibus certò cognoscere potuit, utpote, quę non solùm antè ipsum, sed omnes etiam homines natos gesta fuêre, vel quæ post hominum quidem memoriam, longè tamen ante ipsum evenerunt: & tamen isti homines sine ulla dubitatione, & quidem meritò, omnibus ejusdem scriptis assensionem præbent. Quid igitur est, cur minorem novæ scripturæ autoribus, & non potiùs plenissimam fidem adhibeant? Cum igitur, ut ad rem redeamus, novi Testamenti volumina, non terrenam, sed cœlestem tranquillitatem, dignitatisque amplitudinem, non fluxas & momentaneas, sed sempiternas opes Christi regno ascribant; consequens est, harum rerum prædictiones & allegoricas esse, & ideo quasdam tantæ felicitatis adumbrationes continere, & porrò ex novæ scripturæ sententia explicari oportere, quicquid prima facie discrepare videantur; constanterque negandum, Deum, cùm Messiæ regnum promitteret, mundanum intellexisse: cum, quale allegoricis istis locutionibus significaverit, ipse effectus clarissimè testificetur. Si dixeris, regnum Davidicum Messiæ promissum esse, quod cùm terrenum fuerit, dubium non esse, quin & Messiæ regnum terrenum sit futurum: respondemus, ut Christus Davidicum regnum haberet, neutiquam necesse fuisse, ut terrenus rex fieret: cùm id ipsum Davidis regnum nequaquam constituat, seu in ejusdem definitionem incurrat. Davidicum quippe regnum tenere, est imperium habere in singularem Dei populum, hacque ipsa nota illud ab omnibus aliis regnis distinguitur. Cum igitur Dominus Iesus, excellentissima ratione Dei populum regat atque gubernet; quis jure negare poterit, eum in Davidis solio sedere & porrò Christum sive Messiam esse? præsertim cùm, licèt non

ut David

Christum nũc regnare docetur.

ut David aliique reges, mundano more regnum suum administret, aut in terris ipse degat; tamen in terris eum quoque regnare, haud sanè diffiteamur: utpote cùm omnis ei tam in cœlo, quam in terra, potestas data sit. Tametsi autem non minùs, quàm ipsi Deo, paucos admodum illi dicto obedientes videmus: tamen cum regnum non tam ex subditis eorumque voluntate, quàm ex imperandi omniáque sibi subjiciendi potestate, quam quis in subditos habeat, ponderandum sit: nihil prohibet, quominus uterque in terris etiam dominari ac rerum potiri, jurè credatur. Sed demus etiam, ad naturam atque essentiam Davidici regni constituendam omnino pertinuisse, ut terrenum esset: non sequitur tamen ejusdem planè generis, ejusdemque rationis regnum Christo promissum esse, sed ei ita analogum, ut interim Davidico regno longissimè antistaret. Deus enim sub rerum terrenarum umbris res longè præstantiores ac planè cœlestes promisit, quemadmodum paulò superiùs diximus.

Cap: XXVII.

In quo Christum nunc regnare docetur.

Consequens nunc est, ut quo pacto, qui ore lingvaque Iesum esse Christum confitentur, idem reipsa negent, diligenter videamus. Intelligendum igitur est, eos ita hoc facere, ut ea, quæ Christum constituunt, eíve omnino attribuenda sunt, illi detrahant. Nam & illum hoc tempore regnum administrare, & porrò fidelium nationis procurationem habere pernegant; & adorationis cultu venerandum minimè esse, & ipsius auxilium implorari nequaquam posse, audacter dicunt: de quibus singulis cognoscendum nobis est.

Primò igitur illi, qui Christum nunc regnare negant, facilè illis omnibus, quæ suprà de summo ejus imperio disputata sunt, convinci possent, nisi tergiversari, & ipsi sibi causas nectere vellent, ob quas præsens Christi regnum agnoscere non possint. Duplici autem ratione errorem suum stabilire conantur. Primò enim ea testimonia, quæ præsens Christo regnum assignant, eludere volunt: deinde argumentis quibusdam evincere conantur, Christum nondum regnum suum occupâsse. Iam ut, quo pacto eludere clarissima præsentis Christi regni testimonia nitantur, videamus; satis fuerit pro omnibus aliis illa Christi verba in exemplum proponere, quibus sibi omnem in cœlo terraque potestatem traditam esse asserit. Hîc enim vel omnis potestatis nomine, Evangelii administrationem intelligendam esse; vel de re longo demum tempore, aut multis etiam se-

Matth:28. 18.

tiam seculis pòst extitura, verba hæc accipienda esse contendunt. Nos verò neutrum admittimus. Primò enim nulla ratio svadet, omnis potestatis vocabulo Evangelii ministerium significari. Quòd enim ajunt, vocem *omnis*, secundùm sacrarum literarum consvetudinem, ad subjectam materiam, quæ Evangelium sit, restringendam esse, futile prorsus nugatoriumque est: cum non solùm Evangelii prædicatio potestas nequaquam sit; siquidem vox ἐξουσίας seu *potestatis*, absolutè posita, non nisi imperium seu regendi jus atque auctoritatem, vel eos, qui auctoritatem illam habent, significat: verùm etiam, si maximè potestas esset, non omnis tamen hæc potestas foret, quam Christus oratione persequitur; utpote cum hîc omnis in cœlo terraq; potestas nominetur, quam propter summam amplitudinem ad solam Evangelii administrationem restringi minimè posse, res ipsa clamat. Non diffitemur igitur, vocabulum *omnis* ad materiam subjectam referendam esse; sed eam Evangeliū esse pernegamus: cum omnis ista potestas Christo data, omnia ea complectatur, quæ ad Ecclesiam gubernandam, tuendam, inq; sempiternæ felicitatis statu collocandam pertinent. Potestatem autem illam ab Evangelii prædicatione omnino differre, præter ea, quæ diximus, illud quoque docet, quòd apertè videmus, omnem potestatem Christo datam, ut causam commemorari ejus rei, quæ mox subjungitur, nimirum cur Apostoli Evangelium omni hominum nationi prædicare, &, ut omnes Christi fiant discipuli, curare debeant, nihil interim dubitantes de Christi auxilio, ad tam arduum munus necessario, quod ipsis postmodum eodem in loco pollicetur. Postquam enim sibi omnem in cœlo terraque potestatem datam esse dixisset, addidit statim: *euntes ergo, discipulos facite omnes gentes*. Deinde sese Apostolis, omnibusque adeò, qui illis futuri essent fide similes, perpetuò usque ad finem seculi affuturum promittit. Id quod separatam ab Evangelii prædicatione Christi potestatem nobis ob oculos ponere, omnes cordati intelligunt.

Christum nūc regnare docetur.

Ex his autem, quæ modò diximus, patet, hæc Christi verba non loqui de re longo demùm tempore aut multis etiam seculis pòst extitura; quæ secunda est adversariorum exceptio. Quidam enim videntes, potestatem illam, de qua Christus loquitur, non de prædicatione Evangelii, sed de regno atque imperio accipienda esse, interim tamen confiteri nolentes, Christum jam reipsa regnare, huc confugiunt, ut dicant, verba illa de futuro Christi regno, quod quidem in terris extiturum credunt, accipienda esse. Sed id adeò vanum est, ut vix refutari mereatur. Cum enim, uti diximus, Chri-

Christum nūc regnare docetur.

mus, Christus omnem in cœlo & terra potestatem sibi datam commemoret tanquam caussam, ob quam Apostoli ipsius jussu mox in universum orbem ire, omnes orbis nationes ad disciplinam ejus amplectendam, ejusque nomen profitendum adducere, iisque præcepta ejus servanda tradere debeant, nihil de ipsius auxilio, quod & sibi, & cæteris fidelibus usque ad seculi hujus finem sit perpetuò laturus, dubitantes: quid, quæso, huc facit regnum Christi, quod multis demùm seculis pòst, atque adeò non multò ante mundi hujus finem sit adepturus, & in terris administraturus? Annon res ipsa unumquemque clarissimè admonet, de ea potestate Christi sermonem esse, cujus jam tum, cùm ista loqueretur, primitias quasdam habebat, quamque mox, postquam in cœlum ascendisset, perfectissima ratione erat adepturus? Illa enim in causa fuit, ut Apostoli spiritu sancto ab ipso imbuti, eum in cœlis regnare, atque in dextra throni Dei considere manifestè cernentes, Evangelium, initio a Iudæis facto, per orbem terrarum spargerent, eaque ratione omnes homines ad Dominum hunc suum agnoscendum, disciplinam ipsius amplectendam, & præceptis ejus parendum adducerent, innumera ac prorsus stupenda miracula, ipsius virtute adjuti, ederent, ejus patrocinio in mediis periculis mediaque morte defenderentur ac confirmarentur, quemadmodum tum Acta Apostolorum, tum Epistolæ, Pauli inprimis, clarissimè testantur. His duabus rationibus & hæc addenda est, nempe consentaneum minimè esse, Christum nunc a dextris Dei constitutum minus habere potestatis, quàm cùm in terris adhuc degeret. Fuisse autem eum jam tum Christum, non designatione tantùm, sed reipsa quodammodo, hinc satis liquet, quòd in forma Dei erat, tantaque virtute ac potentia omnibus rebus sub cœlo positis imperabat, ut maria, venti, morbi, mors denique ac dæmones ipsius jussis parere cogerentur. An igitur nunc, postquam in gloriam suam ingressus est, tantò illum minus posse volumus, quantò plus gloriæ ac dignitatis consecutus est? an porrò Ioannem Baptistam turpissimi mendacii insimulabimus, qui se minui, illum verò crescere oportere affirmat? Atqui omnino hoc nos facere necesse est, si, postquam ille antea Christus revera, inque Dei forma fuit, nunc designatione tantùm eum Christum regemque esse volumus, omneque illi imperium, omnem rerum tum cœlestium, tum terrestrium administrationem ei adimimus. Quòd enim quidam ajunt, satis illum auctum fuisse, postquam ipsius doctrina in universum terrarum orbem divulgata est; id nihil est, si cum illis, quæ perdiderit, conferantur, ideoque non solùm non amplificata,

Luc. 24. 26, 46, 47.
Ioh: 3. 30.

Christum nũc regnare docetur.

plificata, sed mirum in modum imminuta illius gloria censenda est; præsertim cum, si doctrinæ spectemus promulgationem, non minùs Ioannes Baptista, quàm Christus crevisse videatur.

Heb: 2. 8.

At, inquies, apertissimè autorem Epistolę ad Hebræos sententiæ nostræ contradicere, dum Iesu nondum omnia subjecta esse affirmat. Atqui nec ita loquitur divinus ille Autor; nec si ita loqueretur, quicquam id ad præsens Christi regnum evertendum haberet virium. Nam quod ad prius attinet, non dicit Autor ille, Iesu nondum omnia subjecta esse; imò Iesum ei homini, cui nondum omnia subjecta esse videamus, opponit, &, quod in hoc impletum non sit, in illo impletum esse affirmat, dum ita subjicit: *Illum autem, qui pauxillum* (vel *ad breve tempus*) *præ angelis minor fuit factus, videmus Iesum, propter passionem mortis, gloriâ & honore coronatum.* Itaque totius loci hic est sensus, quasi dixisset divinus Autor: non est, quòd quis verba hæc, mystico nempe sensu accepta, de homine terreno intelligenda esse contendat. nam de homine istic dicitur, eum ad breve tempus minorem futurum angelis, post illud autem tempus gloriâ & honore coronãdum, omniaque pedibus ejus subjicienda esse. Atqui homini terreno per tot secula nondum videmus omnia in universum subjecta, ipsumque adeò gloriâ & honore coronatum esse: sed Iesum, qui ad breve temporis spatium angelis minor fuit factus, ob passionem mortis, gloriâ & honore coronatum manifestè cernimus. Vnde apparet, de Christo, non de homine terreno, de quo literali sensu hæc verba accipienda esse non ignoramus, mysticè esse intelligenda. Quare tantum abest, ut hoc loco asseratur, Christo nondum omnia esse subjecta, ea præsertim ratione, quâ volunt adversarii, ut contrarium planè affirmetur. Deinde etiamsi ita, ut isti volunt, ab Autore divino scriptum esset; non protinus tamen intelligendum foret, nihil nunc Christo reipsa subjectum esse, nec ea ipsum potestate ac virtute esse præditum, quâ omnia in universum actu ipso sibi subjicere queat: sed tantùm, ut verba ipsa sonant, ei nondum omnia reipsa subjecta esse, præsertim penitus: quia res quædam ejus imperio adhuc reluctentur, ut dæmones, homines impii, mors, quæ ultimo demum loco pedibus Christi subjicietur, ut in Epist. 1. ad Corinth. docet Apostolus. Neque verò est, quòd quis putet, si ita accipiantur hæc verba, ea vel pugnatura cum illis, quæ præcesserant, *Omnia subjecisti sub pedes ejus*, vel in his pręteritum *subjecisti* pro futuro accipiendum esse. Docuimus enim alibi, duplicem hîc rerum subjectionem esse animadvertendam, quarum altera in actu, altera in potestate ac virtute

1 Cor: 15. 25, & d.

lib: 3. c. 27.

QQ 2 Christi

Christum nūc regnare docetur.

Christi consistat. Et de illa quidem accipienda erunt illa, de quibus controvertimus, verba, *Nondum ei omnia videmus subjecta*: de hac verò loquuntur ista, *Omnia subjecisti sub pedes ejus*. Hæc autem subjectio rerum omnium sub pedes Christi abundè sufficit, ut is jam nunc regnare dicatur, præsertim cum multa ei jam reipsa pareant, ejusque imperium, ut locus ille prior ad Christum relatus postulat, agnoscant. Is enim regnare meritò dicitur, qui, licèt omnes inimicos sibi nondum subjecerit, potestate tamen ac virtute regia, & quidem plenissimâ instructus est, ac præcipuas regni sui partes reipsa tenet. David v.g. mortuo Saulo jam Rex erat, & quadraginta annos regnâsse dicitur, etiamsi non statim inimici ipsi essent subjecti, sed pedetentim, longoque temporis tractu subjicerentur, ut historia sacra apertè docet. Quid multis? cum & ipse Deus sit rex regum, & dominus dominantium, quamvis illi plurimi sint rebelles. Regnum enim non tam subditorum obedientiâ, quàm ipso imperii jure, quod quis habeat, continetur, præsertim si vires adsint, rebelles omnes subigendi & domandi. Christum autem jus imperandi plenissimum habere ac potentiam, cui resistere nemo queat, inde constat, quòd clavem se Davidis habere ipsemet asserit, quâ ita aperiat, ut nemo claudat, itaque claudat, ut nemo aperiat; quò etiam pertinent claves mortis atque inferni, quas itidem se habere Christus affirmat. Nec est, quòd quis cum his clavibus, Apostolorum claves cōparandas esse putet: quandoquidem Apostolis clavis Davidis, id est, imperium ac regnum, & claves mortis atque inferni, h. e. vitæ mortisque potestas ac dominium nequaquam concessum est: sed eæ tantùm illis claves commissæ sunt, quæ Evangelii ministerio continentur, quæque ab hominibus mortalibus usurpari possunt, quales nequaquam sunt claves antè commemoratæ.

2 Sam: 24. 3 Reg: 2. 10. 1 Paral: 29. 27

1 Tim: 6. 15.

Apoc: 3. 7, 8.

cap: 1. 18.

Mat: 16. 19.

Satis jam, ut opinamur, hoc præsentis Christi imperii testimonium eludi non posse ostendimus: consequens nunc est, ut ea adversariorum argumenta excutiamus, quibus Christum de regni possessione dejicere conantur. Sunt autem duplicia. jam enim ad incommoda nos deducere; jam verò scripturę testimoniis convincere conantur. Ad incommoda quod attinet; nostram sententiam efficere ajunt, ut Christus sit Patri æqualis ac coëssentialis; ut scripturæ analogia evertatur; ut denique gloriæ Dei plurimum derogetur. Quæ rationes si firmæ essent, non tantùm præsens Christi regnum, sed etiam futurum illud, quod ipsi concedunt ac statuunt, everterent. Cur enim magis nunc valent, quàm olim, cùm, ut ipsi ajunt, regnaturus est? Nos igitur respondemus, Christi cum Deo æqualita-

Christum nūc regnare docetur.

sup: cap: 10.

æqualitatem, quæ ex Christi regno atque imperio, quod ipsi a Deo datum est, jurè colligi queat, nihil continere absurditatis; coëssentialitatem autem hinc adstrui minimè posse, ut suprà suo loco demonstravimus. Quod verò dicunt, scripturæ analogiam everti, si Filius itidem ac Pater regnare dicatur; non solùm a vero alienissimum, sed nihil etiam novæ scripturæ congruentius est, quàm Filium unà cum Patre idem regnum administrare, ita tamen ut Filius Patri ea in re sit subordinatus, ut nimirum unum habeamus Deum Patrem, ex quo omnia, & unum Dominum Iesum Christum, per quem omnia. Quæ res olim a Prophetis clarissimis verbis prædicta, atque in Pharaone & Iosepho, quem ille toti Ægypto ita præfecerat, ut absque ejus imperio nemo manum aut pedem, ut scriptura loquitur, moveret, & omnes genua coram eo flecterent, licèt interim ipse Pharao rex revera esset, adumbrata fuit. Ad extremum gloriæ Dei nihil detrahi, si alter regnans, videlicet Christus, illi adjungatur, hinc perspicuum est, quòd hæc Christi dignitas ab ipso Deo, tanquam uberrimo fonte profluxit, & ad ejusdem gloriam redundat, ut sacræ literæ multis in locis testificantur.

1 Cor: 8. 6.

Psal: 45. 7, 12. & 110. 1.
Heb: 1. 3, 8, 13.
Dan: 7. 13, 14.
Gen: 40. 40, 43, 44.

Ioh: 17. 1, 2.
Phil: 2. 11.
vid: etiã Ioh: 13. 31, 32: c. 14. 13, 14.
1 Pet: 1. 21.

Sequitur, ut ea scripturæ testimonia excutiamus, quibus Christum nondum regnare, nec suos curare, ostendi videtur. Quorum primum esto, quòd Christus a dextris Dei sedere, & donec sibi hostes subjiciantur, expectare dicitur. Atqui nec a dextris Dei sedere, quietem, aut otium, ut isti volunt, sed primum honoratissimumque locum post Deum tenere, atque adeò, ut Paulus claris verbis explicat, regnare, &, ut hinc colligit Petrus, Dominum Christumque factum esse designat: quibus simillima apud Matthæum Lucamque scripta leguntur: nec Expectare inimicorum subjectionem significat, eum nihil nunc sibi habere subjectum. Sunt enim alia infinita, quæ ei reipsa jam parent. imò hoc ipsum, quòd inimicorum subjectionem expectare dicitur, indicat, cæteras, præter inimicos, creaturas, ei jam reipsa subjectas esse, ut in Davide, qui Christi typus fuit, luculentissimè apparet. Cùm enim expectaret, ut ipsi Deus reipsa subjiceret hostes ipsius, rex erat, nec regiam potestatem expectabat, sed jam tenebat. Adde, quòd non Deus per se, illo interea otiante, sed per ipsummet Davidem hostes eidem subjiciebat, qui propterea, quòd maxima bella, per omnem vitam gesserat, & porrò hostium sangvine manus commaculaverat, haud idoneus fuit existimatus, qui Iehovæ templum exstrueret. Nónne igitur multò magis Christus ad dextram throni Dei sedens, rex esse, & divinitus sibi concessa potestate hostes suos debellare,

Psal: 110. 1.
Heb: 10. 13.

1 Cor: 15. 25.
Act: 2. 34, 35, 36.

Mat: 26. 63, 64.
Luc: 22. 67, 69, 70.

2 Sam: 22. 1, 38. & d. 48.
3 Reg: 5. 3.
1 Par: 22. 8: 28. 3.

Hebr: 12. 2.
Phil: 3. 21.

Christum nũc regnare docetur. lare, sibique subjicere dicendus est? Cum enim, ut testis est Paulus, simul ac omnia illi fuerint subjecta, mox finis illius regno imponendus, ipseque statim Patri illud sit traditurus; quando, quæso, regnabit, & porrò quod regnum Patri suo tradet, si ante illud tempus nullo illum regno potiri volumus?

1 Cor: 15. 24, & d.

Ioh: 18. 36.

Alterum scripturæ testimonium illis Christi verbis continetur, quibus regnum suum de hoc mundo nequaquam esse testificatur. Quo loco adversarii ad errorem suum stabiliendum ita abutuntur, ut Christum hoc præsenti mundi tempore nequaquam regnare, sed postea regnaturum esse, eo probari existiment. Verumenimvero verba ipsa manifestè docent, nihil aliud Christum velle, quàm regnum suum non perinde, ut alia regna, mundanum aut terrenum, sed cœleste & spirituale esse. Vnde rectè subjicit Christus: *Si regnum meum eßet de hoc mundo, ministri mei utique certarent, ne traderer Iudæis.* Hinc autem nullo modo consequitur, Christum hoc tempore in cœlis non regnare. Ipsum quoq; Dei regnum non est de hoc mundo: an verò propterea Deum nunc regnare negabimus?

Ioh: 17. 11, 12, 13.

Tertiò ajunt, Christum jam hinc abiturum, Deo Patri suorum curam commendâsse, quod, ut isti dicunt, neutiquam fecisset, si ipse eos gubernaturus esset. Respondemus autem, illa Christi verba propriè ad ejusdem mortem referenda esse, quippe qui, dum in morte esset, suos curare non posset: post resurrectionem tamen illum rursus eos curaturum atque gubernaturum fuisse, non solùm inde patet, quòd gloriam sibi destinatam a Patre rogat, quâ potestas suos curandi, vitâque æternâ donandi continetur: sed infrà etiam in eodem capite, sese Patris nomen suis notum facturum promittit. Quare si illa Christi verba, quæ objiciuntur, ad tempus quoque exaltationis ipsius extendere velis; statuendum est, nihil aliud sibi velle Christum, quàm ut Deus per ipsum, etiam in cœlos translatum, discipulos servare velit, atque adeò tantam ipsi concedere potestatem, ut a discipulis longissimè remotus, eos curare Patris nomine queat. Alioqui necesse esset apertissima sacræ scripturæ loca mendacii per summam impietatem arguere, quæ testantur, Christum ab eo tempore, ex quo ad dexteram Dei consedit, curam Apostolorum, aliorumq; fidelium suorum gessisse, ac porrò gesturum. Vide inter alia Matth: 18. 19, 20: 28. 20. Luc: 21, 15, confer cum c. 12. 12: Ioh: 14. 12, 13, & d. 21. 23. c. 15. 26. Act: 2. 33, & d. c. 7. 59, 60. c. 9. 4. & d. 10. & d. & v. 34. c. 18. 9, 10. & c. 22. 18. & d. 2 Cor. 12. 8, 9: 13. 3: Eph. 1. 22, 23: c. 4. 7. & d. c. 5. 29, 30: 1 Thes. 3. 11. & d. 2 Thes. 2. 16, 17: Heb. 2. 17, 18: Apoc. capp. 1. & 2. & 3. & ult. v. 16.

ỳ 1, & 5.
ỳ 2, 3.
ỳ 26.

Quartò hunc in modum argumentantur: Scriptura, inquiunt, sancta passim Deo Patri omnem nostri curam tribuit, omnemque nostri curam in illum nos conjicere jubet. Ergo Christus ab ista cura prorsus vacet necesse est. At quàm inepta hæc consecutio est? cum per Christum nos curet Deus; ideoque nos in Christum nostram curam conjiciendo, in ipsum Deum eam conjiciamus.

Quintò sic urgent, quòd Christus unica oblatione in perpetuum perfecerit sanctificatos; ideoque consequens esse ajunt, Christum jam suos ampliùs non curare. Occurrimus autem, & minimè hinc consequi dicimus, Christum ampliùs de suis juvandis atque conservandis non laborare: sed tantùm ad eos perficiendos, id est, a peccatis purgandos, aliâ, præter eam, quæ semel peragi cepta est, Christi oblatione, opus non esse. Vnica ergo illa oblatio non ad alias præter oblationem res, quæ ad eundem effectum pertineant, excludendas, sed tantùm ad plures oblationes removendas hîc commemoratur. Ea verò Christi oblatio tantum abest, ut præsentem Christi curam, quam de fidelium suorum salute suscipiat, excludat, ut eam omnino postulet. quandoquidem unica ista Christi oblatio nondum est finita: cum eum in perpetuum sacerdotis officio functurum, ideoque nequaquam nostri curam depositurum, ex sacris literis compertissimum sit. vid: Heb: 2. 17, 18. c. 4. 14, 15, 16: c. 5. 1. & d. usque ad finem vers. 10. cap. 6. ult. c. 7. 17, 24, 25. c. 8. 1. & d. c. 9. 24. Heb: 10.14.

Sextum argumentum est, quòd Christus omnia, quæ fecit, non sibi, sed Patri asscribit: unde effici videtur, non Christum, sed Deum Patrem Ecclesiam gubernare. Respondemus igitur, hoc argumentum seipsum destruere: cum non solùm apertè fateantur hîc adversarii, Christum aliquid facere; sed etiam res ipsa indicet, Patrem nihil per Filiũ efficere posse, quin simul id efficiat Filius. Aliter enim per illum agere non posset. Ex quo factum est, ut quamvis Christus in terris degens omnia sua opera Patri accepta referret; tamen se illa facere sæpè dixerit, [a] seque ea facere posse credi voluerit. Ioh: 5. 17, 19, & d 36: c: 9. 3, 4. c. 10. 32, 37: c 14. 12: c. 15. 24: a Matth: 9. 28.

Cap. XXVIII.

De Millenario Christi regno.

Etsi hucusque satis videmur ostendisse, Christum jam nunc in cœlis regnare, & Ecclesiæ curam agere: antequam tamen ad disputationem de cultu ac veneratione, quæ Christo ob tantum imperium conveniat, transeamus, non alienum fuerit eorum refellere errorem, qui, licèt nunc Christum in cœlis regnare asserant, regnum

De millenario Chriſti regno.

gnum tamen ei terrenum ante finem mundi mille annos duraturum, deſtinatum eſſe affirmant. Hanc autem illorum ſententiam & falſiſſimam, & valde pernicioſam eſſe, tribus potiſſimùm rationibus conſtat: primò enim, ſi ejus vis ſpectetur, vero Chriſti regno everſionem affert, quod unicum ſimplexq́ue eſſe, ſacræ literæ ſatis docent, utpote quæ unius tantùm regni Chriſti mentionem faciunt, idq́; in æternum duraturum eſſe affirmant. At cum regnũ habere cœleſte, & regnum habere terrenum, nequaquam ſit unico, eoq́; ſimplici, ſed duplici regno potiri; quis non animadvertit, hoc conſtituto, illud conſiſtere non poſſe? Aſſumptionem hujus noſtri argumenti veriſſimam eſſe, inde patet, quòd inter cœleſte ac terreſtre regnum tantum intereſt, quantum ipſum cœlum a terra diſtat. In hac enim diſputatione, terreni regni nomine non ea gubernandi poteſtas intelligitur, quam Chriſtus nunc in cœlo perſonaliter exiſtens, etiam in terra exercet: ſed illa regnandi ratio, quam Chriſtus, poſtquam rurſus de cœlo deſcenderit, in terra Iudaica, idq́ue Hieroſolymis, cum ſuis mille annos adminiſtraturus ſit. Id enim illi, cum quibus hîc diſputamus, volunt. Dicimus igitur, utrumque dominandi modum in unum ſimplexq́ue Chriſti regnum convenire nequaquam poſſe, cum ſint triplici potiſſimùm ratione diverſiſſimi. Præſens namq́ue Chriſti regnum, & omni, tam in cœlo, quàm in terris, poteſtate continetur; & ad ſuam exiſtentiam hominum obedientiam haud neceſſariò requirit; & deniq; ad omnes tum perſonas, tum locos, æquè pertinet. illud verò nec omnem requirit in cœlo ac in terra poteſtatem, ſolâ terrenâ contentum; nec ſine multorum ſubditorum, qui regem illum ſuum agnoſcant ac colant, obedientiâ conſiſtere poteſt; nec denique ad omnes gentes ac locos ſpectat, ſed peculiari ratione ad populum Iudaicum, & urbem Hieroſolymitanam eſt alligatum. Quare manifeſti erroris illi convincuntur, qui utramq; regnandi rationem in unum idemq́ue regnum ita contrahunt, ut terrenam illam nonniſi quandam hujus cœleſtis declarationem fore exiſtiment. Nam præterquam quòd, ut oſtendimus, duo diverſa inducuntur regna; ſatis etiam ultimum glorioſiſſimumq́ue illud judicium, quod Chriſtus de toto humano genere facturus eſt, illaq́ue vel æternæ vitæ donatio, vel impiorum ſempiternis pœnis vindicatio, ſummam Chriſti jam regnantis majeſtatem atque potentiam declarabit, ut terreno illo regno ad eam rem haudquaquam opus ſit futurum. Id verò judicium, ut alterum argumentum aggrediar, ſubitò admodum futurum, & ſtatim cum adventu Chriſti conjungendum, non verò mille demum poſt adventum illum

Luc: 12. 39, 40. 1 Theſ: 5. 2. 2 Pet: 3. 10. Mat: 24. 37.

De millenario Christi regno.

tum illum annis consequuturum, non solùm furis noctu venientis, ac temporum Noæ similitudine, quâ sacræ literæ de Christi adventu ad judicium disserentes utuntur, sed apertissimis quoque Apostolorum testimoniis confirmatur, qui Christo adveniente ultimum hostem, mortem nimirum, profligandum, cœlum terramque & omnia elementa igni consumêda esse pronunciant. Quid multa? ipse Christus ait, cùm venerit Filius hominis in gloria sua, & omnes sancti angeli cum eo, eum tunc sessurum in throno suo glorioso, & congregatum iri ante ipsum omnes gentes: ipsum autem alios ab aliis separaturum, & justis quidem cœlestis regni hæreditatem adjudicaturum, utque eam reipsa adeant, effecturum, impios verò in sempiternum illum ignem missurum. Tantò autem validiùs hoc argumentum stringit adversarios, quòd fateantur, ultimum judicium nequaquam Christi regnum antecessurum, sed consecuturum esse: cum Ioannis ille locus, in quo suæ opinionis firmissimum ponunt præsidium, millenario illo regno finito, illud futurum testificetur: ut alia quædam taceam, quæ illos ad hoc confitendum omnino adigunt. Vnde perspicuum est, hanc opinionem cum perpetua novæ scripturæ sententia, quę judicium universale seu extremum cum Christi adventu ex cœlis statim conjungit, adversa fronte pugnare.

1 Cor: 15. 26. d. l. 2 Pet: 3. 10.

Mat: 25. 31 & d.

Apoc: 20. 6, 11, 12.

Tertia ratio, quâ ab ista sententia deducimur, est, quòd universa Christianæ religionis monumenta omnibus rationibus nobis persvadere conantur, ut terrenis momentaneisque bonis ac voluptatibus spretis, ac pro nihilo habitis, omni mentis contentione ad cœlestes sempiternasque opes aspiremus: cum Respub: nostra nequaquam in terris, sed in cœlis sit constituta; ideoq; quasi unà cum Christo a mortuis excitati, non terrena, sed cœlestia curare, aut sapere jubeamur. Id quod cum regni terreni expectatione nequaquam convenit. Quo enim jure a rerum terrestrium cogitatione abstrahimur, si fidei nostræ præmium terreni regni voluptates reportaturi sumus?

Phil: 3. 19, 20.

Col: 3. 1, & d. vid: etiam 2 Cor: 4. 18. Heb: 10. 34. 13. 13, 14.

Argumenta porrò, quibus duplicem regnandi rationem probare conantur adversarii, tam ex veteris, quàm ex novi Testamenti libris sumuntur. Primò igitur, ut paucis rem perstringam, nullum veteris scripturæ testimonium reperiri potest, quod apertam, propriisque verbis expressam cœlestis regni possessionem contineat. Omnes siquidem illas vaticinationes, si ipsum verborum corticem spectemus, nonnisi terrenum Christi regnum, idque unicum ac perpetuò duraturum, adeò ut nullum aliud regnum illi sit successu-

De millenario Christi regno.

rum, promittere constat. Vnde efficitur, ut, si secundum literam illa interpretari volumus, nonnisi terrenum Christi regnum expectandum nobis sit, Christusque nondum regnet. Quod quidem falsissimum esse, & jam suprà ostendimus, & ii ipsi, quibuscum nobis hoc loco res est, fateantur necesse est. Atqui nullo pacto credibile est, si modò hanc Christi regni partitionem veram esse volumus, prophetas potissimam ejus partem, utpote cœlestem ac divinissimam, perpetuo silentio suppressuros fuisse, præsertim cùm ex professo de Messiæ regno dissererent. Si igitur hunc Iesum jam revera Christum esse, & porrò jam regnum in cœlis suum administrare, ideoq; adoratione invocationeque dignum credimus; necesse profectò est, ut omni de alio illius futuro terrestrique regno cogitatione abjecta, hoc unum amplectamur, omnesque prophetarum vaticinationes in allegoricum sensum accipiendo, ad hanc præsentem atque cœlestem gubernationem Christi accommodemus. Neque enim ulla est causa, cur, si quædam Prophetarum testimonia, quæ regnum Christi terrenum describere ac promittere prima fronte videntur, de cœlesti præsentique ipsius regno accipienda dicas, idem de cæteris omnibus, quæ illis sunt planè similia, non statuas. At, inquies, si quidem ex veteri scriptura utraque regnandi ratio minùs appareat, non multùm laborabimus, ut ejusdem testimoniis eam demonstremus: cum apud Novi testamenti scriptores satis dilucidè, & jam in cœlis Christum regnare, & aliquando in terris mille annos cum suis regnaturum, scriptum legamus. Respondemus autem, nusquam in novi Testamenti libris reperiri, Christum in terris cum suis regnaturum esse. Etsi enim Apoc. 20.
℣ 10. certum fidelium genus cum Christo mille annos regnaturum esse dicatur; terræ tamen nulla fit mentio. Quòd si ex ejusdem Autoris
℣ 6. 5. cap. ubi fideles in terris regnaturi dicuntur, illius loci explicationem petendam existimas, longè falleris. Tantum enim abest, ut hoc fieri possit aut debeat, ut isti duo loci non uno inter se modo differant, ideoque nequaquam de uno eodemque regno utrobique
vid: ℣ 4, 5. sermo habeatur. Illud enim testimonium, quod cap. 20. habetur, de quibusdam tantùm agit Christianis, videlicet de decollatis propter testimonium Iesu, & propter sermonem Dei, & qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, neque acceperunt characterem in fronte sua & manu sua, &c. id est, qui maluerunt mortem violentam atque atrocem oppetere, quàm ista facere; non autem, qui simpliciter, occasione nimirum destituti, ab istis sese abstinuerunt. Alterum verò, quod 5. cap. legitur, non certos tantùm, sed omnes

De millenario Christi regno.

ſed omnes Chriſtianos complectitur. At nec omnes divinæ veritatis gratiâ interemptos fuiſſe, nec omnes beſtiam agnoviſſe, & porrò illam ejúsve imaginē adorandi occaſionē non habuiſſe conſtat: cum & ante beſtiam multos vixiſſe, vel propter locorum diſtantiam nullam iſta faciendi cauſam habuiſſe, credendum ſit. Vnde ibidem dicitur, reliquos mortuos non revixiſſe, donec finiti eſſent mille anni: inter eos autem etiam pii numerantur, ut ex illis conſtat, quæ ad finem capitis leguntur. Quid, quòd & hoc inter utrumque teſtimonium intereſt, quòd in 5. cap: fideles ſeſe in terra regnaturos dicunt, nulla Chriſti ſimul ibidem regnantis facta mentione. in vigeſimo verò additur, illos, de quibus ibi verba fiunt, unà cum Chriſto regnaturos. Neque enim quicquam prohibet, quo minùs Chriſti fideles in terra regnent, Chriſto in cœlis exiſtente. Adde, quòd vox *terræ*, in illo loco, ut & apud Matthæū, per quandam analogiam, non terram propriè intellectam, ſed eam, quam nobis promiſit Chriſtus, novam videlicet eam, quâ beata continetur immortalitas, deſignare cenſenda ſit, quam omnes, nō autem certos quoſdam Chriſtianos inculturos eſſe, paſſim apud ſacros auctores ſcriptum videmus. Non obſtat igitur, Davidem in Pſal: 37. 11. manſvetos hanc terram, quam nunc incolimus, hæreditaturos affirmare, noſtroſque ſcriptores ad locum illum alludere: utpote cum Chriſtianæ religionis analogia ſvadeat, ut multa, quę a veteribus ſcriptoribus propriiſſimis verbis dicta ſunt, apud noſtros in allegoricum ac ſpiritualem ſenſum accipiantur; & quę ibi de terra terrenísque bonis loquuntur, ad novi fœderis tempora accommodata, de cœlo ac cœleſtibus bonis intelligantur. Hîc objiciet forſan aliquis, ita Chriſtum populi Dei paſtorem fore prædictum eſſe, ut princeps in medio ipſorum ſit. Quod fieri non poſſe quidam arbitrantur, quin cum illis perſonaliter in terris regnet. Verùm nec ibi de populi Dei regno, ad quod adverſarii iſta referunt; ſed de ſumma pace, quâ ſub Meſſia fideles perfrui debeant, verba fiunt: nec, ſi de eo regno ſermo haberetur, mox conſequens eſſet, non aliter Chriſtum, quàm corpore, ſuis pręſentem adeſſe poſſe. Sic enim nec in medio illorum, qui in ipſius nomine congregarentur eſſe poſſet, quin quoties id fieret, de cœlo perſonaliter deſcenderet; quo quidem quid poteſt cogitari abſurdius? Quòd ſi dixeris, te non multùm, ubi illud regnum millenarium futurum ſit, laborare, ſatiſque habere, illud certiſſimò futurum eſſe, ſacro illo Ioannis teſtimonio confirmari; reſpondemus, totam illam Ioannis orationem allegoricam eſſe, & viſionem magna obſcuritate involutam continere, quam a multis

ỳ 12, & 13.

Mat: 5. 5.

2 Pet: 3. 13.

Ezech. 34. 23. 24.

Mat: 18. 20.

De millenario Christi regno.

multis parùm intelligi mirum non est: cum multæ aliæ vaticinationes ab humanæ mentis intelligentia adeò remotæ sint, ut nonnisi ex eventu percipi queant. Si enim verba illa propriè accipere voluerimus, oportebit nos per summum scelus, veracem constantissimumque Dei spiritum sibi ipsi contradicentem inducere. Apud Evangelistas enim & Apostolos apertissimè, rejectisq; omnibus verborum involucris legitur, Christum omnes suos in novissimo die excitaturum, vel eos, qui sunt Christi, in ipsius adventu resurrecturos, eodemque statim tempore mortem, ultimum hostem, deletum iri, &, quod multò clariùs rem istam ob oculos ponit, mox finem sive hujus seculi, sive regni Christi futurum. In loco verò Ioannis, nec omnes Christi fideles ipso adveniente resurrecturos, nec statim finem adfuturum, sed mille annos atque ampliùs ante illum intercessuros dicitur. Quod quidem si absque allegoria intelligendum est, quis non videt, vehementer omnibus illis locis id repugnare? At, inquies, ex hoc ipso Pauli loco satis apparere, non simul ac Christus advenerit, finem fore: cum priùs omnes principatus, potestates atque virtutes, mortem denique ultimum hostem eum abolitorum esse, Apostolus testificetur. Respondemus, istam principatuum, potestatum atq; virtutum abolitionem, nullam longiorem moram, nedum mille annorum spatium, inter Christi adventum & regni ejus finem interpposituram. Cum enim mors inter Christi hostes ultimo loco sit abolenda, id quod in adventu Christi futurum esse ex Paulo discimus; necesse est principatus, potestates, ac virtutes seu potentias illas, utpote Christo inimicas, in eodem Christi adventu, vel abolitas jam esse, vel confestim aboleri. Mors enim, cum nonnisi eatenus Christi inimica sit, quatenus fideles ipsius lædit, tum destruetur, cum fideles ex potestate ejus penitus eripientur; quod quidem fiet iis resuscitatis, & incorruptibilitate donatis. At ii, qui sunt Christi, in adventu ipsius, ut expressè testatur Paulus, vivificabuntur, & incorruptibiles evadent. Sed quid multis opus? cum Paulus luculentissimis verbis huic sententiæ adstipuletur, dum ait: *Oportet illum regnare, donec omnes inimicos ponat sub pedibus ejus: novissima inimica destruetur mors*. Hinc efficitur, Christum, subjecta sibi morte, id est, suis a mortuis excitatis, non ampliùs regnaturum, sed, ut idem testatur Paulus, regnum Deo & Patri traditurum, atque ita nullum intervallum, aut certè admodum exiguum, inter Christi adventum, ejusdemque regni finem, interjectum iri. Vt igitur tandem huic disputationi finem imponamus; concludimus, aliud Christi regnum præter id, quod a dextris Dei collocatus administrat, expectandum minimè esse.

Ioh: 6. 39, 40, 44, 54: c. 11. 24.

1 Cor: 15. 23, & d.

1 Cor: 15. 23, & 25.

ib: ℣ 25, 26.

℣ 24.

Cap: XXIX.

De Christo adorando.

SEquitur, ut pestilentissimam quorundam de Christo non adorando sententiam convellamus. Quanquam enim illius vanitas ex summo Christi, de quo hactenus disputavimus, imperio, exque aperto hac de re Dei mandato, quo etiam Angeli obstringuntur, clarissimè perspiciatur; ipseque adeò Spiritus sanctus, ideo Christum omni judicio, ac nomine, quod est omni alio sublimius, donatum esse testificetur, ut divino honore afficeretur, ad ipsiusque nomen omne sese genu flecteret: tamen isti homines, astu hostis illius, quem Christi splendor valde pungit, circumventi, non dubitant istam veritatem oppugnare, divinisq; quibusdam testimoniis ad eum isto honore spoliandum abuti. Primò enim dicunt, hanc nostram de Christo colendo assertionem, luculentissimum de solo Deo adorando infringere mandatum. Respondemus autem, illud Dei præceptum, huic veritati triplici de causa nihil quicquam officere. Primò enim, ut sacræ literæ solum Deum immortalem, aut sapientem nominando, Christum aliosq; immortalitate ac sapientiâ minimè spoliant, sed tantùm Deum solum a semetipso talem esse significant: sic de solo quoq; Deo, utpote primario omnium rerum autore adorando judicandum est. Deinde cum Christum Patri subordinatum esse constet; sequitur, nos Christum adorando, ipsum Patrem, a quo tanta potestate ac gloriâ donatus est, adorare. Vnde Paulus honorem & gloriam, quæ Christo ab omnibus creaturis intelligentiâ præditis reddenda sit, in gloriam Dei Patris cedere, apertissimis verbis pronunciat. Ipsa deniq; temporum diversitas hanc nostram sententiam ab omni contradictionis absurditate facilè vindicat: cum mandatum de solo Deo adorando, ad veteris Testamenti tempora propriè spectare palàm sit. Potiùs igitur metuendum est adversariis, ne, dum vetus illud mandatum tueri, integrumque conservare student, non modò novum illud de Filio adorando præceptum evertant, sed simul etiam ipsum vetus, quod tantopere urgent. *Qui enim Filium non honorat, Patrem non honorat,* ut ipse Christus clarissimè pronunciat.

Psal: 45. 12. Heb: 1. 6. Phil: 2. 9. 10. Ioh: 5. 22, 23. Devt: 6. 13. & 10. 20. Matth: 4. 10. 1 Tim: 6. 16. 1. 17. Rom: 16. 27. Phil: 2. 10, 11. Ioh: 5. 23.

Rursus tamen objiciunt, Christum, cùm veræ adorationis definitionem institueret, non sibi, sed Patri in spiritu ac veritate eam adhibendam esse docere. At verò quicunque locum illum diligenti animadversione perpenderit, clarissimè cernet, nequaquam ibi Christum adorationis instituere definitionem, neque revera, quis adorandus

Ioh: 4. 23.

adorandus sit, sed quomodo, quóve in loco, disputare. Quæstio enim ibidem a muliere Samaritana proposita non erat, quis, sed quo in loco Deus ille summus, qui Christi Pater est, adorandus esset, an videlicet in monte ibi commemorato, an verò Hierosolymis. Christus igitur ad institutam quæstionem respondens, innuit, Samaritanos hactenus quidem ea in re erràsse: cum Iudæi, utpote ex quibus salus esset, meliùs scirent, quid, id est, qua ratione, & quo in loco adorandum esset: venisse tamen jam illud tempus, quo veri adoratores nulli certo loco alligati, ubiq;, dummodo in spiritu ac veritate, Deum illum, qui Pater est, adorarent. Nihil igitur ex hoc loco elici potest, quàm, si quis Patrem adorare velit, quomodo, & ubi hoc facere debeat; quod sanè nullam vim ad Christum adoratione excludendum habet, ut quilibet cordatus homo facilè intelligit. Adde, quòd jam docuimus, eum, qui Christum adorat, ipsum Patrem adorare; adeò ut, etiamsi eo in loco adoratio esset definita, &, quis sit adorandus, constitutum, nihilominus tamen Christus ab eo cultu minimè sit excludendus. Objiciunt tamen, illud primum Decalogi præceptum, quo alios præter Deum Israëlis adorare vetemur, nostram de Christo adorando sententiam prorsus convellere. Hoc verò ideo falsissimum censeri debet, quòd nec Christo illud præceptum opponitur, sed alienis tantum fictisque Diis; nec, uti jam docuimus, Christum adorando, alium præter ipsius Patrem adoramus; nec denique Deus isto præcepto seipsum, aliquem alium hoc honore ornandi potestate spoliavit, sed tantùm hominibus hanc legem imposuit, ne videlicet arbitratu suo id facerent.

CAP: XXX.

De Christo invocando.

Videamus jam, quibus argumentis Christi invocatio impugnetur Primò igitur nihil a nobis in rebus ad cultum divinum spectantibus jurè fieri posse adversarii asserunt, quod Deus nominatim non mandaverit. Quapropter cum nullum de precibus ad ipsum Christum nominatim dirigendis mandatum nobis traditum sit; consequens esse ajunt, eum a nobis absque scelere invocari non posse. Nos verò facilè concedimus, nullum de precibus ad Christum nominatim dirigendis, quo simpliciter atque absolutè ad id faciendum obstringamur, præceptum extare; idque ob causas suprà suo loco explicatas. Interim tamen hujus argumenti propositionem manifestæ falsitatis convincit exemplum invocationis ipsius Dei, de qua etiamsi nullum extaret mandatum, eum tamen invocari jurè

Lib: 4. c. 10.

Cap: XXX. De Christo invocando.

ri jurè posse, semperque potuisse, nemo dubitat. Ut enim id jurè fieri possit, satis est nobis constare, tum de tanta ejus sapientia, ut preces nostras intelligere, tum de potentia, ut ea, quæ petimus, præstare queat, tum de bonitate, ut etiam velit: quamquam satis est, quòd velle possit. Et sanè si universam legem a Mose descriptam, quâ totius antiqui fœderis ratio continetur, evolveris, nullum de Deo invocando, seu auxilio ejus implorando, præceptum, præsertim quo omnes simpliciter atque in perpetuum obligentur, reperies, ne dum ut absq; intermissione orare Israëlitæ ibi jussi fuerint, quemadmodum sub novo fœdere præceptum est. An ergo tum id facere non licebat? Quid? num præcepto aliquo opus est, ut subditi regis sui opem implorare jurè queant? an non sufficit, scire, eum id, quod petas, præstare posse? multo autem magis, si scias, eum ad id faciendum admodum pronum facilemque esse. Quid causæ erat, cur multi a Christo in terris existente ea peterent, quæ cæteroqui nonnisi a Deo peti poterant, nisi quia sciebant, Christum ea præstare posse, etiamsi nullum de eo rogando mandatum haberent. Quòd si nunc Christus non minùs preces nostras percipere, & ea, quæ petimus, præstare potest, quàm olim, cùm in terris degeret, ut sanè potest: siquidem corda & renes scrutatur, & omnia, non tantùm facta, sed & cogitata nostra videt, omnique præterea in cœlo ac terra potestate est præditus; quid causæ est, cur eum nunc minùs rogare, & auxilium ipsius implorare absque mandato liceat, quàm olim licuit, cùm in terris viveret? Quare istam argumenti adversariorum consecutionem facilè refellunt ea, quæ suprà de summo Christi imperio, diligentissimaque Ecclesiæ cura, itemque de Spiritus divini monitis, denique de sanctorum hominum exemplis, quibus ad auxilium Christi implorandum incitamur, disputavimus. Ea enim omnia clarissimè ostendunt, posse id summo jure, citra ullam divini numinis offensionem, a piis hominibus fieri, quamvis de eo mandatum, quale diximus, non extet. Si enim apud omnes cordatos homines omnia, quæ prohibita non sunt, censentur esse permissa: quid tandem existimandum de illis est, quibus non solùm non prohibemur, sed ad quæ insuper facienda, non quidem mandatis, verùm haud levibus, imò divinis planè incitamentis concitamur? Hoc verò cum severissimo Dei mandato pugnare inquient, quod Devt: 12. 32. hunc in modum legatur: *Hoc tantùm facias, quod ego præcipio tibi: nec addas, nec minuas*. Respondemus autem, Hebraicum textum vocem *tantùm* non habere; nec *addere* apud Mosem, id facere, quod mandatum non est, designare, sed, potiùs quod prohibitum est: ut contrà Devt: 4. 2.

minuere

minuere, est aliquid eorum, quæ præcepta sunt, omittere. Vnde alio in loco id ipsum, neque ad dextram, neque ad sinistram deflectere appellat. Aliter enim si se res haberet, peccâsset tum Gedeon, tum David, quorum ut ille altare extruxit, ita hic domum Dei ædificare instituit, nullo divino mandato impulsus. Atqui nec illius factum reprehensum fuit, nec hujus consilium divina caruit approbatione; licet a Deo jam constitutum esset, ut non David, sed ipsius filius templum extrueret. Consequens igitur est, non omnia piorum hominum facta ad cultum divinum pertinentia, in peccatis habenda esse, quamvis absque divino mandato suscipiantur, modò cum mandatis divinis, eorumvé analogia nequaquam pugnent. Si enim vel cum Dei mandatis directè pugnent, vel iis, quæ vetantur, similia sint, peccata esse nemo nostrûm dubitat. Quod ideò a nobis dicitur, ne Pontificiorum innumera commenta stabilire, aut non frustra Deum mandatis hominum coli existimare videamur: sed ut nos ea hominum placita, quæ præterquam quòd nec ulla probabili ratione, nec ullis divini Spiritus monitis, nec virorum divinorum exemplis comprobantur, mandata quoque Dei, ut Pharisæis Christus objicit, infringunt, penitùs repudiare manifestò appareat.

Iud: 6. 24. 2 Reg: 7. 2 & d. 3 Reg: 8. 17, 18, 19: 2 Paral: 6. 7, 8, 9.

Tertium adversariorum argumentum est, quòd nonnisi is invocari possit, a quo tanquam ex fonte omnia dona emanant; qui cum sit solus ille luminum pater, consequens esse ajunt, neminem præter illum invocari posse. Nos verò argumenti hujus propositionem, nisi ita accipiatur, ut in eum solum, qui primus omnium beneficiorum fons est, omnem invocationis honorem ultimò redundare debere intelligatur, negamus. Quid enim prohibet eum etiam rogare, per quem ex primo illo fonte largi beneficiorum rivi in nos manant? Etsi enim solum Patrem bonorum omnium primarium largitorem esse libentissimè confitemur: nequaquam tamen consentaneum, imò a ratione alienum est, illum ob hoc ipsum ea libertate privandum esse, quominus cui velit, beneficia in homines conferendi potestatem, cum summo imperio conjunctam, concedere possit; ut quidem Christo eam concessisse manifestissimum est, quem idcirco invocari posse constanter dicimus. Adde, quòd quisquis Christum invocat, simul ipsum Patrem invocet, utpote *qui* Christum tantâ potentiâ donavit, & nobis gubernandis curandisq; præfecit; ita ut dici possit, eum qui Christum invocat, solum Patrem invocare, quemadmodum de adoratione suprà docuimus.

Matth: 6. 8. Iac: 1. 8.

Quarto loco Christi Iacobique de precibus fundendis doctrinam produ-

nam producunt, quorum uterque Patrem invocandum asserat. Respondemus autem, neque dictum ab illis fuisse, solum Patrem invocari posse, neque alibi ulla ratione cautum, ne quis alium, & sic Christum etiam, prętet Deum Patrem invocaret. Quinimò a compluribus Christum, dum adhuc in terris versaretur, invocatum fuisse, idque in iis rebus, quæ non nisi divinâ potentiâ fieri potuerunt, compertissimum est. qui sanè, si hac in re deliquissent, omnino vel ab eo reprehensi, vel hoc facto prohibiti fuissent. Huc accedit, quòd Christus, cùm orandi modum suis præscriberet, non quis invocandus esset, disputabat; sed reprehensâ hypocritarum in orando multiloquentiâ, breviter suos discipulos orare docebat, ita tamen, ut complecterentur omnia, quæ perpetuò petenda sint; non immutans interim veterem solius Patris invocandi consvetudinem; partim propterea, quòd nec gloriam suam ipse quærebat, nec in tantam adhuc potestatem elatus erat, ut ea dare posset omnia, quæ in ea oratione continentur; ut interim illud, quod in hac disputatione sæpius inculcandum est, neutiquam prætercam, nos Christum invocando Patrem invocare.

Mat: 8. 2: 5. 25. c. 9. 27: 14. 30: 15. 22: 17. 15: Mar: 10. 47. Luc: 17. 5. Ioh: 4. 47.

Affirmant præterea, nos ideò Christum minimè invocare posse; quòd ad semel repudiatum coëssentialitatis Christi cum Patre errorem nos relabi oporteat. Occurrimus autem, & tunc nos in istum errorem relapsuros esse dicimus, cùm inter Patris Filiique invocationem nullum relinquemus discrimen; quod sanè nunquam faciemus. Quinimò, ut planissimè mentem nostram aperiamus, Christum, nec ut primarium omnium rerum autorem ac moderatorem invocamus, sed tanquam eum, qui in potestate illa a Patre dependeat; nec tanquam ultimum precum istarum, & honoris, qui ei hac ipsa ratione exhibetur, scopum ac finem, sed tanquam intermedium; nec nisi in iis, quæ aliquo modo ad ipsius spectant Ecclesiam; nec tandem ita, ut mandato aliquo divino ad id faciendum simpliciter obstringamur, & absque peccato ad ipsum Deum rectà accedere nunquam possimus. At verò Deum Patrem nos ut primum omnium bonorum fontem invocamus, & preces nostras ad ipsum, tanquam ad ultimum scopum dirigimus, & in omnibus prorsus rebus illius præcepto obligatos, auxilium illius semper implorare nos debere profitemur, idque vel rectà, ita nimirum, ut ad ipsum Deum, non ad Christum, verba precationis nostræ dirigamus, quod sine peccato omnes omnium seculorum Christiani sæpe & fecerunt & faciunt, vel ita, ut ad Christum preces nostras convertamus: quandoquidem utroque modo Deus Pater invocatur.

Quomodo Diabolus voluntatem nostram impugnet.

Atque hinc fluit illius quoque argumenti dissolutio, quo nimirum Deum nullum in imploratione habere socium affirmatur, quia nec in mundi creatione habuit: cum, ut dictum est, nec eadem prorsus Patris cum Filio sit invocatio, nec, ut quis invocari possit, eum in mundi creatione Dei socium fuisse necesse sit. Satis enim est, eum in potestate ac cura, quam pro nobis gerat, Patri conjunctum, & sic talem tantumque divino beneficio factum esse, ut invocari possit.

Ad extremum, mediatoris officium, quo nunc fungitur Christus, haud permittere inquiunt, ut is a nobis invocari queat: cum mediator ipse pro aliis oret. Respondemus primùm, officium mediatoris ex sac. literarum sensu, nonnisi ad munus Christi propheticum, quod in terris absolvit, spectare, quemadmodum ex iis constare potest, quæ alibi ea de re disputavimus. Sed deinde, ut concedamus, Christum etiamnum mediatoris officio fungi; dicimus, eam ad rem nequaquam requiri, ut pro nobis oret, sed satis esse, ut in salutis nostræ negotio medius sit inter nos & Deum. Revera autem ac propriè illum nunc pro nobis non supplicare, inde perspicuum est, quòd jam omni in cœlo terraque potestate donatus, jam Dominus ac Christus, jam caput corporis Ecclesiæ super omnia, ut omnia in omnibus impleat, constitutus est. Quòd autem pro nobis intercedere dicitur, id, ut suprà suo loco satis docuimus, nisi modò allata testimonia falsissima esse volumus, ita accipiendum est, ut Christum non innata, sed a Patre accepta potestate nobis auxiliari intelligamus. Perinde enim est, ac si a Patre nobis opem atque auxilium impetraret. Denique etiamsi nunc revera oraret, quod tamen minimè concedimus; non video tamen quomodo hinc efficiatur, ipsum a nobis orari non posse. Nihil enim prohibet, quominus is, qui alium rogat, ab aliis etiam rogetur.

vid: l:3. c. 10. & h. lib: cap: 11, & c. 23.

Act: 2. 36. Ephes: 1. 22, 23. Rom: 8. 24. Heb: 7. 25. vid: l. 3. cap: 38.

Cap: XXXI.

De Diaboli stratagematibus, quibus voluntatem nostram impugnat.

Consequens tandem est, ut quibus machinis voluntatem potissimùm nostram Diabolus oppugnet, videamus. Nam etsi omnes eos errores, quos hucusque refutavimus, eò potissimùm refert Satanas, ut animum ac voluntatem hominis a vera pietate avertat, &, ne eam factis ipsis colat, efficiat: alias tamen adhuc habet artes, quibus idem consequi studet, & eas quidem ejusmodi, quibus non modò iis imponit, qui veritatis divinæ sunt ignari, sed sæpè etiam illis, qui eam probè intelligunt, vel saltem illius non ad-

modum

modum sunt rudes atque imperiti. Adde, quòd non eos tantùm laqueis suis irretire, & a vera sanctimonia, quæ in rectè factis consistit, abducere solet, qui cæteroquin ejus amore non admodum tenentur: verùm etiam eos, qui aliquo pietatis ac religionis studio ducuntur; interim tamen non satis sibi ab hostis illius insidiis cavent, qui tantâ eos astutiâ a vero virtutis tramite abducit, ut sæpe ad ea se perduci existiment, quę cum insigni pietate conjuncta sint. Cæteros autem rerum potiùs terrenarum, quas illis proponit, amore ac desiderio ad peccata allicit, aut earum amittendarum metu a pietate absterret.

Quomodo Diabolus voluntatem nostram impugnet.

Vt enim de falsa pietatis specie primò dicamus; solet veterator ille hominibus eam cogitationem injicere, ut omnia Deo grata acceptaque esse arbitrentur, quæ animo bono religionisque studio inflammato suscipiunt. Quo Diaboli artificio plurimi homines parùm cauti, tum in homicidium, tum in avaritiam, tum in idololatriam, tum in alia scelera impelluntur: veluti cum Saulus Iudæique alii religionis zelo æstuantes, Christum ipsiusque sectatores insectabantur, rem sese Deo gratissimam facere arbitrantes; vel cum quispiam sibi arma sumenda contra veritatis inimicos existimat, ut divinam gloriam, & Reipub. Christianæ tranquillitatem constituat. Item, cùm Diabolus homini divinæ gloriæ amplificandæ, proximique juvandi cupidissimo autor est, ad pecuniam magno studio corradendam atq; accumulandam, ut Ecclesiæ necessitatibus subvenire, in pauperesque beneficus esse possit: cum interim hæc sit via proxima, & quasi compendiaria ad divini studii neglectionem, ad malas artes, ad avaritiam denique, quæ omnium malorum seminarium est. Simile quiddam est, cùm quis fœminam vel idololatriæ addictam, vel mundanis cupiditatibus implicatam, in matrimonium ducit, eo nimirum consilio, ut illam ab idolorum cultu, rerumque mundanarum concupiscentia abstrahat: cum contrà facilè fieri possit, ut muliebri astutia in eorundem peccatorum societatem pertrahatur. Quid, quòd juratus ille hostis fidelium diabolus sæpè hominum menti injicit, ut vel sese plurimos in Christi nassam illecturos, vel saltem pacem Ecclesiæ conciliaturos sperent, si cum magnatibus, aliisque, qui mundo dant operam, arctissimam familiaritatem contrahant. Facit autem hoc veterator iste callidè admodum, ut homines sibi ea in re aures præbentes tandem eò perducat, ut officii sui obliti, multa ad illorum, quos servare student, voluntatem & dicant, & faciant, & sic sese illis accommodando paulatim in eorum partes pertrahantur. Quibus omnibus similibusq;

Gal: 1. 13, 14. Phil: 3. 6. Rom: 10. 2. Iohan: 16. 2.

Quomodo Diabolus voluntatem nostram impugnet.

Diaboli stratagematibus ita occurrendum est, ut animi nostri intentionem, non tantùm ex ipso actionum termino ponderemus, sed etiam ex ea via rationeque, quâ eum obtinere cupimus. Neque enim mala facienda sunt, ut eveniant bona, quemadmodum ab Apostolo edocti omnes fatentur. Rom: 3. 8.

Iam ut ad alterum nos conferamus; animadvertendum est, hostem nostrum, cùm non protinus in ipsum impietatis barathrum præcipitare homines potest, per quosdam veluti gradus eos huc deducere. Ab iis ergo, quæ leviora vel reipsa sunt, vel saltem esse videntur, ad majora gravioraque progreditur; & alios quidem, ut libertate Christiana nimiùm utantur, iisque rebus, quæ per se licitæ quidem sunt, sed carni gratæ, sese quodammodo mancipent, impellit, mox effecturus, ut etiam illicita audeant: alios verò incitat, ut semel atque iterum peccatum aliquod levius committant, quo semel inescati ita se illius laqueis implicent, ut pedem referre non facilè possint. Id etiam sedulò agit, ut homines a frequenti verbi divini auditione, mutuisque ad justitiæ studium cohortationibus segreget, ac porrò quotidie in pietatis studio lentiores ac frigidiores efficiat. id quod interdum ea ratione consequitur, ut proposita aliqua utilitate hominibus suadeat, ut procul ab illis locis habitent, ubi publici fidelium congressus habentur, aut ii vivunt, quorum tum monitis, tum exemplis, ad pietatem exstimulari perpetuò possent. Hujusmodi enim hominum pietas in lubrico est, dum hinc quidem iis adjumentis, quibus in sanctimoniæ studio adjuvari plurimùm possent, destituuntur, illinc verò ad peccandum variis occasionibus atque illecebris invitantur. Simile quiddam illis evenit, qui rei familiaris suæ constituendæ causâ in hominum mundanorum sese insinuant amicitiam, ad quorum voluntatem, ut, quod quærunt assequantur, multa tum dicenda, tum facienda, & sic ab officio illis discedendum esse, res ipsa indicat. Sed interdum planiùs agit vetetator iste, hominibusque autor est, ut spe lautioris fortunæ vel religionem dissimulent, ideoque a piorum cœtu sese removeant, vel etiam ad tempus quoddam veritatem apertè negent, mundoque gratificentur; certò illis persvadens, eos, simul ac res suas in meliorem statum deduxerint, ad officium redire, inque Dei gratiam recipi posse. Neque enim ignorat impostor iste, eos, qui hac ab illo fraude circumventi fuerint, potestatem ad frugem redeundi vix ac ne vix quidem habere. Quid, quòd interdum pro eo, ac homines comparatos esse videt, apertissimè fidem illorum oppugnat, nimirum tanto promissorum cumulo mentes

Cap. XXXI. Quomodo Diabolus voluntatem nostram impugnet.

eorum opprimendo, ut statim sese illi constringendos tradant, & quò velit, abducendos. Magnam enim vim habet ad hominum animos mirum in modum commovendos atque devinciendos, certa, ut hic mundus fert, variarum voluptatum, magnarum opum, amplissimorum honorum spes, quam Diabolus sibi auscultantibus facere consvevit. Et quidem, quò rem sibi propositam faciliùs conficiat, in Ecclesia turbas sæpè excitat, aut alia ponit offendicula, ad quæ fideles impingant, dum vel eos, qui docendi partes sustinent, falsæ gloriæ cupiditate ita incendit, ut ostentationis gratiâ ea in publico proponant, quæ vel minùs vera, vel certè intempestiva, ideoque ad hominum mentes turbandas, quàm instituendas, accommodatiora sunt; vel auditorum animos ita ab Ecclesiæ pastoribus abalienat, ut etiam optimè dicta in malam partem accipiant, inque suam perniciem convertant. Quid, quòd Domini gregem, discordias tam inter eos, qui docendi, quàm qui discendi munere funguntur, concitando, sæpè miserandum in modum discerpit atque dilaniat. Vnde id evenit, quod Apostolus Galatis cavendum esse monet: *Si*, inquit, *alii alios mordetis & roditis; videte, ne ab invicem consumamini.* Gal. 5. 15. Evenit etiam sæpenumero, ut Diabolus illos, qui reliquis summæ pietatis, continentiæ, modestiæque lumen præferre debebant, vel in scelus aliquod impellat, vel ad tantam animi insolentiam extollat, ut infirmiores contemnant, nimisque rigidè atque superbè in eorum prolapsiones animadvertant, aut cæteroqui gregi Christi dominari velint; itaque fiat, ut hi, vel illorum scelere, vel importunitate offensi, a religione deficiant; illi verò propter superbiæ crimen, cui Deus semper infensus fuit, ipsius gratiam amittant. His igitur omnibus Diaboli tentationibus animus hominis labefactatus, facilè a Dei studio abduci potest. Magis autem hoc tunc fieri videtur, cùm, nisi quis divinæ veritati nuncium remittat, innumera pericula, calamitates immensas, fortunarum vitæque ereptionem ei denunciat. Verùm quis possit omnia diaboli, qui mille fraudum architectus est, stratagemata enumerare? Quòd si tamen hęc, quæ percensuimus, divina virtute corroborati vicerimus, facillimum fuerit, omnia alia tela ipsius repellere.

Videndum igitur jam tandem est, quibus armis fidem nostram ab illius immanitate nos tueri oporteat. Eorum autem duo sunt genera, quorum alterum in fidei confirmatione consistit, quâ fit, ut non solùm de sempiternæ felicitatis possessione persvasissimum nobis sit, verùm etiam incredibilem illius svavitatem quodammodò degustemus, admirabilemq; dulcedinem animis inclusam contineamus.

Quomodo Diabolus voluntatem nostram impugnet.

tineamus. Id quod facilè assequemur, si omnia, quibus cœlestis Christi disciplina demonstrata est, argumenta diligentissimè ponderaverimus, inque divinissimi illius status, ad quem perducendi simus, contemplatione dies noctesque consumserimus. Sic enim eveniet, ut tantum felicitas illa apud nos ponderis habeat, tamque ardenti illius desiderio incendamur, ut tum omnes hujus seculi voluptates, omnes opes, omnem denique gloriam, tum his oppositas omnes calamitatum angustias, omnes paupertatis molestias, omne probrum dedecusque nobis immerentibus illatum, ipsam denique mortis atrocitatem præ illa contemnamus, in minimisque ponamus: cùm nihil in vita, nec tam jucundum nobis accidere possit, quin a futura illa beatitate infinitis partibus superetur; nec tam durum asperúmve quicquam inferri, quod propter inexplicabilem boni illius amplitudinem, susque deque faciendum non sit.

Alterum genus armorum ardentissimo precum studio continetur, in quo illis, qui Diaboli impressiones retundere cogitant, dies noctesque versandum est, ut nimirum Deus pro sua benignitate, divino illo spiritu mentes nostras perfundat, quò fiat, ut sempiternæ illius felicitatis non eam tantùm habeamus notitiam, quæ ex assidua Christi disciplinæ tractatione proficisci potest, sed ut quodam quasi afflatu, mentes nostras mirum in modum inflammante, & multò altiùs eam animis nostris imprimente, tanquam si jam in cœlo simus, ita humana omnia contēnamus, pro nihiloq; putemus.

1 Petr: 5. 8, 9. Ephes: 6 11. & 16: Mat: 6. 13.

Atq; hæc duo armorum genera capienda nobis esse, in divinis literis luculentissimè docemur. Nam & Paulus Petrusque firma fide, seu fidei clypeo, diabolo nos resistere, omniaque ipsius ignea tela extingvere jubent; & Christus hoc precibus nos a Deo vult impetrare, ut nos a malo, nempe Diabolo, liberet. His armis si probè instructi fuerimus, nullo negotio victoriam reportabimus. Sic enim omnes mundi illecebras, omnem commoditatem terrenam, quæ nos a pietatis exercitatione, a fidelium congressionibus, a mutuis cohortationibus abstrahit, in postremis habebimus: sic rem familiarem nostram in maximas malemus compelli angustias, atque adeò funditùs dissipari, quàm tanto cum detrimento, ejus constituendæ causâ, vel in mundanorum hominum, a quibus corrumpi facilè possemus, familiaritatem nos dare, vel religionem dissimulare, nedum apertè ei valedicere. Exploratum quippe habebimus, Deum non solùm firmissimas opes nobis in cœlo præparâsse, sed etiam, dum hujus lucis usurâ fruemur, nunquam nostris necessitatibus defuturum esse. Sic nec maximæ in Ecclesia turbę, nec ulla scanda-

la, nec

Cap: XXXI. Quomodo Diabolus voluntatem nostram impugnet.

la, nec ullæ discordiarum faces, veteratoris istius arte incensæ, de nostro statu nos dimovebunt; sed pietatis potiùs ac constantiæ nostræ probandæ materiam præbebunt, cogitantibus id, quod ab Apostolo hunc in modum dicitur: *Oportet in vobis factiones esse, ut probi inter vos fiant manifesti.* Sic fieri nequaquam poterit, ut doctorum superbiâ atque insolentiâ, aut in re quapiam gerenda imprudentiâ, a Dei studio absterreamur; quin potiùs fratris nostri vicem dolebimus, Deoque pro illo supplicabimus, ne meritum de eo sumat supplicium, sed & culpam illi ignoscat, & mentem det meliorem; nec non id sedulò curabimus, ut vel per nos ipsos, vel, si hoc minùs commodè fieri possit, per alios de errore lapsuque admoneatur, & in viam reducatur. Sic denique nullis terroribus, nullis minis atq; suppliciis moveri, nullo metu debilitari, nullo dolore frangi atque a justitiæ possessione depelli poterimus. Neque enim tam vilis nobis levisque merces proposita est, quin præ illa non solùm aliæ omnes res humanæ, sed vita etiam nostra contemnenda sit. Adde, quòd Spiritus divinus tunc maximè nobis subveniat, cùm calamitates variique cruciatus nobis sunt subeundi, nosque summo precum ardore incendat, atq; efficiat, ut ea, quæ Dei voluntati consentanea sunt, flagitemus, ac porrò etiam exaudiamur, & inexplicabili ratione a Deo juvemur.

1 Cor: 11. 19.

Rom: 8. 26.

Illud etiam hominem Dei Christique studiosum non leviter in afflictionibus, quæ veritatis causâ tolerandæ sunt, confirmat, quòd ipsius dux eâdem viâ ad immortalitatis gloriam pervênit. Nam & acerba multa, & ipsam mortem, eamque teterrimam truculentissimamque passus est, ut nos ipsius discipulos ac servos, tanto Domino tantoque magistro nequaquam fortunatiores esse, sed eandem ad felicitatem viam ingredi oportere intelligeremus.

Heb: 12. 1, 2. Ioh: 15. 18, 20.

Mat: 10. 24, 25. Ioh: 13. 16.

Nec non illud homini Christiano in mentem venire poterit, eos, quos Diabolus ad nos affligendos incitat, nequaquam ea, quæ nostra sunt propria, nobis eripere posse: cum licet corpus, quod etiam nulla ejusmodi afflictione incidente interiturum erat, interficiant, animam tamen vitamque illam, quæ nostra propria est, interimere nequaquam possunt. Quocirca Christus, ut omnem metum nobis abstergat, *Ne timueritis*, inquit, *eos, qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt.* Quid, quòd idem ait, ne pilum quidem capitis nostri periturum: quia nihil nobis, quod quidem verè nostrum censeri debeat, periturum sit. Adde, quòd ne illa quidem, quæ propemodum aliena esse diximus, eripi nobis absque voluntate Patris nostri cœlestis queant. qua de causa Christus omnes pilos

Mat: 10. 28.

Luc: 21. 18.

Mat: 10. 30.

Quomodo Diabolus volũtatem nostram impugnet.

los capitis nostri numeratos esse asserit, ut Deum tantam nostri curam habere intelligamus, ut absque ipsius permissu nihil prorsus mali nobis queat contingere. Iam verò si Pater ille noster cœlestis velit ac permittat, ut vitam etiam nostram, si modò ea vita nominanda est, amittamus; cur in ejus voluntate, quam planè paternam, ac nobis salutarem esse necesse est, non libenter acquiescamus? Illud etiam sine dubio sibi divinus homo proponet, quòd ex crucis perpessione fructus manant uberrimi, quos Paulus enumerat Rom: 5. Quod quidem, quomodo intelligendum sit, suprà docuimus, cùm de Christi præceptis seorsim traditis ageremus. Constat igitur, in istos, qui pro tuenda justitia Christique veritate multa mala perferunt, singularem quandam Dei clementiam extare; quæ, ut in aliis, ita & in hoc cernitur, quòd eos in tantum dignitatis gradum extulit, ut per illorum fortitudinem singularemque perseverantiam, & veritatem cœlestem confirmaret, & nomen suum sanctissimum mirum in modum illustraret. Et hanc quidem ob causam viri divini olim singularem Dei erga se benevolentiam hac in parte agnoverunt, idque honori sibi duxerunt, & eo nomine plurimùm sibi fuerunt gratulati, quòd justitiæ causâ vexarentur, & contumeliis afficerentur. Ioannẽ enim & Petrũ gavisos fuisse accepimus, quòd digni habiti essent, qui propter Iesu nomen ignominiâ afficerentur. Quin & Paulum lætatum in illis fuisse scriptum legimus, quæ pro Ecclesia patiebatur; præsertim cum subinde, tum benignitatis, tum potentię Christi experimentum in seipso, cùm afflictionum illarum pondere premeretur, caperet. Postquam enim, ut tantis corporis cruciatibus liberaretur, ter Domino supplicâsset, & responsum hujusmodi ab eo tulisset: *Sufficiat tibi gratia mea. nam potentia mea in infirmitatibus perficitur*, seu, *exeritur*, hoc est, contentus esse debes ea benignitate, quâ erga te tot malis pressum utor, dum te virtute ac potentiâ meâ confirmo, vires ac robur ad ea perferenda inspiro, in media morte te tueor, teque ex istis afflictionibus eripio; eâ re intellectâ Paulus, *Libenter igitur gloriabor*, inquit, *in infirmitatibus*, id est, perpessionibus meis, *ut inhabitet in me potentia Christi*, id est, ut potentiam Christi in me subinde experiar. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmus sum, tunc potens*, seu *validus sum*. q. d. Nunc longè aliter de calamitatibus meis sentio. Non solùm enim liberari illis non cupio, sed tantò meliùs mecum agi existimo, quantò ea mala, quibus vexor, sunt graviora. Tunc enim viribus meis debilitatis, admirabilis Christi potentia, quâ

Marginal notes: lib: 4. c. 21. — Act: 5. 41. — Col: 1. 24. — 2 Cor: 12. 9, 10.

tia, quâ mihi laboranti subvenire solet, clarissimè elucet, & sic fit, ut ipsius cinctus præsidiis, cùm deficere jam videor, fortissimus sim, invictoque animi robore confirmer.

Cap: I. Quid & quotuplex sit Ecclesia.

Facilè jam apparet, cur Paulus donum hoc in Philippenses collatum esse asserat, ut non solùm fide Christum complecterentur, sed etiam adversa illius gratiâ paterentur. Deus enim hac veluti coronâ illos inprimis cohonestat, quorum singularis probitas atque innocentia ipsi hominibusque perspecta est. Quò enim quisque sanctior, ab omnique labe purior est, eò ipsius calamitates perpessionesque plus ad veritatem confirmandam, Deique gloriam illustrandam, ponderis afferunt. Phil: 1. 29.

Finis Libri Quinti.

De Vera Religione Liber Sextus:

De Christi Ecclesia.

Cap: I.

Quid & quotuplex sit Ecclesia.

Satis jam, ut videmur, de Religionis nostræ duce atque autore disseruimus; eâdemque operâ sanctissimæ ipsius disciplinæ naturam explicavimus. Nam & ducis illius personam, & officii munus excussimus: in cujus posterioris explicatione summum illud bonum, quod per eum nobis Deus detulit, mirandumque in modum confirmavit, ponderavimus; & quæ vicissim fieri a nobis debeant, consideravimus; & sic Christi disciplinæ rationem evolvimus. Sequitur tandem, ut de ducis hujus populo, id est, de eo hominum genere, quod illius disciplinam amplectitur, disseramus. Quod quidem hominum genus, a sacris autoribus Christi Ecclesia nominatur. De qua ut certo modo atque ordine dicamus, tum ea

Cap. I. Quid & quotuplex sit Ecclesia.

animadvertenda sunt, quæ illius constituunt naturam, tum illius adjuncta. Ac naturam quidem tum definiendo, tum distribuendo explicabimus. Definiendo ita, ut a notatione nominis ad rem ipsam progrediamur. Nomen igitur Ecclesiæ a verbo ἐκκαλεῖν deductum, propriè loquendo evocationem significat, & de cœtu hominum ad concionem audiendam, aut consilium de negotio publico ineundum convocatorum, a Græcis scriptoribus usurpatur. Hinc per translationẽ Ecclesiæ nomine illi signantur, qui ex universa hominum turba divinis vocibus ad divinum cultum, sempiternorumq; bonorum participationem convocati collectique sunt. Hi verò ii sunt, qui disciplinam Iesu Christi tenent ac profitentur. Quare Ecclesiam veram (de hac enim loquimur) ita rectè definiveris, quòd sit cœtus seu multitudo hominum salutarem Christi doctrinam profitentium. Ex quibus ii, qui pietatem verè atque ex animo colunt, Ecclesiam illam, quæ invisibilis seu inaspectabilis dici consvevit, constituunt. Nam, ut ad Ecclesiæ distributionem nos statim conferamus, distingvitur illa in aspectabilem, & inaspectabilem. Aspectabilis dicitur is hominum cœtus, qui palàm inque hominum conspectu, & congregatur, & Christi disciplinam profitetur. Inaspectabilis verò dicitur is hominum numerus, qui non solùm externa ratione Christi religionem profitentur, sed intimis etiam animi sensibus eam colunt ac sequuntur. Quod posterius quia sub hominum aspectum non cadit, utpote in fidelium visceribus recondita quadam ratione implicatum, ideoque soli Deo ac Christo notum est; idcirco is hominum cœtus inaspectabilis appellatur. Neque enim, ut quidam cavillantur, ideo horum hominum multitudo ac collectio quædam inaspectabilis dicitur, quòd ipsimet illi homines sub oculorum arbitrium non cadant. quis enim adeò insanit, ut id affirmet? sed quia ea qualitas, ob quam illi perfectissima ratione membra Christi sunt, & sic corpus ipsius, quod est Ecclesia, constituunt, sub aspectum non cadat, nec certò atque indubitatò ab aliis cognosci queat. Neque etiam ita hæc Ecclesia ab ea, quæ aspectabilis dicitur, distincta est, ut penitus sit ab ea sejuncta, sed in ea potiùs continetur. Quandoquidem omnes illi, qui secundùm Christi disciplinam piè vivunt, eam etiam apertè profitentur, & cum iis, quos eandem tenere nôrunt, modò impii non sint, communionem, si id ullo modo fieri queat, colunt, & sic ad aspectabilem Ecclesiam pertinent. Quare aspectabilis Ecclesia ab inaspectabili non tam re ac subjectis, ut loquuntur, quàm ratione differt. Porro aspectabilis Christi Ecclesia, alia universalis, alia particularis

ticularis est. Universalis ea est, quæ generatim considerata, nulli certo loco astricta est, sed per terrarum orbem longè latèque dispersa, passim suis locis colligitur. Est quippe ad particulares Ecclesias respectu habito, totius cujusdam corporis instar, haud aliter eas complectens, ac membra quædam sua, non exclusis interea iis, qui a cœteris fidelibus tanto locorum intervallo disjuncti sunt, ut cum illis versari, ac res sacras unà tractare nequeant. Particularis autem Ecclesia eo hominum cœtu continetur, qui in certo quodam loco convocatus est: veluti est Ecclesia unius domus sive familiæ. Et hæc quidem brevi de Ecclesiæ Christi natura dixisse satis sit.

CAP: II.

De Ecclesiæ præstantia, & primùm de eo, quòd domus Dei dicatur.

Cap: II. Quomodo Ecclesia Domus Dei sit.

CONsequens nunc est, ut de quibusdam Ecclesiæ adjunctis dicamus. Eorum igitur duo sunt genera. Quædam enim Ecclesiam perpetuò vel comitantur, vel comitari videntur, primoque aspectu in nullam vocantur controversiam: quædam verò ejusmodi sunt, ut mutari ab eaque segregari possint, & eam ipsam ob causam in aliqua versantur disceptatione. Iam ut primò ea videamus, quæ in Ecclesia semper insunt; intelligendum est, illius dignitatem ac præstantiam hoc in loco potissimùm spectari, cujus ambitu etiam potestatem autoritatemque illius comprehendimus, de qua ultimo demùm loco dicemus. Priùs enim reliquas dignitatis illius partes explicabimus, quas innumera ferè exprimunt elogia, ex quibus quatuor potissimùm in medium afferemus, utpote ad quæ reliqua omnia referri possunt. Primò igitur Ecclesia *Dei domus* dicitur, quippe quæ & a Deo extructa sit, & in qua Deus domicilium suum constituerit, quorum utrumque quantum ad eam dignitatis adjungat non facilè dixerim. Quantam enim illius domus magnificentiam, quantum splendorem esse necesse est, quam supremus rerum omnium dominus ac monarcha & fabricavit, & incolere dignatur? Quod etiam magis apparebit, si & ex qua materia, seu mavis, quibus partibus domus illa constet, & qua ratione aut modo ædificata a Deo sit, animo agitaverimus. Materia tum imo angulari lapide, tum reliquo fundamento, tum lapidibus in eo constructis, continetur, quæ res partes illius ædificii meritò appellantur. Angularis ille lapis Christus est, ideò hoc nomine appellatus, quòd & duos parietes, Iudæorum nimirum ac gentium nationem, coædificavit, & Ephes: 2. 20, 21, 22.

totam

1 Cor: 3. 11.

totam spiritualis ædificii molem, unà cum reliquo ejus fundamento sustinet. Qua de causa interdum ipsemet fundamenti vocabulo appellatur: ubi quidem de primario ædificii istius fundamento sermonem haberi intelligendum est: quippe in quo & secundarium fundamentum unà cum toto ædificio innitatur. Secundarii porrò fundamenti nomine Apostolos intelligimus, unà cum Prophetis Christianis. Christianos autem vates istos ideo nominamus, ut a priscis illis vatibus eos distingvamus. Hos Paulus aliquoties cum Apostolis conjunxit; propterea quòd primi post illos rerum divinarum interpretes fuerunt. Tam verò isti, quàm illi, fundamenti nomine honestantur, non quidem ad Christum respectu habito, qui omnium fundamentum est: sed habita ratione vivorum illorum lapidum, qui in illis construuntur, nempe hominum, qui Christum fide complectuntur. Verùm ne durum cuipiam videatur, Apostolos fundamenti appellatione dignari; placet, ut aliquot divinis testimoniis rei istius veritatem comprobemus; quorum primum, etiam ad Prophetas novi fœderis fundamenti appellationem extendi, docet. Id verò continetur illis Pauli verbis, quibus fidelium nationem *super Apostolorum & Prophetarum fundamentum extructam esse* asserit. Quo in loco nihil est causæ, cur quispiam propter Genitivum casum fundamenti nomine non ipsos ApostolosVatesque, sed præter hos alium quempiam, nempe Christum, intelligendum esse statuat: cum Paulus totam ædificii istius rationem explicans, apertissimè Christum a fundamento isto distingvat, non fundamentum, sed fundamenti angularem eum lapidem appellando. Non novum præterea divinis autoribus esse, per Genitivum casum rei alicui appositum, id, ex quo res ea constat, cui apponitur, exprimere, inde perspicitur, quòd & coronam vitæ, & coronam gloriæ, & coronam justitiæ, & coronam duodecim stellarum commemorant, ut coronam ex vita, ex gloria, ex justitia, ex duodecim denique stellis constantem intelligamus. Alterum testimonium Ioannis est, qui muros illius novæ Hierosolymæ id est, Christi Ecclesiæ, duodecim fundamenta habuisse affirmat, in quibus duodecim agni Apostolorum nomina scripta fuerint. Quo in loco, quidquid multi dicant, planissimè docemur, murum urbis istius, de qua oratio habetur, in Apostolis tanquam fundamentis inniti. Tertium testimonium ipsius Christi est, quod illo ejus promisso continetur, quo sese supra Petrum suam Ecclesiam extructurum recipit; quod idem ad reliquos etiam Apostolos, muneris ratione cum Petro conjunctos, ex mente Christi extendi debere, paulò

1 Cor: 12. 28, 29. Ephes: 2. 20: 3. 5: 4. 11. d.l. Eph: 2. 20. Iac: 1. 12: 1 Pet: 5. 4: 2 Tim: 4. 8: Apoc: 12. 1. Apoc: 21. 14. Mat: 16. 18.

Cap: II. Quomodo Ecclesia Domus Dei sit.

paulò pòst docebimus. Quod ut commodiùs fiat, animadvertendum est, duplicem circa hæc verba errorem versari. Quidam enim Petrum unà cum reliquis Apostolis & Prophetis Ecclesiæ fundamentum esse pernegant: quidam verò solum Petrum, unà cum suis successoribus, nomine isto cohonestatum fuisse asserunt. Vt igitur de priori errore primo loco dicamus; operæ pretium est, tum quo pacto isti hæc Christi verba eludant, videre; tum quibus armis veram sententiam paulò antè a nobis pronunciatam impugnent, animadvertere. Primò igitur dicunt, nequaquam Dominum hunc in modum Petrum allocutum esse, *Super te Petro:* sed *super hanc Petram* (nempe quam confessus es) *ædificabo Ecclesiam meam.* Cujus quidem suæ explicationis magnum in eo ponunt præsidium, quòd apud Matthęum genus mutatur, id est, jam πέτρος, jam verò πέτρα nominatur. Et horum quidem, qui in ea sunt sententia, pars magna Calvini disciplinam sequitur, quibus Theodorum Bezam opponendum duximus, hæc de illo Christi loco verba facientem: *Dominus*, inquit, *Syriacè loquens, nulla usus est agnominatione, sed utrobiq; dixit Cepha. In Græco quoque sermone* πέτρος *&* πέτρα *non re, sed terminatione differunt.* Hæc ille. Adde, quòd ipse sermonis contextus evincit, ea verba omnino ad ipsum Petrum referenda esse. Primùm quia apertissimum est, Christum hîc de ipsius Petri præstantia sermonem instituisse. Docent id illa, quibus sibi Christus aditum ad eam rem parat: *Et ego autem tibi dico*. quasi dicat: quemadmodum tu mihi dixisti, *Tu es Christus filius Dei viventis*, & sic divinitatem meam tuo & cæterorum nomine professus es: ita ego tibi vicissim dico, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, & quæ sequuntur. nempe ut Petrus Christi, ita Christus vicissim Petri dignitatem verbis explicat. Deinde, quia elegantissimam hîc ad nomen Petri allusionem fieri nemo non videt, quam ut futilem planè & intempestivam perire necesse foret, nisi ad Petrum hæc Christi verba spectarent. Denique quia articulus demonstrativus *hanc* omnino indicat de ea Petra sermonem hîc esse, quam Christus jam nominaverat: nullam autem nominavit, nisi cum dixit, *Tu es Petrus*. Sed ut tandem, quibus sese armis tueantur, videamus, primò Paulum dicere ajunt, *neminem aliud fundamentum ponere posse, præter id, quod positum est, nempe Iesus Christus*. Addunt etiam, nequaquam rationi consentaneum esse, homines naturâ imbecillos ac fragiles, tanti ædificii molem sustinere, & sic ejus fundamentum esse posse. Addunt præterea, hanc sententiam plurimum de Christi ampli-

1 Cor: 3. 11.

sti amplitudine gloriaque detrahere, quippe qui solus tanti honoris titulo decorari mereatur. Afferunt denique in hanc sententiam multa alia, quæ enumerando percensere,& longum foret, & supervacaneum: cum omnia eódem redeant,eademque responsione dilui possint. Dicimus igitur, ista omnia non nobis,sed divinis oraculis objici, quorum clarissimis testimoniis Apostolos Prophetasque Christi Ecclesiæ fundamentum esse jam comprobavimus. Non negamus interim, primarium fundamentum, de quo Paulus in loco ab adversariis adducto loquitur, nullum aliud præter Christum jactum esse. In hoc enim totum Dei ædificium, & sic ipsi etiam Apostoli Prophetæque innituntur. Hinc tamen minimè consequitur, istos secundarium quoddam ejusdem rei fundamentum appellari nequaquam potuisse. Si enim absque ulla absurditate,multa nomina, quæ Christo primaria quadam ratione tribuuntur, cum aliis communicari videmus, ut nimirum lux mundi, pastores doctorésque, itidem ac Christus, nuncupentur; quid tandem periculi futurum est, si hoc idem & in fundamenti vocabulo, quod ob docendi munus,ut postea patebit, Apostolis vatibusque competit, eveniat? Tantum enim abest, ut hac ratione Christi gloria imminuatur, ut potiùs mirum in modum amplificetur, si nimirum Christum tantum esse statuatur, ut non solùm ipse Ecclesiæ suæ fundamentum sit, sed alios etiam sibi innixos ita firmare possit, ut reliquam structuram ipsi quoque aliqua ratione sustineant. Neque naturalis Apostolorum vatumque imbecillitas quicquam huic rei affert impedimenti: cum non quatenus homines, sed quatenus Apostoli Vatesque sunt, fundamenti nomine appellentur. Quod quò rectiùs intelligatur, animadvertendum est, eam ob causam hunc titulum Apostolis Vatibusque tribui,quòd, quemadmodum qui domum aliquam ædificare instituit, is omnium primò fundamentum ponit: ita Christus hoc Dei domicilium fabricaturus, ab Apostolis Vatibusque initium duxit, eos omnium primò, Dei suique ipsius notitiâ, & salutari disciplina instituens, ut per eosdem omnes alios homines cœlesti veritate illuminare, sibique adjungere, & porrò supra illos, id est, eorum doctrinam autoritatemque, quasi supra fundamentum aliquod, construere posset.

Matth: 5. 14. Ephes: 4. 11. 1 Cor: 12. 28, 29. 1 Tim: 2. 7.

Sed jam tempus est alterum errorem inspicere, quo nimirum illi sunt implicati, qui Pontificis Romani dominatum his Christi verbis constitui existimant. Dicunt enim,solum Petrum hoc in loco, unà cum suis successoribus, nempe Pontificibus Romanis, fundamenti nomine ornari. Quam quidem sententiam falsissimam esse,partim

Cap: II. Quomodo Ecclesia Domus Dei sit.

se, partim jam demonstratum a nobis est, partim luculentiùs adhuc docebitur. Primò enim jam satis constat, non solum Petrum, sed & reliquos tum Apostolos, tum Vates, fundamentum Ecclesiæ esse. Deinde ipsa fundamenti ratio ac natura a nobis paulò antè explicata docet, Petrum in hoc suo munere nullum successorem habere potuisse. Quod ad priore loco hîc commemoratum attinet, quanquam, ut diximus, ejus veritas manifesta est; tamen eam adversarii his ipsis Christi verbis oppugnant, ea ad solum Petrum facta esse asserentes. Atqui animadvertendum est, non solùm fieri potuisse, sed planè etiam factum esse, ut Dominus Petrum alloquendo, simul & reliquos Apostolos in illius persona alloqueretur. Ac fieri quidem id potuisse, inde perspicitur, quòd Paulus asserens, Petro creditum fuisse Evangelium circumcisionis, non solùm Petrum, sed reliquos etiam Apostolos, apud Iudæos Evangelii mysterium proponentes, intellexit, quippe quibus non minùs, quàm Petro, ea persona imposita esset, ut vel ipse ille locus indicat. Ideò enim Petrum solum nominavit, quia is in Apostolici muneris functione cæteris quodammodo præiret. Factum autem hoc, quod dicimus, omnino fuisse, ex eo constat, quòd Christus occasione illius confessionis, quam Petrus de ipso ediderat, hæc vicissim de eo pronuncivit, atque adeò propter illam confessionem, spem ei tantæ dignitatis fecit. Atqui Petrus non suo tantùm, sed etiam cæterorum Apostolorum nomine eam de Christo confessionem ediderat. Quare consentaneum est, Christum, cùm ei responderet, non solius Petri rationem habuisse, sed etiam eorum, quorum personam quodammodo sustinebat, atque adeò ad personam Petri verba sua dirigendo, ad cæteros omnes direxisse. Petrum autem omnium cæterorum nomine Christo respondisse, ex eo liquet, quòd Christus, cùm omnes discipulos, quid de ipso sentirent, interrogâsset, unius tamen Petri responsione contentus, nequaquam ab unoquoque seorsim eadem de re quæsivit. Idem autem de Christo & reliquos Apostolos tum sensisse, tum confessos fuisse, apud eundem Matthæum alibi scriptum legitur. Quid, quòd in re ferè eadem, Petrus reliquorum Apostolorum personam apertissimè sustinuit? Interroganti enim Christo omnes universè, num & ipsi, ut alii ex ipsius discipulis non pauci fecerant, a se discedere vellent, omnium nomine hunc in modum respondit: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & nos credidimus, & cognovimus, quòd tu es Christus Filius Dei vivi.* Cum ergo causa, ob quam Petro Christus tantam dignitatem promittit, omnibus cæteris fuerit communis; facilè est videre, effe-

Gal: 2. 7, 8.

conf: v. 9. cū 7.

Matth: 16. 15.

Matth: 14. 33.

Ioh: 6. 68.

ctum

Cap: II. Quomodo Ecclesia Domus Dei sit.

ctum quoque ipsum iis communem fuisse. Quòd verò Petrum solum apertè alloquitur Christus, dignitatem illam Apostolicam explicans, in promptu causa est, quia solus etiam apertè Domino responderat, & cæterorum nomine divinitatem ipsius confessus fuerat. deinde quia ipsius nomen ad rem, quam Christus parabat, accommodatissimum erat, ideò sine dubio ipsi insignitè impositum, quòd reliquis Apostolatûs functione præiturus esset.

Iam ut alterum hoc in loco propositum consideremus, nimirum Petrum in fundamenti ratione nullum habere potuisse successorem; intelligendum est, id eam ob causam apud nos ratum firmumque esse, quòd, ut docuimus, Petrus unà cum reliquis Apostolis & Vatibus, ita fundamentum fuit, ut in primis illis Ecclesiæ fundatoribus, seu divinæ gratię præconibus numeraretur. Quam quidem rem successione propagari, aut ad posteros transmitti nequaquam posse, sanæ mentis ratio dictat: cum sic, qui primis illis succederent, ipsi quoque primi forent, & sic minimè succederent. Quæ quidem res manifestam implicat contradictionem, & ideo seipsam funditùs convellit. Et hæc de domus divinæ fundamento dicta sunto.

d. l. Mat: 16. 18. 1 Pet: 2. 5. Lapides autem in hoc fundamento constructi fidelium nationem designant, quos Christus Ecclesiæ nomine appellat, Petrus lapides vivos, spiritualemque domum vocat. Vt porrò tota hæc Metaphora luculentiùs discutiatur, intelligendum est, totum hoc ædificium per divinæ veritatis patefactionem confectum esse. In quo quidem munere Christus primum tenuit locum, quem Deus cœlestium rerum scientiâ instructissimum, omnium primò in terrarum orbem demisit, & sic primum fundamentum seu lapidem angularem constituit. super hunc Apostolos Vatesque construxit; idque hoc pacto, ut illius operâ primò eos divino lumine collustraret, perque istos reliquos lapides, id est, fideles homines ædificaret, vel, quod idem planè est, ad fidem virtutisque studium perduceret: id quod Paulus super Apostolorum Vatumque fundamentum extructum esse dicit. Hinc perspicuum est, illud hominum genus Christi Ecclesiæ titulum fallò usurpare, quod in angulari lapide Christo, &

Ephes: 2. 20. in Apostolorum Vatumque fundamento constructum non est, id est, quod salutarem Christi disciplinam, Apostolorum Vatumque operâ apud omnes promulgatam non tenet, sed illius loco ea sequitur dogmata atque commenta, quę cum illa manifestè pugnant. Quæ quidem qualia sint, suprà suis locis ostendimus.

Cap: III.

Cap: III.

De Capite Ecclesiæ.

ALterum Ecclesiæ elogium est, quòd Christi corpus dicitur. Quo in loco, ut summam dignitatis ejus intueamur amplitudinem, duplici ratione hanc appellationem ponderabimus: nimirum, tum quatenus corpus istud ad caput suum respectum habet; tum quatenus idem ad sua membra refertur. Ac capitis quidem ratione habita, dupliciter rursus res ista consideranda videtur. Nam & quis, quóque pacto caput istud sit, videndum; & quomodo Ecclesia ipsius sit corpus, animadvertendum.

Primò igitur, caput istud nonnisi Christus est, idque mysticum; quemadmodum & Ecclesia mysticum ipsius corpus est. Hoc enim corpus ejusmodi indigebat capite, quod sapientissimum, quod potentissimum, quod optimum, ipsique curando addictissimum esset; & porrò quod singulorum suorum membrorum intimos sensus, actiones, necessitatesque perspectas haberet; quod denique eadem sua membra cœlestibus bonis cumulare, spiritualibus viribus armare, contra omnes hostes tueri, ab omnibus malis tuta integraq; conservare, & sic divinissimâ potentiâ regere ac gubernare, tandemque in cœlesti sede collocare posset ac vellet. Hujusmodi autem caput a Deo Ecclesiæ prępositum solum Christum esse, & satis per se constat, & ex illis Pauli testimoniis apertissimum est, quibus Christum, & caput Ecclesiæ esse, & corpori salutem afferre ait: & alibi, Deum omnia pedibus ipsius subjecisse asserit, eumque dedisse caput super omnia Ecclesiæ, quæ ejus corpus sit, complementum omnia in omnibus complentis. Quod tametsi suprà suo loco copiosissimè a nobis explicatum est, tamen & hîc per quandam occasionem paucis commemorandum fuit; ut nimirum verum Ecclesiæ caput ab aliis confictis capitibus discernere possemus. Hinc enim facilè constat, non solùm nullum hominem mortalem, quiq; talis tantusque non sit, qualem quantumque Christum esse diximus, Ecclesiæ caput esse posse; sed etiam ipsum hoc corpus, cui tale tantumque caput præpositum est, nullo post Deum alio capite indigere. Mirum igitur est, tum Papas, tum eorum asseclas, eo implicari potuisse errore, ut & illi sese Ecclesiæ capita facerent, & hi ad illos tantum honorem deferrent. Quis enim Papam in eo honoris gradu collocavit, ut caput, & sic summus populi divini pontifex esset? At nemo, ut testis est autor ille divinus, eum sibi honorem arrogat, seu arrogare debet, nisi qui vocetur a Deo, quemad-

Ephes: 5. 23.
cap: 1. 20. & d.
℣ 22, 23.
Heb: 5. 4, 5.

modum Aaron; imò ne Christus quidem eum sibi honorem vendicavit, ut pontifex fieret, sed is, qui sic eum allocutus est: *Tu meus es filius, ego te hodie genui.* Hæc & similia cùm iis objiciuntur, ea respondere solent, quæ vel planè falsa sunt, vel rem, de qua quæritur, haudquaquam conficiunt. Primò enim, cùm divinis urgentur testimoniis, fatentur quidem, Christum Ecclesiæ caput esse; non tamen hinc consequi, nulli præter Christum hunc honorem convenire: cum, quemadmodum Christum Ecclesiæ fundamentũ esse, nequaquam efficit, quin & Petrus Apostolus ejusdem sit fundamẽtum: ita & de capitis appellatione statuendum sit. Est igitur, inquiunt, Christus Ecclesiæ caput inaspectabile, quatenus nimirum Dominus servatorq; ejus est: verùm cum eum præsentem in terris nequaquam adesse videamus, Reipub. Christianæ statum œconomicum omnino efflagitasse ajunt, ut ordinis in Ecclesia conservandi causâ, aliquod aspectabile caput constitueretur, quod ea in re Christi personam gereret. Hæc quamvis primo aspectu veri speciem habere videantur; tamen si in rem ipsam animum intendas, a vero aliena esse comperies: propterea quòd & fundamenti appellatio a capitis titulo in eo, de quo agitur, non parùm distat; & istud de capite aspectabili commentum a ratione abhorret; & nequaquam hoc, quod asseritur, a Christo fieri necesse fuit; & denique factum esse nullo argumento potest demonstrari. Primò autem capitis nomen a Fundamenti vocabulo in eo, de quo controversia est, plurimùm differre, hinc perspicitur, quòd, ut Ecclesiæ fundamentum quispiam jurè dici possit, satis est, eum ex eorum numero esse, qui primi Christi disciplina imbuti fuêre, primique eam universo orbi terrarum tradidêre. Vt autem quispiam universale omnium Ecclesiarum caput sit, opus præterea est illa omnia possidere, quæ paulò antè ad tale caput pertinere diximus. Neminem autem, præter Christum, ea habere palàm est. A ratione autem hoc commentum dissentire ideò statuimus, quòd & monstrosum est, unum corpus plura habere capita, &, cùm conjunctio Ecclesiæ cum capite suo, respondeat conjunctioni uxoris cum marito suo, perinde est Ecclesiam duo habere capita inter se planè dissimilia, atque eandem uxorem duos habere maritos, vel, ut veriùs dicam, eam adulteram esse; cum præter verum maritum ac caput suum, alteri quoque capiti se adjungat. Non necessarium præterea illud esse, hinc colligitur, quòd Christus ejusmodi Ecclesiæ suæ caput est, ut ipse per se illi gubernandæ, justoque ordine ac modo temperandæ sufficiat. Postremò, Christum hoc, de quo agitur, fecisse, demonstrari minimè posse,

vel ex eo

vel ex eo constat, quòd nullibi apud divinos autores id scriptum legimus: quamvis, si sententia ista vera esset, ejus commemorandæ non tantùm occasio, sed & necessitas quædam fuerit. Paulus quippe Ecclesiæ administros diversis in locis percensendo enumerans, nullam aspectabilis capitis, quod reliquis dominetur, mentionem facit. At, inquient, Paulum illis verbis, quibus caput pedibus dicere posse, non egeo vobis, negat, satis indicare, caput aliquod aspectabile reliquis Ecclesiæ membris præpositum esse. Nos autem respondemus, ratiocinationem istam manifestâ æquivocationis fallaciâ laborare. Ii enim, quibus cum disputamus, per aspectabile illud Ecclesiæ caput, unum aliquem intelligunt hominem, universæ Christi Ecclesiæ regendæ præpositum: Apostolus autem loco citato, non unum aliquem certúmve hominem, Ecclesiæ Christi universæ regendæ præfectum, intelligit; sed primò quidem caput humanum, de quo per prosopopœiam quandam loquitur; deinde in Ecclesia eos omnes, qui reliquos divinorum munerum præstantiâ superant: quorum alium oculo, alium auri, alium alii alicui rei comparat. Hos enim similitudine a corporis humani partibus ducta monet, ne ob tantam donorum excellentiam superbiant, reliquosque tanquam nihil planè ad rem Ecclesiasticam conferentes, contemnant atque despiciant. Quòd si Apostolus unum aliquod Ecclesiæ caput, quod supra ipsos Apostolos etiam muneris ac potestatis ratione emineret, agnovisset, id, ut paulò antè jam innuimus, haudquaquam prætermisisset, cum postea ordinem membrorum ac partium Ecclesiastici corporis enumerat; nec dicere debuisset, Deum in Ecclesia posuisse *primùm Apostolos;* sed primùm Pontificem Romanum, seu universalem Ecclesiæ Pastorem atque Episcopum, deinde Apostolos, tertiò Prophetas. Deinde ubi hac via rem minimè succedere animadvertunt adversarii, iterum ad illam suam anchoram confugiunt, id est, ad illa Christi verba, quibus Petrum sic alloquitur: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Item: *Dabo tibi claves regni cælorum, & quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cœlis; & quicquid solveris in terra, erit solutum in cœlis.* Hîc duo concludere nituntur adversarii. Primò enim Petrum hîc & reliquorum Apostolorum, & universæ Eclesiæ caput constitui ajunt; quippe cui præ aliis is honor habitus a Domino fuerit, ut & fundamentum eum Ecclesiæ suæ faceret, & clavibus solvendi ligandique donaret. Nec obstare asserunt, quòd, ut nos quidem suprà ostendimus, Christus Petrum alloquendo, simul & reliquos allocutus fuerit: cum hinc potiùs constet, eos in

1 Cor: 12. 28, & d. Eph: 4. 11.

1 Cor: 12. 21.

Mat: 16. 18.

Petro ut capite suo contineri, ab eoq; pendere. Quæ quidem consecutio quàm malè constituta sit, omnes viri intelligentes facilè animadvertunt: cum ex eo, quòd Christus responso suo non ipsum Petrum tantummodo, sed reliquos etiam Apostolos comprehendit, non quidem Petrum reliquorum fundamentum, totiusque adeò Ecclesiæ caput esse consequatur; sed potiùs Christum omnes Apostolos eodem fundamenti honore dignatum fuisse. Illud quidem non diffitemur, ex hoc aliisque locis colligi posse, Petrum cęterorum personam gessisse, & reliquis in hoc munere præivisse. Atqui inter pręitionem,& potestatem, quam in omnes alios habuerit, de qua hoc in loco quæritur, plurimum interest, cum etiam is præire aliis rectè dicatur, qui eodem planè cum illis fungitur munere, nec ullam in eos potestatem, nullum iis imperandi eosque regendi jus habet; quemadmodum innumeris exemplis demonstrari facillimè potest. Inter collegas enim muneris ac potestatis ratione pares ferè fit, ut unus aliquis cæteris præeat, aut inter eos aliqua ratione emineat. Petrum autem potestate illa minimè præditum fuisse, tum ex altissimo sacrarum literarum hac de re silentio, tum ex ipsius Petri factis, tum denique ex reliquorum Apostolorum Ecclesiæque actionibus planissimè constat. Ex divinorum oraculorum silentio ea de causa rei istius argumentum ducimus, quòd quanquam alioquin ex testimoniorum loco ferè nonnisi ajentia sumuntur argumenta; tamen cum divinus Spiritus ea, quæ maximum in salutis nostræ ratione momentum continent, non solùm minimè reticere, sed sæpissimè etiam inculcare consveverit; an non manifestum est, sententiam istam de Petri primatu, qualem adversarii defendunt, vanam prorsus futilemque esse? Sed videamus jam, quo pacto ex illis, quæ Petrus gessit, opinio ista falsitatis convincatur. Constat igitur, Petrum hunc honorem non solùm sibi non assumpsisse, sed etiam ita vitam suam instituisse, ut primatûs istius ne tenuissimum quidem vestigium in omnibus ipsius actionibus apparuerit. Quòdsi tantus illi principatus a Deo ac Christo concessus fuisset, certè nec verbis, nec factis, id dissimulâsset, quemadmodum nec Apostolum sese esse reticuit. Ex ipsius porrò factis non solùm principatum istum minimè colligi, sed rem etiam contrariam facilè constitui, inde patet, quòd tantum abest, ut alios omnes a se uno pendere postulaverit, ut & ab aliis sese reprehendi passus fuerit, & cur in Cornelii ædes intrâsset, illis, qui hac de re tanquam illicita cum eo expostulabant, rationem modestissimè reddiderit; quod in illum, qui Ecclesiæ caput est, non cadit.

Gal:2. 11. & d. Act:11. ℣ 3.

Si dixe-

Si dixeris, Petrum, quamvis in omnes principatum teneret, tamen ut modestiæ consuleret, & aliis, quantumvis magnis in Ecclesia viris, Christianæ demissionis exemplo esset, ita se gessisse: respondemus, modestiam Christianam, ut & aliæ virtutes, mediocritate quadam moderatam esse, & nequaquam eòusque homines adigere, ut personæ sibi ab ipso Deo impositæ obliti, auctoritatem, quam sartam tectam esse humanæ salutis plurimum intersit, minui ac convelli sinant, & non potiùs, salvis cæteroqui modestiæ legibus, eam & opponant iis, qui illam aliqua ratione violare audent, & cum gravitate quadam tueantur. Potuit quippe Petrus modestiæ lumen omnibus præferre, absque ulla auctoritatis illius suæ dissimulatione. Quo pacto & Paulus per summam demissionem sese, 1 Cor: 15. 9. qui vocetur Apostolus, indignum esse dicit: interim tamen Apostolum sese esse minimè negat; imò se cæteris Apostolis omnibus aliqua ratione præfert; verùm ita, ut summæ Dei gratiæ hanc suam dignitatem attribuat. Quid autem de Christo Domino nostro dicam, qui humilitatis modestiæque exemplar perfectissimum cum esset, regem tamen populi Dei, sive Christum sese esse, inficiatus nequaquam fuit; imò tunc, cùm discipulis submissionis exemplum relicturus, pedes illorum lavisset, &, quid ea re indicare voluisset, postmodùm exponeret, apertè dixit, rectè illos magistrum eum ac dominum appellare: eum enim se esse. Ioh: 13 13. Hoc idem planè & de Petro statuendum est, eum nimirum, si ordinis in Ecclesia constituendi causâ ejusdem caput aspectabile constitutus fuisset, nequaquam tantam rem dissimulare potuisse. Præpostera enim ista modestia est, quæ auctoritatem, quâ ordo, atque adeò salus Ecclesiæ nitatur, vel concidere, vel obscuram esse sinat; nec nisi absurdissimè ejusmodi submissionem Petro tribueris. Vnde consequitur, Petrum fidelissimum Christi administrum, non modestiæ, sed veritatis causâ, nunquam sibi titulum istum vendicâsse.

Iam non multùm laborandum est, ut eum nunquam Ecclesiæ caput a reliquis agnitum fuisse ostendamus: cum, ut paulò antè diximus, & reprehensum illum ab eis, & a Paulo Apostolo haud leviter accusatum fuisse, scriptum legamus. Gal: 2. 11. Adde, quòd idem Paulus ita munus suum administrârit, ut nec a Petri, neque a cujusquam alterius auctoritate pendere se ostenderet, quemadmodum ex iis constat, quæ duobus primis Epistolæ ad Gal: capp. scripta leguntur: imò verò, ita se muneris ratione Petro æquat, ut quemadmodum Petro, unà cum aliis, Evangelium circumcisionis, ita sibi Evangelium præputii concreditum esse dicat. nec sanè uspiam apparet, Paulum monuisse.

nuisse, ut fideles ad Petrum, tanquam ad universalem Ecclesiæ Episcopum recurrerent, & ab eo, tanquam capite suo, penderent, alioqui corporis Christi membra non futuri.

Cap: IIII.

De Clavibus regni cœlorum Petro datis.

SED jam tempus est alteram adversariorum conclusionem, quam ex Christi verbis conficiunt, perpendere: nimirum non solùm Petro, sed omnibus ipsius successoribus, nec cuipiam præterea alii ejusmodi claves concessas esse, ut non solùm in terris remittere retinereque peccata, sed etiam leges, quæ conscientias hominum omnino obligent, figere, refigere, relaxare, controversias tum de dogmatibus, tum de aliis rebus omnibus ad Ecclesiam spectantibus, decidere, & sententiam, a qua sine piaculo provocare non liceat, ferre, aliaque similia decernere queant. Quam quidem sententiam a vero alienissimam esse, eadem ratione possumus evincere, quâ suprà usi sumus, cùm de petra seu fundamento, cujus in his Christi verbis fit mentio, ageremus. Etenim nec ad solum Petrum, sed ad cæteros etiam Apostolos, quos tantam, quantam Petro hîc promissam contendunt, potestatem haudquaquam habuisse, agnoscunt adversarii, verba hæc Christi spectant; nec in hujusmodi rebus, quæ hîc Petro promittuntur, ullum is habuit successorem. Prius illud superiùs a nobis est ostensum; & hac insuper ratione ostendi potest, quòd claves illæ regni cœlorum nil sint aliud, quàm facultas, aliis quidem cœlum aperiendi, aliis verò claudendi, seu, ut postea Dominus loquitur clavium istarum effectum explicans, alia quidem super terram ligandi, alia verò solvendi, hoc est, alios quidem reatu peccatorum quodammodò constringendi, alios verò ab illo absolvendi: quorum illis regnum cœlorum clauditur, his aperitur. Iam verò tum ex aliis Christi verbis, tum ex re ipsa manifestum est, hanc facultatem potestatemque non minùs ad cæteros Apostolos, quàm ad Petrum pertinuisse. Quod enim ad Christi verba attinet; ita Apostolos suos apud Ioannem alloquitur: *Si quorum peccata remiseritis, remissa erunt: si quorum retinueritis, retenta erunt.* Quod ad rem ipsam attinet; satis apparet, Petro non ita datam fuisse facultatem aut potestatem cœlum vel aperiendi, vel claudendi, ut re atque actu ipso alios in cœlum intromitteret, alios ab illo excluderet. hoc enim nemini præter Christum concessum legimus; eamque ad rem omnino requiritur cognitio cordium intimarumq; cogitationum humanarum: cum nemini, nisi verè in Christum credat, & ex animo ei

Ioh: 20, 23.

Cap:IV. De clavib: regni cœlorum Petro datis.

mo ei obtemperet, in cœlum pateat aditus. Itaque necesse est, in eo tantùm fuisse constitutam facultatem potestatemque illam, ut pro auctoritate muneris, quod tanquam Christi legatus sustinebat, aliis quidem, nempe omnibus in Christum credentibus, atque ex animo ei obtemperantibus, remissionem peccatorum ipsius nomine offerret, aliis verò pœnas sempiternas denunciaret; & sic illis quidem jus ac facultatem in cœlum ingrediendi daret, his verò eandem adimeret, eosque a cœli aditu arceret. Atqui eadem cæterorum Apostolorum fuit facultas ac potestas: cum æquè ac Petrus Christi legati, ut Apostolorum nomen docet, essent, & ad idem toti hominum generi pari autoritate annunciandum constituti. Fatentur enim ii ipsi, cum quibus hîc disputamus, cæteros Apostolos, ratione ipsius Apostolici muneris & auctoritatis, pares Petro fuisse. Quapropter id, quod de tanta Petri potestate, omnia, quæ ad Ecclesiam pertineant, moderandi, leges condendi, aut abrogandi, aliaque infinita faciendi, ex his verbis ab adversariis colligitur, futile planè atque inane est: cum satis sit manifestum, hîc non de rebus, sed de hominibus, idque non simpliciter, sed certa conditione ligandis solvendisque orationem haberi. Quòd si ex genere neutro, quo Christus ista proferens usus est, hunc suum errorem constitui autumant, vehementer errant: cum minimè novum, non profanis tantùm, sed divinis etiam autoribus sit, neutrum genus pro masculino usurpare. Quid enim? an Ioannem non de hominibus loqui volumus, cùm ait: *Non intrabit in eam* (nempe Hierosolymam) *aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium?* Et illud Pauli an non de personis accipiendum est, cùm de Antichristo hunc in modum loquitur: *Qui adversatur & extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut numen?* Apoc: 21. 27. 2 Thess: 2. 4.

Restat, ut Petrum nullum in clavium administratione successorem habere ostendamus. Quod quidem factu haud difficile est: quandoquidem ex iis, quæ paulò antè diximus, satis constat, claves istas Apostolorum proprias fuisse. In eo enim, qui claves regni cœlorum habere, & hominibus jus quoddam sempiternam felicitatem adipiscendi largiri dicendus sit, ejusmodi requiritur auctoritas, quæ nonnisi in eum cadit, qui ab ipso Deo aut Christo sit missus, & Spiritu sancto ita impletus, ut errare iis in rebus, quæ ad regnum cœlorum obtinendum pertinent, nequeat, sed exploratissimam earum teneat scientiam; utque iis argumentis fidem suis dictis conciliet, quæ ostendant ipsum divinitus missum, atque adeò ejus dicta pro Dei verbis habenda esse. Quæ cum in solis Apostolis

reperta, eorumque adeò propria fuerint; cumq; Apostolatûs officium defecerit; consequens certè est, nullum illis in clavium administratione successisse. Hoc tamen non perinde a nobis dici existimandum est, quasi hodie illos extare negemus, qui doctorum officio ritè fungantur, sineque errore, quales eos esse oporteat, qui ad cœleste regnum aspirare cupiunt, explicare possint. Intelligendum quippe est, disciplinam Christi ab Apostolis nobis traditam, & repeti ab his, & inculcari, & apud populum proponi tum posse, tum debere. Sed aliud est, Christi disciplinam ab Apostolis accceptam tenere atque recolere; aliud, esse Apostolum, vel Apostolis in apostolatu succedere, hoc est, haud aliter ac illi, ab ipso Christo ad Evangelium annunciandum legatum esse, atque adeò ea instructum esse auctoritate, ut omnia tua dicta, quæ ad Evangelicam doctrinam pertineant, pro dictis ipsius Christi habenda, & sine ulla erroris suspicione ac metu pro verissimis suscipienda sint.

F doctrinam Christi

Cap: V.

Quomodo Ecclesia sit Christi corpus.

SEquitur, ut, qua ratione Ecclesia Christi corpus sit, videamus. Quod quidem facilè ex iis, quæ suprà de ejusdem capite dicta sunt, intelligi potest. Cum enim Christus ita Ecclesiæ caput sit, ut eam sibi arctissimè conjunxerit, eamque spirituali divinissimaq; ratione gubernet, foveat atque conservet; efficitur, Ecclesiam hoc pacto ejusdem corpus esse, ut doctrinam ejus amplexa, eumque solum in religione ducem sequuta, ei adhærescat, ei totam se subjiciat, seque regendam ac gubernandam permittat, ab eo spiritum illum vitalem hauriat, & vires ad pietatem vitæ colendam necessarias petat, omniaque sempiternæ felicitatis adjumenta expectet; alioqui cadaver potiùs Ecclesiæ, quàm verum vivumq; Christi corpus futura. Vnde colligitur, eos hominum cœtus, qui vel ab aliis pendent in religione ducibus, salutarique ipsius doctrinæ constanter non adhærent; vel suo viventes arbitrio, ipsius imperium non agnoscunt, eíve parere detrectant; vel ad ejus opem confugere, & ab eo omnia piæ æternæque vitæ præsidia atque adjumenta petere recusant, pro vero vivoq; Christi corpore habendos non esse. Qua de causa Paulus Apostolus Colossenses diligentissimè præmonet, inquiens: *Videte ne quis sit, qui vos Philosophiâ fallaciâque vanâ prædetur, ex hominum institutione, & non secundùm Christum; in quo tota divinitatis plenitudo corporaliter habitat: & vos estis in eo perfecti, qui caput est omnis principatûs & potestatis.* Quibus verbis admonemur, ut (Col. 2. 8.)

mur, ut

mur, ut Christo capite nostro contenti, id est, in sola illius discipli- Cap: V. Quomodo Ecclesia sit Christi corpus.
na acquiescentes, non philosophicis institutis, quæ ad divinum cultum nihil afferunt momenti; non hominum commentis, per quantamvis veritatis speciem inductis; non denique disciplinæ Mosaicæ, quæ ad Christi instituta respectu habito, umbræ instar obtinet, nos tradamus abducendos: cum in Christi doctrina, non adumbrata aut imperfecta rerum divinarum, sed corporalis, eaque tota ac plena, id est, verissima simul atq; absolutissima divinæ voluntatis explicatio contineatur. Atque hanc esse omnem illam divinitatis plenitudinem a Paulo ibidem commemoratã, non autem, ut multi existimant, divinam essentiam, sive naturam, tum ipsa loquendi formula, tum verborum contextus, tum res ipsa docet. Primò enim is loquendi modus ejusmodi est, ut divinitatis istius, de qua Apostolus sermonem habet, partes quasdam innuat: quandoquidem non divinitatem simpliciter, sed ejus plenitudinem, & quidem omnem, seu totam commemorat: ut facilè appareat, id dicere voluisse Apostolum: in Christo, sive in ipsius doctrina, non aliquam divinitatis particulam contineri, qualis suo modo vel in philosophia, vel in hominum sapientum institutis, vel in disciplina Mosaica comprehendi videtur: sed omnem plenitudinem divinitatis, id est, perfectissimam divinæ voluntatis explicationem comprehendi. Divinam autem essentiam seu substantiam in diversas partes distrahi, ut nimirum in aliis particulatim, in aliis verò plenissimè habitet, nemo sanus dixerit. Deinde in ipsa verborum comprehensione apertè videmus, divinitatis plenitudinem in Christo habitantem, doctrinis ab ipsius disciplina alienis opponi, & sic Christum hoc in loco, si modò oppositionem istam omni absurditate liberare volumus, pro sua doctrina accipi, vel saltem eatenus, quatenus doctrinam illam tradidit, novamque religionem hominibus præscripsit, considerari; quo pacto & alibi Christi nomen usurpari videmus. Ephes: 4. 20. Col: 1. 27.
Denique vox *corporaliter* id, quod asserimus, ostendit. Nam præter quam quòd, quicquid alii dicant, nequaquam ostendi possit, quo pacto divina substantia corporaliter in quopiam habitare queat; satis tum ex hoc ipso loco, tum ex verbis illis, quæ infrà v. 17. habentur, apparet, corpus opponi umbris; & sic corporalem inhabitationem umbratili, qualis in Lege fuit; id quod nihil ad divinam substantiam pertinet, sed ad voluntatem.

Sed ut eò revertatur, unde egressa est oratio; facilè ex iis, quæ antea diximus, perspicitur, frustra Pontificios de Christi corporis atque Ecclesiæ titulo gloriari, seque eo nomine tam superbè jactare; cum

Cap: V. Quomodo Ecclesia sit Christi corpus.

re: cum nec Christi spiritu gubernetur ipsorum Ecclesia, nec illi dicto sit audiens, nec ab illo solo pendeat, & vix ullam ipsius disciplinæ partem salvam relinquat, quam nimirum vel falsis interpretationibus non corrumpat, vel additionibus suis non contaminet, vel detractionibus fœdè non detruncet, vel funestis erroribus non implicet, vel denique densissimis tenebris non circumfundat atq; obscuret. Quo fit, ut salutaribus Christi præceptionibus conculcatis, præter manifestam idololatriam, luxuria, ebrietas, libidines, aliaque innumera peccata inter illos passim regnent: ut facilè appareat, quàm rectè Ecclesiæ nomen usurpent, sibique solis arrogent.

Reliquum est, ut Christi corpus, quod Ecclesia est, ex ea parte consideremus, quatenus ad sua membra respectum habet. Membra porrò Ecclesiæ duplicem habent rationem. Vel enim eatenus spectantur, quatenus omnia inter se conveniunt, & peræquè ad Ecclesiæ corpus, ejusque caput Christum, ac porrò etiam ad salutem pertinent: veluti cùm Apostolus neque Iudæum, neque Græcum, neque servum, neque liberum, neque marem, neque fœminam, sed omnes unum hominem esse asserit: vel ipsorum perpenditur varietas, ex munerum varietate profecta. Vt enim in corpore humano alias actiones capiti, alias oculis, alias auribus, alias manibus, alias pedibus, alias aliis membris assignatas esse cernimus: ita & corporis Christi membrorum varia esse officia, ex illis Pauli verbis constat: *Vos Christi corpus estis atque membra: & alios statuit Deus in Ecclesia, primò Apostolos, deinde Prophetas, tertiò doctores, deinde portenta, deinde sanationum dona, adminicula, gubernationes, genera lingvarum.* Et alibi inquit: *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Evangelistas, alios pastores & doctores.* Apostoli illi erant, quos Dominus Iesus & divino spiritu armaverat, & in universum terrarum orbem legaverat, ad homines divina veritate collustrandos. Prophetarum autem nomine istis in locis, non veteres illos Prophetas, sed Apostolorum socios intelligimus, qui eodem tempore in Ecclesia floruerunt, quorum officium erat, futura prædicere, vel occultiora quædam religionis Christianæ mysteria apud populum proponere, vel utrumque istorum facere. Evangelistæ verò illi fuisse videntur, qui Apostolis salutiferum sempiternæ felicitatis nuncium terrarum orbi afferentibus adhærebant, eosque ea in re juvabant. Atque hæc tria Apostolorum ætate munera maximè viguerunt: postea autem ea defecisse res ipsa ostendit. Remansit autem Doctorum pastorumque officium, nec non alia quædam, de quibus infrà suo loco dicemus.

Gal: 3. 28.
Rom: 12. 4, 5.
1 Cor: 12. 28.
Ephes: 4. 11.
Cap: 11.

Hîc verò

Hic verò non alienum fuerit, pauca de Christi corporis membrorum mutuis inter se officiis explicare: quæ quidem quatuor potissimùm esse videntur. Primò igitur, cum singulis membris singula imposita sint munera, consentaneum est, ut quilibet Christianorum Spartam, quam nactus est, ornet, id est, officium suum diligenter administret, nec personam sibi non impositam temerè assumat. Hoc enim illi faciunt, qui aut inani curiositate, aut ambitione, aut quavis alia cupiditate inducti, in omnia sese ingerunt, &, dum alienas partes capessunt, suas negligunt. Qua de causa Paulus ad Romanos scribens diligentissimè præmonet, ut singuli suis muneribus contenti, in aliena sese minimè ingerant, his verbis: *Edico per beneficium, quod mihi collatum est, vestrûm cuivis, ne sibi plus tribuat, quàm tribuere debeat: sed tantum tribuat, ut sobriè tribuat, pro fidei modo, quem cuique Deus impertivit.* Quod tamen non perinde intelligendum est, quasi, si cuipiam plura uno divina munera data atque concessa sint, ei nequaquam fas sit pluribus uno fungi officiis; (sic enim officium proderet: sed ne quis id sibi arroget donum, quod ipsi divinitus nequaquam sit concessum.

Cap: V. Quomodo Ecclesia sit Christi corpus.

Rom. 12. 3.

Deinde diligenter illis, qui præstantioribus, quàm reliqui, muneribus ornati sunt, cavendum est, ne unquam ea res immoderatos eis spiritus afferat, & sic eveniat, ut aliis per superbiam spretis atque contemptis, in seipsis omnia collocent. *Non* enim, inquit Paulus, *oculus potest dicere manui, non egeo te: aut rursum caput pedibus, non egeo vobis: contràque quantò quodque membrum corporis debilius videtur esse, tantò magis est necessarium.*

1 Cor: 12, 21.

Præterea etiam atque etiam providendum est, ne in Ecclesia ulla dominetur invidentia, quâ fiat, ut ignobiliora Christi membra nobiliorum splendore urantur, eorumque incrementa cùm animi quodam dolore cernant. Vtrique huic malo ut in Ecclesia occurreretur, Deus pro summa sua sapientia, minora Christi membra cum majoribus ita adæquavit, ut non minùs illa, quàm hæc, ad corporis illius constitutionem convenirent, & hæc absque illis officiorum suorum munera ritè obire non possent.

Postremò & illud cavendum est, ne quod Christi membrum suâ tãtùm unius causâ divinis muneribus sese ornatum esse existimet, sed singula, quicquid sunt, quicquid possident, id totum sese aliis, totique adeò Christi Ecclesiæ debere persvasum habeant. Neque enim verbi causâ, oculi sibi vident, aut aures sibi audiunt, sed toti corpori: eodemque modo de reliquis membris judicandum est.

Quapro-

Quapropter contra officium facere, & non leviter peccare censendi sunt illi, qui aut munera sibi concessa perpetuo involvunt atque adeò sepeliunt silentio, aut certè non ita usurpant, ut ad alios quoque utilitas manare queat. quod posterius illi faciebant olim, qui res divinas non vernaculâ omnibusque cognitâ, sed alienâ lingvâ a se prolata, nec interpretabantur, nec aliorum operâ ad eam rem utebantur, quod quidem Apostolus summopere vituperat. (1 Cor: 14.)

Cap: VI.

In quo docetur, quo pacto Ecclesia ovile Christi dicatur.

TErtium Ecclesiæ elogium est, quòd ovile Christi nominatur: nempe quia ea nihil aliud est, quàm ovium Christi grex quidam, cujus eam ipsam ob causam Christus pastor est appellatus. (Ioh: 10. Heb: 13. 20. 1 Pet: 2. 26.) Quod quò rectiùs intelligi possit, consentaneum est, ut & de ovibus hoc in loco, & de eorundem pastore explicemus. Ac ovium quidem appellatio duplicem apud divinos autores habet significationem. Interdum enim homines designat divinæ quidem veritatis ignaros, ad eam tamen & amplexandam, & sequendam aptos; de quibus suprà suo loco diximus: (lib: 4 c. 1.) interdum verò illud hominum genus significat, quod non solùm appositum est ad Christi disciplinam recipiendam, sed etiam revera eam recipit & sequitur. Atque de his Christi ovibus hoc loco potissimùm agitur. Hæ enim solæ illius Ecclesiam constituunt; (Ioh: 10. 9.) utpote quæ per ostium, quod Christus est, ingressæ, id est, jam eum fide complexæ, servantur, & intrantes atque exeuntes pascuum inveniunt, omnibusque rebus ad salutem necessariis abundant. Ovium porrò nomine homines isti eam ob caussam appellantur, quòd ovium similitudinem gerunt. Nam & ovium more pastoris vocem agnoscunt, ab alienaque voce dijudicant, ita ut illam sequantur, hanc verò fugiant; (ibid: ℣ 3, 5, 8, 14, 27.) & pastoris persequuntur vestigia, ac quocunque ducit, eunt; (℣ 4, 28.) & denique, quamvis omnes habeant infestissimos, ipsi tamen nemini exhibent molestiam, ad omnem mansvetudinem, modestiam, patientiam compositi. Vnde colligitur, eos, qui a probitate abhorrent, qui Christi voce contempta, alienis doctrinis aures præbent, qui a salutis via aberrant, qui pastoris hujus vestigiis non insistunt, qui mansvetudinis ac lenitatis Christianæ sunt expertes, aliosque libenter infestant, Christi ovile, sive Ecclesiam, verè dici nequaquam posse.

Cap: VII. De Ecclesiæ Pastore.

Cap: VII.

De Ecclesiæ Pastore.

SEquitur, ut de ovilis istius pastore videamus; idque ita, ut ante omnia ipsum Pastoris vocabulum discutiamus. Intelligendum igitur est, illud vel imperium, quod quispiam in alios habeat, significare, vel simplicem rerum alicujus fidei commissarum procurationem declarare. Primò igitur duplex imperium nomini isti subjicitur, humanum nimirum & divinum. Humanum, quo hominum corpora quispiam complectitur: Divinum, quod quispiam non in corpora tantùm hominum, sed etiam in eorum animos tenet. Hoc rursus, vel prorsus aliunde non dependet; quo pacto Deus summus Pastor & Servator omnium dici potest; vel ex Dei pendet munere atque concessu. Et hoc quidem pacto Christus magnus & bonus ille pastor nominatur; quippe quem summus ille Pater, non solùm singularissima divinissimaque ratione ovili isti, id est, populo suo præposuerit; sed qui etiam ovium causâ nihil non perpessus fuerit; tantumque illis bonum impertiverit, quantum post homines natos nullus præterea eis nec attulit, nec afferre potuit. Is enim, ut ad supremam pastoratûs dignitatem perveniret, & sic ovibus suis in perpetuum prodesset, animam suam pro illis posuit. Vnde effectum est, ut eas ex luporum faucibus ereptas fovere, cibo salutari pascere, earum morbis medicinam facere, cadentes excipere atque erigere, laborantibus auxilium ferre, divina potestate illas gubernare, omnia mala ab illarum capitibus propulsare, & tandem a sempiterno interitu vindicatas, in æternæ beatitatis possessione constituere posset. De hac autem pastoratûs significatione hoc in loco potissimùm loquimur: quippe quæ in Christum Ecclesiæ pastorem conveniat, qui a Petro pastorum princeps, & a divino illo autore magnus pastor ea de causa nominatur, quòd, cum alii quoq; Ecclesiæ curandæ præfecti sint, & eam ob rem pastores appellentur, omnes tamen ab hoc nostro utpote ab ipso constituti, eique in hoc munere subservientes, longè multumque superentur.

Heb: 13. 20. Ioh: 10.

1 Pet: 5. 4. d. l. Heb: 13. 20.

Quam quidem rem, quò magis doceamus, veniendum est ad alterum hujus nominis significatum, id est, ad simplicem Ecclesiæ procurationem, quæ, exclusa omni dominatione, illis commissa est, qui seniores in divinis literis nominantur. Quorum officium Petrus ut luculentissimè exprimeret, hunc in modum eos alloquitur: ***Seniores cohortor, ipse quoque Senior, & Christi suppliciorum testis, & idem repræsentandæ gloriæ socius: pascite ovile Christi, non inviti, sed sponte***

1 Pet: 5. 1.

sponte curantes, non avarè, sed alacriter; neque ut sortibus (seu gregibus, qui veluti sorte vobis obtigerunt) imperantes, sed ut qui ovilis exempla sitis. Ita fiet, ut, cùm advenerit pastorum princeps, nunquam flaccescentem gloriæ coronam accipiatis. Quo in loco cernimus, unum tantùm pastorum principem esse; reliquos verò pastores omnes imperio dominatuque prohiberi, pariq; ratione Dominicum gregem pascere juberi; & porrò neminem, præter Christum, in eo honoris fastigio constitutum esse, ut tanquam caput reliquis dominetur. Quo fit, ut eorum audaciam satis mirari nequeamus, qui Papam suum omnium pastorum principem atq; magistratum facere non dubitant: cum hæc Petri, cui Papam successisse isti volunt, verba ei rei tam apertè refragentur. Atqui, inquiunt, cum Papa successor Petri sit, fatendum est, eum tunc a Domino Iesu pastorum magistrum constitutum fuisse, cùm Petrum solum alloqueretur, utq; ipsius oves pasceret, imperaret. Nos verò utrumque pernegamus. Nam nec ulla ratio est, quæ vel leviter svadeat, Papam Petri in isto Ecclesiam pascendi munere successorem esse; nec Petrum, nedum Papam, pastorum principem factum fuisse, ex Christi verbis ullo pacto concludi potest. Quòd enim Christus solum Petrum ter suas oves pascere jubet, quid hoc, quæso, ad istum primatum constituendum ponderis afferre potest? Cum longè aliam ejus rei causam subesse facilè intelligi queat: nimirum consentaneum fuisse, ut, qui solus ter Christum abnegaverat, eaq; de causa Apostolatu excidisse meritò censeri poterat, idem solus terna ovium commissione veluti in loco suo reponeretur, seu mavis, eo munere ac dignitate non excidisse significaretur. Quid, quòd & ideo ter Dominum Petro ovium curam commisisse verisimile est, ut is rem seriam maximique ponderis negotium sibi concredi intelligeret. Res enim hujusmodi, cùm inculcare cupiam volumus, sæpiùs repetimus. Alioquin autem nihil hîc Petro imponi videmus, quod etiam reliquis jam impositum non fuerit, ut nimirum ovium Christi salutem omnibus curarent modis, easque saluberrimo cœlestis doctrinæ pabulo nutrirent: ut facilè appareat, ex eo, quòd quispiam Christi oves pascere jubetur, nequaquam consequi, in universali quodam pastoratûs munere imperioque, quod in reliquos omnes, sive greges, sive pastores, atque adeò in ipsos Christi Apostolos teneat, aliquem constitui. Ex quo fit, ut, si maximè aliquem Petro successisse concederemus; nequaquam tamen id ad primatum illum dominatúmve referri possit; quippe quem nec ipsum Petrum habuisse planissimè constet. Alia igitur Papæ dominatûs quærenda est ratio, præter con-

Ioh: 21. 15, 16, 17.

fictam hanc successionem. Constantinus nimirum (ut quidem ipsi jactant ac scribunt Romanenses) privilegium Romanæ Ecclesiæ Pontifici contulit, ut in toto orbe Romano sacerdotes ita hunc caput habeant, sicut judices Regem. Item: Sentimus, inquit, ut principatum teneat, tam super quatuor sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam, quàm etiam super omnes in universo terrarum orbe Ecclesias Dei. Hinc efficitur, tantum abesse, ut primatus iste successionis jure a Petro in Papas sit derivatus, ut ne fando quidem, tum ipsius Petri, tum eorum, qui mox illum subsecuti sunt, memoriâ auditum fuerit, extare aliquem Christi discipulorum, qui reliquos imperio suo complectatur. Omnes quippe pastores atque Episcopi muneris istius ratione tunc æquales fuerunt, ut a multis pietate atque eruditione præcellentibus viris traditum est. Qua de causa supervacaneum etiam fuerit, plura hac de re dicere. Dist: 66.

Cap: VIII.

Cap: VIII. Quomodo Ecclesia veritatis columna sit.

In quo ostenditur, qua ratione Ecclesia veritatis columna & firmamentum dicatur.

Quartum Ecclesiæ elogium est, quòd columna & firmamentum veritatis appellatur. 1 Tim: 3. 15. Quod quidem insignem illius continet dignitatem atque præstantiam. Columnæ quippe veritatis appellatio duo complectitur attenta consideratione dignissima; quorum altero constituitur, Ecclesiam Christi salutarem veritatem tenere: altero verò intelligitur, salutarem disciplinam nonnisi ab Ecclesia ejusque membris foveri, defendi, atque propagari. Ac primum quidem per se manifestum est: cum nemo dubitare queat, quin hoc loco *veritatis* nomine, ex frequenti sacrarum literarum novi fœderis usu, doctrina Christi salutaris intelligatur. Ioh: 8. 32. Eph: 1. 13: Col: 1. 5: 1 Tim: 2. 4. Tit: 2. 1. Iac: 1. 18. Salutarem porrò doctrinam eam dico, sine qua vitæ æternæ possessio haberi non potest. Sunt quippe & alia, quæ, tametsi verissima sunt, atque ad religionis negotium spectant, ad salutem tamen planè necessaria non sunt, ac porrò absque salutis jactura ignorari queunt, licèt eorum cognitio ad salutem utilis censeri, & studiosè quæri debeat. Illam igitur veritatem vera Christi Ecclesia absq; ullo errore tenet: in cæteris verò rebus labi eam errareque posse inde perspicitur, quòd nulla causa est, quin id fieri possit; nec unquam Christus eam ab omni semper errore tutam fore pollicitus est. Quin potiùs Pontificii toto cœlo errant, qui hoc Pauli testimonio, Ecclesiam ab omni prorsus errore quàm longissimè abesse, comprobari putant, ut ex

dictis in-

dictis intelligi potest. Verùm cum iidem alia etiam scripturæ sacræ testimonia adducant; videndum est, quantam vim ea ad hunc errorem stabiliendum habeant.

Ioh: 16. 13. Primò igitur asserunt, Christum eum Ecclesiæ suæ spiritum promisisse, qui illam in omnem induceret veritatē. Atqui animadvertendum est, Christum eo in loco non universę Ecclesię, sed Apostolis tantùm Spiritum illum promittere, illamque omnem veritatem ibi commemorare, quæ ad Apostolici muneris administrationem spectabat, quâq; destituti, illo rectè persungi non poterant, quemadmodum ex ipso loco satis perspicuum est. Ioh: 14. 16. Quòd verò Christus ait, spiritum illum in perpetuum Apostolis adfuturum; id quidem nullam aliam vim habet, quàm nunquam futurum, ut, dum quidem officii illius munus exequerentur, eo carerent; neque eum, quemadmodum Christus ipse fecerat, ad tempus tantùm cum illis commoraturum, & postea ab illis recessurum, sed usque ad vitæ finem, si modò ipsi in statione sua persisterent, cum illis permansurum. Voces enim *in æternum*, vel *in seculum*, ad naturam rei subjectæ, cui tribuuntur, & hîc & alibi accommodandæ sunt. (Exod: 21. 6. Devt: 15. 17. Ps: 30. 13: 52. 11: 61. 5, 9: 75. 10: 119. 93, 98, 111, 112: Ioh: 13. 8: 1 Cor: 8. 13 Philem: ỽ 15.) Hîc verò instabunt, Ecclesiam Christi corpus esse, & ideo illius spiritu gubernari, qui eam in aliquo versari errore nequaquam patiatur. Respondemus autem, Christi corpus esse, ejusque spiritu gubernari, & in illis rebus errare, quæ citra salutis jacturam ignorari possunt, nequaquam inter se pugnare. Si enim pugnarent, sequeretur, nullum prorsus ex vivis corporis Christi membris, nedum plura ac nobiliora, multò autem minùs integras Ecclesias, easque quàm plurimas, in errore vel minimo hærere posse. quandoquidem ut totum Christi corpus, ita omnia viva illius membra, Christi spiritu reguntur. At fatentur ipsi adversarii, non tantùm singula Ecclesiæ membra, eaque nobiliora, qualia apud ipsos sunt veteres Ecclesiæ Doctores, seu Patres, quos vocant, sed integras etiam Ecclesias, easque innumeras, in errore aliquo versari posse. Vnde ipsimet & plurimos diversorum Patrum, & plurimarum Ecclesiarum errores, quorum nonnulli diu admodum viguerunt, notant atque demonstrant. Satis est ad id, ut quis spiritu Christi regi dici queat, eum salutarem ipsius doctrinam & tenere, & in vita sequi, etiamsi in multis aliis rebus, quæ salutem non eripiunt, erret. Vrgent tamen, & hunc in modum occurrunt, quî nimirum fieri possit, ut ullo errore Christi Ecclesia implicetur; cum nec inferni portæ eam superare queant. Sed consecutionis in hoc argumento nulla est ratio. Animadvertendum enim est, infernum

in sacris

Cap: VIII. Quomodo Ecclesia veritatis columna sit.
lib: 5. c. 16.
Esa: 38. 10.
Iob: 38. 17:
Psal: 9. 15: 107. 18.

in sacris literis mortuorum statum, ut suo loco a nobis demonstratum est, significare. pro ipso autem inferno nonnunquam *portæ inferni*, ut pro morte, portæ mortis, eadem significatione ponuntur. Quare cùm Christus ait, portas inferni non prævalituras adversùs ipsius Ecclesiam, id sibi vult, infernum ejúsve portas, non ita fore validas, ut Ecclesiam, ejusque viva membra detinere queant, itaq; claudant pios, ut ii, portis illis apertis atque effractis, inde evadere nequeant. Id autem verissimum est, etiamsi in ejusmodi hæserint errore, qui circa res ad salutem necessarias non versetur, ut res ipsa indicat.

Alterum, quod in hoc Pauli testimonio Ecclesię dignitatem constituit, est, eam solam, soláve illius membra salutarem veritatem fovere, defendere, ac propagare, illiusque quoddam quasi domicilium esse. Id quod ita sese habere res ipsa docet. Tanto enim vinculo veritas salutaris cum Christiano populo conjuncta est, ut quatenus ea inter homines viget, ab illisque intelligitur atque defenditur, nunquam ab illo disjungi possit. Dico autem, ex ea parte rem ita sese habere, quatenus veritas ista in hominum animos dominatur, seu ab iis agnoscitur, atque asseritur, ut, quousque sese columnæ firmamentique metaphora porrigat, intelligi possit: nimirum non eò usque, ut nisi sit Ecclesia, veritas nullo planè pacto consistere, atque ad hominum memoriam conservari, & sic denuò agnosci atque in lucem proferri possit: cum ea non modò in Deo residere, sed etiam in divinis literis inclusa teneri queat: sed ut, quemadmodum diximus, dum quidem apud homines locum habet, seu ab iis cognoscitur, & apertâ professione adstruitur, nonnisi in vera Christi Ecclesia eam inveniri persvasum habeamus. Intelligendum autem est, Paulum his verbis nihil aliud docere, quàm Christianum populum longè multumq; omnibus aliis hominum cœtibus ac congregationibus, religionem aliquam profitentibus præstare. Opponit quippe eandem Christi Ecclesiam, tum Iudæis incredulis, tum Ethnicis, ut simul & illos, qui veritatis notitiam sibi falsò arrogant, mendacii arguat, & Christianæ religionis studio omnes incendat.

Constat igitur, omnes hominum cœtus, qui in salutari veritate errant, & ideo eam non fovent, non promovent, sed ejus loco funestissimos alũt ac tuentur errores, nihil minùs quàm veritatis columnam firmamentumque esse, & sic Ecclesiæ veræ nomen nullo jure usurpare. Ex quo consequitur, Ecclesiam Romanam injuriâ hunc sibi titulum arrogare. Qui enim veritatem salutarem habent,

Cap: IX. De potestate Ecclesiæ Christi.

ii nequaquam in tanto mentis errore versari possunt, ut ea credenda faciendaque statuant, quæ veræ pietati adversantur, & ab æterna salute homines repellunt. Ex quo genere est Idololatria, quâ omnes Pontificiæ disciplinæ deditos, ex ipsius natura obstrictos esse oportet. Quis enim illorum est, qui Eucharistico pani divinum cultum non adhibendo, qui Mariæ aliorumque defunctorum opem non implorando, & iis cum animi religione non serviendo; qui denique ante imagines non procumbendo, easq; venerando, Catholicum sese audeat dicere? Quæ omnia quantopere a Christiana religione, & porrò a vera Ecclesia abhorreant, jam alibi satis demonstratum est. Taceo innumera alia Pontificiorum dogmata, & aniles, ut alicubi loquitur Apostolus, fabulas, quæ inter illos vigent, & cum salutari Christi doctrina nihil prorsus conjunctum habent.

lib: 4. cap. 10. lib: 5. c. 24, 25.

1 Tim: 4. 7.

Cap: IX.

De potestate Ecclesiæ.

HActenus aliquot Ecclesiæ Christi elogia expendimus, quæ insignem ejus ostendunt dignitatem: restat, ut de illa dignitatis Ecclesiæ parte agamus, quæ sita est in potestate ei concessa. Est autem Ecclesiæ potestas nihil aliud, quàm secundùm Christi doctrinam ejusdemque analogiam, rei cujusdam perficiendæ facultas. Quam quidem Ecclesiæ autoritatem potestatemque non exiguam esse, partim ex iis, quę superiùs diximus, constare potest, partim ex iis, quæ dicturi sumus, constabit. Tametsi enim certis limitibus circumscripta est, ut nimirum a Christi institutis ne latum quidem ungvem recedat; magnum tamen est, tanti mariti uxorem esse, ex ipsiusque mente omnia facere moderariq; posse; adeò ut in ipsum Christum peccare eum necesse sit, qui Ecclesiæ ea in parte resistit, ejusq; autoritatem contemnit. Hæc porrò potestas vel ad ritus spectat, vel ad personas eorumq; facta. Nam ad dogmata eatenus tantùm pertinet, quatenus eadem illorum, quę factorum est ratio: cùm nimirum quæritur, utrùm hic aut ille, qui certum aliquod dogma fovet, in Ecclesia tolerandus, an ab ea arcendus sit. Dogmata nova constituere, aliosq; in sententiam suam adigere, Ecclesię non est, sed illius, qui vel res ipsas, vel hominum conscientias cogere, iisvé imperare queat, ipsamq; adeò Ecclesiam habeat in potestate: qui quidem nonnisi Deus ac Christus est. Ecclesiæ potiùs est, imò & singulorum fidelium, maximè eorum, qui docendi funguntur munere, dogmata a Deo Christoque tradita diligenter cognoscere, ea tenere, aliis persvadere, & rationibus absq; violentia defendere ac propagare.

Cap:IX. De potestate Ecclesiæ Christi.

pagare. Neque enim Ecclesia fidei cujusquam, atque adeò suæ ipsius (ipsa enim ex singulis constat fidelibus) dominatur, eamque pro arbitrio sibi ponit; sed alienum ea in re ductum sequi debet. Itaque dogmata, quæ fortè a quopiam proponuntur, examinare, de eorum veritate aut falsitate aliquid secum constituere, ac porrò aliis & exponere, & argumentis modestè defendere, id & omnium est, & singulorum, imprimis autem, uti diximus, Ecclesiæ doctorum, eorúmque, qui eximiâ præ cęteris rerum divinarum scientiâ sunt instructi. quò pertinet illud Pauli: *Omnia probate, & quod bonum est tenete.* Item: *Prophetæ duo aut tres loquantur, cæteri dijudicent.* Huc & illa Ioannis admonitio pertinet: *Filioli, ne cuivis spiritui credatis, sed probate spiritus, an sint ex Deo.* Hanc enim potestatem nisi haberent fideles, quo pacto sibi caverent, ne sese quis philosophiâ fallaciâque vanâ prædaretur, ex hominum institutione mundique rudimentis? vel quomodo vitarent canes, malos operarios, & concisionem? vel quomodò illos effugerent, qui seditiones & offensiones contra Christi doctrinam excitant? vel quomodo hominem sectarium post unam atque alteram admonitionem fugerent? vel quomodo se ab illis sejungerent, qui diversam sequuntur doctrinam, neque sanis Domini nostri Iesu Christi dictis pietatisque doctrinæ accedunt? vel quomodo denique illa Ioannis præmonitio ullum haberet locum: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne recipiatis eum in domum, nec ave ei dixeritis: qui enim dicit ei ave, communicat operibus ejus malis.* Quia verò tum singulorum fidelium, tum totius Ecclesiæ judicium ad certam aliquam regulam ac normam conformari oportet, si modò errare nolit; hæc autem norma omnium confessione Dei verbum sit: illud semper ante oculos tum tota Ecclesia, tum singula ejus membra in judicando habere debent. Verbum autem Dei absque erroris suspicione non aliunde, nisi ex sacris literis, de quarum veritate universus Christianus orbis consentit, peti potest; ac porrò nulla alia Ecclesiæ in dijudicandis sententiis ac controversiis adhibenda est norma: non exclusa interim sana ratione, sine qua ne ex sacris literis quidem quicquam rectè decidi aut concludi potest. Vnde colligitur, ipsam scripturam Ecclesiæ judicio subjici non debere, sed Ecclesiæ potiùs judicium scripturæ subjiciendum, eíve attemperandum esse. In quam sententiam ab Augustino ita scriptum legimus: *Non sine causa, tam salubri vigilantia canon Ecclesiasticus institutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant, quos omninò judicare non audeamus, & secundùm quos de cæteris literis vel fidelium vel infidelium liberè judice-*

1 Thess: 5. 21.
1 Cor: 14. 29.
1 Ioh: 4. 1.
Col: 2. 8.
Phil: 3. 2.
Rom: 16. 17.
Tit: 3. 10.
1 Tim: 6. 3.
2 Ioh: ỳ 10.
Contra Cresconium.

rè judicemus. Et alibi: *Spirituales ergo ſive qui præſunt, ſive qui obtemperant, ſpiritualiter judicant, non de cognitionibus ſpiritualibus, quæ lucent in firmamento:* (id eſt, ſcriptura ſacra, ut eodem libro cap:15. ipſe explicat:) *non enim oportet de tam ſublimi autoritate judicare, etiamſi quid ibi non lucet; quoniam ſubmittimus ei noſtrum intellectum, certúmque habemus, etiam quod clauſum eſt aſpectibus noſtris, rectè veracitérque dictum eſſe. Sic enim homo, licèt jam ſpiritalis, & in agnitionem Dei renovatus, ſecundùm imaginem ejus, qui creavit eum, factor tamen legis eſſe debet, non judex.* Et ibidem: *De his enim judicare nunc dicitur, in quibus & corrigendi poteſtatem habet.* Hæc ille. Quare non eſt admittendum id, quod tanquam ex ejuſdem Auguſtini ſententia Pontificii aſſerunt, ſcripturam nonniſi Eccleſiæ judicio ac ſuffragio prò autentica haberi poſſe, adeóque majorem Eccleſiæ, quàm ſcripturæ autoritatem eſſe. Dicent: ad canonicorum librorum numerum conſtituendum, eorumque fidem adſtruendam, autoritate eccleſiæ opus fuiſſe atque eſſe. Hîc ſi de autoritate teſtimonii Eccleſiæ primævæ, quæ optimè ſcire poterat, qui libri verè ab Apoſtolis viriſq; divinis ſcripti eſſent, qui minùs, loquantur; facilè eam autoritatem veteri illi eccleſiæ concedemus, vel potiùs aſſeremus. Sed quid hoc ad poteſtatem judiciariam, quæ hodie quoque eccleſiæ competat? Alia teſtis eſt autoritas, alia judicis poteſtas; & alia primævæ, alia hodiernæ eccleſiæ hac in parte eſt ratio. Adde, quòd eccleſiæ teſtimonium nequaquam eam vim habet, ut ſcripturam autenticam efficiat. Non enim, quia eam eccleſia autenticam eſſe teſtificatur, idcò autentica eſt: ſed contrà, quia autentica eſt, idcirco hoc ipſum eccleſia teſtificari poteſt. Habet quippe ſcriptura alia ſatis firma veritatis ſuæ fundamenta. Quare inde nequaquam conſequitur, majorem illius, quàm hujus autoritatem eſſe.

Hîc autem detruncatam illam Auguſtini ſententiam in medium afferent, quâ ſeſe ſcripturæ crediturum fuiſſe negat, niſi eum eccleſię moviſſet autoritas. Hinc enim conſequi, ab eccleſiæ autoritate pendere autoritatem ſcripturæ, & illam hac majorem eſſe. Quæ Auguſtini verba ſi eo animo ab ipſo uſurpata fuêre, quo volunt adverſarii, dico, nos unius hominis autoritate atque exemplo ad ſententiam iſtam nequaquam aſtringi: cum, ut alibi demonſtratum eſt, alia ratione ac viâ ſcripturæ veritas & agnita ſit, & agnoſci poſſit: ſi verò alio animo ab eo fuêre prolata, omnis certè Pontificiorum, quam hinc ſibi parare ſtudent, autoritas concidit. Alio autem animo Auguſtinum his verbis uſum fuiſſe, is animadvertet, qui locum aliquantò diligentiùs inſpexerit. Ipſe enim verborum contextus ſatis indi-

tis indi-

Cap: X. De ritibus Ecclesiasticis.

tis indicat, eum, postquam in Manichæorum errore novem annos versatus fuisset, tandem ecclesiæ summa cum voluptate consensioneque in sacris literis acquiescentis exemplo, ad iisdem fidem adhibendam inflammatum fuisse. Hoc verò si est majorem ecclesiæ, quàm scripturæ autoritatem esse; pari ratione, quia multi parentum suorum autoritate & exemplo moventur, ut sacris literis fidem adjungant; sequetur, majorem illorum, quàm horum autoritatem esse. Concludimus igitur, Augustinum non id sibi voluisse, ut majorem Ecclesiæ, quàm sanctis literis tribueret autoritatem: sed ut fidelium sanctissimam conspirationem, animorum conjunctionem, vitæ integritatem, magno hominibus incitamento esse ostenderet, ad divinam veritatem amplexandam.

Cap: X.

De ritibus Ecclesiasticis.

SEd jam tempus est, ut eam Ecclesiæ potestatem, quæ in ritibus constituta est, explicemus. Rituum autem nomine ea omnia ecclesię instituta intelligimus, quæ cum expressè mandata in divinis literis non sint, non tamen vel interdicta, vel interdictis similia sunt, & sic in illis numeranda, quæ a Theologis adiaphora seu indifferentia appellantur. In his igitur Ecclesia suam potestatem ita declarare potest, ut vel antea recepta retineat, vel, si opus fuerit, abroget, vel, si hoc divinæ glorię ratio postulet, alia constituat: hac tamen cautione adhibita, ne unquã ea præcipiat, quæ vel divino verbo repugnent, vel justâ ac legitimâ causâ destituâtur, vel deniq; minimam etiam superstitionis, quæ religioni inimicissima est, speciem habeant, & homines a spirituali Dei cultu ad externum ac ceremonialem abducere possint. Diligentissimè igitur providendum Ecclesiæ est, ut ea vel retineat, vel præscribat instituta, quæ homines pietatis studio incendant, quæ ad veram continentiam ac temperantiam adjumenti aliquid afferant, quæ deniq; ordinis pulchritudinem conservent, & alias res laudabiles perficiant. Neque enim existimandum est, hanc ecclesiæ potestatem infinitam absolutámque esse, ut quæcunque velit, sine ulla ratione constituat: sed intelligendum est, paulò antè memoratis cancellis eam circumscriptam esse, extra quos egredi nefas sit.

Quod quò rectiùs intelligatur, duo hoc in loco consideranda sunt. Primò enim, quot sint rituum istorum genera, videndum. deinde ponderandum est, quid Ecclesia in illis sanciendis maximè spectet. Rituum igitur duo sunt genera: quorum alterum publicum,

cum, alterum domesticum est. Publici rursus vel externis quibusdam symbolis ac ceremoniis continentur, vel certis quibusdam exercitiis, pietati aliqua ratione inservientibus. Quo in loco haud alienum fuerit, tum quomodo primęva illa Apostolorum Ecclesia in utroque rituum genere potestate suâ usa fuerit: tum quo pacto id ab hodierna ecclesia fiat, fieriq́ue possit, perpendere.

Quod igitur ad externa symbola attinet; sic primæva Ecclesia suam exercuit potestatem, ut, verbi causâ, circumcisionem, quamvis jam tunc nihil ponderis habentem, ad quoddam temporis spatium retinuerit, postea autem, Christi veritate invalescente, abrogaverit.

Act: 18. 18. c. 21. 23, 24, 26. Votum quoque illud publicum, quod & Paulus in Iudæorum gratiam fecerat, non statim antiquavit. Constituit insuper Ecclesia illa, Apostolis & cæteris senioribus præeuntibus, ut Gentiles ad Christum conversi, non solùm a turpissimo fornicationis flagitio abstinerent; sed etiam ab idolothytis, a sangvine, & suffocatis sibi temperarent. (c. 15. 28, 29. & c. 21. 25.)

Iam quid de Baptismo dicam? Is enim ritus, cùm jam per Ioannem Baptistam introductus, valdeq́; ad homines, nullâ antea Christi notitiâ collustratos, ipsi initiandos accommodatus esset, retentus ab Apostolis, auctusq́ue fuit, ut suo loco docebimus. (inf: cap: 14.)

Vt porrò de publicis exercitiis, pietati aliqua ratione inservientibus, sermonem instituamus; intelligendum est, ea maximè in fidelium congressibus viguisse: veluti cum certi dies, certiq́ue loci, & precibus, & gratiarum actionibus, & divini verbi auditioni, & eleemosynis, similibusq́ue aliis actionibus destinarentur. Dies enim Dominica jam tum potissimùm ad sacras actiones perficiendas delecta erat. Dicimus autem, non ipsos congressus, qui a divino spiritu præcepti sunt, sed locum & tempus, quo habendi essent, ad ritus & consvetudines, quas constituere possit Ecclesia, pertinere. Adde his ea, quæ ad decorum in iisdem conventibus observandum pertinent. Licet enim quædam ab ipsis Apostolis sint definita: sunt tamen nonnulla, quæ ob varietatem circumstantiarum definiri ac certis perpetuisq́ue præceptis comprehendi nequeunt, quæ Ecclesiæ curæ sunt relicta, utpote cui injunctum, *ut omnia decenter & secundùm ordinem fiant*. Cæteroqui præcepit eo loco Apostolus, id quod ad ordinem in Ecclesia observandum spectat, ut ii, qui peregrinâ lingvâ spiritus divini impulsu loquerentur, eadem sive per seipsos, sive per alios interpretarentur, vel in Ecclesia tacerent. Vaticinandi quoq; munus ita exerceri jubet, ut duo vel tres loquantur, (1 Cor: 14. 40. ib: ℣ 27, 28. ib: ℣ 29, 30.)

cæteri dijudicent;&,si quid alii sedenti patefiat,primus sileat.

Cap: X. De ritibus Ecclesiasticis.

Mulieres autem publicè docere,tum eodem in loco,tum alibi prohibet: propterea quòd illarum officium est viris parere. cujus rei taciturnitas non leve indicium est: quemadmodum contrà publicè loquendi ac docendi facultas, autoritatis cujusdam argumentum continet. Quòd si tamen extraordinario quodam divini spiritus appulsu vaticinarentur,ne id facerent capite nudato,idem Apostolus monuit.

ib: ℣ 34. & 1 Tim: 2. 11, 12.

1 Cor: 11. 5.

Seniores etiam seu episcopi ac pastores,itemque Diaconi tunc manuum impositionis ceremoniâ initiabantur.

1 Tim: 4. 14. 5, 22. Act: 6. 6.

Sepulturæ quoq; honorem majorum consvetudine comprobatum,Ecclesiam illam retinuisse constat. Et hoc quidem pacto Ecclesia illa primæva in ritibus istis suâ usa fuit potestate.

Act: 7. 2.

Sequitur,ut videamus, quomodo hoc faciat hodierna Christi Ecclesia. Animadvertendum igitur est, eam usque adeò omnibus legis Mosaicæ ritibus valedixisse,ut ne illos quidem, quos primæva illa Ecclesia ad tempus retinendos censuit,foveat. Quod ad ritus ab Apostolis aut primæva Ecclesia institutos attinet;baptismum aquæ retinet;quamquam alia ferè eorum,qui hodie baptizantur, alia eorum, quos ab Apostolis aliisque divinis viris olim baptizatos fuisse legimus, sit ratio, ut paulò pòst explicabitur. Retinet præterea ea veteris Ecclesiæ instituta, quæ ad conventuum rationem spectant,iis tantùm exceptis, quæ ob diversitatem munerum divinorum, Ecclesiæ tunc temporis concessorum, ejus erant propria, veluti est lingvarum donum ac vaticinatio,& si quæ fuerunt alia.

Illud quoque sibi concessum esse pro certo habet, ut quoties in septimana ad divini verbi auditionem,ad Dei cultum,ad precum studium, ad psallendum conveniendum sit, statuere, certa jejuniis cœnæque Dominicæ tempora assignare possit. Constituere etiam, vel jam constitutum retinere, ut per verbi divini administrum matrimoniorum copulationes,aliaque hujus generis fiant, similiter in sua habet potestate.

Sed jam videndum est, quid Ecclesia in sanciendis istis ritibus spectet,vel qua nitatur ratione. Intelligendum quippe est,quemadmodum suprà diximus, Ecclesiam certum sibi, ista faciendo, finem propositum habere, nec temerè quicquam tale constituere: ut nimirum vel pietati, vel charitati ac concordiæ, vel morum disciplinæ, vel ordini serviatur. Quæcunque igitur ad hunc scopum assequendum conducunt, ea ab Ecclesia constitui tutò possunt, & tam diu retineri, quàm diu hic eorum finis, hæque rationes vim suam

non amittunt. His enim deficientibus, ipsa Ecclesiæ instituta meritò cessant, & porrò, quin relinquantur, nihil prohibet. Quæ quidem res quò illustriùs pateat, aliquot exempla in medium afferemus. Primum illud Ecclesiæ decretum esto, quo sancitum erat, ut Gentiles ad Christum conversi, a sangvine suffocatoq; abstinerent, ut Judæorum, Mosaica placita mordicùs tenentium, infirmitati quippiam condonaretur, ne videlicet quævis comedendi libertate offenderentur, Christique disciplinam, eam ipsam ob causam desererent. Quod quidem institutum eòusque durabat, dum offensionis cessaret periculum. Hoc verò cessante, ipsum etiam decretum illud ita omnem vim suam amisit, ut Apostolis etiam viventibus neminem obstringere potuerit. Idem planè & de votis illis statuendum est, quorum prætermissio, dum offensionis crearet periculum, culpanda erat: postquam verò eò res deducta fuit, ut nullum metuendum esset scandalum, quid, quæso, causæ fuit, cur ampliùs vigerent?

Act: 15. 28.

Quid verò de aquæ baptismo dicam? Cum enim is ideò adhibitus olim fuerit, ut symbolum quoddam publicum extaret, quo illi, qui in religione Christiana educati minimè fuerant, sed vel ex Judæis, vel Ethnicis, rerum divinarum ignaris, oriundi erant, in Christianum populum asscriberentur; evenit, ut tam diu baptismus ille valuerit, dum quidem tales homines Christi disciplinam amplecterentur. Postquam verò isti quodammodo defecerunt, & hodie illi ferè tantùm Christi nomen profitentur, qui in Christi institutis sunt enutriti; quis non videt, Ecclesiam, nisi aliud spectet, baptismi istius ceremoniam intermittere, vel certè neminem, qui in Christiana religione a pueris sit institutus, ad illius religionem compellere jurè posse? præsertim cum, qui olim in eodem fuerunt statu, eos nec ab Apostolis baptizatos fuisse demonstrari possit.

Ex iis, quæ diximus, hoc insuper colligitur, ea Ecclesiæ instituta, quorum causæ perpetuæ sunt, nunquam (dum quidem Ecclesia in terris durabit) cessare debere. Quo fit, ut, cum publici conventus, publicæ preces, gratiarum actiones, hymni, divini verbi auditio, aliaque his similia, nunquam in Ecclesia deficere debeant, nec ritus illi, sine quibus ista convenienter perfici nequeunt, tollendi sint. Quod idem & de die Dominico potiùs, quàm Sabbato celebrando, censemus: quippe cum Dominicus dies, jam Apostolorum ætate, ad divini cultus exercitia delectus ea fortassis de causa fuerit, ut perpetua Christi resurrectionis, quæ eodem die facta est, memoria extaret, quam ob causam & dies Dominicus appellatus videtur: de quo suprà quartum decalogi præceptum explicantes plura diximus.

lib: 4. c. 12.

Cap: X. De ritibus Ecclesiasticis.

mus. Huc & matrimonii publica copulatio pertinere videtur, quam tametsi Ecclesiæ doctoris operâ vel factam esse, vel fieri debere, nusquam scriptum legitur: cum tamen nec ulli divino præcepto repugnet, nec falsum Dei cultum inducat, nec quemquam offendat, quin potiùs longo usu confirmata, ab omnibusque recepta sit, & insuper aliquid autoritatis actioni isti apponere, atque ut tanto sanctiùs & ineatur, & servetur matrimonii fœdus, efficere possit, perpetuò retinendam existimamus.

Nec solùm in ritibus vel retinendis, vel constituendis, sed etiam abrogandis, vitandisque eadem ratio sequenda est. Si enim causa fuerit probabilis, quædam perpetuò ex Ecclesia exterminandi, id faciendum censemus. Sic gladiorum aliorumque armorum gestatio, cùm ad res sacras, ipsamque adeò Domini mensam acceditur, quia & indecora est, & inutilis, & a Christiana modestia patientiæq; professione aliena; ideò Ecclesiæ autoritate expelli potest, atque adeò debet. Non probanda etiam videntur jejunia die Dominico, contra universæ antiquitatis consvetudinem, atque adeò non sine scandalo aliorum, instituta; licèt cęteroqui jejunia & laudabilia sint, & ad multas virtutes conducibilia, & denique ad opem divinam implorandam accommodata.

Satis jam de publicis Ecclesiæ ritibus diximus. Quamobrem ad domesticos tandem veniendum nobis est. Ecclesiæ igitur ea videtur esse autoritas, ut in fidelium domibus pietatis exercitia instituere possit, edicendo nimirum, ut singulæ familiæ singulas quodammodò Ecclesias repræsentent, & conjunctis precibus, & mutuis cohortationibus, & sanctis colloquiis, & eorum, quæ publicè explicantur, repetitionibus dent operam, & sic illas sanctissimorum hominum familias imitentur, quas Apostoli ob fidei conjunctionem, pietatisque exercitia modò enumerata, non dubitârunt Ecclesiarum nomine cohonestare. Quamquam ista omnia per se pro Christi pręceptis meritò sunt habenda, sed quorum modum ac rationem quandam Ecclesia præscribere possit; nisi fortè ii ipsi, qui familias regunt, aut eas constituunt, eo sint judicio ac prudentiâ præditi, ut per se illa satis commodè constituere possint.

Rom: 16 5. 1 Cor: 16. 19. Philem: ỳ 2.

Atque hæc ferè sunt, quæ de Ecclesiæ ritibus dicere habuimus: ideoque jam ad alia Ecclesiæ instituta pergere possemus, nisi priùs ea dimovenda esset suspicio, quâ colligere quispiam posset, nos traditionum Pontificiarum errorem rursus in Ecclesiam invehere. Intelligendum igitur est, plurimum inter hæc veræ Ecclesiæ instituta, illasque Pontificiorum nugas interesse: cum, ut suprà diximus, vera

Christi Ecclesia nequaquam ea præcipiat, quæ vel divino verbo repugnent, vel causa probabili ac legitima careant, aut fine destituantur cum cœlesti veritate conjuncto; vel minimam etiam contineant superstitionem. Hujusmodi autem Pontificiorum traditiones esse, quæ quidem ab iis verè profectæ sunt, imaginum, sanctorum demortuorum, reliquiarum cultus, infinitæque aliæ superstitiones, abundè docent.

Cap: XI.

De Ecclesiæ potestate in Personas.

SEquitur, ut de ea Ecclesiæ potestate dicamus, quam in personis earumque factis declarare potest. Ac personæ quidem duplices sunt, publicæ nimirum, & privatæ. Publicæ sunt, quæ publico alicui muneri in Ecclesia (hujus enim solius in ista personarum distinctione habita fuit a nobis ratio) præponuntur: veluti sunt Pastores, ac Seniores, qui illis in Ecclesia adjungi solent, denique Diaconi. Quorum quidem eam Ecclesia potestatem habet, ut illos secundùm normam ab Apostolis præscriptam ex omni fidelium numero deligere, & in memoratis officiis constituere possit. Quod quò rectiùs intelligatur, tum normam istam intuebimur, tum ipsam personarum istarum ordinationem considerabimus. Ac norma quidem apud Paulum diversis in locis tradita invenitur. Quod enim ad Pastores sive Episcopos attinet; eam potissimùm regulam in illis constituendis Ecclesia ex Pauli præscripto sequi debet, ut diligentissimè dispiciat virum, qui ad explicandam Christi disciplinam sit aptus; qui virtute, morum gravitate ac sanctitate sit conspicuus; qui bonos unicè amet, qui justitiam rigidè observet; qui sobrius sit & temperans, ac porrò a comessationibus, a vinolentiaque omni longè absit; qui vigilans, qui modestus, qui ab amore sui, a pertinacia, ab iracundia, a rixis sit alienus, minimeq; plagosus; qui a sermonis vanitate, a jocis, a levitate abstineat; qui sua sorte contentus, non inhiet opibus, pecuniæq; sordidis artibus corradendæ nequaquam det operam; qui unam uxorem habeat, continentiam colat, a vagáque libidine sese purum integrumque conservet; qui uxorem, liberos, familiamque suam ita gubernet, ut appareat, eum etiam ad Ecclesiam Dei procurandam appositum esse.

1 Tim: 3. 2. & d. Tit: 1. 6. & d.

Sequitur, ut de illis senioribus dicamus, qui Pastoribus Ecclesiarum adjungi solent. Intelligendum igitur est, Seniorum vocabulum duplicem apud divinos autores significationem habere. Interdum enim omnes generatim, qui quacunque ratione Ecclesiis præ-

sunt,

sunt, designat. Quo pacto & Petrus Apostolus senioris nomine, tum seipsum, tum alios appellavit. Interdum verò singulare quoddam, ab aliisque distinctum munus Ecclesiæ declarat, & quidem, si rectè attendas, illud ipsum, quod aliàs Pastorum ac Episcoporum nomine complectuntur sacræ literæ. Quia verò Episcopi soli non semper universam illam procurationis Ecclesiasticæ molem sustinere possunt, ideò illis quidam adjunguntur veluti adjutores ac consiliarii, qui aliquam oneris illius partem in se recipiant, quique propterea seniores non immeritò appellantur. Muneris ergo hujus ea est ratio, ut, qui in eo sunt constituti, unà cum pastoribus & episcopis omnium mores inspiciant, & Ecclesiæ causas dijudicent; ac porrò tanquam divinus quidam senatus, lites, dissensiones atque controversias, quæ inter fratres esse solent, dirimant. Hinc colligitur, nonnisi illis hanc personam imponendam esse, qui singulari quadam vitæ sanctimonia, eximiâ prudentiâ, magno rerum usu, ardentique in fratres charitate præditi sint. 1 Pet: 5. 1.

Iam ut de Diaconis dicamus, ii, ut muneri isti rectè præficiantur, ex Pauli doctrina, unius uxoris mariti esse, liberisque ac propriis familiis rectè præesse debent; gravitatis quoque ac honestatis studiosissimos eos esse convenit. Cum enim eorum sit partium, publicâ pecuniâ, Ecclesiæ pauperumque necessitatibus consulere; ita se gerant necesse est, ut nemini in fraudis suspicionem venire possint; quam quidem homines leves & inconstantes, quique de honestate parùm laborare videntur, vix aut ne vix quidem effugere possunt. Qua de causa nec bilingves esse debent, ut nimirum modò ajant, modò negent quippiam: cum hoc furum esse videatur, quos lingvam volubilem, & ad quævis proferenda exercitatam habere oportet. Et ut longiùs etiam ab omni infidelitatis suspicione absint, & interim reliquis clarissimum veræ pietatis lumen præferant, a vinolentia, avaritia, sordidaque victus quærendi ratione eos abstinere necesse est. Fidei quoque arcanum, ut idem Paulus præcipit, teneant in conscientia pura, id est, mentem gerant salutari veritate collustratam, conscientiamque habeant nullo scelere pollutam ac contaminatam, itaque vitam instituant, ut semper eos Dei metum sibi injectum habere, omnibus clarissimè pateat. Atque hi priùs probentur, deinde ministrent inculpati. Vxores habeant graves, non calumniatrices, sobrias, in omnibus fideles, ut nimirum nec religione pietatisque studio a maritis dissentiant, nec eos ad avaritiam stimulent, nec a liberalitatis officio avocent, nec denique ulla re munus illorum deforment: quod idem de Pastorum quoque

1 Tim: 3. 2, & 8.

1 Tim: 3. 11.

seu epi-

seu episcoporum ac doctorum uxoribus intelligendum est.

His annumerari possunt & Diaconissæ, veluti sunt viduæ vitæ sanctimoniâ conspicuæ. Quarum partes sunt, pauperibus atque ægrotis nomine totius Ecclesiæ inservire, peregrinis atque in exilium pulsis humanitatis officia præstare. Qualem illam Phœben fuisse Paulus testificatur. Vnde efficitur, nonnisi illas fœminas, & ætate quidem provectas, huic officio præficiendas esse, quæ graves, quæ constantes, quæ modestæ, quæ honestatis magistræ sint, non calumniatrices, non vinolentæ, non mundano more, sed modo Christianam sanctimoniam decente sese vestientes; quæ actionum egregiarum testimonium habeant; quæ liberos honestè educaverint, hospitalitatem exercuerint, sanctorum pedes laverint, afflictis subvenerint, & in omnium virtutum studio versatæ semper fuerint.

Rom: 16. 1. Tit: 2. 3, & d. 1 Tim: 5. 9.

Cap: XII.
De missione Ecclesiæ Doctorum.

VErùm hanc Ecclesiæ potestatem Pontificii non usquequaque agnoscunt: quippe qui vetustâ illâ doctores ac pastores deligendi consvetudine minimè contenti, jam illorum requirunt singularem aliquam missionem, jam continuam & minimè interruptam, eamque personalem pastorum successionem postulant. Primò igitur, quod ad missionem attinet, idcirco eam ad creandum verbi divini ministrum necessariam esse asserunt, quòd apud Hieremiam sic scriptum legatur: *Non misi Prophetas, & tamen currebant.* Hæc autem quanta inter se dissimilitudine dissideant, hinc perspicitur, quòd illi, qui cucurrisse dicuntur non missi, pro Prophetis se gesserant, ac missionem sibi arrogaverant, resque novas divino populo exponendi provinciam sibi divinitus datam esse gloriati fuerant. Quare etiam, sibi tanquam Dei legatis, fidem omnibus in rebus simpliciter adhiberi postulaverant. Veri autem hodiernæ Christi Ecclesiæ pastores, Prophetas se non esse apertè profitentur, nec de legatione singulari sese jactant, nec sibi novæ rei explicationem assumunt (hoc enim ad solos Apostolos ac Prophetas hac ultima mundi ætate pertinuisse probè nôrunt) sed quæ Apostoli, hoc est, Dei ac Christi legati, aliique divini viri promulgârunt, ac variis modis confirmârunt, & ipsi studiosè legunt, & aliis inculcant, atque ut illa tum ipsi intelligere, tum reliquis aperire possint, magnopere curant: nec interim tantum sibi tribuunt, ut sese in Prophetarum Apostolorumque scriptis enodandis errare minimè posse dicant:

Ier: 23. 21.

se dicant: sed dicta sua ab omnibus examinari, ac tum demum fidem iis adjungi postulant, ubi ea cum sacrarum literarum verbis consentire deprehensa fuerint: ut facilè appareat, quantum inter hos illosque, quos Hieremias memorat, intersit, & porrò quàm ineptè hæc illius verba ad istam ministrorum seu doctorum Ecclesiæ missionem constituendam adducta fuerint.

Vnde perspicuũ est, nec illa Pauli verba huic adversariorum opinioni quicquam afferre præsidii: *quomodo prædicabunt*, inquit, *si non sunt missi?* Hîc enim de iis oratio habetur, qui primi Ecclesię disciplinam, & ideò rem novam hominum generi tradere debuerunt, itaq; eam confirmare, ut in ipsorum dictis unusquisq; acquiescere, & posset, & deberet. Id quod facere neutiquã potuissent, nisi negotii istius causâ legati fuissent. Atqui ministri hodiernæ Christi Ecclesiæ, nec primos se divinæ gratiæ præcones faciunt, aut de rei novæ prædicatione gloriantur, nec, ut diximus, auctoritatem sibi ejusmodi assumunt, ut in suis dictis, nisi divinorum virorum autoritate, vel saltem alia certa ratione fulciantur, quemquam velint acquiescere: sed Ecclesiastica ordinatione, quam ipsi Apostoli introduxerunt, contenti, satis sese ritè in officio suo versari persvasum habent, si, quantum in ipsis est, populo Christiano ad Apostolorum disciplinam tum pernoscendam, tum vitâ moribusque exprimendam sint adjumento. Quæ ordinatio tametsi laudabilis est, omninoque in Ecclesia, dum quidem statum florentem retinet, servanda: si tamen eveniat, ut violentiâ persecutionum Ecclesia dissipetur, aut quacunq; alia de causa ordinatio ista haberi non possit; nihil vetat, quominus qui alios ad cœlestem veritatem pietatisque studium erudire possunt, ii, citra omnem ejusmodi ordinationem, solo divinæ gloriæ studio, salutisq; proximorum amore incensi, divinam disciplinam apud homines proponant. Nam & illi post Stephani mortem dispersi, de quibus Lucas commemorat, a nemine ordinati fuerant: doctrinam tamen Christi ultrò citróque eos publicâsse, manumq; Domini illis adfuisse, idem Lucas testificatur: tantum abest, ut ad Evangelicam disciplinam aliis proponendam, singularis quædam missio requiratur.

Rom: 10. 15.

Act: 8: 4.

Cap: XIII.

De successione Pastorum.

SEd ut tandem de personali Pastorum successione videamus, quam isti urgent, ut eos veros Ecclesiæ pastores esse negent, qui eâ destituuntur; animadvertendum est, Apostolos in creandis Ecclesiæ

clesię pastoribus, nullā ejusmodi successionē, nec ipsos spectâsse, nec ab aliis spectari voluisse. Satis quippe habuerunt, eos illa, omnia possidere, quæ in pastore esse oportere suprà docuimus. Quòd si successio perinde, ut ista, ad pastorem Ecclesiæ constituendum requiritur, quî fit, ut in muneris istius descriptione, quæ sat fusè apud Paulum duobus in locis explicata est, nullum de ea præceptum, nullam literam extare videamus? ut facilè appareat, commentum istud ab aliis demùm ideo inventum fuisse, ut Ecclesiam suam in maxima ponerent autoritate, &, quod consequens est, placita sua tantò faciliùs aliis venditare atq; obtrudere possent. Verùm nequaquam hoc illis stratagema, apud cordatos homines ex sententia succedit, quippe qui vel successionem pastoratûs necessariam esse negent, vel saltem non personarum, sed doctrinæ eam esse debere statuant, nec, ut ea continua, & ab Apostolorum temporibus minimè interrupta fuerit, ullo modo requiri asserunt. Quo fit, ut nisi Pontificii suos Episcopos in doctrinæ puritate Apostolis successisse demonstrent, nihil agant, si vel centies personarum fundique successionem inculcent. Neque enim existimandum est, doctrinalem, ut sic dixerim, successionem cum personali tam arcto vinculo conjunctam esse, ut hæc absque illa consistere nequeat. Nihil enim vetat, quominùs durante personali successione, fiat mutatio doctrinæ. Annon res ipsa docet, ipsique Pontificii contendunt, Ecclesiis innumeris, quas vel ipsi Apostoli, aliique divini viri fundârunt, vel viri Apostolici rexerunt, postmodum præfuisse hæreticos, aut adhuc præesse? Num ergo illis quicquam personalis successio prodest, aut profuit? Nequaquam. Personalis enim successio doctrinalis successionis expers, non magis veros Ecclesiæ Pastores constituit, quàm carnalis illa Israëlitarum ex ipso Abrahamo ducta series Iudaicam sectam verum Dei populum efficit; quamvis alioqui Iudæorum successio multò, quàm Pontificia, sit certior ac firmior. Vt tamen non is in Abrahami filiis habetur, qui carnali ratione eo prognatus est, sed qui ejus persequitur vestigia: ita multò minùs Apostolorum successores illi sunt numerandi, qui nec carnali, nec spirituali ratione ex illis sunt nati, quamvis in Apostolorum sedibus se collocatos esse glorientur. Et quemadmodum illi demùm veri Abrahami filii sunt, qui, licèt carnalem ex illo successionem non habent, fidem tamen ipsius imitantur: ita & ii pastores, qui Apostolorum doctrinam sequuntur, veri sunt Ecclesiæ pastores, licèt personaliter in eorum locum non successerint. Nam ut illic in constituendis Abrahæ filiis non carnalis successionis habetur ratio, sed fidei operumq; A-

brahamis

1 Tim: 3. 2, & d. Tit: 1. 5, & d.

Ioh: 8, 39, 40. Rom: 9. 7, 8.

Rom: 4. 11, & d. 9. 8. Gal: 3. 29: 4. 82, & d. ℣ 29.

brahami: ita hic in pastoribus ordinandis, nec unquam a divinis viris habita fuit, nec ut habeatur opus est, ratio personalis successionis, sed doctrinæ ac morum. Qua de re infrà suo loco plura dicenda nobis erunt.

Cap: XIV. De aquę baptismo ab Apostolis usurpato.

infr cap: 17.

Cap: XIV.

De aquæ Baptismo ab Apostolis usurpato.

SEquitur, ut de privatis personis dicamus, idque ita, ut duplicem earum potestatem Ecclesiæ tributam esse statuamus: quarum altera in illis ad fidelium numerum recipiendis: altera in officio retinendis constituta est. Vt igitur de recipiendi potestate primùm dicamus, perpendendum est, tum quousque sese ea porrigat, tum quo pacto declarari possit. Intelligendum igitur est, Ecclesiam ex ea parte homines recipiendi potestatem habere, quatenus illi Christum fide sese complecti, ejusque disciplinam, tum approbare, tum consectari velle testantur. Aliter enim nec Christi corporis membrum quispiam esse, nec ejusdem discipulus dici potest. Qua de causa a primæva illa Ecclesia, ab ipsisque adeò Apostolis eorumque sociis, neminem in Christianos relatum esse videmus, nisi qui Iesum esse Christum confiteretur. Quæ res cum adeò sit in promptu, ut disputatione minimè indigeat; videndum jam est, qua ratione quóve pacto Ecclesia hanc suam autoritatem & exercuerit olim, & hodie exercere possit. Constat igitur, Ecclesiam post Christi exaltationem, Spiritusq; sancti missionem, collectam constitutamque fuisse, idque primùm ex Iudæis solis, deinde ex omni natione omnique hominum genere. Postquam enim Christus a mortuis resurrexerat, jámque in cœlum ascensurus Apostolis imperaverat, ut omnes gentes, nimirum tam Iudæos, quàm Ethnicos, sibi discipulos facerent, seu, ut clariùs apud Lucam explicatiusque dicitur, in ejus nomine vitæ correctionem, & peccatorum veniam per omnes gentes prædicarent, facto ab Hierosolymis initio; evenit, ut Apostoli, virique alii divini, omnes in fidelium numerum ascriberent, quicunque Christi nomen profiterentur, eique adjungi cuperent, idque ferè per aquæ baptismi in Christi nomine administrati ritum atque religionem. Quam quidem rem ut penitùs perspiciamus, tria potissimùm hoc loco ponderanda nobis sunt: nempe tum quid sit baptismus iste, tum quam ob causam per illius ritum tunc homines inter Christi, ut ita dicam, cives ascripti fuerint, tum deniq;, an omni, ac porrò etiam hac ætate, Ecclesia, omnesq;, qui ad eam sese aggregare cupiunt, illius religione obstringantur.

Mat: 28. 19.
Luc: 24. 47.

Primò

Cap. XIV. De aquæ baptismo ab Apostolis usurpato.

Primò igitur, baptismus in Christi nomen administratus nihil aliud est, quàm publicum Christianæ professionis symbolum, quo per intinctionem in aquam homines illius religioni initiabantur. Hoc enim ritu illi, qui ad Christi Ecclesiam se conferebant, apertè testificabantur, se & religionibus, & moribus pessimis, in quibus olim versati fuerant, relictis valereque jussis, Christo, ut Domino ducique suo, sese adjungere, ejusque disciplinam amplecti, & illâ vitam moresq; componere velle. Quod ut ita esse comperiamus, audiamus sanè, quid Paulus hac de re dicat: *An nescitis*, inquit, *quòd, quicunque baptizati sumus, in mortem illius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Quibus verbis Apostolus Romanis ipsorum professionem in memoriam revocat, quâ per aquæ baptismum testificati fuerant, se ita Christo sese adjungere, ut quemadmodum ille mortuus sepultusque erat; ita & ipsi peccatis quasi mortui sepultiq;, nihil ampliùs cum eis conjunctum habeant. Hanc autem verbis illis sententiam contineri inde constat, quòd Apostolus in toto illo capite nihil aliud agit, quàm Romanos admonet, ne unquam sibi peccatis operam dare liberum esse putent: quippe cum hoc & ab illorum professione paulò antè memorata, & ab illo vitæ statu, in quo per Christum collocati erant, planè abhorreat. Hinc colligitur, toto cœlo illos errare, qui locum istum sic interpretantur, quasi Paulus asserat, istos ad quos scribit, revera jam peccatis mortuos fuisse. Si enim ita res haberet, quid, quæso, istis admonitionibus opus fuisset? Similiter judicandum est de illis ejusdem Apostoli ad Galatas verbis: *Quotquot*, inquit, *in Christum baptizati estis, Christum induistis.* Neq; enim significare vult Apostolus, eos re ac facto ipso Christum in baptismo induisse. Cur enim alibi eos, qui jam pridem baptizati fuerant, Christum induere jubet? cur ipsos Galatas, aliis licèt verbis, ad eandem tamen rem tam fusè, tamque diligenter infrà hortatur? Sed id sibi vult, eos tunc, cùm religioni Christianæ initiarentur, & quæ sua in posterum futura esset conditio, quis status, externa ratione adumbrarent, professos fuisse, se Christum induere velle, vitamque ad ipsius tum doctrinam, tum exemplum instituere, utpote qui etiam præmii ratione ipsi futuri essent similes.

Rom: 6. 3.
Gal: 3. 27.
Rom: 13. 14. Gal: 5. & 6. capp.

Videamus nunc, quam ob causam ritûs istius religione homines in Ecclesiam recepti fuerint. Dico igitur, hoc ab Apostolis idcirco factum fuisse, quòd populi illius, apud quem vitam degebant, munerisque sui officium aggrediebantur, maximam rationem habendam

bendam

Cap: XIV. De aquę baptiſmo ab Apoſtolis uſurpato.

bendam duxerunt. Cum enim populus ille ceremoniis valdè delectaretur, utpote in illis quaſi enutritus & educatus; cumque baptiſmi ceremonia a magni nominis magnæque autoritatis viro, nempe Ioanne Baptiſta, jam antea introducta, magnoque applauſu ab omnibus recepta, & inſuper ad adumbrandum Chriſtianorum hominum officium ac ſtatum accommodatiſſima eſſet; conſentaneum planè fuit, ut eam ad homines Chriſti nomen profitentes, in diſcipulorum illius numero palàm ponendos adhiberent; quia præſertim hoc Chriſto ipſi contrarium nequaquam eſſe, probè ſciebant. Hîc verò multi præjudicata quadam opinione ducti, nimis tenue eſſe aſſerunt, Apoſtolos non mandato aliquo, ſed tantùm rationibus paulò antè memoratis impulſos, aquâ baptizaſſe. Itaque duo potiſſimùm ſanctarum literarum teſtimonia in medium afferunt, quæ, ut ipſis placet, apertiſſima hac de re præcepta contineant: quorum primum apud Matthæum extat, ubi Chriſtus hunc in modum loquitur: *Euntes docete (*vel potiùs *diſcipulos facite) omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus S., docẽtes eos ſervare omnia, quæ præcepi vobis: & ecce ero vobiſcũ perpetuò usq; ad conſummationem ſeculi.* Atqui hîc pro re conceſſa ſumitur id, de quo maximè ambigitur, nimirum Chriſtum hæc verba de aquæ baptiſmo propriè facere. Cum enim baptiſmi vocabulum variè a divinis autoribus uſurpetur, & non ſolùm aquæ baptiſmum ſignificet, ſed etiam, (ut alias ſignificationes nunc prætercam) pro initiatione ſeu initiandi ratione ſimpliciter uſurpetur; quis non videt, vehementer illum errare, qui, quoties in baptiſmi baptizandíve vocabulum legendo incidit, protinus de baptiſmo aquæ orationem omnino haberi exiſtimat? Et quidem hæc Chriſti verba de aquæ baptiſmo revera non fieri, duabus potiſſimùm rationibus demonſtratur. Matt: 28. 19. Act: 19. 3. 1 Cor: 10. 2.

Prima eſt, quòd formam baptizandi hîc a Chriſto expreſſam, aliquando ab Apoſtolis uſurpatam fuiſſe nequaquam cernimus. Neque enim unquam in Patris, Filii, ſpiritûsque ſancti nomen, ſed tantùm in nomen Chriſti aquâ baptizârunt. Ex quo fit, ut niſi Apoſtolos Domino magiſtroque ſuo minimè paruiſſe volumus, fatendum ſit, Chriſtum hoc in loco de aquæ baptiſmo non loqui. Hîc autem dicent, ſatis Apoſtolos in nomen Patris, Filii, & Spiritûs ſancti baptizâſſe, baptizando in nomen Chriſti: cum Chriſti vocabulum & ungentem, & unctum, & ungventum contineat. Atqui primùm non ubique ipſum *Chriſti* vocabulum expreſſum eſt; imò, cùm vox *nominis* adjungitur, ſemel tantùm. Alibi enim legimus, homines baptizatos fuiſſe *in nomen Domini Ieſu*, aut ſimpliciter, *in nomen Domini.* Act 7. 38: 8. 16. 10. 48: 18. 5. Rom: 6. 3. Gal. 3. 27. d l. Act: 8 16. 18. 5: 10. 48.

Cap: XIV. De aquæ baptismo ab Apostolis usurpato.

mini. Deinde *in nomen Christi* baptizare, non est, in vocabulum aut appellationem Christi, sed in ipsum Christum baptizare: quo pacto invocare Dei aut Christi nomen, est ipsum Deum ac Christum invocare. Cujus rei illud etiam argumentum est, quòd loco ejus, quod in Actis legitur, homines *in Domini* aut *Christi nomen* baptizatos fuisse, alibi simpliciter dicitur, homines *in Christum* fuisse baptizatos. Adde quòd, si maximè vocabuli haberetur ratio, aliud est, inter baptizandum, Patrem Spiritumque sanctum aliqua ratione commemorare: aliud in eorum nomen baptizare. Ad extremum, si ad hoc Christi mandatum exequendum satis foret Christi nomen pronunciare, nequaquam addidisset ipse & Patrem & Spiritum sanctum.

4. 1. Rom: 6. 3. Gal: 3. 27.

Altera ratio hujusmodi est: Si hoc Christi mandatum aquæ baptismum præscriberet; consequens foret, Apostolos non minùs ad baptizandum, quàm ad Evangelizandum missos fuisse. Atqui secùs sese rem habere, Paulus luculentissimè testificatur, non ad baptizandum, sed ad Evangelizandum sese legatum esse asserens; cum tamen idem illius, quod cæterorum Apostolorum, munus esset. Nec est, cur eum vel non principaliter, sed minùs principaliter, vel non per se, verùm per alium baptizare jussum fuisse arbitremur: cum nec effugiorum istorum ullum in Pauli verbis appareat vestigium, qui disertissimè dicit, se ad baptizandum missum non esse; nec ea cum Pauli mente ulla ratione conveniant. Paulus quippe ea mente sic loquitur, ut suspicionem, quam de ipso Corinthii habere poterant, quasi nimirum in suum nomen baptizasset, dimoveret tolleretque. Inquit enim: *Ago Deo gratias, quòd neminem vestrûm baptizaverim, nisi Crispum & Cajum, ne quis dicat, me in nomen meum baptizâsse.* quod tamen non ita intelligendum est, quasi Paulus verbis illis, *ne quis dicat*, causam afferre voluerit, cur tam paucos baptizâsset: sed potiùs ut eventum rem istam consecutum exprimeret, perinde ac si dixisset: Ego quidem nunquam putâssem fore, ut quisquam vestrûm sese a me denominaret, seu meum sese esse diceret, & ideò de hoc periculo præcavendo ne cogitavi quidem: sed Deus pro sua sapientia mirabilem in modum mihi adfuit, cui rei istius nomine gratias ago, quòd, cum contingere facilè potuerit, ut vestrûm multi a me baptizarentur; paucissimi tamen baptizati fuerint; adeò ut vix quispiam reperiri possit, qui in meum nomen sese baptizatum esse suspicari possit. Cum hac, inquam, Pauli sententia effugia illa nequaquam conveniunt. Sive enim principali, sive minùs principali modo; sive per se, sive per a-

1 Cor: 1. 17.

Cap: XIV. De aque baptismo ab Apostolis usurpato.

lium, baptismum aquæ Paulus administraverit, hanc suspicionem nequaquam effugere potuit. Tam enim is baptizat, ac porrò ei suspicioni occasionem præbere potest, qui ut principaliter, quàm qui ut minùs principaliter hoc faceret, legatus est. Quod idem & de illo dicimus, cui, ut sive per se, sive per alium baptizet, mandatur: cum verissimũ sit tritum illud vetustate dictum: Qui per alium facit, per seipsum facere videtur; ne dicam, magis eum videri in suum nomen baptizare, qui suo veluti loco ac nomine alium, ut baptizet, substituit. Reliquum igitur est, Paulum nullo pacto ad baptizandum fuisse missum; similiterque de reliquis Apostolis existimandum esse. Neque enim consentaneum videtur, Christum tanto Apostolo suo, totque nationes veritatis lumine illustraturo, rem tantam, atque ad remissionem peccatorum ac salutem sempiternam consequendam, ut multis videtur, adeò necessariam, minimè præcepturum fuisse, aut aliud huic, aliud aliis, eadem de re mandatum dedisse. Imò cum, si quisquam Apostolorum, Paulus certè is fuerit, per quem omnes gentes ad disciplinam Christi adduci debuerunt; totum id, quod hoc Matthæi loco Apostolis pręcipitur, ad Paulum inprimis pertinere statuendum est. Consequens igitur est, Christum apud Matthæum non de aquæ baptismo revera præcipere, sed de re ejusmodi, quæ docendo, doctrinamque confirmando peragatur. Id quod planissimum fiet, si totum illum locum diligentiùs paulò excusserimus. Ejus igitur summa in hoc constituta est, quòd Dominus Iesus hoc Apostolis suis dat negotium, ut ex omnibus nationibus discipulos ipsi faciant. Hoc enim verbo μαθητεύσατε luculentissimè declaratur; quippe cujus primitivum, nimirum μαθητὴς, discipulum significet. Quod verbum alibi etiam ab Erasmo, Castellione, Beza, *discipulum facere* redditum est; alibi, ubi neutraliter, ut Grammatici loquuntur, ponitur, *discipulum esse* significat. Vt porrò, quo pacto discipuli faciendi sint, intelligant, duobus ad eam rem opus esse docet: quorum alterum divina continet mysteria, quibus hominum mentes ad Patris, Filii, Spiritûsque sancti notitiam instituuntur, illisque quasi consecrantur atque initiantur: alterum verò ad voluntatis humanæ reformationem spectat, quâ fit, ut Christi imperium exequamur, ad quod posterius pertinet illud, quod statim subjungit Dominus: *docentes eos servare omnia, quæ præcepi vobis.* Act: 14. 21. Mat: 27. 57.

Alterum de aquæ baptismo mandatum, ex illis Christi verbis, quæ apud Marcum extant, elicere conantur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Hîc Mar: 16. 16.

Cap: XIV. De aquę baptismo ab Apostolis usurpato.

rursus de aquæ baptismo verba revera non fieri fatendum est, nisi in hanc sententiam Christum loqui volumus: qui salutem sempiternam consequi cupit, is non solùm credat, sed aquâ etiam baptizetur necesse est; ita scilicet, ut non minùs aquæ baptismus, quàm fides ad sempiternæ felicitatis adeptionem requiratur. Atqui hanc sententiam falsam absurdamque esse, tum res ipsa, tum divinus spiritus clarissimè testificatur. Nam quod ad rem ipsam attinet; si baptismus aquæ ad salutem omnino esset necessarius, de omnium illorum salute, quibuscum hîc vel inprimis disputamus, actum esset. Neque enim ea, quam illi baptismum vocant, guttularum aliquot aquæ aspersio baptismus est, sive vocis vim, sive usum Ioannis Baptistæ, & Apostolorum, primævæque Ecclesiæ spectes. Baptismus enim intinctio in aquam, & ablutio est: ut nôrunt omnes, qui vel primis labris Græcam lingvam degustârunt. Hinc ablutiones Pharisæorum baptismi appellantur apud Marcum. hinc Christus a Ioanne baptizandus in fluvium Iordanem descendit: uti & Philippus cum Eunucho: & de Ioanne legimus, eum Ænone propè Salem baptizâsse, quia multum ibi aquæ fuerit. At quorsum illa aquæ copia, si aliquot guttarum aspersio baptismus est? Adde, quòd Paulus locis superiùs a nobis adductis apertè indicat, baptismum tum sepulturam, tum contrariam ei resurrectionem adumbrare. Quòd si aspersione tantùm absolvitur baptismus, quæ sepulturæ, quæ resurrectionis umbra? At si homines in aquam immergantur, & porrò inde denuo emergant; illa quidem re sepulturam, hac verò resurrectionem adumbrant. Quid quòd, dum ad infantes baptismum transtulerunt, id, quod in baptismo Apostolico præcipuum est, &, ut in Scholis loqvuntur, formam ejus constituit, sustulerunt. Id verò est, quòd ii, qui baptizantur, externo hoc ritu testentur, se sordes peccatorum abluere, & puritatem vitæ sectari in posterum velle; se Christum velle induere, & peccato in posterum mori, ad novitatem autem vitæ, spe gloriosę illius resurrectionis, resurgere. Quare si baptismus aquæ ab Apostolis administratus ad salutem est necessarius, actum est de eorum, cum quibus præcipuè hîc nobis res est, salute.

Mar: 7. 48. Ioh: 3 23. Rom: 3, 4. Col: 2, 12.

1 Pet: 3 21. Sed præterea apertissimè Petrus Apostolus, aquę baptismo vim servandi derogat, spiritualique baptismo eam tribuit. Postquam enim baptismum nos servare asseruisset, statim subjunxit, se nequaquam de corporis sordium ablutione, quæ aqua hac elementari perficitur, sed de eo baptismo sermonem instituisse, qui bonæ conscientiæ interrogatio est, per Iesu Christi resurrectionem, id est, qui

ejusmodi

Cap. XIV. De aquę baptismo ab Apostolis usurpato.

ejusmodi mentis voluntatisque continet reformationem, (utpote ex Christi, tum resurrectione, tum hanc consecutâ gloriâ potentiâque profluentem) quæ coram Deo constare possit, quæque tantam conscientiæ fiduciam largiatur, ut audeat a Deo salutem sempiternam stipulari, ac ex promisso ipsius postulare.

Absurdam quoque sententiam istam esse inde perspicitur, quòd homini alioqui firmissima fide Christum complectenti, ipsiusque verbo audientissimo, sempiternam salutem eam tantùm ob causam denegat, quòd aquâ baptizatus non sit, idque vel quia ejus rei copiam potestatemque nullam habuerit, vel quia sese ceremoniâ istâ obligatum esse minimè putet. Quòd enim multi hæc Christi verba ad illos tantùm spectare volunt, qui aquæ baptismi copiam habere possunt; id hanc ipsam ob causam errore implicatum censeri debet, quòd interpretationis istius ne tenuissimum quidem in his Christi verbis vestigium apparet, simplicique orationis genere, tam baptismus, quàm fides ad salutem requiritur. Cum porrò Christus hoc in loco sine dubio de iis rebus sermonem instituerit, quæ ad sempiternæ felicitatis adeptionem necessariæ sunt, easque ut ipsa verborum complexio convincit, ex Evangelii disciplina hauriendas esse doceat; consequens est, fidei eam rem hîc adjunctam esse, in quam baptismi appellatio optimè conveniat, quæque fidem, ut salutifera sit, perpetuò comitari debeat. Hæc autem est vel aperta nominis Domini Iesu Christi, fideique professio, cujus symbolum fuit baptismus aquæ, olim in Christi Ecclesia usurpatus, ut ita signum pro re signata ponatur; vel vera pœnitentia, quâ mentes nostræ a peccatorum sordibus eluuntur: quam ob causam paulò antè eam a Petro baptismi nomine appellari vidimus. Vtrumque & loco, & totius Christianæ religionis analogiæ est consentaneum. Nam & fidei professio, & pœnitentia ad salutem omnino est necessaria, itaque comparata, ut ei cum fide conjunctæ salus rectè adscribi queat. Nam quod ad professionem fidei attinet, ei Paulus unà cum fide, unde proficiscitur, salutem tribuit. Similiter & pœnitentia, non minùs quàm fides, exigitur ab iis, qui servari velint. Vnde hanc rationem in Evangelio prædicando secuti sunt Apostoli, ut & fidem & pœnitentiam hominibus inculcarent. Paulus enim dicit, se & Iudæis & Gentibus pœnitentiam in Deum, & fidem in Christum prædicâsse. Quod idem & reliquos fecisse inde constat, quòd Christus illis has partes imponens, pœnitentiam apertè commemorat. Quid, quòd & ipse Christus, cùm munus suum exordiretur, pœnitentiam cum fide conjungens, *Pœnitentiam agite*, inquit, *& credite Evangelio*. Animadverten-

Rom: 10. 9, 10.

Act: 20. 21.

Luc: 24. 47.

Mar: 1. 15.

Cap: XIV. De aque baptismo ab Apostolis usurpato.

nimadvertendum autem est, istis in locis fidei nomine, non plenam illam absolutamque fidem, quâ solâ justitiam consequimur, intelligendam esse. sic enim frustra sineque causa idem repeteretur: cum vera pœnitentia fidei istius pars sit: quod idem de confessione statuendum. Intelligendus autem est eo nomine assensus doctrinæ Christi adhibitus, quem sæpenumerò vitæ correctio seu pœnitentia minimè consequitur: propterea quòd assensus ille sæpe mancus aut infirmus est.

Hîc verò Apostolos haud levis peccati accusari inquient, ut qui proprio ingenio nixi, nulloque Dei Christive mandato impulsi, rem tantam ausi fuerint in terrarum orbem inducere. Respondemus autem, nequaquam eum sese peccato obligare, qui rem non mandatam facit: sed qui rem interdictam aut interdictæ similem, mandatæque contrariam designat. quorum nullum in aquæ baptismo per Apostolos administrato cernimus: quippe qui, licet in rebus mandatis habendus non sit, tamen nec interdictus, nec iis, quæ interdicta sunt, similis, nec aliis Christi præceptis contrarius ullo modo, imò maximè consentaneus sit. Nam, ut suprà diximus, & is ritus jam a Ioanne Baptista in Dei populum inductus erat, & a Christo, seu, eo consentiente, ab ipsius Apostolis etiam ante illius resurrectionem usurpatus, & ad homines Christianæ religionis ante illud tempus ignaros, in pœnitentiæ disciplinam recipiendos, Christique discipulos declarandos, aptissimus fuit. Adde, quòd Apostoli viri divini erant, & ideo Spiritus sancti instinctu, etiam citra expressa mandata, multa absque peccato facere poterant. Quo pacto Paulus Timotheum circumcidit; cum tamen circumcisionis ceremonia in eorum numero haberetur, quibus ipse Christianam nationem minimè obstringi, & verbis & exemplo docuit. In hoc genere & hoc Apostolorum institutum est, quo abstinentia a sangvine & suffocato sanciebatur: quorum tamen usum Christiano homini, dummodò scandalum absit, concessum esse, planissimè constat. Quid verò de manuum impositione dicam, de qua nullum præceptum datum Apostolis esse constat? Quid de illis Pauli consiliis, quæ ita sese Corinthiis dare ipse ait, ut nullum habeat Domini mandatum?

Ioh: 4. 1, 2

Act: 16. 3.

Gal: 5. 2 & c. 2. ℣ 3, & d.

Act: 15. 20, 28, 29.

1 Cor: 7. 12. & d. ℣ 25, & d.

Sed jam ad illud veniendum est, quod tertio loco proposueramus; id est, diligenter inquirendum est, an omnibus seculis, & porrò hac etiam ætate, Ecclesia omnesque, qui ad eam sese conferunt, baptismi istius religione devincti sint. Dicimus igitur, nequaquam hoc demonstrari posse, etiamsi præcedentia duo scripturæ testimonia præter

nia, præter omnem veritatem, de aquæ baptismo loqui concedamus. Vt enim prius testimonium primò perpendamus, quis non videt, Christum de illis tum docendis, tum baptizandis verba facere, qui a Christi disciplina antea planè fuerunt alieni? Quales cum, qui hodie in Christiana republica versantur, non sint; quippe qui jam inde a primo ætatis suæ exordio, nullam aliam præter Christianam religionem professi fuerint; parúmne liquet, aquæ baptismo, ex hoc Christi mandato, omnes omnium ætatum homines nequaquam obstringi? Cap: XIV. De aquę baptismo ab Apostolis usurpato.

Similiter & de altero mandato existimandum est. Nam præterquam quòd, ut diximus, non nisi eos complecteretur, si de aquæ baptismo loqueretur, qui aliam a Christiana religionem olim coluerant; etiam ea, quæ credentibus ibi assignantur signa, quæ hodie locum nullum habent, satis ostendunt, primorum illorum temporum in his Christi verbis habitam fuisse rationem, nec omnia, quæ ibi dicuntur, ad omnia prorsus secula, omnesque Christianos trahenda, nisi eorum ipsorum natura, & Christianæ religionis ratio atque analogia, vel aperta sacrarum literarum testimonia doceant, ea perpetuò durare debere. Tale verò nihil de aquæ baptismo demonstrari potest.

At, inquient, alia præterea extare divini spiritus testimonia, quibus omnes omnium ætatum homines hac ceremonia obligari, planum fieri possit: de quibus sint illa Petri verba: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi, & accipietis donum Spiritus sancti*. Hîc ajunt duo commemorari, quibus rem ita se habere convincatur; quorum primum his verbis contineatur: *Baptizetur unusquisque*. Alterum verò ad omnes perpetuò spectans ajunt esse, *pœnitentiam & remissionem peccatorum*. Nos ergo, ut hanc rem penitùs intelligamus, totamque illam vaticinationem diluamus, utrumque illud ponderabimus. Primò igitur non dicit Petrus simpliciter *unusquisque*, sed *unusquisque vestrûm*; ut facilè appareat, hæc Petri verba non nisi ad illos, illorumque similes referenda esse, quos tunc alloquebatur, & non ad omnes etiam posteros, de quibus disputamus, spectare; quippe qui hanc cum illis habeant dissimilitudinem, quòd hi jam inde ab ineunte ætate Christum professi sunt, illi non item. Act: 2. 38.

Iam quod ad alterum, nimirum pœnitentiam & remissionem peccatorum attinet; non diffitemur sanè, utramque perpetuò ad omnes Christianos spectare. Verùm hoc nequaquam ex ipsis Petri verbis, præsertim solis, sed ex perpetuo doctrinæ Christi tenore

constat, qui in pœnitentiæ peccatorumque remissionis prædicatione consistit. Neque novum est, duas plurésve res in una eademque verborum complexione conjungi, quarum aliæ perpetuò omnes obstringant, aliæ verò nequaquam. Sic enim, verbi causâ, præceptum de Sabbatho datum, cum aliis moralibus decalogi præceptis junctum est, quamvis nequaquam, ut reliqua, in perpetuum duraverit. Eodemque modo de illo præcepto judicandum est, quo, ut a sangvine suffocatoque abstinerent primi illi Christiani, sancitum erat. Quamvis enim cum præcepto de fugienda scortatione, arctissimo verborum vinculo conjunctum fuerit: hoc tamen permanente illud defecisse, nemo non videt.

Act: 15. 20, 29.

Etiamsi verò ex dictis nostris causa haud difficulter possit colligi, cur non omnes omnium temporum homines aquæ baptismo putemus adstringi: tamen quò res fiat planior, placet ea, quæ hac de re dicta sunt, summatim repetere, atque uberiùs confirmare. Non ergo omnes hac ceremonia devinctos esse inde constat, quòd baptismus iste non nisi symbolum fuit, quo homines, qui eum suscipiebant, publicè solenniterque Christi nomen profitebantur. Quæ quidem res nonnisi in illos conveniebat, qui vel nullam, vel certè aliam præter Christianam religionem coluerant. quales illi fuerunt, qui vel ex Iudaica vel Ethnica natione oriundi, Christo sese dicârunt. Qui enim ab ineunte ætate Christi nomen quacunq; tandem ratione professi erant, illis nequaquam opus fuit, idem per aquæ baptismum publicè ac solenniter facere: cum satis jam constaret, eos Christiana religione imbutos esse. Quod quidem argumentum tametsi evidentissimum est; placet tamen eandem rem hoc altero corroborare: De quacunq; re nec ullum divinum præceptum extat, cujusq; nullum apud D. Autores exemplum propositũ est, nec ulla fit mentio, ea neminem astringere potest. Atqui de illis aquâ baptizandis, qui a pueris Christi nomen professi sunt, nec præceptum ullum, nec ullum istius facti exemplum, nec denique mentio ulla in divinis literis reperitur. ex quo fit, ut nullus, qui in hoc numero habetur, aquæ baptismo obligetur. Hujus argumenti assumtionem verissimam esse, tum altissimum hac de re scripturæ silentium, tum contrarium, quod satis apertè ex divinis literis colligitur, satis ostendit. Quis enim Apostolos ipsos, quis septuaginta illos Christi discipulos, de quibus apud Lucam legimus, quis illos omnes, qui in unum locum convenerant, spiritusque sancti donum expectabant, quis Apollinem baptismo eo, de quo hîc loquimur, qui nimirum in

Luc: 10. 1, & d.

Act: 1. 15: 2. 1: 18. 25, & d.

Christi

Cap: XIV. De aquę baptismo ab Apostolis usurpato.

Christi nomen fiebat, quemque post ascensionem demum ipsius in cœlum usurpari cœpisse satis constat, baptizavit? quis illos quingentos fratres, quibus Christum, postquam resurrexerat a mortuis, simul apparuisse Paulus asserit? Quocunque te vertas, nihil reperies, in quo conquiescere possis, nisi unà nobiscum fatearis, eos propterea baptismo illo non indiguisse, ideoque nec tinctos eo fuisse, quia jam antea Christi nomen publicè professi fuerant: quod idem & de iis, qui in Christi Ecclesiis educabantur, statuendum est. Idem & ex illis Pauli verbis facilè cuilibet intelligenti constare potest: *Quicunque*, vel *quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis.* Significat enim Apostolus, potuisse in eorum numero eos esse, qui aquæ baptismo tincti nequaquam fuerint. Ea quippe particulæ *quicunque* vel *quotquot* ratio est, ut omnes quidem, de quibus sermo est, complectatur: interim tamen haud obscurè indicet, existere aliquos posse, qui in illorum numerum non venerint, ut hîc baptizatorum. Qui sine dubio illi apud Galatas erant, qui post primam illorum conversionem educati in religione Christiana fuerāt. Quòd enim quidam putant, propter Catechumenos ad istum modum Paulum fuisse locutum; id nec cum vero conjunctum est, nec ad præsentem quæstionem quicquam facit. Etenim nec de Catechumenis illis quicquam in novo Testamento legitur; imò cum illo sat apertè hæc sententia pugnat: quippe in quo simul atque Christi nomen quispiam professus fuit, baptizarique voluit, baptizatum fuisse edoceamur: nec Catechumeni isti ex illorum numero fuerunt, ad quos Paulus scribit. Ad Ecclesias enim Galatiæ literas illas dedit Apostolus. Catechumeni autem, pręsertim si adversariorum de baptismi necessitate sententia admittenda est, membra Ecclesiæ non sunt.

1 Cor: 15. 6.

Gal: 3. 27.

Ex iis, quæ diximus, patere arbitramur, non omnes, qui Christiani esse velint, imò inter nos nullum isto Apostolorum baptismo obligari. Cum enim, ut demonstratum est, ii, qui Christi nomen jam antea sunt professi, baptismate isto non teneantur; cumque a multis seculis inter omnes harum terrarum populos nonnisi Christiana disciplina vigeat, ita ut omnes a primis pueritiæ annis semper Christi nomen professi fuerimus; nónne propter hoc ipsum baptismus iste inter nos omitti prorsus posset? Quid, quòd nec illos, qui antea vel nulla, vel certè non Christiana religione devincti fuere, omni ex parte is Apostolorum baptismus obstringit. propterea quòd nequaquam res est universè & in perpetuum a Christo ejusve Apostolis mandata. Vnde colligitur, ejus prætermissionem nequaquam

quaquam ex eorum numero eſſe, quæ ſempiternam ſalutem adſumunt. Id quod magis etiam ex iis patet, quæ ſuprà de iis a nobis dicta ſunt, qui baptiſmo aquæ, quo Chriſto initiarentur, deſtituti, ſolo Spiritus ſancti baptiſmo perfuſi fuêre. Quos quidem in eorum numero eſſe, qui ad ſempiternam felicitatem ſunt deſignati, nemo ſanus negabit.

Nondum tamen quieſcentes ii, qui aliter ſentiunt, dicent, hanc ſententiam noſtram multa parere incommoda atque abſurda. Ac incommoda quidem omnia hoc uno pronunciato contineri ajunt, quòd qui aquâ non baptizantur, Chriſti ejuſque beneficiorum participes eſſe nequeunt. Hi enim, inquiunt, nec Chriſtum induunt, nec in corpus ejus inſeruntur, nec unà cum eo ſepeliuntur, nec ad vitæ novitatem reſurgunt; & ſic nec regignuntur, nec a peccatorum contagione purgantur; & porrò nec peccatorum remiſſionem, nec Spiritus ſancti munus, nec denique vitam ſempiternam conſequuntur: quippe cum divinæ literæ iſta omnia aquæ baptiſmo attribuant.

Gal: 3. 27. 1 Cor: 12. 13. Rom: 6. 3, 4. Ioh: 3. 5. Tit: 3. 5. Epheſ: 5. 28. Heb: 10. 22. Act: 2. 38: 22. 16. 1 Pet: 3. 21.

Reſpondemus autem, nec omnia iſta ſcripturæ teſtimonia de aquæ baptiſmo loqui; nec, quæ ejus aliquam mentionem faciunt, id, de quo quæritur, efficere. Ac loci quidem de aquæ baptiſmo non loquentes ſex ſunt. Primus eſt apud Ioannem, ubi Chriſtus hunc in modum loquitur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, in regnum Dei non intrabit.* Hæc autem Chriſti verba de aquæ baptiſmo nihil revera commemorare, inde conſtat, quòd ex illis ſtatuendum foret, neminem niſi aquâ baptizatum, ſi vel rectiſſimum vitæ curſum alioqui teneat, ad cœleſte regnum aſpirare poſſe. Quod quàm falſum abſurdumque ſit, partim res ipſa docet, partim ex iis, quæ ſuprà dicta a nobis ſunt, intelligitur. Senſus autem Chriſti verborum eſt: nos ſpirituali aqua ablui oportere, ſi cœleſte regnum aſſequi cupiamus. Intelligendum quippe eſt, aquam ibi a ſpiritu non diſtingvi, ſed utrumque ſimul unam eandemque rem deſignare. Id quod vel inde perſpicuum eſt, quòd Chriſtus in eadem verborum complexione eandem rem repetens, jam non aquæ, ſed ſpiritûs tantùm expreſſam mentionem facit. Nec particula & eo in loco connectendi, ſed explicandi vim habet. Quod quidem tametſi compluribus in locis fieri videmus, nullus tamen ad hanc rem, quam agimus, accommodatior illo eſt, in quo Ioannes Baptiſta Chriſtum Spiritu & igne ſuos baptizaturum prædicit, ut doceat, Chriſtum eos ſpirituali igne baptizaturum. Hanc autem verborum illorum ſententiam eſſe inde patet, quòd ibidem is Chriſti ba-

Ioh: 3. 5.

ptiſmus,

Cap: XIV. De aquę baptiſmo ab Apoſtolis uſurpato.

ptiſmus, Ioannis aquæ baptiſmo opponitur, ut intelligatur, Chriſtum non aquâ ſuos baptizaturum, ſed quantò ignis, quàm aqua, efficacior eſt, tantò valentiore eos ratione ab omni ſcelere puros ſanctosq; redditurum. Quia enim eodem ſpiritu, qui arrha cœleſtis hæreditatis appellatur, ad diem liberationis illos conſignat, & ideo ſempiternæ felicitatis guſtum quendam eis præbet; fieri vix aut ne vix quidem poteſt, quin, ut Paulus monet, ſeipſos ab omni & corporis & animi labe purgent, ſanctimoniam perficientes cum Dei metu. Eph: 1. 14. 4. 30. 2 Cor: 7. 1.

Secundus locus apud Paulum extat hoc pacto: *In uno Spiritu nos omnes in unum corpus baptizati ſumus* &c. Quæ verba cum aquæ baptiſmo nihil habere conjunctum, nemo non videt: cum apertè, non aquâ, ſed Spiritu nos baptizatos eſſe, Apoſtolus dicat, & Spiritûs baptiſmus, ut paulò antè oſtendimus, aquæ baptiſmo in divinis literis manifeſtiſſimè opponatur. Adde, quòd Paulus iſto in loco de variis Spiritus ſancti donis diſſerit, quibus Deus per Filium ſuum primam illam Eccleſiam mirum in modum locupletaverat. Vnicuique enim Chriſtum fide complectenti Deus, pro voluntatis ſuæ arbitrio, ſpirituale quoddam munus tribuebat, ad ſalutiferam veritatem confirmandam, ad homines Chriſto adjungendos, ad Eccleſiam denique ſuam conſtituendam. Quam quidem Dei liberalitatem ſancti Spiritus baptiſmum, tum hîc, tum alibi nominari, compertiſſimum eſt. Nec eſt, quòd dicas, Paulum *in uno ſpiritu*, non verò *uno ſpiritu*, nos baptizatos eſſe affirmare. Qui enim Hebræam lingvam vel a limine ſalutavit, is probè novit, particulam *in* creberrimè redundare, ita ut idem ſit, *in uno ſpiritu*, quod *uno ſpiritu*, quemadmodum Caſtellio locum vertit. Et ſanè quotieſcunque phraſis illa *baptizari in ſpiritu*, in ſacris literis reperitur, nihil illa ſignificat aliud, quàm baptizari ſpiritu, ut loca inſpecta unumquemque docebunt. 1 Cor: 12. 13. Mat: 3. 11. Mar: 1. 8. Luc: 3. 16. Ioh: 1. 33. Act: 1. 5. & 11. 16.

Tertium locum illud Pauli teſtimonium complectitur, quo cõfirmat, Chriſtum *lavacro aquæ mundâſſe Eccleſiam per verbum, ut eam ſibi ipſi glorioſam exhiberet, non habentem maculam neque rugam.* Quibus verbis luculentiſſimè Apoſtolus mundationem iſtam, quæ vera pœnitentia eſt, per verbum, id eſt, Evangelii prædicationem, non autem per aquæ baptiſmum fieri docet. Epheſ: 5. 26.

Eodem modo & de illa diviniſſimi autoris admonitione, qui quartus eſt locus, judicandum eſt, ubi jubemur *corda a mala conſcientia abluta, & corpora aquâ purâ lota habere.* Loquitur enim divinus Autor de vitæ correctione, quæ partim in animi, partim in corporis, Heb: 10. 22.

poris, h. e. partim in conſiliorum ac cogitationum animi, partim in externarum actionum, quę corpore perficiuntur, puritate conſiſtit, quamq; aqua elementaris nequaquã efficit. Alludit nempe Auctor, partim ad aſperſiones, partim ad ablutiones legales, quibus homines ab impuritatibus quibusdam mundari ſolebant, ut ita locum ſacrum adire poſſent. Animadvertendum autem eſt id, quod ab aliis quoque annotatum eſt, Hebræos illos ad id, quod his verbis continetur, faciendum excitari. Atqui baptiſmum aquæ ii jam dudum ſuſceperant, nec, ut eum repeterent, quicquam erat opus.

Levit: 14. & 15. Num: 19.

Tit: 3. 5. Quintus locus illis Pauli verbis continetur: *Deus pro ſua miſericordia ſervavit nos lavacro renaſcentiæ renovationisq; Spiritus ſancti, quo nos largè perfudit per Ieſum Chriſtum Servatorem noſtrum.* Vbi ſimiliter nullam aquæ baptiſmi mentionem fieri, imò ea dici, quæ in illum minimè conveniunt, quis non videt? Commemorat quippe Apoſtolus ejusmodi lavacrum, quo nos Deus tum regeneret, tum ſervet: quorum neutrum in aquæ baptiſmum cadit: quippe qui nullam nec noſtri regignendi, nec ſervandi vim habeat. Adde, quòd mox Apoſtolus ſubjungit, lavacrum iſtud eſſe Spiritus ſancti renovationem, quo nos largè Deus per Chriſtum perfuderit; de ſpiritûs baptiſmo, deque renovatione mentis, quæ ea ratione fiat, ſeſe loqui apertè indicans.

Eph: 4. 5, 7. Sextus locus, qui apud Petrum eſt, tantum abeſt, ut aquæ baptiſmo hominis fidelis conſervationem aſſignet, ut potiùs illum ab ea re planè excludat: quippe cum ſic ibi Apoſtolus loquatur: *Conſimili formâ nunc quoque baptiſmus nos ſervat, qui non eſt corporis ſordium detractio: ſed bonæ conſcientiæ ſtipulatio ad Deum, per Ieſu Chriſti reſurrectionem.* Quod quale ſit, jam ſuprà a nobis explicatum eſt.

Iam quod ad illos locos attinet, qui aquæ baptiſmi mentionem continent; animadvertendum eſt, nequaquam eam illorum ſententiam eſſe, ut intelligamus, res tantas, quæ in iis commemorantur, ipſo aquæ baptiſmo perfici, vel obtineri, pręſertim ita, ut eas alia ratione adipiſci nequaquam poſſis. Primò enim, quod ad illa teſtimonia attinet, quibus nos per baptiſmi iſtius ceremoniam, & Chriſtum induiſſe, & unà cum illo ſepultos eſſe dicitur; ſuprà ſatis, ut videmur, docuimus, non id velle divinum ſpiritum, homines baptiſmi ritu iſta reipſa perficere, ſed ea tantummodò adumbrare, ac palàm

1 Cor: 10. 16, 17. profiteri. quo pacto Paulus alibi ait, panem, quem frangimus, communicationem corporis Chriſti eſſe, id eſt, ejus rei adumbrationem profeſſionemque continere, ut ex ratione ſubjecta perſpicitur: *quia unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes enim de uno pane participamus.* qua de re alibi dictum eſt.

lib: 4. c. 22.

Cap: XIV. De aquę baptismo ab Apostolis usurpato.

Deinde loci illi duo, quibus baptismo aquæ peccatorum remissio tribui videtur, id, de quo quæritur, nequaquam conficiunt. Nam quod ad illa Petri verba attinet, *Agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum;* (Act: 2. 38.) vel eatenus baptismo cum pœnitentia conjuncto tribuitur peccatorum remissio, quatenus in eo fit publica & aperta nominis Iesu Christi professio, quæ ad remissionem peccatorum obtinendam omnino est necessaria; vel si etiam ipsius externæ ablutionis hîc habetur ratio, remissio peccatorum, quatenus ei adscribitur, pro remissionis declaratione & contestatione solenni usurpatur. (Ioh: 20: 23, cōf. cum Matth: 16. 19 & c. 18. 18. Luc: 7. 47.) Vox enim remittendi, similesque aliæ, ut Expiandi, Purgandi, Abluendi, haud rarò in sacris literis non rem atque effectum ipsum, sed rei tantùm declarationem ac contestationem designant, ut præter alios multis locis notavit Vatablus. (Lev: 12. 7, 8. & capp: 13. & 14 sæpiùs. & c. 15. 15, 30. & cap: 16. 30.) Si prius illud statuas; facilè apparet, baptismum aquæ ad remissionem peccatorum obtinendam unicuique necessarium non esse, seu remissionem peccatorum ei minimè esse alligatam: quandoquidem publica atque aperta nominis Iesu Christi professio, cujus solius ratione remissio peccatorum propriè sic dicta baptismo adscribitur, eidem alligata nequaquam est, sed aliis etiam modis, atque adeò longè baptismo illustrioribus, quemadmodum infrà explicabimus, fieri potest. Si posterius malis, nihil est, unde concludas, baptismum illum omnibus Christianis esse necessarium. Vtrumque autem de illis etiam Ananiæ ad Paulum verbis statui jurè posset, in quibus peccatorum ablutio aquæ baptismo adscribi videtur, quæ quidem sunt hujusmodi: *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine Domini.* (Act: 22. 16.) Veruntamen ipse verborum ordo ac nexus indicat, ista, *Ablue peccata tua*, non ad præcedentia, sed ad sequentia referenda esse, ita ut in iis non effectus baptismi, sed invocationis nominis Domini exprimatur. Venerant quippe jam illa tempora, quibus, ut Ioël Vates prædixerat, (Ioël: 2. 28. Act: 2. 21.) futurum erat, ut, quicunque nomen Domini invocaret, servaretur; quod quidem absque peccatorum remissione fieri nequaquam posse, imò ipsam peccatorum remissionem continere, manifestum est. Facilè autem unusquisque intelligit, abluendi, lavandi, mundandique verbum, cùm ad peccata refertur, non propriè dictam, ad quam aqua requiratur, ablutionem, sed figuratam, quæ citra veræ propriæque sic appellatæ aquæ accessionem perficitur, mundationem, hoc est peccatorum deletionem significare. veluti illud Davidis est: *Lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me.* (Psal: 51. 4.) Et illud Ieremiæ: *Lava a malitia cor tuum Hierusalem, ut salva fias.* (Ier: 4. 14.)

Cap: XIV. De aquę baptiſmo ab Apoſtolis uſurpato.

Ad extremum, quòd Spiritus ſancti munus baptiſmo aquæ alligatum ſit, ita ut absque eo contingere nemini queat, falſiſſimum eſt. Tametſi enim ut plurimùm baptiſmum conſequebatur; non tamen ut effectus cauſam ſuam neceſſariam, aut propriam. Prius inde patet, quòd ut ſuprà docuimus, illis, in quos ſpiritus S. primùm, nempe in Pentecoſtes feſto, fuit effuſus, ſine baptiſmo in Chriſti nomen ſuſcepto donum iſtud contigit; aliis quibusdam, de quibus Act: 10. legimus, ante eum baptiſmum. Nec mirum: cum donum illud hominibus ob fidem in Chriſtum eſſet revera promiſſum; licèt Deus certa quadam ceremonia interveniente donum iſtud credentibus largiri ut plurimùm ſoleret. Nam ut poſterius etiam doceamus, per impoſitionem manuum Apoſtolicarum, quæ non ſemper baptiſmum ſtatim conſequebatur, Spiritum ſanctum dari ſolitum legimus. Ex quo prius illud magis adhuc confirmatur. Nam ſi ne impoſitio quidem manuum ad donum illud obtinendum omnino fuit neceſſaria, quemadmodum ex effuſione Spiritus ſancti in fideles primos, ſive ex Iudæis, ſive ex gentibus, liquet: multo minùs baptiſmus. Quandoquidam illa ceremonia magis propria erat cauſa donationis Spiritus ſancti, quàm iſta baptiſmi. Fatemur autem, baptiſmum ad donum illud obtinendum prodeſſe potuiſſe, ſed eatenus, quatenus aperta publicaque fidei fuit profeſſio: quemadmodum de remiſſione peccatorum baptiſmo attributa paulò ſuperiùs docuimus, cùm de loco Act: 2. ubi pœnitentiæ & baptiſmo utrumque iſtud donum adſcribitur, ageremus. Quemadmodum autem profeſſio illa baptiſmo aquæ haud quaquam eſt alligata, ita multò minùs Spiritus ſancti donum.

Act: 10. 44, 47.

Mar: 16. 17. Ioh: 7. 38, 39. Act: 8. 15, 16, 17. cap: 19. 6.

Act: 2. 3, 4. & 10. 44, & d. 11. 15.

Iam ad abſurda perveniendum eſt, quæ potiſſimùm hæc eſſe putantur: quòd nimirum, ſi noſtra de baptiſmo ſententia vera eſſet, ritus modusque perpetuus homines in Chriſti Eccleſiam recipiendi, ab ipſis Apoſtolis introductus, per ſummam audaciam abrogaretur: quòd propria Chriſtianorum nota deleretur: quòd ſimili ratione & Dominica cœna exterminaretur: quòd denique omnia externa aboleri neceſſe foret.

Ad primum reſpondemus, falſum eſſe, Apoſtolos ita hunc ritum in Eccleſiam induxiſſe, ut omnes perpetuò devinciret, aliaque ratione in fidelium numerum recipi nullus unquam poſſet. Nuſquam enim, ut ſuprà jam monuimus, ſcriptum legitur, illos per hunc baptiſmum in Eccleſiam receptos fuiſſe, qui ab incunabulis Chriſti nomen profeſſi fuerant, ut de aliis, de quibus itidem ſuperiùs eſt actum, nunc taceamus.

Quòd

Cap: XIV. De aquę baptismo ab Apostolis usurpato.

Quòd verò deinde asserunt, baptismo aquæ sublato, propriam Christianorum notam deleri; quærere ex iis licebit, cur baptismum illum propriam Christianorum notam appellent? Num ideo, quia omnes ii, qui pro Christianis haberi velint, eo tingi debeant, ut ita a cæteris dignoscantur? At hoc ipsum est, de quo controvertitur. Negamus enim, omnes Christianos eâ cerimoniâ obstringi. Num ideò, quia baptismus sit ejusmodi professionis tessera ac symbolum, quo soli Christiani utantur, quoq; adeò ab aliis dignoscantur? esto. non sequitur inde, ejusmodi notam tollere non licere, cùm aliæ extant, quæ idem non minùs, quàm ista, ne dicam longè efficaciùs præstant; præsertim tunc, cùm id hominum genus ferè totum deficit, cujus causâ ista nota seu tessera a divinis viris fuerat usurpata; quod quale fuerit, non semel jam diximus. Etenim præterquam quòd constans Christiani nominis professio abundè compenset baptismi ceremoniam, quâ ii Christum profiteri olim consveverunt, qui aliam antea religionem fuerant secuti: nónne illustrior Christianismi tessera est vitæ innocentia, & mores Christi lege compositi, in fide constantia, & aperta atque intrepida illius, etiam mortis metu proposito, confessio, omniumque malorum, quæ ejus rei causâ patienda sunt, tolerantia? Dicent illi, se priori potissimùm sensu baptismum notam Christianorum propriam appellare; idque eam ob causam, quòd is circumcisioni par sit, imò in hujus locum successerit. circumcisionem autem ejusmodi olim fuisse populi divini notam, quâ nemo, qui Hebræus censeri vellet, carere deberet. Quare similiter baptismum ejusmodi esse populi divini sub N. Fœdere notam, quâ nemo, qui modò Christianus audire velit, vacare debeat. Atqui baptismum circumcisioni parem esse, & in ejus locum successisse, nec ullum sacrarum literarum docet testimonium, nec ratio ulla svadet, sed potiùs dissvadet. Primùm enim, si ita se res haberet, consentaneum foret, infantes, & eos quidem mares tantùm, & octavo die, baptizandos esse. hæc enim circumcisionis erat ratio. Deinde, quemadmodum circumcisio in perpetuum universo Hebræorum populo apertissimis verbis fuit præcepta, addita severissima comminatione exterminationis ex populo Dei, si quis eam prætermisisset: ita similiter de baptismo, si in illius locum successisset, scriptum legeremus. Eodem enim modo & Sabbatum, quia signum fœderis erat inter Deum, & populum Israëliticum, in terrenam requiem introductum, non modò verbis clarissimis fuit populo universo præceptum, idque in perpetuum; verùm etiam capitalis pœna constituta ei, qui id non observâsset. At nedum ut talem commi-

Gen: 17. 10. & seqq.

Exod: 31. 13. & d. Ezech: 20. 12.

d. l. Exod: 31. 14: 35. 2. Num: 15. 35.

Cap: XIV. De aquę baptismo ab Apostolis usurpato.

comminationem ei, qui baptismum aquæ neglexerit, propositam cernamus, ne præceptum quidem simplex, quo omnes in perpetuum Christiani obstringantur, ea de re traditum videmus, ut suprà planum fecimus. Denique vel eam ob causam baptismus circumcisioni, quatenus ea populi divini nota fuit, par censeri non debet, quòd hæc certum atque evidentem, eumque perpetuò durantem corpori Hebręorum characterem impresserit: baptismus verò, postquam semel ministratus fuerit, nec appareat, nec notam aliquam corpori imprimat, quâ is, qui baptizatus fuerit, ab aliis internoscatur. cumque is sępiùs non reperatur, ne talis quidem nota est, quale sabbatum fuisse videmus. Sed quid multis opus? an non & res ipsa,

Rom: 2. 28, 29. & clarissima Pauli testimonia docent, circumcisioni in carne apparenti ac manufactæ, respondere, atque adeò successisse, circumcisi-

Col: 2. 11. onem internam atque occultam, non manufactam, sed spiritu perfectam, quæ consistat in depositione corporis peccatorum carnis, hoc est, totius veluti massæ peccatorum, a carnis cupiditate proficiscentium. At aquæ baptismus non minùs, quàm circumcisio, exteriùs in corpore fit atque apparet; non minùs etiam, quàm ista, manu peragitur; non spiritu, sed aquâ perficitur; adeoque in animum non penetrat, nec ipsa peccata aufert. Nam quòd vulgò creditur, spiritu sancto homines, dum aquâ ritè baptizantur, interiùs simul perfundi, & sic a peccatis ablui; id sine omni non modò testimonio divino, sed ratione etiam, imò contra manifestam experientiam asseri-

Mat: 3. 11. Joh: 1. 33. Act: 1. 5. tur. Baptismus enim spiritûs ab aquæ baptismo in sacris literis planè distingvitur, eique etiam opponitur; tantum abest, ut cum eo necessariò sit conjunctus. Vnde, ut suprà vidimus, interdum alter alterum antecessit; interdum nec antecessit, nec consequutus fuit. Experientia etiam testatur, nec quicquam vel cognitionis rerum divinarum, vel fidei, vel pietatis, per ipsum baptismi ritum, licèt legitimè administratum atque susceptum, cuiquam accedere.

d. l. Col: 2. 11, 12. Quid ergo, inquies, illud est, quòd Paulus, postquam dixisset, Colossenses esse circumcisos circumcisione non manufacta, quę consistat in depositione corporis peccatorum carnalium, utpote quæ sit Christiana circumcisio; id, quod dixerat, comprobaturus subjungit: *Vnà cum eo* (nempe Christo) *sepulti in baptismate, in quo etiam unà resurrexistis per fidem efficaciæ Dei, qui eum suscitavit ex mortuis?* an non apertè significat, baptismum esse circumcisionem illam, vel saltem hanc in illo peragi? Respondemus autem, nequaquam hanc verborum illorum sententiam esse posse: quandoquidem, ut jam vidimus, ratio baptismi a circumcisionis illius natura,

quam

quam Apostolus describit, longè abest. Quare alius quærendus est verborum sensus, & rei ipsi, & verbis antegressis, & totius scripturæ analogiæ consentaneus. Is verò est, ut statuas, Apostolum dicere voluisse, Colossenses istam depositionem corporis peccatorum carnalium in baptismo adumbrâsse, eamque professos fuisse, quatenus eâ ceremoniâ ostenderint, se cum Christo sepeliri, atque adeò etiam mori velle, mori inquam, peccato, & ad vitæ novitatem resurgere, quemadmodum ad Rom: cap: 6. explicatur. Mori autem peccato, & ad novitatem vitæ resurgere, quid aliud est, quàm corpus peccatorum carnalium exuere ac deponere, ac porrò spiritualiter circumcidi? Neque verò Apostolus, cùm dixit, Colossenses circumcisione illa esse circumcisos, & sic corpus peccatorum carnalium exuisse, affirmare voluit, & in sequentibus, de quorum sententia nunc disputamus, probare, eos id jam reipsa præstitisse. quorsum enim aliàs eos ad id faciendum toto cap: 3. hortaretur? sed id tantùm dicere voluit, hanc esse vim Christianæ religionis, quam Colossenses amplexi fuerant, ut eos ad id faciendum impellat atque adigat; ac porrò eorum officium esse, ut viribus ad id præstandum sufficientibus instructi, id reipsa præstent: quandoquidem hanc religionis Christi vim, suumque officium, baptismi ceremoniâ, quâ religioni illi fuerint initiati, expresserint ac professi fuerint.

Cap. XIV. De aquæ baptismo ab Apostolis usurpato.

vid: inprimis ℣ 5, 8, & seqq. cap: 3.

Sed urgent illi, cum quibus nobis res est, & ex eo demonstrare conantur, baptismum aquæ propriam ac perpetuam Ecclesiæ notam esse, quòd eum Paulus inter ea numeret, quæ Christianorum sunt propria, & unitatis ac conjunctionis, quæ inter eos sit, argumentum inde petat. Respondemus primùm, dubitari non immeritò posse, utrùm de aquæ baptismo eo in loco verba fiant, ad quem hic respicitur; an verò de aliquo alio baptismo, qui Christianorum magis sit proprius, & ad unitatem spiritualem Christianorum plus adferat momenti, quàm aquæ baptismus. Talis autem est baptismus spiritûs, cujus mentio nequaquam omittenda fuit, tum propter causam jam indicatam, quòd nimirum ad unitatem fidelium spiritualem vel inprimis pertineat; tum propterea, quòd in sequentibus mox de variis spiritus sancti donis disserit Apostolus. Quemadmodum enim idem Apostolus in loco simili 1 Cor: 12. de donorum Spiritus sancti varietate disserturus, fidelesq; ad concordiam mutuam hortaturus, dixit, unum esse spiritum, qui in diversis diversa pariat effecta, omnesque uno spiritu in unum corpus fuisse baptizatos, & omnes in unum spiritum, seu uno spiritu potatos: ita hîc quoque idem eundem dixisse consentaneum est. Iam verò

Ephes: 4. 5.

℣ 4, 7, & seqq.

ibid: ℣ 13.

Cap: XIV. De aquæ baptismo ab Apostolis usurpato.

vel nomine *unius baptismi* id significavit Apostolus, eâdem baptismi usus metaphorâ, quâ dicto ad Cor: loco usus est; vel suprà, cum dixit, *unus spiritus*, id expressit. nulla enim alia verba apparent, de quibus idem statui queat. At de verbis illis *unus spiritus* propterea non immeritò ambigitur, quòd ea pars adhortationis Apostolicæ esse queant, ita ut ostendant, quàm arcta debeat esse inter fideles conjunctio ac concordia; tanta nimirum, ut unus sint spiritus, seu, quemadmodum de primis Christianis in Actis legimus, eorum cor sit unum & anima una. Favet huic sententiæ primùm oppositio corporis & spiritûs, quæ in his verbis apparet. deinde illud, quòd rationes, quibus Apostolus Ephesios ad concordiam hortatur, videantur ibi demum incipere, *quemadmodum etiam vocati estis in una spe vocationis vestræ*. Quare concludere non immeritò possis, nomine baptismi, spiritûs baptismum intelligi. Quò accedit, quòd, si ad ceremonias voluit descendere Apostolus, & ex iis unitatem fidelium ostendere, non videatur omissurus fuisse Eucharistiam, quam unitatis symbolum esse ipsemet alibi docuit; præsertim cum ea subinde repetatur, idque a tota Ecclesia simul, & sic conjunctionem illam fidelium evidentiùs ostendere videatur. Sed demus nunc, baptismum aquæ hîc omnino esse intelligendum, voluisseq; Apostolum fidei ipsi subjungere fidei tesseram ac professionem, seu initiationis Christianæ ritum, quo conditio atque officium Christianorum, ad quod vi religionis suæ ducantur, ante oculos omnium ponatur. num hinc protinus sequetur, ritum hunc perpetuam quandam Christianorum notam esse debere, ita ut nemo, qui Christianus haberi velit, eo carere possit? nequaquam. Nam quòd interseritur iis, quæ omnibus Christianis in perpetuum conveniunt, id non evincit, baptismum etiam omnino talem esse: cum suprà ostensum sit, interdum temporanea instituta æternis conjungi. Nec magis id ex eo sequitur, quòd ex baptismi unitate unitas fidelium probatur. Ad hoc enim satis est, eos generatim omnes, de quorum unitate istic loquitur Apostolus, quósq; ad concordiæ studium hortatur, nempe Ephesios, & si qui illis essent similes, aquæ baptismo tinctos fuisse; præsertim cum facilè constare posset, cæterorum omnium, qui eo fortè carerent, eandem esse rationem. Neq; verò existimandum est, baptismo aquæ sublato unitatis illius vinculum ruptum iri: cum cætera, quæ Apostolus enumerat, quæq; Christianis propria sunt ac perpetua, validissimè Christianos inter se colligent ac constringant. Vidimus paulò antè, Apostolum ex unitate baptismi spiritûs, qui in effusione donorum illorum miraculoso-

Act: 4.32.

1 Cor: 10. 17.

1 Cor: 10. 17.

Cap: XIV. De aquę baptismo ab Apostolis usurpato.

rum, Ecclesiæ Christianæ primordiis propriâ consistebat, argumenta unitatis Ecclesiæ, ac concordiæ incitamenta petere: nec tamen, quia baptismus ille cessavit, Ecclesiæ unitas ac concordia cessat, aut cessare ullo pacto debet.

Sed jam tempus est videre, an sublato aquæ baptismo, simul & cœnam Dominicam tolli necesse sit. Dicimus igitur, nihil a vero alienius esse: cum si ita sese res haberet, aut necesse esset, ut baptismum cum cœna Domini indissolubili vinculo conjunctum esse statueremus; aut utriusque parem existere rationem crederemus. Atqui neutrum verum est. Ac illud quidem probatione minimè indiget; cum, ut suprà demonstravimus, multos hoc, de quo agimus, baptismo nequaquam baptizatos, cœnâ Dominicâ usos fuisse constet. Adde, quòd alterum sine altero, non solùm cogitari, sed etiam usurpari potest; nec solùm potest, verùm ita fieri & solet, & necesse est; cum simul eodemque tempore & baptizari, & cœna Domini perfrui nequaquam possimus. Hoc verò alterum eam ob causam, quòd, ut suprà docuimus, iste baptismus nullo nititur nec Dei Christíve mandato, nec perpetua Apostolorum præscriptione: Cœna autem Domini utroque corroborata, stabilis fixaque usque ad ultimum Domini Iesu adventum in Ecclesia permanere debet, ut Paulus luculentissimè testificatur. Præterea nulla est causa, cur olim magis, quàm hodie, aut hi potiùs, quàm illi, cœnâ Domini uti debeant: at cur baptismus aquæ primævæ Ecclesiæ magis, quàm nostræ, convenerit, causæ suprà sunt indicatæ, & ex parte aliqua sæpiùs repetitæ. 1 Cor: 11. 26.

Vrgent tamen, in hoc utriusque paritatem cerni, quòd utrumque Ecclesiæ sit sacramentum. Atqui hoc nullo divino testimonio comprobatur. Instabunt autem, non frustra Paulum hæc duo conjungere solere, cùm simul & baptizatorum in Mosen nube, & spiritualis cibi ac potionis meminit. Item, cùm nos omnes in unum corpus baptizatos esse, omnesque unum spiritum hausisse asserit. Hîc respondemus, tantum abesse, ut Paulus hoc facere consueverit, & porrò etiam in adductis testimoniis fecerit, ut potiùs contraria ratione cœnam Domini commemoret, nulla baptismi adjecta mentione; & rursus de baptismo orationem habens, nihil quicquam de Dominica Cœna loquatur. 1 Cor: 10. 2, 3. 1 Cor: 12. 13.

Iam ut ad locos adductos respondeamus; intelligendum est, in priore Paulum nequaquam de Christianorum Cœna baptismoque verba facere: cum ipsa verborum complexio declaret, nonnisi de summis beneficiis, quibus Deus populum Israëliticum ornaverat,

 ibi sermo-

aquę baptiſmo ab Apoſtolis uſurpato.

ibi ſermonem eſſe. Nam & Moſi, quem ducem ejus populi eſſe voluit, eum veluti conſecraverat, &, ut ei penitùs fidem haberet, effecerat, quod baptiſmi in eum nomine indicatur, idque tunc, cum eosdem Iſraëlitas ex hoſtium faucibus ereptos, per rubrum mare ſicco pede illius operâ deduceret, ſubque nube ſuam illis præſentiam declararet; & Mannam illis in cibum cœlitus dederat; & admirabili quadam diviniſſimaque ratione aquam ex petra ad illorum potionem elicuerat. Quæ quidem Dei beneficia, absque ulla ipſorum opera, in eos collata fuerunt. At longè alia Cœnæ Domini baptiſmique ratio eſt: quippe quæ nec dona ſint divinitùs in nos collata, nec absque hominum manu operaque perficiantur, & ſic actiones ſint in noſtra quodammodo poteſtate poſitæ. Vnde efficitur, hæc illis beneficiis a Paulo commemoratis nulla ex parte reſpondere; &, quod conſequens eſt, non hæc cibi potionisque ſpiritualis, qui Chriſtianis hominibus ſit conceſſus, nomine Apoſtolum intelligere: ſed munera ſpiritualia, quibus fidelium natio per Chriſtum aucta ac locupletata eſt. Si igitur Apoſtoli verba attentiùs conſideraverimus, hanc illis ſententiam contineri facilè comperiemus: nempe nequaquam ad veram felicitatem ſatis eſſe, multis Dei inſignibusque donis cumulatum eſſe, niſi & illis rectè utaris, & ab omni ſcelere & impietate te removeas.

In altero quoq; teſtimonio, nec de externo, nimirum aquę baptiſmo, nec de Cœna Dominica quicquam cōmemoratur. Et de baptiſmo quidem aquæ Apoſtolum non loqui, ſuprà jam docuimus: cum de ſpiritûs baptiſmo, qui aquæ baptiſmo opponitur, apertiſſimè verba faciat. Vt verò nec de Cœna Domini Paulum hîc loqui oſtendamus, non multùm laborandum eſt. In promptu enim ſunt cauſæ, quibus ita ſentire planè prohibemur. Primò enim ſuo loco ſatis demonſtravimus, non in hunc finem Cœnam Dominicam conſtitutam eſſe, ut ex ejus uſu aliquem fructum reportemus: ſed ut pro beneficiis per Chriſti mortem in nos collatis, ipſi Chriſto, ejusque Patri Deo, ſolennes gratias agamus. Deinde, ſi de Cœna Domini Paulus ſermonem hoc loco inſtituiſſet, vel non ſolùm potionis, ſed comeſtionis etiam mentionem feciſſet; vel, ſi per dicendi figuram partem totius loco ponere voluiſſet, eam, quæ præcipua eſt, & a qua tota interdum actio denominatur, potiùs commemoraſſet, nimirum panis fractionem eſumque, quàm potionem. Adde, quòd non *potavimus*, ſed *potamus* dixiſſet, ſi de Cœna Dominica locutus fuiſſet: ut quidem alibi eum feciſſe palàm eſt, in illis præſertim locis, in quibus hunc in modum loquitur: *Calix*

Lib: 4. c. 22.

Act: 2. 42. 46: 20. 7.

1 Cor: 10, 16.

benedictionis

Cap: XIV. De aquę baptiſmo ab Apoſtolis uſurpato.

benedictionis, cui benedicimus. item, *Panis, quem frangimus* &c. Actiones quippe, quas ſemel perfeciſſe ſatis eſt, præteriti potiùs, quàm præſentis temporis verbo exprimi ſolent: hæc verò, cum & in poſterum, qualibet ſeſe offerente occaſione peragenda ſit, rectiùs & communi conſvetudini loquendi convenientiùs præſentis temporis verbo effertur. Intelligendum igitur eſt, Apoſtolum duplici hac, nempe & baptizandi & potandi tranſlatione, ea de cauſa uti, ut oſtendat, veros Chriſtianos adeò largiter divino ſpiritu perfuſos eſſe, ut & intùs eo repleti, & exteriùs eo quodammodo imbuti eſſe videantur. Comparatur enim Spiritus ſanctus, ut & alibi ſæpe, liquori cuidam, cujus tum demùm quiſpiam perfectè fit particeps, ſi eo ſimul & tingatur, & potetur; & ſic tum extùs, tum intùs eo perfundatur atque imbuatur.

Conſtat igitur, hac ætate illos, qui ad Eccleſiam ſeſe aggregare cupiunt, aquæ baptiſmo non obſtringi. Quod tamen non perinde a nobis diſputatur, quaſi ea cerimonia ſimpliciter ac penitùs rejicienda ſit. Aliud quippe eſt, re aliqua non obligari, nempe ſimpliciter & abſolutè, aliud verò, eam penitùs repudiare. quod quidem de aquæ baptiſmo minimè ſentimus: quinimò, ut omnia alia adiaphora, de quibus ſuo loco a nobis explicatum eſt, pro eo ac charitas præſcribit, jam uſurpari, jam omitti poſſunt: ita & baptiſmus iſte, divinæ gloriæ ratione, & proximi amore poſtulante, ut nimirum ſcandalum vitetur, adhibendus interdum planè videtur. Hoc autem vel tunc faciendum exiſtimamus, cùm, verbi gratiâ, Turca aliquis, aut Iudæus ſimilíſve nationis homo, qui antea religionem Chriſtianam minimè deguſtavit, ad Chriſtum ſeſe ejúſve Eccleſiam vult adjungere, vel cùm periculum eſt, ne liberi noſtri non baptizati in Ethnicis numerentur, hominumque commercio eam ob cauſam indigni habeantur; propterea quòd omnes ferè in ea ſententia ſunt, ut neminem aquæ baptiſmo deſtitutum Chriſti membrum eſſe ſibi perſvadeant; vel denique, cùm quiſpiam in Chriſtianæ libertatis diſciplina nondum tantos fecit progreſſus, ut ſeſe abſque aquæ baptiſmo Chriſti diſcipulum fieri poſſe intelligat, ideoq; baptizari omnino cupiat. In hoc, inquam, ſimilíve ſtatu, ſi res verſentur, dubium non eſt, quin charitati & ædificationi plus, quàm libertati noſtræ, tribuendum ſit. Extra hos tamen ſimiléſve caſus, Eccleſia in recipiendis fidelibns ſua libertate uti poteſt, ita ut neminem, qui in Chriſtiana diſciplina educatus, & antea quacunque ratione baptizatus eſt, ad baptiſmi ceremoniam adigat. Lib: 4. c. 5, & 6.

Veruntamen cum omnia ordine decenterque in Eccleſia fieri debeant,

debeant, necessarium planè videtur, ut, qui in fidelium numerum adscribi cupiunt, ii in publico eorum cœtu, vel saltem coram testibus fide dignis, qui postmodum rem totam Ecclesiæ exponant, fidei suæ confessionem edant; & vel a verbi divini ministro, vel a quopiam alio ex senioribus, omnium reliquorum nomine, cum decenti quadam gravitate, admonitioneque seria ad pietatem, & in fide constantiam, devotis insuper precibus Deo Christóve adhibitis, in Ecclesiæ gremium recipiantur.

Cap: XV.

De disciplina Ecclesiastica.

HActenus, quo pacto homines Dei studiosi in Ecclesiam intromittantur, docuimus: sequitur ut, qua ratione in officio sint retinendi, videamus. Duplicem autem potissimùm hæc res viam habere videtur: quarum altera admonitio, altera reprehensio est. Et admonitiones quidem ita sunt instituendæ, ut propositis pietatis officiis, ad ea exequenda impellantur ii, qui calcaribus egent. Quam quidem ad rem tum aliæ rationes adhibendæ sunt, ad hominum animos commovendos accommodatæ, tum verò inprimis incomparabilis fructus, quem, si officium fecerint, sint reportaturi, aut contrà neglecti officii damna explicanda. Instandum autem est quotidie, atque ut Apostolus loquitur, tempestivè, intempestivè. Cùm enim necesse est monere, & res moram non patitur; etiam tum monendum est, cùm cæteroqui minùs videtur commodum. Adhibendus autem est simul in hortando ardor ac gravitas, ut rem seriam agi appareat; admovendæ preces; vitanda arrogantis ac imperiosi hominis species: quod fiet, si certet cum gravitate atque auctoritate lenitas, humanitas, modestia.

1 Tim:4.1,& d.

Iam ut ad reprehensionis nos conferamus officium; ea vel simplex est, vel cum animadversione seu pœna quadam conjuncta. Primò igitur, ut simplex reprehensio justa legitimaque sit, delictorum genera diligenter sunt ponderanda. Vel enim ita quispiam delinquit, ut unius solius mereatur reprehensionem; vel ita peccat, ut a pluribus culpandus sit. Ac primum quidem dupliciter evenit. vel enim te solum læsit, aliquáve injuriâ affecit; vel eo sese peccato obstrinxit, quod præter te nemo habet cognitum. Vtrumque igitur a te solo arguendum, & nequaquam statim ad Ecclesiam aliúmve quempiam deferendum est, ne & aliis frustrà molestiam doloremq; afferas, & charitatis legem, quæ fratris existimationi consulere, ac pudori parcere jubet, violes. Dicimus autem unà cum Christo, fratrem, qui

Mat:18.15.

Cap: XV. De disciplina Ecclesiastica.

trem, qui in ejusmodi culpam incidit, arguendum esse; ne quis eum probris maledictisque vexandum existimet. *Arguere* enim eo in loco ita peccatum culpare significat, ut illud peccatum esse convincas, nihilque aliud spectes, quàm ut fratrem lucreris, ut ex his Christi verbis perspicuum est: *Si te audierit*, id est, si reprehensionem grata voluntate prosecutus fuerit, *lucratus es fratrem tuum*. Hinc efficitur, & arguentem præclarum opus facere, utpote qui fratrem ab interitu vindicat, & eum, qui arguitur, inexplicabili beneficio affici, dum lucrifit, a morteque liberatur. Ex quo fit, ut quemadmodum ille tantam rem prætermittere nequaquam debet: ita huic minimè indignari conveniat, cùm reprehenditur: sed potiùs summum apud se beneficium poni, planè sibi persvadeat.

Alterum verò, nimirum illud delictum, quod plurium reprehensioni subjectum est, duplici etiam ratione committi solet: nempè vel ita, ut frater, qui in peccatum incidit, privatam unius correctionem contemnat; vel ut factum illius omnibus, vel saltem pluribus pateat. Iam si illud usu veniat, duplex rursus via fratris corrigendi ineunda est. Vel enim is, qui solus eum peccati arguerat, unum adhuc alterumque assumere debet, ut aut eorum auctoritati cedat is, qui deliquit, aut si ad alios rem deferri sit necesse, eorum testimonio, quid inter partes actum sit, comprobari possit, atque ut Christus loquitur, in ore duorum aut trium constet omne verbum: vel si is, qui delicti accusatur, ne hos quidem testes audiat, omnino in Ecclesia deferendus est, ut ipsius factum ab omnibus vituperetur, & sic, nisi præfractè delictum defendere, quàm corrigere malit, ad melioris vitæ rationem revocetur.

Iam quod ad peccata vulgò nota attinet; publicè, inque totius populi Christiani eo in loco, ubi res perpetrata est, existentis ore id reprehendendum esse, ipsum rectæ rationis judicium docere videtur: quippe quòd peccata publicè commissa, publicè corripienda esse svadeat. Hinc efficitur, eos, qui peccata sua vel publicè, vel certè ita commissa, ut ad multorum aures pervenerint, privatim reprehendi volunt, rem & iniquam, & gloriæ divinæ aliorumque saluti noxiam postulare. Vt porrò omnium reprehensionum, ita & istarum publicarum, nullus alius finis scopusq;, præter ædificationem, unquam esse debet. Quem scopum ut assequamur, intelligendum est, quemadmodum non unius generis medicina omnibus morbis adhibenba est: ita non eodem reprehensionis modo omnes peccantes corripiendos esse, propter diversa hominum ingenia, diversasque peccatorum causas. Duo autem potissimùm sunt genera eorum, qui

rum,qui publico aliquo sese alligant peccato. Quidam enim temeritate quadam levitateque ducti, nihil a peccato caventes, aut de carni obsistendo cogitantes,ejus laqueis implicantur. Hi sanè acerrimè reprehendendi sunt, peccatum verbis exaggerandum,suppliciorum divinorum metus mentibus incutiendus, sempiternæ salutis jactura, summa cum orationis gravitate, prædicenda, nec non gravior ab Ecclesia animadversio denuncianda.Quidam verò,tametsi a temeritate abesse solent, peccatis tamen irretiuntur; idque vel ignorantiâ, vel imbecillitate quadam animi fieri constat. Ac ignorantia quidem vel hoc pacto,ut ex improviso, & antè, quàm sese peccare ipsi animadvertant,delicto alligentur:quos quidem magna animi lenitate reficere convenit: vel ita per ignotantiam peccant,ut, quod fecerunt, peccatum esse nesciant. Id quod rursus duplici ratione fieri potest. Vel enim peccatur per ignorantiam affectatam; vel per ignorantiam non affectatam, ac culpâ notabili vacantem.Affectata ignorantia est,cùm quis,quod scire poterat,ignorat:idque vel quia scire non curat;vel quia rem antea sibi cognitam præ summa negligentia obliviscitur. Qui igitur propter ejusmodi ignorantiam peccatis se obstringunt,ii graviter & severè objurgandi sunt,& tanta in rebus gravissimis negligentia, tamque fœda ignorantia illis exprobranda est. Quòd si per ignorantiam non affectatam peccatum a quopiam commissum est, ita reficiendus est, ut & peccatum illud esse,& quale quantumque sit, intelligat, omnisque ei in posterum ignorantiæ excusatio præscindatur.

Veniēdum nunc est ad eorum peccatorũ reprehensiones,quę ex quadam animi imbecillitate oriuntur. Quæ res quò rectiùs intelligi possit, animadvertendum est,peccata sæpè ex duplici infirmitate profluere. Quidam enim ideò,quòd nondum Christi jugo ferendo adsveti sunt, subinde cadunt atque impingunt, facileque vel aliorum exemplo, vel alia quacunque re stimulante, in peccatum impelluntur: quidam verò,licèt ut plurimùm peccatum vitent, interdum tamen ingenti quodam carnis impetu abrepti, vel quasi fraude aliqua circumventi, in peccatum quodpiam inviti quodammodò incidunt. Cum autem tam hi, quàm illi, sui peccati conscientiâ vehementer cruciari, seque ipsos accusare soleant, ita corrigendi sunt, ut nec peccatum, quo sese contaminârunt, assentatione quadam extenuetur; nec altera ex parte ipsi reprehensionis asperitate de animi sui statu dejiciantur. Quare adhibenda est ea animi lenitas,quam Apostolus in iis corrigendis atque emendandis vult usurpari, qui aliquo delicto fuerint occupati ac circumventi. Admonendi igi-

Gal. 6, 1.

nendi igi-

nendi igitur, ut in posterum cum metu & tremore suam salutem agant; & simul in hanc spem excitandi, fore ut, si ita sese gesserint, Deus illis peccata omnia clementissimè condonet.

Hactenus de simplici reprehensionis genere egimus: consequens nunc est, ut de illo explicemus, cui aliqua pœna seu animadversio conjuncta est. Principiò autem hoc lectores monitos volumus, nos nequaquam de eo pœnarum genere loqui, quod a magistratu politico hominũ corporibus irrogari solet. Loquimur enim de pœnis Ecclesiasticis, in eum finem constitutis, ut, qui officium deserunt, ad frugem revocentur. Quâ quidem pœnâ tunc homines in Ecclesia coërcendi sunt, cùm in aliquo peccati genere, licèt sæpiùs moniti, perseverant; vel enormi quodam sese flagitio adstringunt, ita ut, nisi in illud animadvertatur, periculum sit, ne & salutaris Christi disciplina, & sic Ecclesia etiam malè audiat, & una acerbitatis radice sursum pullulante multi contaminentur. Hæc porrò pœna hominis illius, qui ejusmodi peccato se obligavit, potissimùm quadam a fidelibus separatione continetur. Quæ quidem separatio vel imperfecta est, vel perfecta, nempe pro peccati diversitate. Ac imperfecta quidem est, cùm quispiam ab arctissimo fraternæ familiaritatis vinculo arcetur. Hanc autem separationem ea re imperfectam nominamus, quòd, qui eâ castigantur, Ecclesiæ tamen membra aliqua ratione sunt, quantumvis infirma. Perfecta autem separatio, ut paulò pòst videbimus, homines prorsus ex Christiana republica exterminat. Ac imperfecta quidem separatione illi castigandi sunt, qui aut in unius, aut in plurium peccatorum consvetudinem ita venerunt, ut tamen spes sit, eos aliquando sese collecturos, abjectaque impuritate ad officium redituros. Quam quidem spem tunc maximè dant piis hominibus, cùm sese & fratres illorum nominant, & animo sese nequaquam inimico erga illos esse, multis argumentis ostendunt. Segregatio porrò ista in hoc constituta est, quòd, qui pietatis sunt studiosi, ii ab istorum commercio, quantum possunt, sese removent, id est, ut Paulus præscribit, cum illis minimè commiscentur; vel, ut explicatiùs idem alibi dicit, ne cibum quidem cum illis capiunt.

Heb: 12. 13.

2 Thess: 3. 6, 14.

1 Cor: 5. 11.

Perfecta autem separatio, est hominis in uno pluribúsve peccatis mortalibus obstinatè persistentis, a fidelium cœtu segregatio, seu exclusio ejusmodi, ut pro Ecclesiæ membro ampliùs nequaquam habeatur. Quæ porrò peccata mortalia sint, suprà suo loco a nobis explicatum est. Hîc verò, unde quempiam in scelere perseverare constet, ponderandum est. Intelligendum igitur est, rei isti-

lib: 4. c. 23.

us hoc evidentissimum argumentum esse, quòd, qui in hoc statu versantur, ii peccata sua nec lamentantur, nec pœnam deprecantur, nec ullam vitæ melioris concitant expectationem: quin imò omnes admonitiones atque reprehensiones, omnesque labores, qui in illis corrigendis ponuntur, contumaciter respuunt, & superbè contemnunt. Vnde colligitur, eos, qui ita se gerunt, Christi discipulos jam nequaquam esse, remque ipsam efflagitare, ut ex Christianorum numero exterminentur. Hanc autem rei istius potestatem Ecclesiæ datam concreditamque esse, tum inde potest intelligi quòd Paulus Corinthios reprehendit, qui incestum illum non excommunicaverint; tum quòd ipse Christus, hominem, qui & privatim & publicè peccati convictus, eoque nomine reprehensus, culpam agnoscere & deprecari, & sic Ecclesiæ obtemperare nolit, pro Ethnico atque publicano habendum, & in cœlo ratum esse dicit, quicquid Ecclesia in terris ligat aut solvit, id est, quoscunque vel a fidelium commercio segregat, vel in eorum numerum reponit. Quo in loco nequaquam, ut & suprà monuimus, absoluta, sed conditionalis ligandi solvendique potestas cogitanda est, si nimirum vel a peccandi consvetudine quispiam minimè discedat, vel scelere a se repulso ad officium sanitatemque redeat.

1 Cor: 5. 2, 6, 7.

Vt autem totum hoc excommunicationis negotium planè intelligamus, duo præterea animadvertenda sunt, nimirum tum rei istius peragendæ modus, tum ejusdem usus ac finis. Ac modus quidem duplex est: quorum alter primævæ illi Ecclesiæ divinisque in ea viris proprius est; alter verò hodiernæ Ecclesiæ cum illa communis. Proprius illi Ecclesiæ, & viris divinis in ea existentibus, excommunicandi modus erat, homines perditos ac contumaces Satanæ tradere. Qua quidem re grave quoddam supplicium, divina voluntate per Satanam impiis hominibus infligendum continebatur. Erant quippe Apostoli singulari quadam autoritate præditi, potestateque sceleratos puniendi divina quadam armati, ut apud Paulum Apostolum aliquot in locis scriptum legitur. Ex quo fit, ut hęc excommunicandi ratio nostris temporibus revera non conveniat.

1 Cor: 5. 5. 1 Tim: 1. 20. 1 Cor: 4. 21. 2 Cor: 10. 6, & d. c. 13. 2. & d. & ℣ 7. & 10.

Iam quod ad communem excommunicandi rationem attinet; animadvertendum est, Ecclesiam loci illius, in quo res ista geritur, totam in unum locum cogendam esse, ut nimirum tum omnes de ejus, qui excommunicandus est, peccato justissimum judicium faciant; tum ipsius animadversâ malitiâ, uno consensu eum in Christi membris nullo pacto haberi posse statuant,

Sed ut

Sed ut tandem de segregationis atque excommunicationis usu seu fine videamus; intelligendum est, eum quadripartitum esse. Primò enim hac ratione providetur, ne & Ecclesia & salutaris Christi doctrina malè audiat. Deinde fit, ut reliqui metu hujusmodi animadversionis, & censuræ Ecclesiasticæ, quæ apud ipsum Deum rata est, in officio contineantur, aut, si fortè ab eo discedere inceperint, ad frugem redeant. Præterea eam ob causam a consortio fidelium segregantur ii, qui in peccato aliquo hærent, ne, ut Apostolus loquitur, exiguo fermento tota massa fermentetur, & ad cæteros vitiorum contagio dimanet. Ad extremum, illud in istiusmodi hominibus segregandis Ecclesia spectat, ut ii, qui ita segregantur, pudefiant, eaque ratione emendentur; quin etiam ut ii ipsi, qui ab Ecclesiæ corpore penitus reciduntur, si Deus permittat, quanto in periculo versentur, mente animoque considerantes, de resipiscendo cogitent. Cujus rei argumentum illud esse videtur, quòd Paulus Hymenæum & Alexandrum Satanæ se tradidisse ait, ut discerent non blasphemare; id est, ut & a blasphemando abstinerent, & experiendo cognoscerent, quantum sit periculum, in Christianam disciplinam contumeliosum esse, &, quod consequens est, aliis fidei naufragium afferre. Hinc colligitur, posse fieri, ut, qui excommunicantur, Deo illis misericordiam tribuente, ad frugem redeant, & porrò Ecclesiam eos, si ita eveniat, recipiendi potestatem habere. Excommunicationis quippe causâ sublatâ, ipsum rei istius effectum cessare necesse est. Qua de causa Christus Ecclesiæ non solùm ligandi, sed solvendi etiam potestatem dedit. Quam tamen suam potestatem Ecclesia, non absque diligentissima hominis in eo casu constituti exploratione exercere debet. Potest enim fieri, ut, qui denuò in Ecclesiam recipi cupit, simulationis artificio animum sceleribus inquinatum ad tempus tegat atque occultet, & postea, naturâ malitiosâ vires suas exerente, summo cum Ecclesiæ & pudore & dolore ad vomitum redeat. Nónne igitur rem istam differre procrastinareque satius est? cum præsertim, si resipuit, ideoque singularem Dei benevolentiam ea in re expertus est, hæc ei mora fraudi nequaquam futura sit; & interim nihil Ecclesiæ, quàm ita se gerere, tutius esse queat. Interim tamen, qui istam pœnitentis animi dant significationem, ii nequaquam aspernandi sunt, sed ita a nobis explorandi, ut manifestò appareat, nos de illis servandis summopere laborare. Quòd si post diuturnam explorationem intelligatur, eos seriò & ex animo rem agere, nihil prohibet, quominùs Ecclesia solvendi potestate sibi permissa liberè utatur. Recipiendi ergo

1 Cor: 5. 6.

1 Tim: 1. 20.

ergo sunt in Ecclesiam ejusmodi homines, sed non citò. Atque huc nonnulli spectare censent id, quòd Paulus Timotheum manus cuipiam citò imponere prohibet, ne videlicet alienis peccatis particip et. Nam eos, qui excommunicati fuerant, per manuum impositionem in Ecclesiam recipi solitos, non alienum a vero videbitur ei, qui antiquæ Ecclesiæ hac in re morem cognoverit: quem quidem diu admodum in Ecclesia viguisse, patet ex narrationibus Victoris de persecutione Vandalica, qui in libro secundo scripti illius sui hunc in modum loquitur: *Qui nobis pœnitentiæ manus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentiâ, obstrictos peccato, peccatorum vinculis soluturi.* Quod idem & ex distinct. 50. quinti Canonis Concilii Carthaginensis perspicitur, qui sic habet: *Presbyteris vel Diaconis, si quando de gravi aliqua culpa convicti a ministerio remoti fuißent, manus non imponerentur, ut pœnitentibus, vel aliis ex fidelium laicis.* Idem & Fulgentius scribit Epistolâ primâ de conjugio. *Illa ægrota,* inquit, *accepta manus impositione, pœnitentiam secundùm morem, quem habet Christiana religio, peregiße dicitur.* Ejusmodi rei vestigium adhuc in confessione Pontificiorum auriculari apparere videtur, in qua confitentes per eandem ceremoniam a peccato, ut quidem illis videtur, absolvuntur.

1 Tim: 5.22.

Et hi quidem sunt termini & quasi cancelli, quibus ea Ecclesiæ potestas circumscripta est, quam in illis, qui peccant, puniendis exercere potest, ultra quos progredi nequaquam illi licet, & sic minimè in sontes tantam usurpare licentiam, ut eos vel verberibus cædat, vel in carcerem detrudat, vel in exilium pellat, vel denique cruciatibus morteque afficiat. Divinus enim spiritus Ecclesiasticæ disciplinæ rationem sat diligenter nobis explicans atq; prescribens, nullam istorum suppliciorum mentionem facit: ut nihil dicam, mansvetissimum Christi spiritum, quo Ecclesia gubernatur, nequaquam hoc fieri permittere. Loquimur autem hoc in loco, non de singulari illa Apostolorum autoritate, quâ & Sathanæ homines sceleratos tradere, & veritati adversantibus cœcitatem, pietatem simulantibus, & spiritum sanctum in Apostolis habitantem tentantibus, præsentissimam mortem denunciare poterant; cujus potestatis effectus a divina potentia penitùs proficiscebatur. Hæc enim potestas, ut suprà diximus, Apostolorum propria, planeque miraculosa fuit, iisque eam ob causam in ipso Ecclesiæ primordio concessa, ut & cœlestis veritas confirmaretur, & homines intelligerent, quantum periculum esset, aut contumaciter divinis monitis resistere, aut viam Domini pervertere, aut religionis studio fallaciter

1 Cor: 5.5. 1 Tim: 1.20. Act: 13. 11. c. 5. 1. & d.

assumto, pietateque simulata & composita, viris divino spiritu prçditis, ipsiq; adeò Deo illudere. Hodierna verò Ecclesia istis tantùm disciplinæ gradibus contenta est, qui generatim communiterque præscripti sunt, & extra hos quasi limites prodire nefas esse ducit. Atque hanc ipsam ob causam ne in eos quidem sævit, qui ab Apostolo hæretici nominantur. Neque enim ullam de illis interficiendis legem sibi a Christo latam esse videt; sed tantùm eos post unam atque alteram admonitionem vitandos, id est, a fidelium numero per excommunicationem arcendos esse, ab Apostolo didicit. Tit: 3. 10.

Cavendum autem est, ne Ecclesia per quendam errorem, eum hæreticum esse putet, qui ab hoc scelere quàm longissimè abest; intelligendumque est, eum jurè hæreticum nominari, qui ita a salutari Christi doctrina aberrat, ut in errore perseveret. Hinc intelligitur, non ob quemlibet errorem, aliquem hæreseos damnandum esse. Sunt enim duo errorum genera. quorum alterum fidem obedientiamque Christo debitam pessundat, & sempiternam salutem adimit: veluti sunt illæ disciplinæ, quæ vel Iesum esse Christum, vel eum a mortuis resurrexisse, vel in cœlo existentem regnare, suorumque procurationem habere negant, quæque illum divino honore, qui in adorationis ac invocationis cultu constitutus est, spoliant. Huc & omnes illæ doctrinæ pertinent, quæ Deorum multitudinem revera introducunt; quęque rerum creatarum, ut imaginum, statuarum, hominum mortuorum, panisque Eucharistici adorationem religiosamque venerationem præcipiunt. Horum errorum quicunque vel uno implicatus est, inque eo perseverat, is & hæreticus habendus, & ex Ecclesia exterminandus est.

Est autem & alterum errorum genus, quo quidem minimè implicari, ad multas res divinas intelligendas, ad ipsamque salutem plurimùm prodest, non tamen ejusmodi est, ut fidem obedientiamque Christo debitam exterminet. Cum porrò, qui Christo confidit atque obtemperat, ei amplissimus ad cœleste patrimonium aditus pateat; quo, quæso, jure idem pro hæretico haberi, exque Ecclesia ejici poterit, quamvis in aliquo istius generis errore versetur? Tales autem sunt innumeri errores, qui in Christiano orbe hinc inde vigent, utpote qui nec idololatriam constituunt, nec debitum Christo cultum negant, nec impietatem vitæ omnino secum trahunt.

Hìc verò, qui aliter sentiunt, non solùm excommunicandum hæreticorum genus, sed etiam hujus lucis usurâ privandum esse asserunt. Quam quidem sententiam suam hoc potissimùm argumento confir-

to confirmari putant, quòd non solùm hæreticorum occisio in disciplina Evangelica interdicta nequaquam sit, sed insuper etiam in Vetere Testamento mandata. Nos igitur, ut vanissimam istam ratiocinationem esse demonstremus, primò ex solo novæ scripturæ hac de re silentio, nequaquam tanti facinoris licentiam concludi posse dicimus. Tametsi enim in illis rebus, quæ aut minoris sunt momenti, aut quæ citra ullum proximi nostri detrimentum, imò sæpè illius commodo fieri possunt, locũ illud axioma habere haud inviti concedimus, Quod interdictum non est, censetur esse permissum: tamen & ipso rectæ rationis judicio, & sanctissimorum hominum exemplo docemur, nunquam eam rem a nobis absque Dei mandato, aut expressa saltem apertáve permissione, suscipiendam esse, quæ proximum nostrum vitâ privet, aut fortunis omnibus evertat. An non potiùs nobis hîc imitandus est Moses, qui expresso Dei mandato destitutus, non ausus fuit suo arbitratu cum eo agere, qui Deo maledixerat, aut qui die sabbati ligna collegerat: sed Dei demum requisita voluntate, tam hunc, quàm illum lapidibus obruendum curavit?

Lev: 24. 11, & d. Num: 15. 34, 35, 36.

Sed enim non usquequaque verum est, Novi Fœderis scriptis Ecclesiam hæreticorum occisione minimè prohiberi. Satis enim interdictum in novo instrumento id censeri debet, quod cum ipsius analogia minimè congruit, imò planè repugnat illi charitatis benevolentiæ, quæ in eo nobis præscribitur. Christus quippe, ut omnium aliarum virtutum perfectissimum exemplar extitit, ita & charitatis istius clarissimum lumen nobis prætulit: quandoquidem, ut ipse de se loquitur, nõ venerat perditum homines, sed servatum. Adde, quòd eo ipso, dum jubemur hæreticum hominem post unam alteramque admonitionem vitare, occidere eundem non obscurè prohibemur.

Luc: 9. 52.

Consequens nunc est, ut de illo videamus, quod secundo loco ab adversariis positum erat, nimirum in vetere instrumento de hæreticis interficiendis manifestum extare mandatum. Apud Mosen enim, inquiunt, scriptum legitur, illum vatem, aut somniatorem, qui Israëliticum populum ad alienos Deos colendos traduceret, occidendum esse. Atqui testimonium istud ad propositam quæstionem nihil quicquam facere, duabus potissimùm rationibus demonstrari potest. Primò enim, isto in loco non de omni hæretico verba fiunt, sed de illo tantummodo, qui hominibus ad Deos alienos colendos autor sit, quique non modò alios ad eandem impietatem traducere conetur, sed singulari etiam fraude hac in re utatur, falso

Deut: 13. 5.

nimirum

nimirum vaticinio, aut somnio, quod divinitus sibi immissum jactet. Deinde si maximè de quovis hæretico interficiendo ibi sermo haberetur; quid hoc, quæso, ad nos, qui alius spiritûs filii sumus, nimirum non legalis, sed Christiani, qui clementiæ, mansvetudinis, humanitatisque plenissimus est? Qui Christi spiritus nequaquam permittit, ut homini hæretico in errore pestifero versanti, unà cum temporaria & sempiterna vita eripiatur. Id quod contingere necesse esset, si hæretici interficiendi forent. Sed non est facilè metuendum, ne vera Christi Ecclesia hæreticos occidat: cum veritatis illius, quam profitetur, natura tantopere ab ea re abhorreat; sed illud potiùs verendum est, ne ii, qui Deum & Christum ignorant, quiq; ipsi hæretici sunt, eos, qui rectiùs sentiunt, tanquam hæreticos damnent, & occidant, arbitrantes, se cultum Deo præstare, quemadmodum discipulis suis Christus prædicit. Ioh: 15. 21. c. 16. 2. 3.

Cap: XVI.

De controversiis Ecclesiæ adjunctis.

Sequitur tandem, ut de iis Ecclesiæ adjunctis dicamus, quæ in aliquam adducta sunt controversiam. Hæc autem in quatuor genera distribui posse videntur. Aut enim dubitatur, num ad sempiternæ salutis adeptionem necesse sit inquirere, ubi & penes quos Ecclesia Christi sit: aut investigatur, quibus signis Ecclesia sit cognoscenda: aut quæritur, utrùm fieri possit, ut Ecclesia aliquando deficiat: aut denique, si cesset, an & quo pacto instaurari possit.

Primò igitur ad salutem consequendam simpliciter necessarium esse non videtur, ubi Christi Ecclesia sit, perquirere. Cum enim in Christo fiduciam locatam habere, eique obtemperare, ad cœlestem hæreditatem adeundam satis sit, ut divinus spiritus non uno in loco testificatur; cumque nusquam præcipiatur, ut unusquisque, ubi sit vera Christi Ecclesia, pervestiget; quis non videt, rem illam non esse simpliciter necessariam? Atqui, inquiet quispiã, in Christo fiduciam collocare, illique parere is demum verè dicitur, qui & Apostolorum traditiones, & Ecclesiæ instituta conservat; & porrò inquirendum est, ubi Ecclesia ista sit, quæ & Apostolorum traditiones custodiat, & sua hominibus præcepta tradat. Nos verò istius argumenti antecedens haudquaquam admittimus. Vt enim quis in Christo fiduciam suam collocet, ipsique obtemperet, satis est, eum in iis promissis Christi acquiescere, eaque ejus mandata exequi, quæ sacris literis sunt comprehensa: cum, ut suo loco demonstravimus, sacra scriptura omnia complectatur, quæ ad sempiternam felicitatem lib: 5. cap: 9.

sunt necessaria. Adde quòd, ut similiter suprà ostensum est, nulla ejusmodi instituta certò ostendi queunt, quæ ab Apostolis extra scripturam Ecclesiæ de manu in manum tradita fuerint. Quid, quòd nec ejusmodi Ecclesiam existere docuimus, quæ jurè sese traditionum istarum custodem nominare possit. Quid verò de Ecclesiæ mandatis dicam? Ea enim vel eadem cum scriptis Christi mandatis sunt, vel diversa. si eadem, satis fuerit, illa ex divino ipsius volumine haurire. si diversa, nemo iis, præsertim simpliciter & absolutè obstringitur, etiamsi, ut hîc ponimus, doctrinæ Christi adversa non sint; imò etiamsi ad rectum in Ecclesia ordinem tuendum aliqua ratione faciant. Tum enim demùm hujusmodi Ecclesiæ præcepta ac instituta hominem obligant, (licèt non ea prorsus necessitate, quâ Christi ipsius mandata) cùm is Ecclesiam veram agnovit, & sic secundùm Christi doctrinam ei se adjunxit. Quæ cum ita sint, planè corruit argumenti istius conclusio, nimirum Ecclesiam, ubi sit, omnino inquirendam esse. At, inquiunt, quomodo quis Ecclesiam, ut Christus apud Matthæum jubet, adire audireque poterit, nisi, ubi Ecclesia sit, inquirat? Hîc respondemus, minimè consequens esse, ut quia Christus Ecclesiam adire atque audire jubet, idcirco, ea ubi existat, inquirendum nobis omnino sit: cum illos, qui Ecclesiam jam agnoverunt, eique se adjunxerunt, eo loco doceat, quomodo se in fratribus corripiendis atque ad officium reducendis gerere debeant: ubi simul indicatur, quid eos facere oporteat, qui ita ab aliis monentur, ac verbis castigantur.

ibid: cap: 8.

Mat: 18. 7.

Vt autem nihilominus explicemus, quo pacto Ecclesiam Christi verà agnoscere possis; intelligendum est, ad eam rem id unum esse necessarium, ut cognoscatur, quænam sit salutaris Christi doctrina. Nam cum ea sit vera Christi Ecclesia, quæ salutarem ejus doctrinam tenet ac profitetur; facilè apparet, eum, qui hanc probè cognitam habet, Ecclesiam Christi veram agnoscere inde posse; præsertim si salutarem illam doctrinam ab aliis de religione dogmatibus, ad salutem licèt utilibus, non omnino tamen necessariis, accuratè nôrit discernere; ac similiter errores, qui salutem prorsus adimunt, ab iis, qui eam non omnino eripiunt. Id quod propterea addimus, quia, si quis plura ad salutem scitu necessaria esse putet, quàm revera sint, is, si vim sententiæ suæ sequatur, non quidem eam Ecclesiam pro vera Christi Ecclesia habebit, quæ vera non sit: interim tamen eam, quæ vera sit, pro vera poterit non agnoscere: nempe, *quia* evenire potest, ut Ecclesia vera ab ipso ea in re dissentiat, quam is ad salutem putet omnino esse necessariam, cum necessaria non sit, etiamsi tan-

Cap: XVI. De controversiis Ecclesiæ adjunctis,

amsi tandem sit vera. Atque hæc est causa, cur multi hodie ex iis, qui a Pontificiis discessionem fecerunt, licèt salutarem veritatem eatenus teneant, quatenus ea nôrunt ac profitentur dogmata, sine quibus nemini ad salutem sempiternam patet aditus; alios tamen, qui eandem veritatem vel non minùs, quàm ipsi, vel etiam exactiùs tenent, pro hæreticis habeant, & ex suis Ecclesiis expellant, imò quovis supplicio dignos judicent; id quod nequaquam facerent, si veritatem salutarem a reliquis Christianæ religionis dogmatibus nollent distingvere. Nos, cum animadvertamus, ad salutem sempiternam nihil requiri aliud, quàm fidem in Deo per Christum collocatam, cujus spiritus atque anima est obedientia mandatis ejus debita, omnes omnium sententias tolerandas censemus, quæ fidem obedientiamque illam non evertunt, sed cum ea consistere queant, licet alioqui valde erroneas. Interim tamen omnes monendos statuimus, ut in veritatis cognitione longiùs progrediantur, quemadmodum sacræ literæ partim apertè præcipiunt, partim optando monent, utque errores demonstratos non pertinaciter defendant, sed deponant. Etenim si in veritatis cognitione, ejus præsertim, quæ ad Dei gloriam illustrandam, ad pietatis studium promovendum, ipsamq; adeò salutem obtinendam plurimùm faciat, progredi, occasione etiam atque oportunitate ad eam rem oblata, nolint, erroresque contrarios pertinaciter defendant; tanquam veritatis contemptores, & gloriæ divinæ pietatisque hostes quidam meritò damnabuntur; idque tantò magis, si inde fiat, ut eos, quos tanquam fratres suos Deique filios diligere debebant, odio prosequantur, aut aliqua ratione insectentur. *Qui enim non diligit fratrem suum, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. nôstis autem, quòd nullus homicida habeat vitam æternam in se manentem*, inquit Ioannes.

Heb: 5. 12. & d. c. 6. 1. & d. Eph: 1. 17, & d. 3. 18, 19. 4. 13, 14. Phil: 1. 9, 10. Col: 1. 9, 10. 2. 2. 1 Thess: 3. 10. 2 Pet: 3. 18.

1 Ioh: 3 14, 15.

Sed, ut ad institutam disputationem redeamus, nondum quiescentes adversarii dicent, eam ob causam Ecclesiæ investigationem necessariam esse, quòd non nisi ipsius autoritate res controversæ, quæ ad religionem spectant, definiri possint. Quod quidem nos pernegamus: cum res in controversiam adductæ, vel sint ad salutem necessariæ, vel non sint. Atqui nec illæ, quæ ad salutem necessariò requiruntur, Ecclesiæ judicio omnino indigent: cum in divinis literis adeò clarè expressæ sint, quemadmodum suo loco demonstratum est, ut a quolibet non socorde homine eâ, quâ suprà diximus, ratione & cognosci, & dijudicari possint: nec in iis, quæ ad salutem necessariæ non sunt, ad Ecclesiæ autoritatem confugere, multò autem

lib: 5. c. 6.

tò autem minùs ex ea pendere necesse est: cum in iis ipsa Ecclesia errare labique possit. siquidem ad Ecclesiam veram constituendam nil requiritur aliud, quàm ut ea omnia, quæ ad salutem sunt prorsus necessaria, teneat ac profiteatur. Adde quòd, cum istarum rerum cognitio non sit omnino ad salutē necessaria, etiamsi ea nonnisi ab Ecclesia peti posset, non esset tamen ad salutem prorsus necessarium, eam ob causam Ecclesiam inquirere. Quòd si quis inde Ecclesiam omnino inquirendam, & judicio ejus standum esse colligat, quia rudiores, nisi ab Ecclesia erudiantur, ne ea quidem intelligant, quibus salus æterna continetur, præsertim in magna sententiarum discrepantia: respondemus, alia ratione ignorantiæ illi consuli posse, sublatis voluntariis ignorantiæ illius causis; quæ sine dubio sunt, quòd sacras literas vel non legunt audiúntve, vel ad audiendum legendúmque non eum animum, nec eam diligentiam probitatemque afferunt, quâ ad rerum salutarium intelligentiam opus est. Quibus causis sublatis, omnis ista ignorantia citra ullum Ecclesiæ judicium cessabit.

Atque hæc quidem de confugiendo ad ecclesiæ autoritatem sententia, cùm de religionis causa controvertitur, a Pontificiis in hunc finem inventa est, ut divinis voluminibus neglectis, a Romana ecclesia toti penderemus. Verum enimverò, cum ipsa Romana ecclesia tot gentibus atque nationibus non suspecta solùm, verùm etiam gravissimorum criminum, & a salutari veritate defectionis, jam olim ab iis convicta sit; quomodo, quæso, judicis personam sustinebit? Quis enim sanæ mentis homo ejus judicio stabit, qui ipse reorum loco stare jurè debebat, & dum alios accusat, pars adversa est? Vt facilè appareat, quàm ineptè nos Pontificii ad ecclesiæ suæ tribunal vocent, & simul, quia illud adire renuimus, quàm injustè tum superbiæ, tum contumaciæ ab illis accusemur: cum ab æquitate & sanæ mentis ratione alienum sit, adversæ partis judicium subire. quod omnino fieret, si a Pontificio in Pontificiorum judicium vocatus, illud adirem, & quidem ita, ut, quemadmodum illi postulant, sine ulla provocandi facultate ei me subjicerem. Sola igitur, ut diximus, sancta scriptura ea est, ex qua omnes de rebus divinis controversiæ judicandæ, omnes de religione sententiæ ponderandæ, omnes denique obscuritates illustrandæ sint; adeò ut rerum istarum causâ opus non sit, ecclesiam, ubi sit, investigare. Interim tamen haud negamus, si contingat, ut cognita salutari Christi doctrina, non statim cernas ejusmodi hominum cœtum, qui eandem veritatem profiteatur, aut in illo verseris, convenire, ut inquiras,

extentne alicubi homines ejusmodi; ut ita te illis, quoad fieri potest, arctissimè adjungas, & sanctiorem amicitiam cum iis colas, & vel tu ab illis, vel illi a te, tum in cognitione rerum divinarum, tum in pietatis studio juventur, & cætera, quæ conjuncta veluti manu a fidelibus peragenda sunt, a te unà cum illis perficiantur. Et hæc quidem, quæ de ecclesiæ inquisitione hucusque disputavimus, magis adhuc confirmabuntur, ubi docuerimus, nullas ejusmodi extare Ecclesiæ notas, ex quibus, si salutarem veritatem nondum habeas cognitam, certò possis statuere, quænam sit vera Christi ecclesia. Inde enim intelligetur, non esse necesse, ut cognoscendæ salutaris doctrinæ causâ ecclesiam veram inquiras: imò illam omnino cognoscendam esse, antequam ad certam hujus notitiam pervenias, contrà, quàm a Pontificiis statuitur.

Cap: XVII.

De Notis Ecclesiæ.

QVi ergo Ecclesiam veram unicuique necessariò inquirendam, esse statuunt, atque inprimis ii, qui ab ea jam cognita salutarem veritatis notitiam petendam esse contendunt, proprias, inseparabiles, indubitatasque ecclesiæ notas appositas esse asserunt, quorum admonitu, qui in ea investiganda occupantur, facilè illam agnoscere possint. Nos longè aliter sese rem habere constanter affirmamus, sive inaspectabilem, sive aspectabilem spectes ecclesiam. Ad inaspectabilem enim quod attinet, ipsa inaspectabilitatis appellatio, omnes notas, præsertim certas atque indubitatas, quibus cognosci possit, excludit. Ea enim spectanda est non tantùm ex factis quibusdam externis, quæ aliis quoque patent; sed inprimis ex animo eorum, ex quibus constituta est; quem quidem soli Deo atque Christo cognitum perspectumque esse nemo ignorat. Externa, quamvis alioqui præclara, simulari possunt; & licèt non simulentur, dubitari tamen potest, utrùm in eo homine, in quo illa cernuntur, omnia ea reperiantur, quæ ad membrum inaspectabilis Ecclesiæ Christi constituendum pertinent. ut taceam, ne illa quidem omnia, utrùm Christi mandatis usquequaque sint consentanea, dijudicari posse, nisi veritatis salutaris jam benè sis gnarus.

Vt autem magis hoc appareat, videamus sanè, quales ejus notæ a quibusdam ostendantur. Tres igitur potissimùm sunt: Communio Spiritûs, fides, ac charitas. Verùm cum signum re signata notius esse, &, ut Augustinus, ipsaque adeò recta ratio testatur, & seipsum sensui, & præter se aliud animo ostĕdere ac repræsentare de-

beat; cumque res paulò antè memoratæ ipsæ certò cognosci non possint, nedum præter se aliud quiddam sensibus exhibeant; nonnè clarissimè patet, eas Ecclesiæ signa non esse? Spiritum enim sanctum, ut Paulus luculentissimè testificatur, Deus in fidelium suorum corda mittit. Fidem etiam in cordibus inclusam esse, nemo ignorat: cum, ut idem Apostolus testatur, corde ad justitiam credatur. Iam quid de charitate dicam? eam certè cordis affectum esse omnes nôrunt. Neque enim est, quòd quispiam ex præclaris actionibus ista certò cognosci asserat: cum nequaquam eadem sit virtutum ratio, quæ vitiorum. Vt enim hæc simulari nequaquam possint; possunt tamen illæ. Vnde sacræ literæ & fidem & charitatem non simulatam requirunt, ac laudant, eo ipso indicantes, utramque simulari posse.

Gal: 4. 6. Rom: 10. 10. 1 Tim: 1. 5. 2 Tim: 1. 5. Rom: 12. 9. 2 Cor: 6. 6. 1 Pet: 1, 22.

Aspectabilis quoque Ecclesiæ nullas proprias, talesque, quales diximus, notas esse, inde patet, quòd omnes, qui in illis perquirendis plurimum consumserunt industriæ, quamvis maximo ingenio, singularique doctrina excelluerint, nullas invenire potuerunt, utut sibi aliter persvaserint. Quod quidem ut clarissimè pateat, intelligendum est, eos, qui in notis istis ecclesiæ apponendis elaborârunt, in duo genera distinctos esse. Alii enim Evangelicorum titulo gaudent, alii Catholicorum. Ac illi quidem ecclesiæ notas esse ajunt, tum puram atque incorruptam verbi divini prædicationem; tum legitimum sacramentorum usum.

Puram & incorruptam verbi divini prædicationem Ecclesiæ propriam notam minimè esse inde constat, quòd ecclesiæ constituit essentiam: cum ecclesia aspectabilis, de qua hîc agimus, nihil sit aliud, quàm is hominum cœtus, qui salutarem Christi veritatem tenet ac profitetur. Salutaris autem doctrinæ professionem, divini verbi, quod hîc oratione persequimur, prędicatione contineri, inq; ea includi, apertissimum est. Quod cum ita sit, quomodo, quæso, salutaris doctrinæ prædicatio, citra principii petitionem, cùm de Ecclesia ex notis cognoscenda agitur, proferri potest? id est, quomodo id, quod Ecclesiæ continetur essentiâ, & sic ipsa aliqua ex parte essentia est, suum ipsius signum dici potest? Intelligendum enim est, de istiusmodi signis hîc agi, quæ essentiam ecclesiæ nondum cognitam ostendant ac patefaciant, adeoque non ex ipsa essentia, sed ex ejusdem propriis adjunctis sumenda esse. Aliter enim, ut diximus, turpissima petitio principii nequaquam vitari poterit. Nam cùm quæritur, quo pacto ecclesia cognoscatur, perinde valet, quasi quæratur, qua ratione ille cœtus hominum cognoscatur, qui salutarem

doctrinam

doctrinam tenet ac profitetur. Vbi sanè non idem, sed aliud quidpiam respondendum esse, nemo non intelligit. Quod ad legitimum usum sacramentorum attinet; ne de ejus vocis usu ac significatione, aut earum rerum, quæ eo nomine appellantur, numero nunc quicquam dicamus; primùm de eo idem, quod de prædicatione verbi divini incorrupta dici potest; nempe eum ad ecclesiæ essentiam constituendam pertinere; quod ii, cum quibus nobis res est, non diffitentur, nec diffiteri possunt. Si enim cœtus aliquis sacramenta, omnibus in perpetuum a Christo præcepta, qualia hîc intelliguntur, vel planè non usurparet, vel legitimè non usurparet, ob id ipsum ecclesia Christi non esset, nec salutarem veritatem usquequaque profiteri censendus esset. Deinde cum solus legitimus sacramentorum usus, qui quidem in hominum sensum incurrere queat, ad ecclesiam ostendendam non sufficiat, sed cum pura verbi divini prædicatione conjunctus; cumque ostenderimus, hunc ecclesiæ signum non esse; consequitur, nondum eas nos habere ecclesiæ notas, ex quibus ea indubitatò cognosci queat, etiamsi tandem legitimus sacramentorum usus extra ecclesię essentiam esse posset.

Sed jam eas notas suis momentis examinemus, quæ ab iis, qui Catholicos se nominant, inventæ sunt. Sunt autem numero quatuor potissimùm. Tametsi enim in illis percensendis sunt admodum varii, cum alii plures, alii pauciores constituant: in hoc tamen, qui reliquis ingenio doctrinâque præstant, consentire videntur, quòd reliquæ omnes, ad quatuor istas, quas mox recensebimus, referri possint. Eæ autem hæ esse ab illis dicuntur; nimirum quòd ecclesia sit una, quòd sancta, quòd Catholica, quòd denique Apostolica.

Primò igitur, quod ad unitatem attinet; dicimus, eam ecclesiæ notam minimè esse. & ut hoc planum fiat, non Iudæorum jam inde a Mose ortum habentiũ, non Mahometanorum, non latronum aliorúmve unitatem opponam, quamvis hoc ab aliis factum esse comperiam: sed ponam, Pontificios, ut quidem caussæ illius patroni contendunt, de ea unitate sermonem habere, quâ universa ecclesia, singulaque ipsius membra, cum ipsis Apostolis eorumque disciplina, ipsaque inter se, indissolubili nexu constructa semper fuerint: num idcircò unitas ecclesiæ signum erit? Minimè gentium. Quid enim aliud hîc dicitur, quàm, ut quidam ex doctissimis adversariis, ex Athanasio explicat, Ecclesiam eadem semper cum Apostolis profiteri, id est, eandem cum illis salutarem veritatem retinere? id quod ecclesiæ notam minimè esse jam demonstravimus; cum in aspectabilis ecclesiæ essentia contineatur. Deinde, si

Arcturus Iesuita.

notis Ecclesiæ. de si quis hoc, ut illi volunt, signo Ecclesiam agnoscere velit, necesse est eum Apostolorum doctrinam jam certò habere cognitam. at ipsi ab Ecclesia demùm eam petendam contendunt; ac proinde priùs Ecclesiam, quàm Apostolorum doctrinam cognosci volunt. Huc accedit, quòd ejusmodi unitas, quam Pontificii Ecclesiæ assignare videntur, quæ nimirum maximum in rebus etiam exigui momenti consensum in se comprehendat, ideo ejusdem propria nota esse minimè potest, quòd ea aut nunquam, aut certè non semper in fidelium numero reperitur, repertáve fuit. Quid enim? an illi, qui Apostolorum ætate de ciborum dierumque discrimine, deque aliis rebus dissentiebant, ejusdem Domini Iesu servi, & sic illius Ecclesia non fuerunt? Quomodo igitur summus iste de rebus hujusmodi consensus, necessarium inseparabileque ac perpetuum signum Ecclesiæ esse potest? Satis quippe est, fidelium nationem de illis rebus consentire, quæ ad salutis adeptionem sunt necessariæ: quamvis ne hic quidem consensus, quippe quo salutaris veritatis contineatur professio, ecclesiæ, ut ostendimus, proprium signum sit. Quòd si tamen contra omnem veritatem Pontificiis dare voluerimus, unitatem istam Ecclesiæ signum esse; quid, quæso, hoc illorum causæ præsidii affert? vel potiùs an non evidentissimè convincetur, eos Christi ecclesiam nequaquam esse? quippe quorum unitas partim falsa, partim hominibus prorsus indigna, partim servilis sit. Ac falsam quidem esse unusquisque comperiet, qui quàm longè a Christi Apostolorumque doctrina defecerint, considerabit, & quantoperè a se invicem dissideant, animo agitabit: quorum illud nos plurimis in locis demonstravimus, hoc alii viri docti docuerunt. Hominibus porrò unitatem istiusmodi prorsus indignam esse inde constat, quòd omnes, tanquam si sanæ mentis ratione ipsimet careant, ita suo judicio minimè adhibito, duces Romanenses sequi, cumque illis sentire oportet. Servilem denique esse inde perspicitur, quòd vi ac suppliciis consensus ille, vel potiùs consensûs species quædam constituitur. Vnde fit, ut, quamvis multi excellentes ingenio doctrinâq; viri ecclesiam illam funestissimis erroribus implicatam esse videant; tamen ne & vitâ priventur, & fortunis evertantur, assensum eos simulare, & a contradicendo sese continere oporteat. Egregiam verò unitatem, & porrò egregiam populi Christiani notam, Pontificiorum Ecclesiâ dignissimam!

Vid: inter alia Erasmum Rot: & Witakerum.

Videamus nunc, an sanctitas vera propriaque ecclesiæ nota sit. Dicimus igitur, longè secùs sese rem habere. Vel enim hìc sanctitatis nomine intelligitur ea Christianorum a profano hominum vulgo segre-

go ſegregatio, & ad divinum cultum conſecratio, quam veritatis ſalutaris cognitio ac profeſſio parit, utpote ob quam Chriſtiani omnes ſancti ab Apoſtolis nominantur, ut tum ex Actis, tum ex epiſtolis Apoſtolicis manifeſtū eſt; vel vera vitæ pietas, & mores Chriſti præceptis conformes ea voce ſignificantur. Atqui prior illa ſanctitas eccleſiæ aſpectabilis, de qua ſola illi loquuntur, eſſentiam conſtituit. Quare, ut ſuperiùs oſtendimus, nota ejus eſſe non poteſt. Quod ad poſteriorem attinet, ea humano aſpectui nequaquam ita ſubjecta eſt, ut aſpectabilis eccleſiæ ſignum meritò dici poſſit: cum ſignum non ſolùm ipſum per ſe clarum, ſed etiam re ſignata clarius eſſe debeat. id quod de vitæ ſanctimonia dici nequit: cum hæc in hominis animo præcipuè lateat, & ideò non ſolùm non cerni, ſed nec ex actionibus externis neceſſariò colligi poſſit. Poteſt quippe, ut diximus, virtus ſimulari. Adde quòd, quæ vera ſit vitæ pietas, Chriſti præceptis conformis, nonniſi tum judicari poteſt, cùm doctrina ſalutaris jam eſt cognita. Verumenimverò ſi pietas vera Eccleſiæ Chriſti nota eſt, nulla eſt cauſa, cur eccleſiam Pontificiam pro vera eccleſia Chriſti agnoſcamus; imò cauſſa eſt magna, cur eam pro tali minimè habeamus: quandoquidem non ſolùm in Pontificiorum plebe, ſed in ipſis etiam eorum paſtoribus, non unius generis vitia paſſim magnâ licentiâ graſſari, clariſſimè cernimus. Neque hîc eadem eſt ratio vitiorum, quæ virtutum. Virtutes enim ſimulari poſſunt; vitia & peccata non item: & virtus una atque altera, vel etiam plures, quæ in externis actionibus, licèt non ſimulatis, apparent, non protinus veram pietatem ac ſanctitatem conſtituunt: at vel unius peccati conſvetudo pietatem evertit.

Iam videamus, an Catholicam eſſe, ſit eccleſiæ nota. Animadvertendum autem primò eſt, Pontificios hoc nomine, & amplitudinem, & claritatem, & antiquitatem intelligere. Ac amplitudinem quidem in eo conſtitutam eſſe ajunt, quòd eccleſia per orbem terrarum longè lateque diffuſa, & ideò ubique ſit. Atqui hanc diffuſionem eccleſię ſignum non eſſe, hinc patet, quòd in ea nec neceſſariò, nec ſemper ineſt. Fuit quippe tempus, cùm Chriſti Eccleſia vix in una provincia conſiſteret, nimirum ſtatim poſt Chriſti in cœlum aſcenſum. Tantum enim aberat, ut tunc ſtatim apud Gentiles eſſet, ut nec in omnibus Iudaicæ regionis partibus locum haberet. Deinde, cùm ſalutarem Chriſti doctrinam amplecti ac retinere in hominis arbitrio poſitum ſit; fieri poteſt, ut vel a paucis recipiatur, vel etiam a plurimis recepta tandem rejiciatur, ut quidem futurum fuiſſe Paulus prædixerat. Atqui, inquiunt, hanc eſſe propriam ec- 2 Theſſ: 2. 8, 9, & d. 1 Tim: 4. 1. 2 Tim: 4. 3, 4.

clesiæ notam, illis divinis testimoniis comprobatur: *In omnem terram exivit sonus eorum.* Item: *Fides vestra annunciatur in toto mundo.* Item illud: *Dominabitur a mari usque ad mare.* Respondemus autem primùm, in testimoniis illis non dici, ista semper ac necessariò in ecclesia futura esse, sed vel jam olim evenisse, vel aliquando eventura. Et quidem illa, quæ primo secundoque testimonio commemorantur, jam Pauli tempore completa fuisse, ex ipsis locis constat. Adde, quòd aliud sit, vocem præconum Evangelii ubique personare, aut, fidem certæ alicujus ecclesiæ passim commemorari; aliud, ipsam ecclesiam ubique extare: cum ibi etiam fieri illa, quæ diximus, queant, ubi nullus Christianorum cœtus, præsertim verus, extet. Tertium verò testimonium, ad Dei consilium referendum est, qui aliquando omnibus terræ nationibus veritatem salutarem amplectendi, Christoque sese subjiciendi amplissimam occasionem daturus erat, & jam olim dedit. Nam ipse ejus rei effectus in hominum arbitrio situs est. Quanquam & illud responderi potest, Christum, uti & Deum, dominari a mari usque ad mare, etiamsi nemo hominum eum agnoscere eique parere vellet, quemadmodum alibi ostensum est.

Rom: 10. 18. Rom: 1. 8. Psal: 71. 8.

Iam ut de ecclesiæ claritate dicamus; animadvertendum, eam a Pontificiis in multitudine potissimùm collocari, paucitatique opponi. Verùm ut paucitas non est signum falsæ, ita nec multitudo veræ ecclesiæ nota est: quippe cum, ut paulò antè demonstratum est, nec semper multi Christianam disciplinam fuerint amplexi, nec necesse sit, ut, si aliquando plurimi sese ad eam contulerunt, eos nunquam ab ea defecisse statuatur. Adde, quòd multitudo multis etiam aliis hominum generibus, quæ nihil minùs quàm Christi ecclesia sunt, attribui potest. Quòd si dicant, se eam hominum multitudinem oratione persequi, quæ salutarem Christi doctrinam profiteatur ac teneat; primùm jam ostendimus, eam nec semper, nec necessariò existere. Deinde si maximè & semper & necessariò fuisset, id tamen pro signo ecclesiæ habendum non esset: cum multitudo hominum salutarem veritatem profitentium, ipsam ecclesiæ essentiam constituat. Quid, quòd Romanam ecclesiam notâ istâ (si modò nota est) carere, & sic veram Christi ecclesiam minimè esse, satis jam demonstravimus.

lib: 5. c. 27.

Antiquitatem similiter ecclesiæ signum nequaquam esse, inde apparet, quòd nec sola, nec semper antiqua fuit. Non sola; quia multa sunt alia hominum genera vetustissima, quæque multò antiquiore religione devincta sunt, quàm Christiani; ut Iudæi, atque E-

thnici.

thnici. Accedit, quòd nullum tempus dari poteſt, quo unà cum vera religione falſa etiam non extiterit. Non ſemper; quia fuit tempus, quando Chriſti Eccleſia antiqua minimè dici potuit. Cùm enim Chriſti eccleſia primùm colligeretur, vetus ſive antiqua appellari non potuit. Cap: XVII. De notis Eccleſiæ.

Reliquum eſt, ut conſideremus, an Eccleſiæ nota ſit, eſſe Apoſtolicam. quod ut exploremus, hac utemur diſtinctione, ut Apoſtolicæ Eccleſiæ appellationem dupliciter accipi poſſe ſtatuamus. Aut enim illam Eccleſiam ſignificat, quæ Apoſtolorum ætate floruit; aut eam, quæ Apoſtolorum ſequitur doctrinam. Ac priorem quidem ſignificationem, Eccleſiæ notam minimè conſtituere, ipſa ſanæ mentis ratio docet: cum Apoſtolorum tempore florere, Eccleſiam ſemper neceſſarioque comitari nequaquam poſſit. Alterum quoque nullam Eccleſiæ notam conſtituere, jam ſatis conſtare poteſt: cum, ut jam ſæpiùs inculcatum eſt, Apoſtolorum ſequi doctrinam, ad Eccleſiæ eſſentiam ſpectet.

Verùm Pontificii, ut, quod volunt, aſſequantur, dicunt, Apoſtolicæ Eccleſiæ nomine tres ejuſdem notas contineri: nempe tum Apoſtolorum traditiones, ſeu verbum Dei non ſcriptum; tum continuam Epiſcoporum paſtorumque ſucceſſionem, jam inde ab ipſis Apoſtolis deductam; tum denique legitimam paſtorum ordinationem.

Primò igitur traditiones iſtas Apoſtolis affictas eſſe, ſuprà ſatis oſtendimus. Deinde etiamſi veriſſimæ eſſent, Eccleſiæ tamen ſignum ea de cauſa dici non poſſent, quòd ſignum re ſignata notius eſſe debet. Atqui hîc contrà fieri inde conſtat, quòd verbum iſtud non ſcriptum exploratè cognoſci nequit, niſi priùs cognoſcatur Eccleſia, quæ iſtud conſervârit. Ex quo fit, ut non ex traditionib[9] iſtis Eccleſia, ſed contrà ex Eccleſia traditiones cognoſcendæ forent. lib:5. c. 8.

Iam quod ad Epiſcoporum paſtorumque continuam ſucceſſionem attinet; aut perſonalem localemque ſucceſſionem Eccleſiæ notam eſſe volunt, aut doctrinalem. Ac perſonalem quidem localemque ſucceſſionem Eccleſiæ notam nequaquam eſſe, & ſuprà a nobis demonſtratum eſt, & hoc in loco veteris teſtamenti Pontificum Levitarumque exemplo demonſtrare placet. Horum enim aliis alios in munere illo, continuata quadam minimeque interrupta ſerie ſucceſſiſſe, nemini dubium eſſe poteſt. Semper tamen penes populum illum veram Eccleſiam nequaquam fuiſſe, ex multis Vatum dictis clariſſimè patet, qui aſſerunt, ſacerdotes illos non cogitâſſe, ubi eſſet Dominus; Legisque profeſſores eum neſciviſſe, & pa- ſup: c. 13.

 ſtores

Cap: XVIII. An Ecclesia deficere possit.

Ierem: 2. 8, 26, 27: c. 5. 31. c. 8. 1, 2, 10, & d. c. 13. 13. conf. cum ỹ 10. 20 1, 6: c. 23. 11, 14, & d. c. 26. 7, & d.
Esa: 28. 7. & d.
Ezech: 22. 25, 26, 28.
Mich: 3. 11.
Soph: 3. 4.
Malach: 2. 8, 9.

stores ab illo defecisse, & vates per Baalum vaticinatos fuisse, dixisse ligno, Pater meus es tu: Tu me genuisti; Prophetas prophetâsse mendacia & sacerdotes applausisse manibus suis, & populum Dei dilexisse talia: ut alia similia, & scelera, quæ illis objiciuntur, præteream. Hæc enim omnia in veros pastores veramque Dei Ecclesiam minimè convenire, quis non intelligat?

Doctrinalem verò successionem, quæ nunquam interrupta fuerit, nec interrumpi possit, nequaquam dari, ipsa a salutari veritate defectio per Antichristum facta, magno est argumento: ut minimè illa repetam, quæ de libero voluntatis humanæ arbitrio suprà diximus. Accedit, quòd Apostolis in veritatis doctrina succedere, vel, quod idem planè est, eandem cum illis salutarem veritatem tenere ac profiteri, Ecclesiæ essentiam constituit, & sic ejus signum proprium nequaquam est.

Postremò legitimam pastorum ordinationem Ecclesiæ notam non esse hinc perspicitur, quòd eam nec semper, nec necessariò comitatur. Nam & antequam pastores Ecclesiis certis præficerentur, jam Ecclesiæ erant; & suprà demonstravimus, Christi doctrinam ab illis etiam felicissimè prædicatam fuisse, quibus hæ partes nominatim nequaquam impositæ fuerant. Adde quòd, utrùm legitima sit pastorum ordinatio, dijudicari nequeat, antequam doctrina salutaris, quam illi tenere omnino debeant, ipsaque adeò Ecclesia fuerit cognita: præsertim cum adversarii omnino contendant, veros pastores nonnisi a legitimis veræ Ecclesiæ pastoribus ordinari posse; ut quidem necessarium foret, si nemo absque ejusmodi ordinatione legitimè verbum divinum prædicare, & cætera pastoris munia obire posset, quemadmodum illi contendunt.

CAP: XVIII.

In quo quæritur, an Ecclesia deficere possit.

SEquitur, ut videamus, an Ecclesia ab agnita veritate deficere, & sic Ecclesia esse cessare queat. Constat igitur, id fieri posse: cum, ut sæpiùs a nobis dictum est, homini liberum voluntatis arbitrium cõcessum sit, nec ullam nobis Deus vim inferre velit, quominus abjectâ veritatis disciplinâ, mendacio operam demus. Quorsum enim spectarent tot virorum sanctissimorum, ipsiusque adeò Christi admonitiones, quibus ad animi constantiam fideique perseverantiam concitamur? de quibus jam suprà non uno in loco docuimus. Quid, quòd Paulus fore prædixit, ut homines a cœlesti veritate deficerent, & nos id factum esse experientiâ cognovimus. Neq; enim unquam

vid: inprimis cap: 1. lib: 5.
2 Thess: 2. 3, 9, & d.
1 Tim: 4. 1.
2 Tim: 4. 3, 4.

quam Christus hoc suæ Ecclesiæ spopondit, in seque recepit, eam desituram minimè esse: sed, si officium nunquam proderet, ad extremumque statum suum tueretur, fore promisit, ut præsentem ipsius opem experiretur, & tandem in cœlestis patrimonii possessione collocaretur. Cum enim Ecclesia ex singulis fidelibus compositum quoddam corpus sit; singulis autem hac lege atque conditione sempiterna felicitas promittatur, si in officio maneant; quis non intelligat, eodem modo de universa Ecclesia judicandum esse? At, inquient, Christus sese pro Petro orâsse dicit, ut fides ipsius nunquam cessaret. Rectè. atqui Petrus Ecclesia non est, sed homo singularis. Deinde id ad illud tempus revera pertinuit, quo Deus percussurus erat pastorem, & dispergendæ oves. Quia enim fieri poterat, ut eo metu perculsus Petrus, a Christo penitùs deficeret, Sathana illius & cæterorum Apostolorum fidei insidiante, & sic tum ipsorum, tum cæterorum hominum saluti ruinam moliente; ideò Christus, ne id fieret, oravit. Præterea non est statuendum, Dominum Iesum orâsse, ut Deus Petro vim faceret, & omne voluntatis arbitrium eriperet, ut ita deficere nulla ratione posset; sed ut Sathanæ vim ac fraudes cohiberet, & Petrum, salvo ipsius arbitrio, adversus apostasiam communiret. Quòd si ne Petro quidem libertas hac in parte adempta fuit; quantò minùs aliis a fide desciscendi facultas erepta est? Dices, & Petro, & universæ Ecclesiæ super illum extructæ, hoc promissum esse factum, ut a fide sponte sua deficere nequeat, cùm Dominus orci portas eam non prævalituras dixit: item, Christum suis Spiritum veritatis pollicitum esse, qui cum illis in æternum maneat: denique Christum sese suis usque ad consummationem seculi affuturum promisisse. Sed nos, priora duo testimonia nullam rei istius confirmandæ vim habere, jam tum ostendimus, cùm, quo pacto Ecclesia veritatis columna firmamentumque sit, doceremus: postremum verò testimonium non magis, quàm priora, sententiam illam confirmat. Neque enim istic Christus pollicetur, discipulos suos omnino usque ad consummationem seculi extituros; sed se illis, qui extiterint, perpetuò adfuturum. Illud tantùm hinc colligi potest, Christum cupivisse, atque adeò curâsse, ut ii perpetuò extarent: non verò, ut necessariò extarent, effecisse.

Quomodo Ecclesia restaurari possit.

Luc: 22. 32.

Ioh: 14. 16.

Mat: 28. 20.

Mat: 16. 18.

Cap: XIX.

Quomodo Ecclesia, si cesset, instaurari possit.

Reliquum est, ut, si Ecclesia deficiat; an & quomodo instauranda sit, instaurarique possit, videamus. Quam quidem quæstionem ne

Quomodo Ecclesia restaurari possit.

nem nequaquam futilem inanemque esse, tum insignis illa per Antichristum facta defectio, tum non paucorum hac de re dubitatio indicat. Intelligendum igitur est, & posse & debere omnino eam, quantum in nobis est, redintegrari. Ac posse quidem hoc fieri inde constat, quòd non solùm nihil est, quod huic rei impedimenta injiciat; sed etiam quòd instrumenta, quibus hoc perficiatur, nequaquam desunt. Cum enim aspectabilis Ecclesia corpus quoddam sit, quod suis membris constet; cumque necesse sit, ut membra ista certo quodam ordine ac modo disposita sint; consequens omnino est, si illud habeatur, unde talia membra fiant, & ordo conveniens Ecclesiæ restituatur, posse eam planè instaurari. Illud autem, quo utrumq; perfici potest, salutaris Christi disciplina est, Apostolorum monumentis consignata, quæ Deus singulari sua tum providentiâ, tum incredibili sapientia, integra incontaminataque servavit. De quorum veritate cum omnibus Christiani nominis hominibus persvasissimum sit; cæteris autem eorum veritas certis argumentis, ut suo loco a nobis factum est, demonstrari queat; cumque eadem adeò, tum perfecta, tum perspicua esse suo loco docuerimus, ut ex illorum fontibus omnia hauriri possint, quæ ad Christianæ religionis professionem, in qua aspectabilis Ecclesiæ membrorum ratio sita est, atque ad hominem verè Christianum constituendum requiruntur, veluti est fides in Christum, & obedientia mandatis ejus debita; parúmne liquet, Ecclesiam restitui posse? Iam quid de ordine statuque illius externo dicam? is certè adeò & clarè & evidenter in divinis literis nobis ob oculos ponitur, ut & pastores, & Diaconi, aliaque quàm plurima, absque ullo erroris periculo aut metu deligi ordinarique possint.

Lib: 5. c. 5. ib: c. 6, 7.

Vt porrò id fieri omnino debere doceamus, quatuor potissimùm argumenta in medium afferemus. Primum illis Christi verbis continetur, quibus se piorum cœtibus delectari, illisque favore atq; ope sua adesse ostendit. *Vbi*, inquit, *duo vel tres congregantur in nomine meo, in medio eorum sum.* Deinde eas esse Christiani hominis partes constat, ut Deum Christumque quantis potest laudibus extollat, & utriusque incredibilem erga se charitatem omnium præstantissima ratione celebret. Quis autem non videt, nullam in vita Dei Christique colendi excellentiorem rationem excogitari posse eâ, quæ publicè inque solenni piorum hominum congressu adhibetur? Insignitè autem tunc id fieri censendum est, cùm Cœnam Domini ad ipsius commemorationem celebramus. Quod sanè cum tam diu facere jubeamur, dum ipse veniat; cumque hoc fine

Mat: 18, 20.

Christiano-

Christianorum conventibus fieri non possit; manifestum est, ecclesiam, quantum in nobis situm est, Dei implorato auxilio, instaurandam esse. Constat praeterea, ad verae pietatis charitatisque studium nulla re magis homines concitari, quàm crebra divini verbi auditione, mutuis cohortationibus, precum conjunctarum ardore, aliisque rebus similibus, quae absque conventu exerceri nequeunt. Certè disciplina ecclesiastica, quam a Christo atque Apostolis institutam esse suprà vidimus, quaeque ad homines in officio continendos admodum est necessaria, absque ecclesia sacroque conventu exerceri nequit. Quî enim illud praestes, *Dic Ecclesiae?* quî ab ecclesia segregari possit is, qui non ita, ut decet, vivit, si nulla sit ecclesia? Taceo, quòd aliorum etiam hominum salus faciliùs conjunctis consiliis, studiis, laboribus, sumtibus promovetur, quàm cum singuli idem agunt. faciliùs, ubi certus est constitutus ordo, certaque singulorum sunt officia, fidelium omnium curantur necessitates, quàm ubi ejusmodi ordo deest. Ad extremum, ipsa temporum nostrorum conditio evincit, Deum Ecclesiam, quae inducta errorum funestissimorum colluvie planè jam occiderat, omnino instaurari velle: quippe cum multos viros pietate doctrinâque praestantissimos incredibili studio excitandae veritatis sepultae, & Ecclesiae restaurandae, inflammaverit. Hos nullis laboribus pepercisse, nullum periculum formidâsse, nullam molestiam defugisse, nullum incommodum, nullum fortunarum vitaeque jacturam recusâsse constat, ut Antichristi fraude detecta, Christi veritatem ab omni labe puram integramque terrarum orbi restituerent, & Ecclesiam Christi colligerent. Quibus eorum conatibus Deum ope sua nequaquam defuisse, tot homines, totque adeò regiones ab Antichristo abstractae magno sunt argumento.

Cap: XIX. Quomodo Ecclesia restaurari possit.

Hactenus & posse & debere Ecclesiam instaurari ostendimus: sequitur, ut eorum, qui aliter sentiunt, argumenta excutiamus. Ea autem duo potissimùm sunt. Primò enim negant, vera religionis placita hoc tempore mente comprehendi posse; propterea quòd tanta sit facta a Christiana veritate defectio, ut ipsum etiam fundamentum, quod Dei Christique notitiâ continetur, prorsus convulsum fuerit. Horrendâ enim idololatriâ, unà cum aliis pestilentissimis erroribus, in Dei populum inductâ, & sic vero Dei cultu extincto, Christique disciplina salutari partim obscuratâ tenebris, partim prorsus exterminatâ, nullum locum restituendae ecclesiae relictum esse ajunt. Respondemus autem, eos, qui ad istum modum argumentantur, suo sese gladio jugulare. Cùm enim a salutari doctrina defe-

Quomodo Ecclesia restaurari possit.

na defectionem factam esse asserunt, & errores, qui cum ea pugnent, demonstrant, hoc ipso clarissimè ostendunt, se veritatis istius notitiam habere. Aliter enim, defectionem ab illa factam esse, & qua in parte defectio illa facta fuerit, haud intelligerent. Accedit, quòd consecutio ista pessimè constituta est. Vt enim omnem instaurandæ Ecclesiæ aditum præclusum esse ostendatur, non satis est, docere, defectionem a Christi doctrina factam esse; sed insuper demonstrare oportet, etiam illud ipsum amissum esse, unde ecclesia instaurari possit. Quod sanè nunquam fiet: cum illud nihil aliud sit, quàm sacrarum literarum volumen, singulari Dei providentia conservatum. Atqui, inquient, cum multa volumine isto comprehensa, obscuritate quadam involuta sint, ideoque a plurimis minimè intelligantur; cumque Christiana religio in tanta sectarum varietate sit constituta, quarum quælibet de scriptura veroque illius sensu sese jactet; haud satis aptum remedium illa esse videtur, ad tantum morbum sanandum. Respondemus autem, neutram rationem hîc positam, quicquam ad hanc nostram assertionem convellendam ponderis habere. Quòd enim multi scripturæ sententiam, præsertim in rebus ad salutem æternam necessariis, minimè intelligunt; id non ad ipsius obscuritatem, sed ad illorum improbitatem referendum est. Neque enim rationi consentaneum est, Apostolos ea salutis humanæ causâ literis mandâsse, quæ ab hominibus intelligi non possent. Non est autem necesse, ut, si Ecclesia restaurari debeat, omnia ea, quæ in sacris literis continentur, intelligantur: sed satis est ea intelligi omnia, quæ ad salutem sunt prorsus necessaria. Neq; verò sectarum varietas impedire potest, quominus sacra scriptura defectionis malo medicinam afferat: quippe quę nequaquam ex ipsius vel obscuritate, vel alio quopiam vitio, sed potiùs inde principium ducat, quòd multi divinis literis minimè contenti, in Conciliis, in Patrum placitis, in antiquitate, aliisque his similibus rebus acquiescant, aut ex his sententiam illarum petendam arbitrentur; multi etiam, qui rerum ad salutem omnino necessariarum notitiam habent, quique porrò unam ecclesiam constituere possent, vel ambitione, vel præfervido præpolteroque zelo ducti, in diversas sectas abeant.

Instabunt tamen illi, quibus aliter videtur, Ecclesiamque illam primævam, non simpliciter per verbi disciplinam, sed per eandem miraculis confirmatam, collectam fuisse. Respondemus igitur, idem Dei verbum & hodie haberi, nempe miraculis confirmatum. Neque enim quicquam refert, hodie ista miracula non edi: cum satis sit,

Cap: XIX.
Quomodo Eccleſia reſtaurari poſſit.

tis ſit, omnibus perſvaſum eſſe, eandem Chriſti diſciplinam olim portentis innumerabilibus anteaque inauditis corroboratam fuiſſe, ideoque nullum dubium eſſe poſſe, quin ſit veriſſima. Quòd ſi quis dixerit, ſi olim Chriſti doctrinam miraculis confirmari neceſſe fuit, hodie re iſta in tanta diſſenſione multò magis opus eſſe; is nimirum vehementer errat: cùm de ſacrarum literarum veritate controverſia ſit nulla, ſed tantùm de ſententia; ſententia autem in rebus ad ſalutem neceſſariis adeò ſit perſpicua, ut ſi quis eam, præſertim ab aliis admonitus atque edoctus, non videat, indignus planè ſit, qui miraculo ad eam agnoſcendam adducatur. ut taceam, de iſtiusmodi rebus inter eos, qui a Romana eccleſia diſceſſerunt, qui quidem nomen Ieſu Chriſti invocant, nullam eſſe controverſiam; ſed de illis, in quibus ſempiternæ felicitatis ſumma minimè conſiſtit; quarum proinde cognitio non eſt ad Eccleſiam inſtaurandam neceſſaria; ut nil ſit propterea opus nova edi miracula. Atqui, inquies, non id tantùm curandum eſſe, ut qualemcunque extruamus eccleſiam; ſed ut eam aperiamus, quæ ſit Apoſtolica. Reſpondemus autem, ſatis Apoſtolicam eam eccleſiam eſſe, quæ ſalutarem Chriſti diſciplinam amplexa eſt. Miracula enim Apoſtolicam Eccleſiam minimè conſtituere, nec ejus propriam teſſeram eſſe, inde conſtat, quòd etiamſi nulla unquam facta fuiſſet defectio, omnino tamen ea ceſſare neceſſe fuiſſet: idq; eã maximè ob cauſam, quòd Deus vult, ut ad amplectendam veritatem homines non vi aliqua, ſed probitate impellantur, ut alibi eſt a nobis explicatum. Hîc verò eandem iſtius rei cauſam & Apoſtolorum tempore extitiſſe, & ideo etiam tum miracula omittenda fuiſſe dices. Nos verò eandem planè cauſam tunc extitiſſe pernegamus: cum ad hominum probitatem excitandam ſufficientiſſimo opus fuerit adminiculo, quale tunc nequaquam fuiſſet nuda divini verbi prædicatio. Continebat enim, ad illud tempus reſpectu habito, rem novam atque antea inauditam, humanamque intelligentiam ſuperantem, & ſimul non pauca eorum, quæ a Deo olim, vel conſtituta, vel permiſſa fuiſſe omnibus conſtabat, quæque ad illud uſque tempus immota permanſerant, tollebat. Hoc ergo totum, ut Deo auctore fieri intelligeretur, miraculis erat demonſtrandum. Hodie autem longè ſecùs res habet: cùm jam res Chriſti diſciplinã comprehenſæ, nequaquam novæ inauditæque ſint, imò a multis ſeculis ſummo conſenſu receptæ; nec dubitari de iis meritò queat, utrùm divinitus fuerint profectæ necne: cum miraculorum, olim religionis iſtius corroborandæ

vid: lib. 5, cap: 24.

cauſã

Quomodo Ecclesia restaurari possit. causâ editorum, tanta vis sit, ut nunquam ulla temporum vetustas ex hominum animis ea delere possit.

Adhuc primum argumentum eorum, quibus cum nobis res est, excussimus: alterum verò hujusmodi est: Externus, inquiunt, Ecclesiæ status, qui in pastorum seniorumque ordinatione, aliisque similibus rebus consistit, restitui nequit, & ideo frustra hodie in eo instaurando laboratur. Cujus argumenti sui antecedentem partem duabus rationibus demonstrare nituntur. Prima est, quòd qui olim primam illam ecclesiam fundârunt, illi ejus rei gratiâ legati fuerint, Rom: 10. 15. idque ita, ut nisi missi fuissent, tantum opus, ut testis est Paulus, aggredi nequaquam potuissent: ut facilè appareat, in re tanta absque singulari & planè divina legatione nihil conandum esse, nisi in illam reprehensionem incurrere velimus, quæ apud Hieremiam Hier: 23. 21. hunc in modum extat; *Non misi eos, & tamen currebant?* Cum igitur hodiè nullus sit, qui de ejusmodi legatione jurè gloriari possit, consequens est, ut conatu isto supersedeamus. Nec obstare, inquiunt, salutarem Christi veritatem in sacris literis comprehensam integram incorruptamque permansisse: cum & Eliæ ætate, facta horribili quadam a vero Dei cultu defectione, divinę legis disciplina salva manserit, nec tamen homines, sed ipse Deus singulari quadam ratione externum illius ecclesiæ statum restituerit. Hîc respondemus, universam illam ratiocinationem nihil momenti afferre ad ipsorum sententiam constituendam. Nam quod ad Apostolorum ætatem attinet; quantoperè ea a nostris temporibus in eo, de quo hîc agitur, differat, partim ex iis intelligi potest, quæ paulò antè attulimus ad ostendendum, hodie miraculis ad restaurandam ecclesiam opus non esse; partim verò ex iis constat, quæ suprà de missio- Sup: cap: 12. ne Ecclesiæ doctorum dicta sunt, ubi etiam illa Hieremiæ & Pauli testimonia, quæ hoc loco adducuntur, excussimus. Ostendimus enim, loca ista ad eos nequaquam pertinere, qui Christi & Apostolorum, cæterorumque divinorum virorum auctoritate suffulti, aliisque certis & evidentibus rationibus nixi, disciplinam Christi salutarem repetunt, explicant, inculcant, atq; ad eam recipiendam, & factis ipsis exprimendam alios hortantur; quales quidem sunt ii omnes, qui ecclesiam collapsam restaurant, aut restauratam sartam tectam conservant, ornant, atque amplificant. Longè enim aliam hujusmodi hominum, aliam Prophetarum atque Apostolorum rationem fuisse constat. Ii namque res novas anteaque inauditas Dei nomine annunciârunt, & auctoritate sua, divinitus illis concessa, nixi fuerunt: & Apostoli quidem eam disciplinam post Christum

primi orbi terrarum patefecêre, quæ omnibus religionibus, vel penitus, vel aliqua ex parte adversabatur, & sic eam ipsam, quam a Deo patefactam esse constabat, nempe Iudaicam, abrogabat: id quod absque divina legatione nequaquam fieri poterat; præsertim cum tam valida ejus religionis jacienda essent fundamenta, quibus totus orbis, usque ad ipsum mundi hujus finem, fidem suam tutò firmiterque superstruere posset.

Cap: XIX. Quomodo Ecclesia restaurari possit.

Quod ad Eliæ tempora attinet, si id, quod tum temporis factum dicitur, nobis omnino expectandum est; non modò sequetur, Ecclesiam collapsam sine missione divinitus facta, sineque miraculis restaurari non posse; sed ne licere quidem hominibus, qui a veri Dei cultu ad falsorum Deorum cultum desciverunt, hoc relicto ad illum redire, atq; ad Ecclesiam, quæ statum suum externum adhuc retineat, denuo sese adjungere, aut alios ad id faciendum hortari. Neque enim externus Ecclesiæ Iudaicæ status eo tempore fuerat collapsus. Vigebat enim Hierosolymis, inque regno Iudæ, sub Asa & Iosaphato, qui toto eo tempore, quo Achabus Israëlitico regno potitus est, Iudæ præfuerunt; nec deerant sacerdotes, qui publico Dei cultui ex Lege vacarent: sed regnum Israëliticum, cui Achabus præerat, ad falsorum Deorum cultum defecerat. Quanquam istic quoque aliquot supererant hominum millia, qui Baali genua nunquam flexerant. Quid verò? an non licuisset Achabo, aut unicuique ex populo, Deum magis, quàm homines metuenti, sine ulla missione, sine miraculis, tantùm ideò, quia & Lex divina, & res ipsa juberet, ad publicum Dei cultum, qui in Iuda vigebat, sese recipere, & alios, ut idem facerent, monere? Quòd ergo illa septem hominum millia, qui genua non flexerant Baali, id non fecerunt, in causa fuit, non Dei, sed hominum metus, seu non Dei, sed regis interdictum, ac pœnæ ab eo propositæ; qua in parte reprehēdendi potiùs, quàm imitandi sunt. Quòd verò Deus certos homines nominatim ad defectionem illam tollendam mittere, & miraculo eam ad rem uti voluerit; id nequaquam adeò absurdè interpretandum est, ac si peccaturi fuissent homines, si sponte sua, non expectatis Dei legatis, non expectatis etiam miraculis, id, quod ex lege facere tenebantur, fecissent, & ad id faciendum alii alios incitâssent: sed benignitatis divinæ fuit, & consvetudinis illorum temporum ferè propriæ, per prophetas, & per miracula ad id homines impellere, quod sponte sua & facere, &, ut ab aliis etiam fieret, curare debebant. Sed deinde demus, publicum Dei cultum, & externum Ecclesiæ statum tum temporis penitùs fuisse collapsum, & i-

vid: 3. Reg: c.15. & seqq. 2 Paral: cap: 17, & seqq.

psos etiam sacerdotes a vero Dei cultu defecisse: nihil tamen id exemplum ad nostra tempora pertinebit. Etenim tum temporis publicus Dei cultus, & ea, quæ ad externum Ecclesiæ Iudaicæ statum atque ordinem pertinebant, ad certam tribum, ac præcipuè ad familiam Aaronicam, ex qua sola sacerdotes eligendi, & certis ceremoniis consecrandi erant, fuêre alligata, ac certo loco, nempe Hierosolymitano templo adstricta, ita ut nec extra tribum familiamque illam, nec extra illum locum, cuiquam publicis ceremoniis præesse, & externum illum Ecclesiæ statum instituere liceret. Quid ergo mirum, si ii, ad quos ea res Lege fuerat adstricta, a vero Dei cultu defecissent, Eliam & alios, sine peculiari Dei mandato, ad eum restituendum sese conferre non fuisse ausos? At hodie divinus publicusque cultus, & externus Ecclesiæ status, nec certo hominum generi aut familiæ, nec certo alicui loco alligatus est. Quid ergo vetat, quominùs is, si deficiat, restituatur? cum id, cujus ope id fieri queat, nempe salutaris Christi disciplina literis sacris comprehensa, in promtu sit.

Altera ratio, quâ hodie externum Ecclesiæ statum restaurari minimè posse demonstrare conantur, est, quòd hoc tempore fidelium cœtus ipsi sibi ministros pastoresq; eligant: quod contrà factum fuisse inquiunt in primæva illa Ecclesia; quippe cum non ab Ecclesiis, sed ab Apostolis doctores senioresque Ecclesiis tunc fuerint præfecti. Respondemus autem, hoc pastorum & seniorum primævæ ac hodiernæ Ecclesiæ discrimen prorsus accidentarium esse; nec ad legitimam muneris illius rationem necessariò pertinere, ut ii ab ipsis Apostolis, non verò ab Ecclesiis constituantur.
Sup: cap: 11. Satis namque est, eos secundùm Apostolicum canonem, de quo suprà egimus, constitui, ita nimirum, ut vitæ sint inculpatæ, & ad docendam regendamq; Ecclesiam apti, ac porrò huic suo muneri diligenter invigilent. Alioqui, si ad rationem officii hujus omnino pertineret, ut ii ab Apostolis constituantur; post Apostolorum ex hac vita exitum nulli legitimi seniores ac pastores, in vera licèt Dei Ecclesia, constitui potuissent. Est autem animadvertendum, etiam Apostolorum tempore, iisq; adeò præsentibus, & seniores constituentibus, plurimum hac in re ipsius Ecclesiæ suf-
℣ 23. fragia potuisse. Vnde Lucas cap: 14. Act: narrat, Paulum ac Barna-
vid: 2. Cor: 8. 29. bam in singulis Ecclesiis seniores per suffragia creâsse. Id enim significat vox χειροτονήσαντες, quâ Lucas utitur, ut viri doctissimi
1 Tim: 4. 14. annotârunt. Adde, quòd Timotheus, vir tantus, non sine impositione manuum Presbyterii, hoc est, Senatûs, ut sic dixerim, Eccle-

siastici, qui ipsius Ecclesiæ personam quodammodò sustinebat, ut Senatus urbis aut reipublicæ, ad munus doctoris delectus fuerit. Non ergo mirum, si, postquam Apostoli jam dudum cessarunt, Ecclesia ipsa sibi seniores constituat; aut doctores aliqui Ecclesiam colligant, & ex ejus consensu eidem porrò præsint.

Atque hæc de vera in Deum religione dicere habui. Quod superest, Deo ingentes ago gratias, qui his meis laboribus clementer adfuerit, eundémque suppliciter oro, ut eos ad gloriæ suæ amplificationem convertat, meíq; in illa die memor sit, quâ per filium suum Iesum Christum pro suis quemque operibus remunerabitur.

Amen.

FINIS.

Elenchus Locorum Sacrae Scripturae,

qui in hoc libro vel integri explicantur, vel in parte aliqua illuſtrantur.

NB. In hoc & ſeqventi elencho lit: [a] *numeris poſtpoſita, libri primi paginas denotat.*

Levit:

Cap.	Verſic.	pag.
11	2	158, a.
20	6	225, a.
14	26, 27,	327, a.
	27	332, a.
17	7	225, a.
19	17	327, a.
	19	346, 347.
	21	346.
24	23	176, a.
27	9	164, 165.
	21	287, a.
28	16	441.
29	13	171, a.
	14	219, a.
	15, 16	195, a.
	19,23	225, a.
35	4	428, 429.
38	1 & d.	264, a.
40	28	121, a.
41	4	123, a. 441, 442.
	22, & d.	212, a.
42	1	303 a.
	8	239, 240.
43	11	454.
44	6	441, 442.
	6 & d.	123, a.
	7	454.
	7 & d.	212, a.
—	28	137, 328. a.
45	9, 10	173, 175, 176, a.
	24	443, 444.
46	10	137, 147, 327, 328, 332, a.
48	2	551.
	3 & d.	222, a.
	8	551.
	11	239, 240.
	12	123, a.
	14	328, a.
	16	413.
49	1	551.
52	7	176, a.
53	tot.	592.
	4	98.
	5, 6	ib. & 99.
	10	137, 174, 308, a.
55	11	516, 157, 328, a.
57	6	320, a.
59	15	ibid.
	20	164, 165.
62	4	84, a.
	5	318, a.
63	9, 11	473.
	16	586.
65	19	318, a.
66	1	276, a.
	9	470.
	21	340.

Ierem.

Cap.	Verſic.	pag.
1	5	334, 335, a.
	4	28 322, a.
7	4	412, 413.
10	10	132, a.
	23	558.
12	1	227, a.
15	1	588, 589.
17	5	439.
18	6 & d.	175, 176, a. 557.
	8, 10	322, a.
20	16	ibid.
22	29	412, 413.
23	5, 6	85 ſeqq. a.
	20	327, a.
	21	660, 661.
	23, 24	275, a.
24	7	553, 554.
26	3, 13, 19	322, a.
31	15	382.
	18	553, 554.
	20	306, a.
	34	197, a. 153.
32	17	148, a.
	19	272, a.
	27	148, a.
	41	318, a.
33	15, 16	85 ſeqq. a.
	17	340.
	33	553, 554.
34	18, 19	256, a.
51	56	289, a.

Baruch.

Cap.	Verſic.	pag.
3	36 & d.	466.

Actorum.

8, 9 343, a.



ELENCHUS RERUM PRÆCIPUARUM, quæ in hoc libro tractantur.

B.

C.

rogavit.

Conversa-

 stificare

D.

David

F

modo

Honestas

supe

P.

Patefa-

Regeniti

S

 ra redda

rio, sed

V

Venenatorum

 137, a.



Errata graviora ſic corrige.

pag.	lin.	
A 3	8	*poſt* ſuo *dele punctum.*
6	12	*aſini,*
11	29	*loco*
30	34	*materia.*
37	27	*animalibus*
51	*ult.*	*tormentis*
82	20	*ullum*
110	6	*Quanquam*
121	30	*detrectantes*
129	13	*adde in marg* Gen:29,20
139	4	*Alterum*
	18	*omittenda*
150	24	*nihilominus*
	28	*conſiſtere*
151	21	*promiſit*
156	36	*in marg.* 2 Theſſ.
158	35	*in marg* Ioh. 14.
169	9	*effecit*
171	12	*adde in marg.* Pſal:33, 1.
177	12	*promulgata*
	32	*manente*
192	37	*Metonymiam*
207	21	*per-*
215	37,38	*poterit*
226	5	*impuritatem*
	30	*involvat*
234	38	*dele* non
248	14	*in marg. ſcrib.* c. 20,6,28, 29:21,2.
	19	*imbecillitate*
263	32	*in marg* Num: 23,19.
266	12,13	*mutabilem*
276	*penult.*	*in marg. add.* Act. 17,27, 28.
277	24,25	*domicilio*
280	39	*in marg. del.* 90.
	30	*in marg.* Nehem. 9. 17.
297	20	*contemtum*
298	8	*perſequuntur, tanquam.*
300	15	*in marg.* Pſal:40. Hebr. 10. 5, 7. & cap. 11, 6.
305	*penult.*	*ſolent.*
314	12	*ſeveritatem*
316	2	*in marg.* 1 Tim. 2. 4. 2 Pet: 3. 9.
333	*ult.*	*in marg.* Gal: 1. 15.
342	15	*in marg. del.* cap. 25.
B 73	30	*in mar.* Eph. 4. 30.
80	14	*cælis*
88	20	*in marg.* 1 Ioh. 3, 5.
106	5	*obnoxiam*
109	23	*in marg.* Ioh. 13, 1.
113	34	*deſeramus*
139	29	*in marg. add.* 2 Cor: 5. 1, 2.
150	5	*perferremus*
152	19	*Vi*
163	30	*in marg.* Apoc. 12. 6, 14.
166	15	*in marg.* Rom. 10. 19.
170	*pen.*	*in marg. adde* Ioh. 10,26.
173	33	*in marg.* 2 Pet. 2. 20.
186	37	*in marg.* Eph. 4. 23.
193	11	*in marg.* Levit. 19. 18. & *refer ad lin. ſeq.*
223	19	*Autoris*
224	1	*formas*
	18	ἐπικαλεῖσθαι
248	5	*ſineq;*
252	34	*rei cauſſam*
260	19	*dimittere*
268	33	*apud*
293	10	*in marg.* Act. 4. 32.
317	19	*conſecuturus*
326	6	*in marg.* Gen. 14. 18.
332	13	*ſed*
334	23	*Coloſſ.* 2. 17.
344	29	*intelligendam*
352	2	*Tam enim*
357	16	*pro illis*
359	5	*reſpuit*
369	7	*in marg* Act. 5. 3.
	11	*in marg.* 1 Cor. 7.
386	19	*in marg. add.* 2 Pet. 1. 20.
387		*pro num.* 388 *ſcribe.* 387.
	35	*eſſe*
390	25	*in marg.* Ioſ. 1. 8, 9.
391	19	*neceſſaria*
403	22,23	*qualitates ſunt*
417	8	*in marg.* 1 Ioh. 5.
419	16	*del. Verum*
	35	*in marg. del.* ℣ 7.
	37	*in marg. add.* ℣ 4.
423	12	*Exod.* 22. 28.
437	8	*effigies*
438	27	*in marg.* & 12. 45.
444	20	*in marg.* 2 Par. 6.
454	31	*in marg.* Ioh. 5. 19.

462	33	*Apostoli*
473	24	*in marg.* Esai. 63. 9, 11.
482	22	*ostendimus*
488	7	*in marg.* 1 Ioh. 3. 15.
490	17	*in marg.* Num. 21. 5, 7.
494	*ult.*	*docuit.*
496	22	*in marg.* 1 Ioh. 5. 7.
504	38	*in marg.* Psal. 6. 1.
508	33	*remissionem*
527	29	*in marg.* 1 Cor. 15. 28.
531	16	*reprobationeq́;*
532	13	*universim*
537	17	*in marg. add.* ℣ 13.
544	35	*Israelitis*
553	32	*in marg.* Ier. 31. 18. b. ibid. ℣ 33. Heb. 8. 10.
	35	*in marg.* d. 18. 30 &c.
	38	*in marg.* Ierem. 18. 11.
	39	*in marg.* Ezech. 18. 27.
561	28	Gal. 2. 18.
575	24	*in marg.* cap. 10.
576	7	*nobis*
	8	*in marg.* 1 Ep. 2. 2. *& refer cum loco seq. ad lin.* 13.

533	4	*esse*
538	36	*in marg.* Ier. 15. 9.
590	5	*statuendum esse*
599	30, 31	*promissum*
607	12	*cœpta*
610	23	*in marg.* ℣ 6.
	26	*in marg.* ℣ 10.
611	38	*certissimè*
614	38	*in marg.* cap. 11.
624	9	*in marg.* lib. 4.
643	9	*in marg.* Rom. 2. 3.
651	29	*debent*
661	7	*in marg.* Rom. 10. 15.
671	79	*ratiocinationem*
676	22	*in marg. dele* Eph. 4, 5, 7. *& restitue* 1 Pet. 3. 21.
678	18	*quandoquidem*
687	38	*adhibenda*
689	15	*sursum*
696	17	*in marg.* Matt. 18, 17.
707	13	*in marg. locum* Ioh. 14. 16. *refer ad lin.* 25.
	15	*in marg. locum* Matt. 28. 20. *refer ad lin.* 26.



